INSTITUTIO THEOLOGIAE ELENCTICAE, STATUS CONTROVERSIAE PERSPICUE...

François Turrettini

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
14
18 L
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 13. c.

III
9
C.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIO THEOLOGIÆ ELENCTICÆ,

IN QUA

STATUS CONTROVERSIÆ PERSPICUE exponitur, Præcipua ORTHODOXORUM ARGUMENTA proponuntur, & vindicantur, & FONTES SOLUTIONUM aperiuntur.

Authore

FRANCISCO TURRETTINO
In Ecclesia, & Academia GENEVENSI Pastore,
& S. S. Theologiæ Professore.

PARS SECUNDA.

Bibliot. Sacr.
Coll. Rom.
Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGD. BATAVOR.
Apud FREDERICUM HARING.
TRAJECTI ad RHENUM,
ERNESTUM VOSKUYL. 1696.
Cum Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNIFICENTISSIMIS, NOBILISSIMIS,
Consultissimis, Excellentissimisque

VIRIS,

D.D. CONSULIBUS,

PROCONSULIBUS, QUÆSTORIBUS,
ARCHIOECONOMO.

Totique Augusto Illustrissimæ Urbis, & Reipublicæ

TIGURINÆ SENATUI.

Gratiam & Pacem à Deo per Christum precatur

FRANCISCUS TURRETTINUS.

INTER ea omnia, quæ in Ecclesiam contulit Deus, beneficia, PROCERES MAGNIFICENTISSIMI, nullum cœlestis Veritatis dono, quod Paulus καλὴν παρακαταθήκην vocat, pretiosius dari, nullúmque impensiori studio asservandum, & excolendum esse apud Pios omnes est in confesso. Atque eò magis, quòd Princeps tenebrarum, ἄσπονδος salutis nostræ hostis, nihil vehementiori odio prosequatur, nihílque majori molimine corrumpere & nobis eripere satagat. Ut verò Veterator ille, vaferrimus simul

mul & acerrimus, mendax & homicida à principio, duabus viis imprimis grassatur in Ecclesiæ, & Veritatis, quâ illa nititur, perniciem, Vi & Dolo, hinc crudelissimarum persecutionum æstu, inde fallaci Sophistarum astu, modò Leoninâ ferociâ sæviens, modò serpentinâ calliditate, & illecebris blandiens; Ut animam Christi recens nati, per summum Herodis scelus, & insidiis & ferro petebat. Ita duplici armorum genere suos instruxit Dominus, ut hostis nocentissimi impetus fortiter sustinere, & feliciter superare queant. Adversus furoris ictus Spiritu roboris eos unxit, & constantiæ invictæ scutum obtendit; At contra Sophistarum technas, & ἀπατηλοῦ λόγου veteratoriam, quam Paulus μεθοδείαν τῆς πλάνης emphaticè vocat, Verbi Divini luce, tanquam Gladio Spiritus ancipiti, & acutissimo, fideíque impenetrabili Clypeo ad Spiritus & δυνάμεως ἀπόδειξιν eos armavit, quibus tela ignita Satanæ extinguere, & Veritatem contra Diaboli præstigias, & Mundi κυβείαν & πανουργίαν fortiter asserere possint.

Atque hîc singularem Dei gratiam non possumus quin æternis laudibus celebremus; Quòd non modò primis Ecclesiæ Christianæ temporibus post Apostolos & Apostolicos Viros θεοπνεύστους, qui jaciendo fidei fundamento gnaviter incubuerunt; Alios complures subinde fortes Christi Athletas excitârit, qui utilissimam Veritati confirmandæ, & oppugnando Errori operam impenderunt; Sed quòd novissimis hisce seculis, restitutâ Evangelii luce, in Ecclesiæ παλιγγενεσίᾳ tot tantósque Viros doctrinâ & pietate insigni præditos ad Opus Reformationis inchoandum & promovendum vocaverit, qui uberrimâ Rerum Sacrarum scientiâ imbuti, & heroïco Spiritu donati, tanquam אנשי מופת *Viri Prodigii* Tubæ Evangelicæ sonitu, & Veritatis divinæ fulgore tenebras Erroris crassissimas felicissimè fugârunt, Anti-Christi Regnum concusserunt, Et Ecclesiam à multis seculis miserè captivam, & tyrannidis jugo plusquam ferreo tantùm non oppressam è Babylone mystica gloriosè evocârunt.

Licet verò ab eo tempore Veritas, quæ antea sub modio occultabatur, ut faciliùs mendacium regnaret in tenebris, illatâ Verbi divini luce, in sublimi collocata, omnibus, qui modò oculos

los aperire vellent, sese conspiciendam præbuerit. Quia tamen non destitit Satan antiquum obtinens ex abyssi puteo densissimum errorum & impietatum fumum ad eam obscurandam, & si pote extinguendam excitare; per varias exitiales hæreses, quas ad progressum Evangelii impediendum passim ferè disseminavit; Viris Dei sedulò invigilandum fuit semper, ne tantus Thesaurus Ecclesiæ eriperetur, sed ut fides semel Sanctis tradita absque ulla labe conservaretur. Unde non modò eos διδακτικοὺς esse oportuit, qui Veritatem fideliter docerent, sed & ἐλεγκτικοὺς, qui mendacium possent strenuè arguere, & τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ad instar Judæorum ex captivitate reducum, qui alterâ manu murum ædificabant, alterâ verò missile tenentes pugnabant. Quod Augustinus libro quarto de Doctrina Christi cap. 4. rectè observat, quum Ecclesiæ Doctorem *rectæ Fidei defensorem*, & *Erroris debellatorem* vocat, qui non tantum περὶ ἀληθείας *de Veritate* differere, sed & ὑπὲρ ἀληθείας *pro Veritate* pugnare paratus sit, ut in legatione pro Christianis loquitur Athenagoras. Atque in id enitendum est diligentiùs, quòd Satan tyrannidis suæ spatia contrahi sentiens, & paululum temporis sibi superesse videns, in hac sæculorum fæce conatus suos longè potentiùs renovat, ut piorum constantiam quacunque ratione frangat, & fidei εἰλικρίνειαν adulteret, mendacium imprimis specie veritatis fucando, ut faciliùs incautos decipiat. Unde quod nec cruces, nec rogi, nec proscriptiones, & lanienæ, nec minarum severitas, & impotens dominantium libido, quibus fides, quæ persuaderi debet, violenter imperatur, efficere potuerunt, id pessimis artibus quæritur. Hinc promissionum lautissimarum illecebræ ad inescandos animos passim adhibitæ. Hinc præmeditatæ astu, & fraudibus involutæ natæ methodi. Hinc σεσοφισμένοι λόγοι, & speciosæ, sed parum sinceræ Doctrinæ pseudo-Catholicæ Expositiones, quibus id unum agitur, ut novis coloribus & pigmentis ingeniosæ incrustati fœdissimi errores Veritatis σχῆμα induant, atque ita imperitæ multitudini insidiosè verba dentur. Quemadmodum verò plurimum refert furem clam & subdolè grassantem, & noctis caligine sese involventem deprehendere, & ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum omnium oculis sistere, ne ulteriùs noceat. Ita nihil

ad fidei confirmationem conducibilius eſt, quàm ſi ſedulò opera detur, ut falſarii, & Veritatis corruptores, è latebris, in quas ſe abſcondere ſolent, in lucem protrahantur, & mendacium, quod τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, ſub quibus lateat, quærit, detractâ larvâ & fuco renudatum omnibus proponatur. In quo cùm hactenus feliciter laborârint Præſtantiſſimi multi Dei Viri, qui in enodandis Controverſiis Theologicis ſolidè verſati ſunt, Et Orthodoxam Veritatem doctiſſimis Scriptis contra omnis generis Adverſarios fortiſſimè propugnârunt. Æquiſſimum etiam eſt, Sacrorum Myſtas in hac palæſtra ſeſe ſemper exercere, ad Erroris deſtructionem, & Veritatis triumphum; Et eos vel imprimis, qui præpoſiti ſacræ Deo Juventuti, nihil ſtudioſiùs quærere debent, quàm ut cœleſti πανοπλίᾳ maturè inſtructa, ad bellum hoc ſacrum feliciter gerendum præparetur.

Hæc me movit ratio, ut, licet tanto operi imparem me ſatis agnoſcam, aliquid tamen in eo genere tentarem, ſtudioſæ & ſacris initiatæ Juventuti in Munere ſacro mihi commiſſo gratificaturus. Quamvis verò hoc quicquid eſt laboris, Academiæ noſtræ alumnis privatim tantùm deſtinâſſem, nec de eo evulgando cogitatio ulla mentem ſubiret; Non ignarus quàm periculoſæ ſit plenum opus aleæ, publico hominum judicio rudes & indigeſtas lucubrationes exponere; hoc præſertim ſeculo, ut oculatiſſimo, ita perquam faſtidioſo, cui vix quicquam arridet, quod novitatis gratiâ ſe non commendet: Victus tamen iteratis Amicorum hortationibus, ipſorum deſideriis morem gerere, etiam cum aliquo famæ diſpendio non recuſavi. Cùm verò prima Operis Pars, quæ ante biennium prodiit, faventiùs longè ſupra expectationem meam, & meritum ſuum nacta ſit Lectorum judicium; Et à pluribus cœptæ ſcriptionis continuatio exinde à me ſæpius ſit efflagitata, & avidè, ut illi nimio procul dubio in me affectu loquuntur, expectetur, haudquaquam committendum duxi, ut aliquam de me conquerendi anſam haberent; ſed id demum ſtudui, ut ſi non poſſem votis ipſorum plenè ſatisfacere, utcunque ſaltem honeſtæ ipſorum petitioni reſpondere conarer.

Hinc nata ſecunda hæc Operis Pars, quæ primaria Myſterii Pieta-

Pietatis, & Religionis nostræ Capita complectitur, quam Magnificentissimis Amplitudinibus Vestris, eâ quâ par est observantiâ, sacram facere constitui, ut primam Amplissimo Magistratui meo, ut Laborum meorum primitias, nuncupavi. Fateor EXCELLENTISSIMI DOMINI, me non parum dubium & ancipitem hæsisse, An exiguum hoc munus offerre Vobis deberem. Hinc enim tenuitatis meæ conscientia; Inde verò fastigii & dignitatis, ad quam Vos evectos Deus voluit, cogitatio, & gravissimorum negotiorum moles, quibus Vos obstrictos tenet continuò Reipublicæ cura, metum injiciebant, ne temeritatis notam hoc pacto incurrerem, vel intempestivè saltem me Vobis sisterem. Verùm audentiorem me reddidit singularis Vestra Humanitas, apud omnes decantata, effecítque ut, posito omni metu, patrocinium hîc Vestrum ambire non dubitaverim, & Illustrissima vestra Nomina veluti πρόσωπον τηλαυγὲς Operi meo auspicatò præscribere ausus sim, ut major illi apud omnes gratia constaret; hâc firmâ spe fretus, non ingratum fore Vobis Argumentum, quod non aliò spectat, quàm ad Veritatis & Religionis, quam inter prima vestra Decora, & maximas Imperii Vestri curas cum Honorio Imperatore meritò reponitis, defensionem. Enimverò cùm Reipublicæ Vestræ Illustrissimæ, totius Helvetiæ Metropolis, inclyta famâ gloria apud exteros multis de causis jure celebretur, non modò Urbis antiquitate, sed & summâ Rectorum prudentiâ & integritate, Legum sanctitate, Virorum Excellentium, & undequaque Doctissimorum, quibus toto Orbe hactenus fulsit, & nunc etiam fulget, copiâ, Bonarum Artium, quæ in ea semper floruerunt, studiis, Civium humanitate, Artificum industriâ, Totiusque Gentis ad libertatem natæ, & bellicosissimæ fidelitate & fortitudine, aliísque non paucis privilegiis, quibus præ aliis pluribus, gaudet; Tum præcipuè, quod omnium Caput est, Religionis amore, & Veritatis studio sese semper commendavit. Nam ut nihil dicam de zelo & alacritate, quâ veram Christi fidem primò suscepit circa finem tertii seculi à *Felice* & *Exuperantio*, fidelibus Dei Servis, sub Thebeæ Legionis signis militantibus, singulari Dei benificio, ex cruentissima ejus cæde, quam Maximianus Imperator ob invictam ipsius

in fide Chriſti conſtantiam fieri juſſit, cum paucis aliis feliciter elapſis. Quis neſcit illuceſcente denuo, & tantùm non exoriente in mediis Papatus tenebris, æterno Chriſti Evangelio, cùm plures Populi & Civitates oblatam illam à Deo lucem, vel omnino repudiarent, vel timidè ſuſciperent; Veſtram Civitatem forti intrepidóque animo Chriſtum veluti redivivum, ſèque Vobis offerentem, avidè amplexam eſſe, & ſemel exceptum tanquam Hoſpitem gratiſſimum, ſemper poſtea ſtudioſiſſimè retinuiſſe, foviſſe, ipſiúſque Regnum, quantum in ipſa fuit, & apud ſe, & apud exteros promoviſſe, & præclaro ſuo exemplo aliis ad idem faciendum præiviſſe? Quinetiam teſtatur Hiſtoria, priuſquam magnum *Lutheri* nomen in Helvetia innotuiſſet, Deum jam lucis ſuæ cœleſtis radiis Terram veſtram colluſtrâſſe, excitato ad id ſummo, & nunquam ſatis laudato Dei Viro *Huldrico Zwinglio*, qui ferventiſſimo zelo, & heroïcâ planè virtute purum Dei Verbum intrepidè prædicando, & impuro Monacho Franciſcano *Samſoni* dicto, Româ ad fœdam Indulgentiarum nundinationem miſſo, maſculè ſe opponendo, mirum quantum cœleſte hoc Opus apud Vos ſtabilivit & provexit. Quod divinum πλεονέκτημα Piiſſimi Majores Veſtri tanto ſtudio, tantóque cum ſucceſſu conſervârunt, in id etiam concurrente indefeſsâ Venerandi Miniſterii Veſtri vigilantiâ, & Celeberrimorum ac Doctiſſimorum Theologorum Veſtrorum zelo ſanctiſſimo, qui tum vivâ voce, tum Scriptis ſolidiſſimis nihil omiſerunt, ut Erroribus quibuſvis graſſantibus ſtrenuè ſe opponerent; uſque adeo, ut qualeſcunque Satanæ fuerint conatus, ad Doctrinæ puritatem inficiendam; nulla tamen, peculiari & paucis conceſſâ Dei gratiâ, vel minima labes in eam irrepſerit; ſed integra & illibata ſemper manſerit, quódque à Patribus ſuis jam acceperant præclarum Depoſitum, religioſiſſimè ſummâ cum laude conſervatum, ad Vos etiam fideliter tranſmiſerint.

Quam laudem & gloriam, veſtram etiam eſſe voluiſtis, PROCERES AMPLISSIMI, non modò pretioſiſſimum hoc κειμήλιον præ cæteris omnibus magnifaciendo, ſed & conſtantiſſimè retinendo, fidos Eccleſiæ nutritios, fortiſſimos bonæ cauſæ Vindices, & Orthodoxiæ Cuſtodes tenaciſſimos Vos exhibendo, nihil

anti-

antiquius habentes, quàm ut ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, & purioris Doctrinæ, quæ hactenus inter Vos viguit, simplicitas intemerata conservetur. Quod ut faciliùs assequi possetis, non modò teterrimos Errores, & fœdas hæreses, quæ cor ipsum Fidei, & Salutis fundamentum petunt, profligandas, & nigro thetâ notandas sanctè censuistis; sed etiam novitias omnes, & peregrinas doctrinas à τύπῳ διδαχῆς antea traditæ recedentes, quæ alibi turbas dederunt, à finibus vestris arcendas laudatissimo consilio judicâstis, ut omnes eâdem incedentes regulâ idem sentire & loqui assuescant. Atque hæc ipsa ratio jam securum me esse jubet, qualemcunque hunc laborem meum à M. M. A. A. V. V. benevolè exceptum iri. In quo quippe id unum mihi præ cæteris proposui, ut Doctrinam Orthodoxam, quam ex S. Scripturæ fontibus, & ex Doctissimorum Theologorum Vestrorum & Nostrorum lectione hausi, fideliter traderem, nec ab ea quantum fieri posset, vel latum unguem recederem; Ut vel hinc constet apud omnes de vero Doctrinæ nostræ cum Vestra consensu. Sed non desunt aliæ rationes publicæ & privatæ, quæ me ad Vos jam currentem gratâ quâdam vi trahunt. Vel hoc satis esset, me Genevam Vobis Fœderatam, & multis nominibus obstrictam Patriam habere, ut inter eos nomen profitear meum; qui cultum Vobis debent & obsequium. Cùm enim magna semper Genevæ cum Illustrissimis Cantonibus Evangelicis, cum quibus communia nobis sunt Sacra, & Fides ἰσότιμος, intercesserit necessitudo, Tum vel maximè cum florentissimâ Republicâ Vestrâ, quæ cum Illustrissima Bernensi arctiori Fœderis vinculo nobis est juncta. Cujus propensissimum studium semper, & temporibus præsertim difficillimis jam diu probavimus, & quotidie probamus, dum de rebus nostris non minus ac suis sollicita, bona & mala nostra sua interpretando, consilio & opere promptissimè nobis adfuit, nullàque à se unquam requiri passa est officia, quæ ab amicissima & conjunctissima Sorore expectari possunt. Testantur etiam Annales nostri, quantum hæc Ecclesia Vestræ debeat, quantumque contulerit ad confirmandam adversus hæresium monstra, quibus hîc impetita est, Doctrinæ puritatem, & ad sanciendum sacræ Disciplinæ Presbyterii nostri vinculum, quod

 homi-

homines factiosi & ἄτακτοι ad omnigenam licentiam inducendam non semel abrumpere conati sunt. Nec nos latet, Vestrâ intercessione præsertim factum, ut Calvinus, qui turbonum quorundam iniquitate & violentia Urbe excedere coactus fuerat, & Argentinam se receperat, ubi honestissimè exceptus Pastoris in Ecclesia Gallica, ejus ductu ibidem institutâ, & Professoris Theologiæ munus dignissimè sustinebat; Ecclesiæ huic summo cum ejus gaudio & emolumento, licet ægrè redditus fuerit. Nec ignota potest esse pia & intima animorum Unio & consiliorum communicatio, quæ inter Magnum *Bullingerum* Vestrum, & *Calvinum* nostrum semper extitit, ut literæ ἀμοιβαῖαι suavissimæ testantur, per quam ὁμοθυμαδὸν Opus Domini sedulò ab ipsis semper promotum est. Et cùm malevoli aliquod sententiarum divortium inter utramque Ecclesiam in Re Sacramentaria jactarent; Farello & Calvino Tigurum profectis, scriptus est unanimi Ecclesiarum Helvetiarum & Fœderatarum approbatione anno 1549. *Consensus Sacramentarius*, quo sanctum Fraternitatis & affectus vinculum inter ipsas magis magísque adstrictum est & colligatum. Nec ab eo tempore cessavit per Dei gratiam dulcissima illa animorum & officiorum contesseratio, quæ etiamnum hodie, singulari Dei beneficio & maximo nostro cum gaudio, Nobis intercedit cum magnis Ecclesiæ & Academiæ Vestræ Luminibus, Celeberrimis Viris, qui summâ cum laude de Ecclesia & Rep. literaria, tam vivâ voce quàm scriptis doctissimis, bene mereri pergunt. In qua ad extremum usque, Deo Favente, nos semper perstituros speramus.

Sed præter hæc nomina publica, quæ cum popularibus meis, qui Genevam Matrem agnoscunt, me Vobis obstringunt: Aliæ mihi sunt peculiares causæ non leves, quæ hoc officium jure quodam suo à me exposcunt; singularem dico favorem & benevolentiam; quam Avus, Parénsque meus, felicissimæ recordationis, inter Vos experti sunt, totáque cum ipsis familia nostra. Cùm enim *Franciscus Turrettinus* Avus meus colendissimus, qui relictâ Italiâ, & Civitate Lucensi Patriâ suâ circa annum 1575. purioris Religionis studio, Genevam primò, & post aliquot annos Antverpiam concesserat; Ubi licet adhuc junior, Seniores tamen in Ecclesia

clesia Gallica, quæ ibi tum florebat, ob eximiam suam pietatem fungebatur officio, Ex Civitate à Duce Parmensi obsessâ, excedere coactus fuisset non sine magno vitæ discrimine; Et non multò post in Inclytam Vestram Civitatem, tanquam in securitatis azylum & tranquillitatis portum sese recepisset, summâ cum humanitate ab Amplissimo Magistratu exceptus est, & per totum quinquennium, quô ibi versatus est, propensissimam semper vidit erga se ejus benevolentiam, ut singularem sensit Dei benedictionem. In eo verò potissimùm, quòd Lectissima Fœmina, *Camilla Burlamachia*, ex Nobili Burlamachiorum Familiâ etiam Lucensi, conjux ejus charissima, *Benedictum Turrettinum* filium primogenitum, Parentem meum desideratissimum, intra mœnia vestra anno 1588. illi peperit, quem sacro Baptismatis fonte tinctum, Nobili Viro D. *Henrico Werdmyllero* Susceptore, & à teneris Deo consecratum, & semper benedictum, non sine summo gaudio & solatio, vidit postea ex voto suo Sacris admotum, & Pastoris in utraque Ecclesia Gallica & Italica, & Professoris munus feliciter obeuntem. Ut verò ipse Tigurum, ubi primò lucem viderat, tanquam almam Patriam suam impensè semper dilexit & coluit: Ita illa se summè benevolam erga ipsum tanquam alumnum suum charissimum continuò præbuit. Cujus, ne alia referam, non obscurum sunt documentum Testimoniales Literæ illi ab Amplissimo Senatu traditæ anno 1608. quas penes me adhuc habeo, & ut gratissimum tenerrimi in ipsum Affectus Vestri pignus studiosè servo, quibus eum, ut in sinu vestro natum, pro vestro agnoscit, & tanquam Tigurinum & Helvetium de meliori notâ commendat. Nec ibi substitit Favor Vester, sed in familiam totam sese diffudit, quæ non indigna Vobis visa est vestrâ recordatione & patrocinio. Cujus ipse ego, ut de aliis taceam, non pauca indubitata habui argumenta, quæ mihi nihil tale merito quavis datâ occasione dare voluistis. Quæ sanè omnia talia sunt, ut indigni simus, si ea perenni cultu non recognoscimus, ingrati, si non omni loco & tempore prædicamus; Ut cùm impares simus dissolvendo debito, animum saltem beneficiorum acceptorum memorem nunquam deponamus, Et si non quas debemus, at quas possumus gratias humil-

limè referamus. Cujus adimplendi officii opportunitatem diu quæsitam, & commodè jam oblatam & inventam perire mihi nolui, ut aliquod saltem summæ meæ erga Vos, & Rempublicam Vestram observantiæ, & gratissimi animi monumentum publicum Posteris ponerem. Accipite ergo benignè, EXCELLENTISSIMI VIRI, pro solitâ humanitate Vestrâ, tenuem hanc, sed sinceram, quam Vobis, quâ possum maximâ animi submissione & reverentiâ, offero, devotissimi mei cultus, & perennaturi obsequii tesseram, Et quam Avo & Parenti prolixè contestari voluistis, benevolentiam, eadem porro Nepotem & Filium Vobis addictissimum cum suis complecti non dedignemini.

Ego sanè, quod unum possum, Deum Opt. Max. boni omnis Fontem & Largitorem, pro omnimoda & constanti Vestra, & Reipub. ac Ecclesiæ Vestræ felicitate votis calidissimis supplex venerari non desinam; ut supremus ille rerum Arbiter, qui à decumanis, quibus tota penè Europa concussa est, fluctibus, & à gravissimis, quibus tot aliis locis miserè jactatur Christi Ecclesia persecutionum procellis, immunes Vos hactenus esse voluit, non sine insigni miraculo, Halcyonia eadem concedat semper, & beneficium hoc Vobis, Totíque Helvetiæ, & Nobis velit esse perpetuum; ut Regio Vestra felix & florens, procul ab omni periculo & damno, sit semper Arcæ Domicilium, Afflictorum Azylum, Religionis & Veritatis sedes, Et vera Bethel, quam gloriæ suæ radiis intus collustret, & muro igneo Protectionis continuò circumdet. Vosque imprimis, PROCERES ILLUSTRISSIMI, qui tantâ cum laude Reip. habenas tractatis, difficillimis hisce & tristissimis temporibus, Spiritu suo Regio magis magísque dirigat & corroboret semper, & omni bonorum genere mactos quàm diutissimè bono Reip. & Ecclesiæ servet. Γένοιτο. *Dabam Genevæ Calend. Mart. Anno Æræ Christianæ*, M. DC. LXXXII.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

LICET ex iis, quæ ad primam Operis istius Partem præfati sumus, CANDIDE LECTOR, Instituti nostri rationes in eo edendo tibi abunde perspectæ esse potuerint, nihil ut opus sit de eo quicquam superaddere. Ne tamen mirum cuiquam videatur, si telam tunc orsam nondum pertexuerim, neque etiamnum pertexam: Paucis dicam; hoc præter votum & expectationem meam omnino contigisse. Ex quo enim animum ad scribendum appuli, nihil magis mihi in votis fuit, quàm ut fidem datam protinus liberarem. Et eò alacriùs manum operi admovi, ex quo non obscuris mihi constitit documentis, consilium methodúmque meam Viris doctis non displicuiße, nec improbatos illis fuiße qualescunque hosce conatus. Verùm, quia in amplissimo Theologiæ nostræ latifundio, tanta est Controversiarum seges, ut quotquot mihi adhuc pertractandæ supererant, uno Volumine includi non potuerint, nisi plerasque ex illis vel omisissem penitus, vel obiter tantum attigissem; Consultius existimavi, utiliorem, licet operosiorem, & prolixiorem viam sequi, & in duas iterum partes dispescere, quæ unâ minus commodè absolvi potuerunt, ut ita ex multorum voto, paulò diutiùs in difficiliorum Quæstionum examine immorari possem, & aliquantò fusiùs in præcipuorum & fundamentalium, quæ subinde occurrebant, Scripturæ locorum explanatione versarer. Hinc factum, ut absolutâ Tractatione Locorum de Lege, & Fœdere Gratiæ, de Christi Persona & Statu, Ejus Officiis, & Beneficiis variis, manum de tabulâ ponere coactus fuerim, & in tertiam Partem rejicere reliquas Controversias, de Ecclesia, de Sacramentis, Et de Novissimis, quæ discutiendæ adhuc veniunt, ut plenum Institutionis nostræ Systema habeatur. Quod eò minùs ægrè Te laturum mihi polliceor, quòd cum auctario & fœnore proditurum sit Opus, si Deus vitam viresque concesserit.

Interea quod nunc sub divinis auspiciis in publicum prodit, eò acceptius tibi futurum spero; Quòd totius Theologiæ nostræ nucleum & me-

dullam ferè contineat, fundamentalia scilicet fidei Capita, quæ præcipuum spei & consolationis nostræ fulcrum constituunt, quæque majori molimine hodie ab Adversariis oppugnantur. In eorum verò enucleatione, si Tibi usquequaque non satisfecerim, Æquiorem te mihi futurum non dubito, quum memineris de iis agi Mysteriis, quæ non humanum tantùm captum longè superant, sed & Angelicum, ad quæ ratio nostra caligat, & balbutit lingua, in quibus docta est ut plurimum ignorantia, & damnabilis curiositas, ubi longè laudabilius est ἐπέχειν quam ausu temerario & sacrilego in arcana, quæ Deus sibi soli servavit, irrumpere. Quòd si eruditionis lumen, & acumen ingenii hic desideras, non refragabor, sed hoc unum mihi sufficiet, diligentiam & candorem meum Tibi saltem probâsse. Ut bonâ fide testari possum, me integrâ conscientiâ in eo Opere versatum fuisse procul ab omni personarum odio & livore, nec vel alienam mentem, quantum quidem hoc licuit assequi, affinxisse iis, quibuscum agendum mihi fuit, nec illa studio dissimulâsse, quæ pro illorum causa facere videbantur. Nullus mihi erga diversa in Religione sentientes nisi charitatis affectus, Et si Erroribus bellum indicimus, Errantibus tamen bene velle & bene precari ex Christi præscripto non desinimus.

Utinam eadem erga nos æquitate uterentur οἱ ἐξ ἐναντίας, *ut remissis odiis, & sepositis præjudicatis omnibus opinionibus causam cum causa, rationem cum ratione conferrent; Nec cæco Zelo perciti nominum majorem rationem haberent, quàm rerum, & potius attenderent quid dicatur, quàm à quibus; melius omnino cum rebus humanis ageretur, & Veritas, quæ præjudiciis istis premitur, & sæpe obruitur, faciliùs emergeret, & omnibus innotesceret. Sed minus mirum est hoc ab iis fieri, qui hoc unum agunt, ut Doctrinæ Examen declinent, & Ecclesiæ imo Pontificis sui voci tanquam Oraculo infallibili, & Unitatis Centro cæcâ obedientiâ nos iterum subjiciant.* Unde Viam Examinis & Discussionis *tanquam difficiliorem & intricationem repudiantes;* Viam Authoritatis & Præscriptionis *novâ disputandi Methodo, ut faciliorem & certiorem dictatorio more sequendam sanciunt, ex qua nos etiam inauditos condemnari posse, absque ullo doctrinæ Examine iniquissimè contendunt; Alcibiadis consilium secuti, qui Pericli de reddendis rationibus gesti muneris sollicito, longè consultius*

sultius esse dixit, cogitare potius de modo se eximendi à rationibus reddendis, quàm quomodo eas redderet. Quæ sanè ratio, ut commodissima & compendiosissima est elabendi, & probationem omnem, & doctrinæ imaginem declinandi via: Ita alienissima est tum à Veritatis indole, quæ lucem, non latebras quærit, tum à bonæ causæ conscientià, Et non obscurum est malæ & desperatæ causæ argumentum. Nam si seriò persuasi sunt de Doctrinæ quam profitentur veritate, Ecquid tam sollicitè ejus refugiunt Examen? Cur tot diverticula & ambages quærunt? Cur non Constantini Magni ad Patres Nicænos consilium sequuntur, referente Theodoreto, qui vult eos τὴν πολεμοποιὸν ἀπελάσαντας ἔριν ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λαβεῖν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν. *Sed quis non videt hoc insidiosum & malæ fidei commentum, non alium finem excogitatum esse, quàm ut* ἀνεξετάστως *recipere cogamur quicquid Romano Pontifici obtrudere libuerit? Quasi vel possessionis prætensa diuturnitas, & Jus præscriptionis, quod ex illa oriri præsumitur, Vel supremæ Authoritatis &* ἀναμαρτησίας *gloriatio ab omni examine eum eximeret, & cæcam omnibus obsequendi necessitatem imponeret. Quis tamen non fatetur nullam contra Veritatem dari posse præscriptionem? ut sapienter jam olim observavit Tertull.* Veritati nemo præscribere potest, *inquit lib. de Vela. Virg.* non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegium Religionum. *Imò hac exceptione facilè se tueri possent Gentiles, urgendo cum Pontificiis non minori, sed potiori jure longævam suam possessionem. Ne jam dicam frustra possessionem obtrudi, nisi ostendatur à quo tempore obtineat, An à quibusdam demum seculis, An à prima ætate & Apostolico seculo, à quo omnis legitimæ possessionis origo in Religionis negotio ducenda est, Quod cum nec præstiterint unquam, nec præstare possint in æternùm, inanem esse omnem possessionis gloriationem constat. Sed non minus vanum & temerarium est supremæ Authoritatis figmentum, quam præter omne jus & fas sibi arrogant, ut in propria causa Judices sedeant. Cùm constet hoc ipsum esse quod inter nos maximè controvertitur, & quod falsissimum esse invictis argumentis non semel à Nostris est probatum. Ecquid enim Spiritus Sanctus nos toties ad legendas & scrutandas Scripturas, & omnia probanda, etiam Spiritus ipsos, an*

sint

sint ex Deo, hortaretur, si jurare in verba cujusquam, & fidem nostram cæcâ obedientiâ illi addicere teneremur? Jactent ergo Authoritatem suam infallibilem Pontifices, & ad Ecclesiæ Tribunal ἀνυπεύθυνον *provocent. Nos aliter Christum edocti, ab ejus unius ore pendere volumus. Hunc solum in Ecclesia, ut Judicem infallibilem audiri, Hunc solum admitti cupimus, nec aliud Tribunal supremum agnoscimus, quàm Scripturas Sacras, in quibus solis Deus* λόγια *sua* θεοπνεύστως *& plenissimè ad salutem consignavit. Ad hunc Canonem verè* ἀκλινῆ *&* ἄψευστον *omnia exigenda esse pertendimus, ut nemo* παρ' ὃ γέγραπται *sapere præsumat. Hæc etiam sacra Cynosura semper mihi proposita, à qua sicubi recessero, facilè patiar me errantem à Te corrigi, & in viam reduci, sin fidelem me ejus observatorem fuisse deprehendas, qui ad tui institutionem & profectum aliquid contulerim; Non mihi, qui nihil possum, sed Gratiæ & Virtuti Dei, quæ in infirmitate mea perficitur, in solidum mecum adscribe, Deúmque rogemus ambo, ut Ecclesiæ suæ laborantis, & sub Crucis pondere gementis misertus, Gloriam Potentiæ suæ in ejus conservatione & liberatione contra insanos Diaboli & Anti-Christi furores exerere, Et Veritatis suæ radios ad Erroris confusionem magis magisque per Orbem diffundere dignetur.* Amen.

ETIAM VENI DOMINE JESU.

ELEN-

ELENCHUS LOCORUM,

ET

QUÆSTIONUM,

QUÆ IN HOC VOLUMINE

Tractantur.

LOCUS UNDECIMUS DE LEGE DEI.

QUÆSTIO I. *An detur Lex quædam naturalis, & quomodo à Lege Morali differat?* Prius Aff. Poster. Dist. Pag. 1

DE NATURA LEGIS MORALIS.

Q. II. *An Præcepta Decalogi sint Juris naturalis, & indispensabilis?* Affir. 8

DE PERFECTIONE LEGIS MORALIS.

Q. III. *An Lex Moralis ita sit perfecta vitæ morumque Regula, ut nihil illi superaddi possit, aut in ea corrigi debeat ad verum Dei cultum? An verò Christus eam non modò ut imperfectam compleverit, sed etiam ut doctrinæ suæ contrariam correxerit?* Prius Affirm. Post. Neg. cont. Socin. Anabap. Remonstr. & Pontif. 20

Q. IV. *An aliquid additum sit Legi Morali per modum Consilii?* Neg. contra Pontif. 31

DE DIVISIONE PRÆCEPTORUM DECALOGI.

Q. V. *An rectè quatuor Præcepta primæ Tabulæ assignentur, & sex secundæ?* Affirm. 35

DE REGULIS EXPLICATIONIS & OBSERVATIONIS DECALOGI.

QUÆSTIO VI. *Quænam Regulæ sint tenendæ in explicatione Præceptorum Decalogi, & in eorum observatione.* pag. 38

AD PRÆCEPTUM PRIMUM.

Q. VII. *An solus Deus sit colendus, An verò Sanctos demortuos invocare & religiosè colere liceat?* Affir. Prius. Neg. Poster. cont. Pontif. 42

DE RELIQUIARUM CULTU.

Q. VIII. *An Sanctorum Corpora & Reliquiæ religioso cultu sint venerandæ?* Neg. cont. Pontif. 53

AD PRÆCEPTUM SECUNDUM. DE CULTU IMAGINUM.

Q. IX. *An Dei & SS. Trinitatis, Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum Imagines cultu religioso prosequi liceat?* Neg. cont. Pontif. 57

Q. X. *An Cultum tantùm, An non etiam formatio & usus Imaginum Religiosarum in locis sacris Præcepto secundo sit prohibitus?* Affirm. cont. Luth. 69

AD PRÆCEPTUM TERTIUM.

Q. XI. *An Quævis Juramenta ita Conscientiam obligent, ut illa observare necessitate inevitabili obstricti simus?* Dist. 73

Q. XII. *An in Juramentis uti liceat Æquivocationibus amphibologicis, & reservationibus mentalibus?* Neg. cont. Pontif. & imprimis Jesuitas. 78

AD PRÆCEPTUM QUARTUM.

Q. XIII. *An in Præcepto IV. sit prima institutio Sabbathi, & An mandatum sit partim morale, partim Cæremoniale?* Prius Neg. Post. Affir. 85

DE DIE DOMINICO.

Q. XIV. *An institutio Diei Dominici sit divina, An humana, & An Observationis sit necessaria & perpetua, An verò libera & mutabilis?* Prius Affir. Post. Neg. quoad utrumque. 101

DE DIEBUS FESTIS.

Q. XV. *An de fide sit in N. T. præter Diem Dominicum, aliquos esse dies festos pro-*

propriè dictos, quorum celebratio per se & ratione mysterii, non ratione ordinis vel Politia Ecclesiastica tantùm sit necessaria? Neg. cont. Pont. pag. 110

AD PRÆCEPTUM QUINTUM.

QUÆSTIO XVI. *An Filii se à Parentum potestate subducere possint, & sine eorum consensu matrimonium contrahere?* Neg. cont. Pontif. 115

AD PRÆCEPTUM SEXTUM.

Q. XVII. *An sub hoc Præcepto Jus Belli & supplicii contineatur? An αὐτοχειρία & duellum prohibeantur?* Prius Neg. Poster. Affir. 123

AD PRÆCEPTUM SEPTIMUM.

Q. XVIII. *Quid Præcepto de non mœchando prohibeatur, & præcipiatur?* 132

AD PRÆCEPTUM OCTAVUM.

Q. XIX. *Quid prohibeatur & præcipiatur Præcepto de non furando, Et An Quævis usura sub eo contineatur?* Neg. 135

AD PRÆCEPTUM NONUM.

Q. XX. *An Mendacium sub ullo prætextu honestari & licitum reddi possit?* Neg. cont. Socin. 142

AD PRÆCEPTUM DECIMUM.

Q. XXI. *Quænam Concupiscentia prohibeatur Præcepto decimo, Et An motus primoprimi sint peccata?* Affir. 148

DE USU LEGIS.

Q. XXII. *Quis & quotuplex sit Usus Legis Moralis, juxta varios hominis status? Et an possit obligare ad obedientiam & pœnam simul?* Dist. 151

DE ABROGATIONE LEGIS MORALIS.

Q. XXIII. *An Lex Moralis abrogata sit penitus sub Novo Test. An verò aliquo respectu adhuc pertineat ad Christianos?* Pr. Neg. Post. Aff. cont. Antinom. 156

DE LEGE CÆREMONIALI.

Q. XXIV. *Quis finis & usus fuerit Legis Cæremonialis sub V. Test.?* 161

DE LEGIS CÆREMONIALIS ABROGATIONE.

QUÆSTIO XXV. *An Lex Caremonialis sub Novo Test. abrogata sit, & quando ac quomodo?* pag. 174
Q. XXVI. *An Lex Forensis abrogata sit in Novo Test.?* Dist. 182

LOCUS DUODECIMUS

DE FOEDERE GRATIÆ

Et duplici ejus Oeconomia in Veteri & Novo Testamento.

QUÆSTIO I. *Quænam sit origo & sensus Vocum* בְּרִית *διαθήκης, Fœderis, ἐπαγγελίας, & Evangelii, quæ hic usurpantur?* 185

DE NATURA FOEDERIS GRATIÆ.

Q. II. *Quænam sint partes contrahentes, Quis Mediator, Quænam clausula Fœderis, tum à parte Dei, tum à parte hominis?* 190
Q. III. *An Fœdus Gratiæ sit conditionatum, & quænam conditiones hic locum habeant?* 202
Q. IV. *Quomodo conveniant & differant inter se Fœdus Operum, & Gratiæ?* 208

DE UNITATE FOEDERIS GRATIÆ.

Q. V. *An unum & idem Fœdus Gratiæ quoad substantiam fuerit in utroque Testamento?* Affir. contra Socin. Anab. & Remonst. 210

DE FOEDERIS GRATIÆ AMPLITUDINE.

Q. VI. *An Fœdus Gratiæ unquam universale fuerit, vel quoad oblationem, vel quoad acceptationem?* Neg. 225

DE DUPLICI OEÇONOMIA FOEDERIS GRATIÆ.

Q. VII. *Cur Deus unicum Fœdus Gratiæ diversimodè dispensare voluerit, & qualis fuerit ejus Oeconomia?* 237

DE

DE DISCRIMINE V. & N. FOEDERIS.

Q. VIII. *Quomodo differant inter se V. & N. Fœdus, An essentialiter & quoad substantiam doctrinæ, An accidentaliter quoad dispensationis modum?* Dist. 255

DE SPONSORE FOEDERIS GRATIÆ.

Q. IX. *An Christus sub V.T. habuerit tantùm rationem Sponsoris Fidejussoris, An etiam Expromissoris?* Pr. Neg. Poster. Affirm. 263

DE STATU PATRUM SUB VET. TEST.

Q. X. *An Patres sub V. Test. dici possint fuisse adhuc sub ira Dei & maledictione Legis, & permansisse in reatu peccati usque ad mortem Christi, nec habuisse ἄφεσιν seu plenam & propriè dictam remissionem peccatorum, sed tantùm πάρεσιν?* Dist. 270

DE LIMBO PATRUM.

Q. XI. *An Patres Vet. Testamenti post obitum statim recepti fuerint quoad animas in Cœlum? An verò in Limbum detrusi?* Prius Aff. Post. Neg. cont. Pontif. 281

Q. XII. *An Fœdus Legale Sinaïticum, quod per Mosem cum Populo Israëlitico sancitum est in monte Sinaï, fuerit tertium aliquod Fœdus specie distinctum à Fœdere Naturæ & Gratiæ?* Neg. 286

LOCUS DECIMUS TERTIUS

DE

PERSONA ET STATU CHRISTI.

QUÆSTIO I. *An Messias promissus jam venerit?* Affir. contra Judæos. 295

Q. II. *An Jesus Nazarenus sit verus Messias?* Affir. contra Judæos. 312

DE INCARNATIONIS NECESSITATE.

QUÆSTIO III. *An necesse fuerit Filium Dei incarnari?* Affir. pag. 325
Q. IV. *An sola secunda Persona S. S. Trinitatis fuerit Incarnata, Et quare?* 330

DE NATURA ASSUMPTA.

Q. V. *An Natura humana assumpta à Λόγῳ fuerit nostræ per omnia similis excepto peccato, & Caro ejus ex substantia B. Virginis desumpta? An verò cœlitùs delapsa?* Prius Aff. Poster. Neg. contra Anabap. 332

DE VERITATE INCARNATIONIS, ET UNIONE HYPOSTATICA.

Q. VI. *An Filius Dei Naturam humanam in Unitatem Personæ assumpserit?* Affir. contra Socinianos. 337
Q. VII. *An Unio hypostatica duarum Naturarum in Christo ita facta sit, ut nec Persona divisa sit, nec Natura confusa?* Affir. contra Nestor. & Eutych. 345

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Q. VIII. *An humanæ Naturæ Christi per Unionem Personalem communicatæ sint formaliter quædam Proprietates Divinæ Naturæ?* Neg. cont. Luth. 349

DE DUPLICI CHRISTI STATU.

Q. IX. *An Christus Mediator sub duplici Statu debuerit Munus suum exequi?* Aff. 361

DE PRINCIPIO ÆRÆ CHRISTIANÆ.

Q. X. *Quis fuerit Annus, Mensis, ac Dies natalis Christi?* 363

DE CONCEPTIONE & NATIVITATE CHRISTI.

Q. XI. *Quomodo Christus conceptus fuerit ex Spiritu S. & natus ex B. Virgine?* 369

DE GRATIIS & DOTIBUS CHRISTO COLLATIS.

Q. XII. *Quænam Gratiæ Humanæ Christi Naturæ collatæ fuerint? Et An fidem & spem habuerit?* Affir. 377

DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

Q. XIII. *An Christi Anima ab ipsa Creatione repleta fuerit scientiâ, ut nihil ignora-*

ignoraverit, vel didicerit? Neg. cont. Pont. pag. 379

DE PASSIONIBUS CHRISTI.

QUÆSTIO XIV. *An Christus pœnas tantùm corporales in corpore, aut anima quidem, sed tantùm quoad partem inferiorem & sensitivam passus sit pro nobis? An verò ipsas etiam spirituales & gehennales peccati pœnas tam in superiori quàm inferiori parte, propriè in se & ex sensu iræ Dei sustinuerit?* Neg. Prius, Poster. Aff. contra Pontif. 383

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Q. XV. *An Anima Christi statim post separationem sui à Corpore translata fuerit in Paradisum? An verò localiter descenderit ad Inferos?* Prius Aff. Poster. Neg. contra Pontif. & Luth. 388

Q. XVI. *An Descensus ad Inferos rectè ad Cruciatus infernales, & ad statum abjectissimum sub dominio mortis in sepulchro referatur?* Aff. 393

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Q. XVII. *An Christus propriâ virtute resurrexerit?* Affirm. contra Socinianos. 396

DE ASCENSIONE CHRISTI.

Q. XVIII. *An Ascensio Christi facta sit propriè per motum localem ex locis inferioribus ad cælum supremum Beatorum? An metaphoricè per disparitionem?* Affir. Prius, Poster. Negamus contra Luther. 399

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM DEI.

Q. XIX. *Quid sit Sessio Christi ad Dextram Dei, secundùm quam naturam Christo conveniat, Et an ad Situs rationem pertineat?* Neg. 402

LOCUS DECIMUS QUARTUS
DE
OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO.

QUÆSTIO I. *Quo sensu nomen Mediatoris Christo competat.* 407

Q. II. *An Christus sit Mediator secundum utramque Naturam?* Affir. cont.

cont. Pontif. & Stancarum. pag. 411

QUÆSTIO III. *An Christus sit Mediator Angelorum?* Neg. 417

DE UNITATE MEDIATORIS.

Q. IV. *An Christus solus sit Mediator noster apud Deum?* Affirm. contra Pontificios. 418

DE TRIPLICI OFFICIO CHRISTI.

Q. V. *Cur Christus Mediator triplex Munus sustinere debuerit?* 424

Q. VI. *An Christus raptus fuerit in Cælum ante inchoatum publicum Ministerium, ut ibi à Patre doceretur?* Neg. contra Socin. 428

DE OFFICIO CHRISTI PROPHETICO.

Q. VII. *In quo consistat ratio Prophetiæ Christi, seu Quænam partes, & quis modus ejus fuerit?* 431

DE OFFICIO SACERDOTALI CHRISTI.

Q. VIII. *An Christus fuerit veri nominis Sacerdos, qui in terris Sacerdotium suum jam inchoaverit, An figurate tantùm dictus, qui in cælis demùm post Ascensionem Munus suum obierit?* Affirm. Prius Neg. Poster. cont. Socin. 438

Q. IX. *De Natura & Unitate Sacerdotii Christi, & Cur dicatur secundùm Ordinem Melchisedeci?* 441

DE NECESSITATE SATISFACTIONIS.

Q. X. *An necesse fuerit Christum pro nobis satisfacere Justitiæ Divinæ?* Affir. cont. Socin. 453

DE VERITATE SATISFACTIONIS.

Q. XI. *An verè & propriè Christus loco nostro Justitiæ Dei satisfecerit?* Affir. cont. Socin. 463

DE PERFECTIONE SATISFACTIONIS.

Q. XII. *An ita perfecta fuerit Christi satisfactio ut nullus post eam, vel satisfactionibus humanis in hac vita, vel Purgatorio post hanc vitam locus esse possit?* Affir. cont. Pontif. 476

DE MATERIA SATISFACTIONIS.

Q. XIII. *An Satisfactio Christi restringenda sit ad Passiones & Pœnas quas pro nobis*

nobis sustinuit? An verò sit etiam extendenda ad Obedientiam activam, quâ Legem in tota vita perfectè implevit? Prius Neg. Poster. Affirm. 484

DE OBJECTO SATISFACTIONIS.

Q. XIV. *An Christus pro omnibus & singulis Hominibus universaliter mortuus sit, An pro Electis tantùm?* Prius Neg. Post. Affir. 495

DE INTERCESSIONE CHRISTI.

Q. XV. *Quare & quomodo Christus pro nobis intercedat?* 526

DE REGNO CHRISTI.

Q. XVI. *An Regnum Christi œconomicum sit temporale & mundanum, An Spirituale & Cœleste?* Pr. Neg. Poster. Aff. contra Judæos. 529

DE ÆTERNITATE REGNI CHRISTI.

Q. XVII. *An Regnum Mediatorium Christi sit duraturum in æternum?* Affir. 534

DE ADORATIONE ET CULTU CHRISTO MEDIATORI DEBITO.

Q. XVIII. *An Christus quà Mediator sit adorandus?* Dist. 539

LOCUS DECIMUS QUINTUS

DE

VOCATIONE ET FIDE.

QUÆSTIO I. *Quid sit Vocatio & Quotuplex? & Quomodo Vocatio Externa & Interna differant?* 545

DE VOCATIONE REPROBORUM.

Q. II. *An Reprobi, qui Vocationis externæ fiunt participes, ex Dei consilio & intentione vocentur, ut salutis fiant participes? Et an hoc negato, sequatur Deum cum illis non agere seriò, sed hypocritice & simulatè? vel posse injustitiæ ullius accusari?* Neg. 548

DE GRATIA SUFFICIENTI.

Q. III. *An Gratia Sufficiens, subjectiva & interna detur omnibus & singulis?* Neg.

Neg. cont. Pontif. Socin. & Armin. 556

DE VOCATIONE EFFICACI.

Q. IV. *An Vocatio dicatur efficax ab Eventu, vel Congruitate, An verò ab ipsa Gratiæ operatione supernaturali?* Prius Neg. Poster. Affir. cont. Pontif. & Arm. 563

Q. V. *An in primo Conversionis momento homo merè passivè se habeat? An verò voluntas ejus gratiæ Dei utcunque cooperetur?* Prius Affir. Poster. Neg. contra omnes Synergistas. 591

Q. VI. *An Gratia efficax operetur tantùm suasione quadam morali, quam homo vel admittere, vel rejicere possit? An verò virtute invictâ & omnipotente, cui nullum resistere possit hominis Arbitrium?* Pr. Neg. Post. Aff. contra Pontif. & Armin. 596

DE FIDE.

Q. VII. *Quot modis Fides sumatur, & quot recenseantur ejus species?* 610

DE VARIIS FIDEI JUSTIFICANTIS ACTIBUS.

Q. VIII. *Quot Fides includat actus in conceptu suo formali?* 612

Q. IX. *An Fides sit assensus sine notitia, & melius definiatur per Ignorantiam, quàm per Notitiam?* Neg. cont. Pontif. 617

Q. X. *An Fides sit Fiducia?* Affir. cont. Pontif. 621

DE OBJECTO FIDEI.

Q. XI. *Quodnam sit objectum Fidei in genere? Et An illi subesse possit falsum?* Neg. 624

Q. XII. *An Fidei Justificantis Objectum proprium sive specificum sit Promissio specialis Misericordiæ in Christo?* Affir. contr. Pontif. 629

Q. XIII. *An forma Fidei Justificantis sit Charitas, vel Obedientia Mandatorum Dei?* Neg. cont. Pontif. & Socin. 635

DE SUBJECTO FIDEI.

Q. XIV. *An Infantes habeant Fidem?* Dist. 638

Q. XV. *An Fides Temporaria differat tantùm gradu & duratione; An etiam specie à Fide Justificante?* Prius Neg. Post. Affirm. cont. Remonstrantes. 642

DE PERSEVERANTIA FIDEI.

Q. XVI. *An verus Fidelis possit à Fide vel totaliter, vel finaliter deficere?* Neg. cont. Pontif. Socin. Remonst. & alios patronos Apostasiæ Sanctorum. 469

DE

DE CERTITUDINE FIDEI.

Q. XVII. *An Fidelis possit, & debeat esse certus de Fide, & de Justificatione sua, certitudine Divinâ, & non tantum Conjecturali?* Affirm. cont. Pontif. & Remonst. 674

LOCUS DECIMUS SEXTUS

DE

JUSTIFICATIONE.

QUÆSTIO I. *An Verbum Justificandi hoc in argumento sumatur semper sensu forensi; An etiam morali & Physico?* Prius Affir. Post. Neg. cont. Pontif. 691

Q. II. *An Causa impulsiva & meritoria propter quam homo justificatur in Judicio Dei, sit Justitia inhærens nobis infusa, vel bona Opera?* Neg. cont. Pontif. 695

Q. III. *An Justitia & obedientia Christi nobis imputata sit Causa meritoria & fundamentum nostræ Justificationis coram Deo?* Affirm. contra Pontif. & Socin. 705

Q. IV. *An Justificatio consistat tantum in Remissione peccatorum? An verò complectatur etiam Adoptionem & Jus ad vitam?* Pr. Neg. Poster. Affir. 716

DE REMISSIONE PECCATORUM.

Q. V. *An Remissio peccatorum consistat in eorum absoluta abolitione? An verò in eorum condonatione? Et An remissâ culpâ retineatur quædam pœna? An verò omnis remittatur?* Prius Neg. Posterius Affir. contra Pontif. 720

DE ADOPTIONE.

Q. VI. *Quid sit Adoptio, quæ nobis in Justificatione datur?* 727

DE JUSTIFICATIONE FIDEI.

Q. VII. *An Fides nos justificet propriè & per se, An tantum relativè & organicè?* Prius Neg. Posterius Affirm. contra Socinianos, Remonstrantes & Pontificios. 371

Q. VIII. *An sola Fides justificet?* Affir. contra Pontif. 738

DE

DE TEMPORE JUSTIFICATIONIS.

Q. IX. *An Justificatio facta sit ab æterno, An fiat in tempore? Et An sit actus indivisus qui fiat simul & semel?* 746

Q. X. *De Unitate, Perfectione, & Certitudine Justificationis.* 749

LOCUS DECIMUS SEPTIMUS

DE

SANCTIFICATIONE

ET BONIS OPERIBUS.

QUÆSTIO I. *Quid sit Sanctificatio, & Quomodo distinguatur à Justificatione, & ab ea tamen sit inseparabilis?* 753

DE PERFECTIONE SANCTIFICATIONIS.

Q. II. *An Sanctificatio sit ita perfecta in hac vita, ut Fideles Legem absolutè implere possint?* Neg. cont. Pontif. & Socin. 758

DE NECSSITATE BONORUM OPERUM.

Q. III. *An Bona Opera sint necessaria ad salutem?* Affir. 768

DE VERITATE BONORUM OPERUM.

Q. IV. *Quid requiratur Out pus sit verè bonum, & An Opera Justorum sint talia?* 772

DE MERITO OPERUM.

Q. V. *An detur ullum Meritum de Congruo, vel de Condigno, Et An bona Opera sint meritoria Vitæ æternæ?* Neg. cont. Pontif. 777

LOCUS UNDECIMUS
DE
LEGE DEI.
QUÆSTIO PRIMA.

An detur Lex quædam Naturalis, & quomodo à Lege Morali differat? Pr. Affir Poster. D.

I. UT Doctrina de Lege Dei, de qua disputare nunc cum bono Deo aggredimur, ad Theologum propriè pertinet: Ita multiplicem in Theologia usum obtinet. 1. *Ad vitæ directionem*, ut perfecta Juris Dei in Hominem, & officii Hominis erga Deum regula. 2. Ad *peccati cognitionem*, quia ut peccatum est *ἀνομία*, non aliunde certiùs, quàm ex Lege veritas & gravitas ejus potest deprehendi, Rom. 3. 20. 3. Ad *præparationem ad Gratiam*, ut ex peccati & miseriæ hominis declaratione, Gratiæ salutaris necessitas aperiatur, & desiderium ejus in nobis excitetur, quo sensu vocatur *Pædagogus ad Christum* Gal. 3. 24. *Necessitas Tractationis de Lege.*

II. *Lex* verò Hebræis dicitur תורה à Verbo ירה, quod in Hiphil *docere* significat, quia per illam de officio suo omnes monentur. Græcis *νόμος ἀπὸ τοῦ νέμειν*, quod tum *regere*, tum *distribuere* notat, quia juxta ejus præscriptum homines regi debent, & cuique quod suum est tribuitur. Latinis, Vel à *legendo* deducitur, ut *Isido.* vult li. 2. c. 10. quòd observante Ciceróne lib. 1. de Legibus legi soleat quum fertur, ut omnibus innotescat, vel in publicis tabulis legenda prostet; Vel quatenus *legere* ponitur pro *deligere*, quia in ea delectus habetur rerum agendarum & fugiendarum; Vel denique à *Legis Etymon.*

QUÆST. I.

à *ligando*, ut vult *Thomas* 1. 1æ. Q. 90. Art 1. & plerique Scholastici post ipsum, quòd homines vinculo quodam liget & obstringat. Quò pertinere potest, quòd *Leges* in Scriptura non raro vocentur *vincula* Psalm. 2. 3. Jerem. 5. 5.

Ejus Homonymia.

III. Diversimodè autem sumitur in Scriptura, Vel *latè* pro universo Dei Verbo Psal. 1. 2. & 19. 8. 9. modò pro omnibus Libris Vet. Test. Joh. 10. 34. 1. Cor. 14. 21. modò pro solis Libris Mosis seu Pentateucho distinctè à Psalmis & Prophetis, Luc. 24. 44. Rom. 3. 21. Vel *strictè* pro dispensatione Mosaïca, opposita Novo Testam. Heb. 7. 12. Johan. 1. 17. vel pro fœdere operum præcisè, contradistinctè ad fœdus gratiæ Rom. 6. 14. Vel pro *Norma faciendorum & fugiendorum, quam creaturis rationalibus præscripsit Deus sub præmiorum & pœnarum sanctione*, quo sensu hic præcipuè spectatur.

Dividitur in naturalem & positivam.

IV. *Lex* autem ista Dei in genere dividitur, in *Naturalem* & *Positivam*. Ut enim *Jus Dei* duplex est, alterum *naturale*, quod in natura ipsa Dei justissima & sanctissima fundatur; alterum *positivum*, quod à sola Dei voluntate pendet, & in quo libertatem suam ostendit: Ita *Lex* Dei quædam datur *positiva*, quæ nititur Jure Dei libero & positivo, cujus respectu res demum bonæ sunt, quia Deus eas jubet; unde liberum fuit Deo talem legem vel non dare, vel aliter instituere, qualis fuit *Lex cibaria* & *symbolica* data Adamo Gen. 2. 16. 17. Et Leges cæremoniales Vet. Test. in quibus nulla erat per se bonitas vel malitia moralis, sed tantùm ex Dei mandato: Alia verò *naturalis*, quæ in Jure Dei naturali fundatur, cujus respectu res non dicuntur justæ, quia sunt jussæ, sed jussæ sunt, quia justæ erant & bonæ antecedenter ad Dei præceptum, in sanctitate quippe ipsa & sapientia Dei fundatæ: Et talis est ejus natura, ut suppositâ hominis productione, non potuerit non illi ferri, utpote quæ officia illi præscribat indispensabilia, quæ ab omnibus semper & ubique præstanda sunt.

Naturalis vel latè, vel strictè sumitur.

V. *Lex* verò ista *naturalis* rursus bifariam sumitur: vel *latè* & *impropriè*, quatenus ad inanimata etiam & bruta extenditur, & nihil aliud notat, quàm Providentiæ Dei sapientissimam gubernationem creaturarum, & ad fines suos directionem efficacissimam, quo sensu Psalm. 119. 91. ubi agitur de cœli motu & terræ stabilitate, *Omnia* dicuntur *perstare juxta statuta Dei, quia omnia ipsi serviunt*, & Psalm. 148. 6. *Omnia* dicitur *stabilivisse in æternum, & posuisse Legem qua nunquam intercidet*, ubi de operibus creationis sermo est. Per hanc Legem plantæ crescunt, bestiæ generant, & unumquodque animal suas ὁρμὰς & instinctus spontaneos habet. Vel *strictè* & *propriè* pro Regula practica officiorum moralium, ad quam naturâ homines obligantur. De qua Lege hic quæritur, An detur talis quædam Lex Dei naturalis, quæ apud omnes obtineat, ut justi & injusti regula, antecedenter ad Leges hominum positivas. An verò justitia & honestas

Status Quæstionis.

ſtas à ſola voluntate hominum pendeat, & ex conſenſu humanæ ſocietatis oriatur: & propria cujuſque utilitate metienda ſit. Prius aſſerunt Orthodoxi; Poſterius verò Libertini. QUÆST. I.

VI. Nam, ut jam olim *Carneades*, & Cyrenaici Ariſtippum ſecuti, juſtitiam omnem naturalem abnegàrunt, pertendentes *μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει nihil naturâ juſtum & turpe eſſe, ſed lege & conſuetudine*, ut loquitur *Laertius* de vit. Phil. Quæ fuit etiam mens Epicuri, pro quo multa dicit *Gaſſendus* T. 3. Phil. mor. p. 1526. *&c.* Ita non deſunt etiam hodie varii, qui veſtigiis eorum inſiſtentes, nullam juſti & injuſti regulam dari à naturâ cenſent, ſed eam demum à libera hominum determinatione pendere, & ex propria cujuſque utilitate metiendam eſſe, ut homo naturâ ſit omni ſolutus lege, nullaque alia ipſi ſit recti, bonique norma, quam ſuiipſius conſervatio, & defenſio vitæ & membrorum. Quem impium *Libertinorum* errorem eſſe cum aliis pluribus teſtatur Calvin. adv. Libertinos: Ad quos hac in parte accedit *Hobbeſius* in ſuo Cive.

VII. Sed longè aliter loquuntur Orthodoxi, qui affirmant dari Legem aliquam naturalem, non ortam ex contractu, vel lege voluntaria ſocietatis, ſed ex divina obligatione, à Deo quippe primitus in creatione hominis conſcientiæ impreſſam, in qua fundetur diſcrimen honeſti & turpis, & quæ principia practica immotæ veritatis contineat, qualia ſunt *Deum eſſe colendum*, *Parentes honorandos*, *honeſte vivendum*, *neminem lædendum*, *non faciendum alteri*, *quod tibi fieri nolueris*, & ſimilia. Atque hujus Legis, licet per peccatum diverſimodè corrupta fuerit & obſcurata, ſupereſſe adhuc in natura tot reliquias & documenta; ut nemo ſit mortalium, qui ejus vim vel magis vel minus non ſentiat. Legem autem iſtam volunt dici *naturalem*, non quòd à mera natura ortum ſuum habeat, cùm à Deo ſupremo Legiſlatore pendeat, ſed quia innoteſcit objectivè ex creaturarum aſpectu, & relatione hominis ad Deum, ejuſque cognitio menti à naturâ indita eſt, non per traditionem vel inſtitutionem acquiſita.

VIII. Unde origo & fundamentum Legis iſtius non debet peti, ut perperam faciunt Judæi, èx *ſeptem Præceptis* quæ ſtatuunt data Adamo & Noacho, quibus omnes poſteri eorum obſtringerentur. 1. de Idolis non colendis. 2. de nomine Dei non blaſphemando. 3. de furto non faciendo. 4. de inceſtu & fœdis libidinibus fugiendis. 5. de Judicibus & Magiſtratibus conſtituendis. 6. de ſanguine non fundendo. 7. de membro animalis vivi, ſeu carne cum ſanguine, qui eſt anima ejus, non comedenda. Quia, præterquam quod iſta ſolâ traditione nituntur, quod de Jure naturali dici non poteſt; non ſunt omnia ſimpliciter moralia, & perpetuæ obſervationis; ſed quædam cæremonialia & poſitiva, quale illud de non comedendo ſanguine; nec exhauriunt quicquid eſt Juris naturalis, licet ab eo deduci poſſint tanquam concluſiones ex ſuis principiis.

Origo Legis naturalis non petenda eſt ex præceptis Noachidarum.

QUÆST. I.

Sed à Jure naturæ.

IX. Sed petendum est ab ipso *Jure naturæ*, quod nititur, tum naturâ Dei Creatoris, qui per suam sanctitatem non potest non præscribere creaturæ officia, quæ jure illo nituntur; Tunc creaturarum ipsarum rationalium conditione, quæ propter dependentiam necessariam, quam habent à Deo in genere moris, non minus ac in genere entis, tenentur ad ea præstanda vel fugienda, quæ sana ratio & dictamen conscientiæ facienda vel fugienda ipsis dictat.

Quot modis Ius naturæ usurpetur.

X. *Jus* autem *naturæ* hic à nobis sumitur, non *latè & impropriè*, prout à Jurisconsultis sumitur pro eo *quod natura omnia animalia docuit* Instit. lib. 1. Tit. 2. quomodo distinguitur à *Jure Gentium* quo omnes Gentes utuntur, Et à *Jure Civili* quod quæque civitas, aut hominum societas sibi constituit; quia ut in bruta ratio non cadit, ita nec juris aut injuriæ propriè sunt capacia. Sed *strictè & propriè* pro eo quod creaturas rationales tantùm respicit, quod Jurisconsulti includunt sub Jure gentium, & rectè describitur per communes notiones practicas, seu lumen & dictamen conscientiæ, quod Deus singulis hominibus à natura insculpsit ad honesti & turpis discrimen, & cognitionem faciendorum & fugiendorum.

XI. Ex his autem notionibus, aliæ sunt *primariæ*, quas *principia* appellamus, aliæ *secundariæ*, quæ *conclusiones* dicuntur. Principia sunt, quæ per se nota, & apud omnes immota, in bono communi fundata rationis adminiculo conclusiones ex se gignunt, quæ ad fundamentum communis boni reducuntur, quæ vel *propinquiores* sunt, *immediatæ*, & de primo, uti loquuntur, naturæ dictamine, quæ proximè colliguntur ex principiis, & facilè in cognitionem veniunt, vel *mediatæ & remotiores*, quæ per remotiorem consequentiam, & majori cum difficultate ex principiis inferuntur; Illæ nullam, Istæ non exiguam in corrupta hac natura varietatem admittunt. Quamvis verò in istis conclusionibus non uno modo corrupta sit Lex ista post peccatum, tum nativâ corruptione, tum pravâ educatione, tum vitiosâ consuetudine, per quam vitia & crimina turpissima nonnunquam virtutum nomine donantur, & laudem obtinent, quod iniquissimæ quarundam Gentium Leges & Mores corruptissimi luculenter testantur; Hoc non obstat tamen quominus eadem semper maneat apud omnes, quoad prima sua principia, & immediatas conclusiones inde deductas.

Dari Legem naturalem probatur. 1. Ex Scripturâ, Rom. 2. 14. 15. Rom. 1. 19.

XII. Talem autem dari Legem naturalem multa probant, 1. *Scripturæ vox*, quæ asserit, *Gentes quæ Legem non habent*, scilicet scriptam Mosis ut Judæi, *naturaliter facere quæ sunt Legis, & esse sibi Legem, utpote quæ ostendunt opus Legis scriptum in cordibus, conscientiâ ipsorum contestante, & cogitationibus ipsorum se invicem accusantibus & excusantibus*, Rom. 2. 14 15. Et Rom. 1. 19. 20. τὸ γνωστὸν

τοῦ

τοῦ Θεοῦ dicitur *manifestum esse in Gentibus, quia Deus ipsis revelavit.* Quomodo verò veritas ista revelata in gentibus diceretur, ut licet Legem non habeant, faciant tamen quæ sunt Legis; non præeunte doctrinâ, & institutione, sed *naturâ*, ut sibi ipsis sint Lex, & opus Legis inscriptum gerant, cui conscientia suffragetur, per approbationem vel accusationem in bene vel malefactis, si hoc a mero hominum arbitrio penderet, nec à naturâ ipsâ inesset, & quidem à Deo impressum & infixum? QUÆST. I.

XIII. Secundò *Populorum consensus*, inter quos, etiam maximè feros, jus aliquod gentium primigenium obtinuit, ex quo etiam absque Magistro Deum esse colendum, Parentes honorandos, honestè vivendum didicerunt? Et à quo velut fonte promanarunt tam multæ Leges de æquo & honesto latæ à Legislatoribus Ethnicis, haustæ ab ipsa natura. Quod si quædam apud nonnullos populos inveniuntur leges repugnantes istis principiis, vel ægrè admissæ sunt & à paucis observatæ, & tandem per contrarias leges abrogatæ sunt & in desuetudinem abiverunt. *2. Ex Populorum consensu.*

XIV. Tertiò *uniuscujusque Conscientia*, quæ unicuique dictat bonum esse faciendum & malum fugiendum, Et quæ, ut per *synteresim* exhibet nobis principia practica, ut normas universales fugiendorum & omittendorum: Ita per συνείδησιν applicationem & examen sui ipsius facit ad istam regulam. Unde nascuntur angores conscientiæ, quæ ad peccati intuitum, & judicii divini sensum tota exhorrescit, & veluti domesticis & assiduis furiis peccatores vexat, & noctes diesque pœnas à sceleratissimis repetit, ut loquitur *Cicero* pro Roscio, & lib. 2. de fini. *Impii pœnas luunt, non tam judiciis, quàm angore conscientiæ, fraudisque cruciatu.* Unde verò laniatus illi & diræ ultrices, nisi à Lege naturali homini indita, quæ novit hoc *esse jus Dei, ut qui talia patrant, digni sint morte*, Rom. 1. 32.? Hinc Ciceroni pro Milone dicitur, *Lex non scripta, sed nata, ad quam non docti, sed facti, non præceptis instituti, sed à naturâ imbuti sumus*: Aliis, ἔμψυχον δίκαιον vocatur, & ἄγραφον θεῖ νόμιμον. *3. Ex uniuscujusque conscientia.*

XV. Quartò *Regimen & Imperium Dei in hominem*: Nam si fieri non potest, quin creatura qua creatura pendeat à Creatore, & gubernetur ab ipso physicè; ἀσύστατον etiam est, creaturam rationalem, & quà rationalem non subjici ipsi in genere moris, nec regi ab ipso convenienter naturæ suæ id. mediis moralibus per legis positionem. Unde sequitur vel hominem independentem à Deo creari debuisse, quod implicat, vel naturalem habere Legem sibi impressam, quâ ab eo regeretur. *4. Ex Imperio Dei in hominem.*

XVI. Quintò *Absurda* varia quibus urgetur sententia adversa. Nam si nihil naturâ justum est, sed id solùm quod humanis utilitatibus devoveri potest, sequitur homines natos esse sibi, non verò ad gloriam *5. Ab Absurdis.*

QUÆST. I. Dei, vel in bonum societatis, cujus inest illis naturâ excellens appetitus, quod ipsi saniores Ethnici dici non posse agnoverunt. 2. Omnia ex æquo licita erunt, tam Deum odisse quàm amare, parentes occidere quàm colere, & pro ratione ac lege, sola cuique voluntas erit, ut quodlibet liceat, quod an non sit viam ad Atheismum sternere, promptum est cuivis intelligere. 3. Sublato hoc Dei jure & regimine morali, tollentur omnia juris fundamenta, omnes hominum Leges, quæ aliunde manare non potuerunt, & sic peribit omnis politia, honestas, & ordo in societate humanâ, & Mundus in meram confusionem & latrocinium convertetur.

6. à Testimoniis Ethnicorum.

XVII. Sextò Testimonia præstantissimorum inter Ethnicos Philosophorum, qui impiæ isti sententiæ se fortiter opposuerunt, quales sunt Plato, Aristoteles, Stoici, quod vel unus *Cicero* luculenter probat libris de Legibus, ubi variis argumentis gravissimis demonstrat, *Nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ constitutum esse jus*; meritoque execrari solitum Socratem eum, qui primus utilitatem à naturâ sejunxisset, conquestumque id caput esse exitiorum omnium, hoc quippe posito tolli justitiam omnem & pietatem de mundo. *Nam si naturâ confirmatum jus non est*, inquit libr. 1. de Legib. *Virtutes omnes tollentur, ubi enim liberalitas, ubi patriæ caritas? ubi pietas? ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nam hæc nascuntur ex eo quod naturâ propensi sumus ad homines diligendos, quod fundamentum Juris est; neque solum in homines obsequia, sed etiam in Deos cæremoniæ Religionesque tolluntur, quas non metu, sed eâ conjunctione quæ est homini cum Deo, conservandas puto.* Unde lib. 3. de Rep. citante Lactan. lib. 6. Insti. cap. 8. *Est quidem*, inquit, *vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat*; &c. Et post, *Huic Legi nec abrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus; nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, omni tempore, una lex, & sempiterna & immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus* &c. *ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur* &c.

Fontes Solutionum. *1. Tim. 4. 2.* *Eph. 4. 19.*

XVIII. Ex cauterizatione Conscientiæ quæ est in impiis 1. Tim. 4. 2. qui dicuntur ἀπηλγηκότες *se ipsos tradere ad omnem impuritatem*, Eph. 4. 19. potest quidem colligi suppressio Legis naturalis quoad actum secundum, seu *exercitium*, sed non ejus extinctio & deletio quoad actum primum, seu *principium* & *insensibilitas* conscientiæ quoad *officium*, non verò quoad *supplicium*.

XIX. Si variæ Leges impiæ inter Gentes obtinuerunt Legi naturali repugnan-

gnantes, quales fuerunt, quæ sanxerunt idololatriam, ἀνθρωποθυσίαν, quæ furta, rapinas, homicidia, incestus, *&c.* permiserunt, non evincunt nullum fuisse lumen rationis hominibus à natura concessum, ut malè colligit *Seldenus* lib. 1. de Jure naturali & gent. Hebræ. c. 6. 7. sed tantùm homines malè feriatos lumine concesso nefariè abusos esse, & luctando contra illud, & quantum in se est illud extinguere conantes in reprobum sensum datos esse.

XX. Quamvis variæ notiones practicæ post peccatum sint obscuratæ, & ad tempus etiam obliteratæ; Non sequitur, vel penitus extinctas esse, vel nullas omnino fuisse. Nam principium communissimum bonum esse faciendum, & malum fugiendum, immotum est in omnibus, licet in conclusionibus particularibus & in determinationibus illius boni sæpe errent homines, quia fallit nos vitium specie virtutis & umbrâ.

XXI. Quod naturale est, debet quidem esse immutabile, & eodem modo se habere quoad fundamentum & principium: sed non semper quoad principiata: ut ratio & intelligentia est quidem naturalis; sed tamen non se habet eodem modo & gradu in omnibus, cùm alii aliis sint perspicaciores.

Quomodo Lex naturalis differat à Lege morali per Mosem lata?

XXII. Si quæritur, Quomodo conveniat, vel differat *Lex ista naturalis* à *Lege morali?* Responsio est facilis, convenire quoad *substantiam*, & ratione *principiorum*, sed differre quoad *accidentia*; & ratione *conclusionum*: Eadem enim officia tum erga Deum, tum erga proximum, quæ Lege morali præscribuntur, Lege naturali etiam continentur; sed diversitas est ratione *modi tradendi*, quia in Lege morali ista officia clarè, distinctè, & plenè declarantur. In naturali verò obscurè & imperfectè, tum quia multæ notitiæ amissæ sunt & obliteratæ per peccatum, tum quia reliquæ variè corruptæ sunt vanitate & malitiâ hominum Rom. 1. 20. 21. 22. *&c.* Ne jam alia discrimina persequamur, ut Quòd Lex naturalis insculpta sit cordibus hominum, Moralis inscripta tabulis lapideis, Quòd illa ad omnes in universum pertineat, Ista verò ad vocatos tantùm per Verbum, Illa nihil nisi morale contineat; Ista quædam cæremonialia etiam admixta habeat.

XXIII. Unde facilè colligitur ratio, propter quam Deus Legem istam per Mosem repetere, & solenni modo promulgatam, & Decalogo comprehensam populo suo & vivâ voce tradere, & scripto consignare voluerit. Licet enim in natura integra nihil opus fuisset istâ promulgatione; tamen post peccatum tanta est mentis cœcitas, talis perversitas voluntatis, & affectuum perturbatio, ut in omnium cordibus reliquiæ tantùm hujus Legis supersint, tanquam picturæ cujusdam exoletæ, quæ idcirco debuit voce ac manu Dei quasi novo penicillo renovari. Unde causæ fuerunt gravissimæ istius promulgationis. 1. ut *Lex naturalis confirmaretur* magis ac magis, ne notitiæ reliquæ paulatim diffluerent hominum vanitate & malitiâ, vel pro incertis & dubiis hominum opinionibus haberentur. 2. ut *corrigeretur* in iis,

QUÆST. II. iis, in quibus corrupta erat per lapsum. 3. ut *suppleretur* in iis, quæ in ea desiderabantur & obliterata erant. 4. ut *Mediatoris necessitas* intelligeretur, & ejus desiderium ex hominis & Legis in carne impotentia in dies fortiùs accenderetur: Rom. 3. 20. & 8. 3. & 10. 4. 5. ut populus Israëliticus hac Lege in unam Remp. consociaretur, & ab aliis omnibus populis segregaretur Deuter. 4. 6. 7. & Psalm. 147. 19. 20. Roman. 9. 4.

QUÆSTIO II.

DE NATURA LEGIS MORALIS.

An Præcepta Decalogi sint Juris naturalis & indispensabilis? Affirm.

I. CIrca Legem Moralem quatuor quæri possunt. 1. Qualis sit ejus *natura*. 2. Quænam *partes*. 3. Quis *usus*. 4. Qualis *abrogatio*. Circa naturam disceptatur de ejus immutabilitate, & perfectione. Circa partes de Divisione Præceptorum, & eorum genuino sensu. Circa usum, de ejus usu vel absoluto, vel respectivo, quoad varios hominis status in natura, in peccato, & in gratia. Circa abrogationem, quo sensu dicatur abrogata, & quô non.

Status Quæstionis.

De naturâ Legis moralis, An sit Juris naturalis & indispensabilis?

II. Prima Quæstio de *natura Legis moralis* versatur circa ejus *indispensabilitatem*, Ad cujus intelligentiam. 1. præmittenda est distinctio terminorum, qui sæpe recurrunt in hoc argumento. *Obligatio* est Jus Legis in hominem, propter quod homo, qui est sublex, tenetur Legi obsequi. *Dispensatio* est quum in aliquo casu, quo revera viget & obligat Lex, tollitur obligatio Legis ab aliquo homine in particulari, reliquis manentibus obligatis. *Declaratio* seu *interpretatio* Legis est, quando declaratur Legem in aliquo casu non obligare. *Irritatio* est quum Lex aboletur antequam perfectè obliget. *Abrogatio* quum simpliciter aboletur & tollitur, quæ jam perfectè obligabat. *Derogatio*, quum ex parte tollitur, & ex parte manet.

III. II. Distinguenda sunt *Præcepta simplicia* id. merè moralia quæ sunt juris naturalis; Ex *mixta* ex morali & cæremoniali, quæ sunt partim juris naturalis, partim juris positivi, ut quartum de Sabbatho, quod morale est quoad genus cultus publici, cæremoniale verò quoad circumstantiam temporis definiti, Et quintum, quod morale

morale est quoad officium præscriptum, & promissionem longævitatis, sed ceremoniale quoad appendicem promissionis terræ Canaan. QUÆST. II.

IV. III. Observandum *Jus Dei* quatenus respicit creaturas, vel esse *Dominii*, quod includit Jus possidendi, disponendi, & utendi creaturis, ut dominus seu proprietarius, qui potest uti & frui rebus suis pro suo arbitrio: Vel *Regiminis*, quod spectat propriè creaturas rationales, quas gubernat ut Rector & Legislator, ad quod pertinet Legislatio, Judicium, & Executio, ut potestatem habeat legem ferendi, ex ea judicandi, & sententiam latam exequendi. Jus hoc communiter distinguitur in *naturale*, & *positivum*. Illud secundùm quod non potest non præscribere creaturis rationalibus officia, quorum opposita implicarent contradictionem; eo quòd non fundentur simpliciter in divina voluntate, sed in divinæ naturæ perfectione, eminentià, sanctitate, & rectitudine. Hoc autem secundum quod liberè & ex mero suo beneplacito talia præscripsit officia, quæ vel potuisset non præscribere, vel quorum opposita antecedenter in signo rationis ad divinam voluntatem potuisset velle & injungere citra ullum perfectionis & sanctitatis suæ præjudicium, & absque ulla contradictionis implicatione.

Jus Dominii & Regiminis.

V. Quæcunque ergo tam arctam habent cum Dei naturâ, perfectione, eminentià, & sanctitate connexionem, ut non possit opposita mandare citra naturæ suæ præjudicium, & quæ implicant contradictionem ut mandentur, sunt juris istius naturalis: Quia certum est Deum non posse seipsum abnegare, aut facere vel præcipere quicquam quod sit contrarium sanctitati & perfectioni suæ. Sic Deus non potest præcipere sui odium, blasphemiam, & mendacium, vel eximere hominem à dependentia & obsequio quod illi debet, quia hoc esset dicere Deum non esse Deum, id est primam causam & Dominum absolutum: Hæc sunt quæ *Bradwardinus* de Causa Dei. lib. 1. c. 18. vocat *rationabilia priora*, quæ sunt talia naturaliter antecedenter ad voluntatem divinam. Ea verò omnia de quibus dici nequit, Deum ad alteram contradictionis partem ex naturæ necessitate fuit adstrictum, aut in quibus novimus Deum facere posse aut revera fecisse aliquam mutationem in obligatione sunt Juris positivi, qualis fuit Lex symbolica data Adamo, & Leges cæremoniales V. T. quæ à libera Dei voluntate pendebant: Quò etiam referri solet permissio peccati.

VI. Præter *Jus divinum naturale increatum*, quod *primarium* dicitur, qui fundatur immediatè in natura ipsa & sanctitate Dei, & cujus contrarium velle aut præcipere non posset, quin seipsum abnegaret: Aliud datur *creatum* & *secundarium*, quod fundatur in natura rerum, juxta constitutionem à Deo factam, & decentiam seu convenientiam rerum inter se invicem, quod licet ex hypothesi ordinis à Deo instituti,

QUÆST. II.

ſecundùm quem talem rerum naturam eſſe voluit, ſit neceſſarium; non tamen ejuſdem neceſſitatis poteſt cenſeri cum primo, nec officia quæ ex illo fluunt æqualem habent obligationis gradum. Illud enim eſt abſolutè immutabile, nec ullus datur caſus, in quo de eo relaxare Deus poſſit, quia ſic naturam ſuam in qua fundatur videretur abnegare. Unde nunquam præcipere vel approbare potuit ſui odium, idololatriam, perjurium & mendacium. Sed iſtud, licet regulam rectitudinis naturalem contineat, quia tamen ſupponit certum rerum ſtatum, potuit in certis caſibus, mutatis rerum, perſonarumque circumſtantiis immutari, ſed illius tantùm authoritate à quo inſtitutum eſt: v. g. occiſio hominis, & contrectatio rei alienæ, quæ mandato ſexto & octavo prohibentur, poſſunt fieri licitæ, mutata aliqua circumſtantiâ; accedente puta mandato divino, vel publicâ authoritate. Atque hoc reſpectu poteſt referri ad Jus poſitivum, non quidem abſolutè & ſimpliciter tale, & merè liberum, quod nullum habet fundamentum niſi in voluntate ſola Dei, ſed ſecundùm quid, quatenus, licet fundetur in ordine rerum, & naturâ creatâ, poteſt tamen mutationem aliquam admittere pro ſapientia Legiſlatoris, qui ordinem illum inſtituit.

VII. Ex hac verò Juris divini diſtinctione, fluit Præceptorum diſtinctio, quæ hic eſt tenenda. Quæ enim tam arctam habent cum natura Dei connexionem, ut poſitâ creaturâ rationali & regibili, non poſſit ad ea præſtanda non obſtricta eſſe, qualia ſunt, ut Deo ſe ſubjiciat & morem gerat, & eum pro Deo ſuo unicè habeat & ſim. illa ſine controverſia ſunt Juris naturalis. Sed quæ à libero Dei beneplacito fluunt, & quæ liberum & integrum Deo fuit ponere vel non ponere, cenſeri debent juris poſitivi. Et de hoc inter omnes ferè convenit. Sed de particulari horum & illorum diſtinctione, & enumeratione, non pariter omnes conſentiunt: Sunt enim qui ad Jus naturale ea referunt, quæ alii ad poſitivum potius pertinere judicant.

Indiſpenſabilitas, reſpectu Dei & noſtri.

VIII. IV. *Immutabilitas* & *indiſpenſabilitas* poteſt bifariam intelligi, vel *abſolutè* & *ſimpliciter*, tam reſpectu *Dei*, quàm reſpectu *noſtri*, vel *comparatè* & *ſecundum quid* reſpectu noſtri, non verò Dei. Quædam enim ſunt abſolutè indiſpenſabilia tam Deo quàm nobis, quædam verò ſecundùm quid reſpectu noſtri; quia cùm non ſimus Domini aut Judices, ſed ſubditi, & *ὑπόδικοι*, non poſſumus quicquam addere aut detrahere Legi: Sed non reſpectu Dei, qui ut ſupremus Dominus & Legiſlator potuit in certis caſibus diſpenſare de Lege aliqua à ſe lata ſine peccato.

IX. Quæſtio ergo eò redit, An Præcepta, non Legis Cæremonialis & Forenſis, quas juris poſitivi mutabiis eſſe conſtat; Sed Legis moralis, non ſecundùm appendices, ſed ſecundùm ſubſtantiam, ſint Juris naturalis, ſive primarii, ſive ſecundarii, non merè poſitivi, adeoque neceſſaria, non tan-

tantùm hypotheticè ex voluntatis divinæ sanctione, sed absolutè & à parte rei, & indispensabilia, non tantùm hominibus, sed etiam Deo? QUÆST. II.

Tres sententia de Legis natura.

X. Circa hanc Quæstionem, tres sunt celebriores sententiæ. Duæ externæ, quæ vel dispensabilitatem vel indispensabilitatem mandatorum asserunt. Tertia media, quæ partim dispensabilia, partim indispensabilia esse vult. *Prima* statuit Legem moralem in omnibus præceptis esse dispensabilem, fundatam puta in solo jure positivo, quod à libera Dei voluntate pendet; quamque ideo pro libitu mutare posset. In qua sententia sunt 1. varii ex Scholasticis *Ockamus* in 2. q. 19. *Gerson* tr. de vita spirituali lib. 1. *Petrus de Alliaco* in 1. q. 14. *Almaynus* p. 3. tr. mora. c. 15. Et alii qui eos sequuntur, quos præcipuè impellit temeritas expungendi præceptum secundum ex Decalogo, tum potestas, quam arrogant Pontifici suo dispensandi de præceptis Dei 2. Sociniani qui stant pro dispensabilitate hac potissimum de causa, ut evincant Legem Mosaicam esse imperfectam, quæ corrigi debuerit. Quibus se adjungunt illi ex nostris, qui pertendunt bonitatem & malitiam moralem rerum non aliunde fluere, quàm à liberâ Dei voluntate, atque adeo res bonas esse & justas tantùm, quia jussæ sunt, non jussas esse, quia justæ essent antecedenter; ut nihil obstet quominus contrarium illis præcipiat si vellet. *Secunda*, media, quæ tria primæ tabulæ præcepta vult esse indispensabilia, quartum verò ex parte, & cætera omnia secundæ tabulæ dispensabilia, ut *Scotus* & *Gabriel*, qui idcirco præcepta illa eximunt à Lege naturali strictè sic dicta. Ad quos accedunt illi ex nostris, qui pertendunt Præcepta quædam Decalogi moralia, quæ absolutè fluunt à natura Dei absolutè esse indispensabilia, qualia sunt 1. 2. 3. 7. 9. sed alia quæ pendent ex libera Dei voluntate, ut quartum ex parte, & quintum, sextum, octavum, & decimum, licet sint immota & indispensabilia quoad nos, esse tamen dispensabilia quoad Deum, qui possit certis de causis præcipere contrarium, & tamen nihil faciat repugnans naturæ suæ. *Tertia* est eorum, qui volunt Legem moralem quoad omnia præcepta sua esse simpliciter indispensabilem, quia continet intrinsecam rationem justitiæ & debiti, non ut procedit à Lege, sed ut fundatur in natura Dei, & provenit ex intrinseca rei constitutione, & proportione inter objectum & actum comparatum ad rectam rationem, seu naturam rationalem, quales sunt *Thomas* cum suis 1ª 2æ q. 100. art. 8. *Altissiodorensis*, *Richardus*, *Paludanus*, & alii plures.

XI. Et hæc communior est Orthodoxorum sententia, quam & nos sequimur, hac tamen cum limitatione, ut quemadmodum præcepta omnia non æqualiter nituntur jure naturæ primario, sed quædam absolutè fluunt à natura Dei, & talia præcipiunt, quæ liberrimè quidem, sed tamen necessariò Deus vult, & ita necessariò & immutabiliter, ut contrarium velle non possit sine contradictione: Alia verò quæ pendent à naturæ rerum consti-

QUÆST. II.

tutione intercedente liberâ Dei voluntate: Ita non debent censeri æqualem necessitatis & immutabilitatis gradum obtinere; Et licet dispensatio propriè dicta locum in iis non habeat; declaratio tamen seu interpretatio circa ea nonnunquam datur, mutatis rerum vel personarum circumstantiis, ut postea videbitur.

Indispensabilitas præceptorum probatur. 1. Ex dependentia necessaria hominis à Deo.

XII. Pro Sententia nostrâ faciunt Rationes sequentes. 1. Quia datur dependentia Creaturæ rationalis qua talis in genere moris, & in ordine ad rectam rationem necessaria & indispensabilis, per quam non potest non obligari ad obsequendum Deo, & illi subesse, quia alias non esset creatura, quod implicat. E. datur in Deo naturaliter, & antecedenter ad liberam ejus voluntatem Jus subjiciendi sibi creaturam rationalem, & obligandi ad obedientiam, quod abnegare non potest aut ejus oppositum decernere sine contradictione. Tale autem illi jus competere liquet, tum ex Independentia, Primitate, Perfectione, & supremo Dei dominio, & similibus attributis, quæ tale jus fundant: tum à pari, quia datur dependentia naturalis necessaria & essentialis creaturæ à Deo in genere entis, & causæ secundæ, per quam creatura non potest esse & operari sine Deo, nec Deus potest curam illius abjicere, & illam sibi relinquere. Ergo dependentia moralis creaturæ rationalis à Deo ut prima veritate & sanctitate, non minus necessaria est & immutabilis, dependentiâ naturali cujusque creaturæ.

XIII. Nec obstat, Quòd nullâ necessitate Deus ad creaturæ productionem impulsus sit, sed merâ libertate. Nam licet omnia quæ sunt extra Deum sint hoc sensu contingentia, id est, talia à quibus creandis potuit abstinere: Tamen ex hypothesi quædam necessariò vult, & agit in iis aut circa ea quæ vult existere, ita ut non possit aliter agere aut velle, quò pertinet ista *Cajetani* in 1^am^ 2^æ^ q. 100. artic. 8. *Divina voluntas licet sit simpliciter libera ad extra; tamen ex suppositione unius actus liberi potest necessitari ad alium; ut si vult promittere absolute, necessitatur ad implendum promissum, si vult loqui & revelare, debet revelare verum, si vult gubernare, non potest nisi juste gubernare, si vult habere subditos ratione utentes, non potest non esse legislator eorum.* Ita ex hypothesi, quòd creatura existat & agat, necesse est ut Deus eam conservet, & cum ea concurrat, quamdiu eam esse vult. Sic positâ creaturâ rationali, necesse est poni aliquam legem Dei, cui obsequi teneatur. Eam enim esse, nec Deo subesse, aut Deo subesse, nec ab ipso regi, aut regi sine lege, & lege justa est contradictorium.

2. Ex natura rerum præceptarum.

XIV. Secundò. Si præcepta omnia Legis sunt dispensabilia, & Jure tantùm positivo nituntur; liberum & integrum Deo fuit ea ponere aut non ponere; imò potuit contrarium etiam præcipere sine illa repugnantia: Nam in iis quæ sunt naturâ ἀδιάφορα, qui jus habet jubendi, idem jus

Quæst. II.

jus etiam habet prohibendi, & contrarium præcipiendi. Ita Deus ex hac hypothesi potuit non modò nullam Legem ponere Creaturæ rationali de se amando & colendo, sed & contrariam ponere de se odio habendo, & blasphemando de non credendo ullo Deo, vel non credendo justo, bono, omnipotenti, & sim. de illi non obediendo, de colendis diis alienis, imò & ipso Diabolo: Sic laudabilia fierent teterrima peccata, odium Dei, Atheismus, blasphemia, & similia, quia eo ipso quo caderent sub præceptum, honestarentur, nec amplius essent peccata: quæ portenta absurditatum proposuisse refutasse est. Quis enim non videt talia Deum non posse, quin seipsum abnegaret, & naturæ suæ repugnantia faceret? Nam ut verax est & sanctus, repugnat naturæ ipsius ea præcipere quæ sunt falsa & turpia. At si præciperet sui odium, vel Atheismum & idololatriam, præciperet horrenda mendacia & turpissima contra ipsam veritatem & sanctitatem Dei. Frustra regeritur voluntatem Dei esse summam justitiæ regulam, nec posse aliunde regulari; quia aliud est talem esse ab extrinseco, quod damus, aliud ab intrinseco, quod negamus, ut probatum fuit Loc. III. Q. 18.

XV. Tertiò si præcepta omnia Legis moralis sunt dispensabilia; nullum erit istius discrimen à Lege cæremoniali, nec ulla major obediendi obligatio, vel majus transgressionis peccatum, circa unam quàm circa alteram. Sic non minorem reatum contrahet coram Deo, qui carnem suillam manducaverit, vel qui mortuum tetigerit, quàm qui Deum blasphemaverit, vel hominem occiderit. Sed hoc longè esse absurdissimum, & rei natura evincit, & Scriptura ipsa luculenter docet: quum institutâ comparatione inter Sacrificia Legalia, & opera pietatis & misericordiæ, cultum cæremonialem & moralem, alterum alterius respectu apud Deum nullo pretio esse toties testatur.

3. Ex discrimine Legis moralis & cæremonialis.

XVI. Quartò. Quia lex moralis, quæ norma est Imaginis Dei in homine, respondere debet Legi æternæ & archetypæ quæ in Deo est, utpote quæ sit ejus effigies & ἀποσκιμάτιον, in qua expressit suam justitiam & sanctitatem. Unde non possumus ad exemplum Dei nos componere, ad cujus imitationem toties Scriptura nos hortatur, nisi secundum Legis istius præcepta vitam instituendo. Ideo quum ejus observatio inculcatur, toties auditur ista vox, *Sancti estote, quia sanctus sum.* At Lex illa immutabilis est & perpetua; Ergo immutabilem etiam esse necesse est Legem moralem, quæ est ejus Ectypum.

4. Ex conformitate Legis moralis cum Lege æterna Dei.

XVII. Quintò, Lex moralis eadem est quoad substantiam cum Lege naturæ, quæ immutabilis est, & fundatur in natura rationali, tum quia Legis summa, quæ amore Dei & proximi absolvitur, naturâ est homini impressa, tum quia omnia ejus præcepta ex lumine naturæ hauriuntur, & nihil in illis reperitur, quod ratione sanâ non doceatur, nihil quod non pertineat ad omnes gentes per omnia secula, nihil quod non sit necessarium naturæ hu-

5. Ex identitate Legis moralis cum naturali.

QUÆST. II. manæ ad finem suum assequendum. Ergo debet esse juris perpetui, quia natura rationalis semper eadem est & sibi similis; Unde quod eâ nititur non potest non esse tale. Nec si per peccatum hominis natura rationalis mutata est in concreto, & subjectivè; Lex mutata statim fuit in abstracto & objectivè.

Fontes Solutionum. XVIII. Lex naturalis non potest dici mutata per *Agrorum divisionem*, & proprietatem possessionum & bonorum introductam per jus gentium: Quia nulla lex naturalis bonorum communitatem præcipit, vel distinctionem eorum prohibet; Et si ab initio omnia communia fuisse dicuntur, hoc intelligendum non tam *positivè*, quasi Deus legem aliquam sanxisset ut essent communia, quàm *negativè*, quia nihil de eo expressè sancitum fuerat, quia tum nondum necesse fuit, sed postea justè invecta fuit bonorum distinctio & proprietas, Deo ipso authore, ad dirimendas lites, ad arcendam vim externam, ad præstandam certitudinem hæreditatum, & discrimina conditionum, sine quibus societas humana stare non posset.

XIX. Nec per *servitutum introductionem*, cùm antea Lege primævâ omnes liberi essent. Quia non aliter liberi, quàm quatenus culpâ vacabant, hac autem introductâ, servitus omnes invasit; Qui enim alienæ libertati insidiatur, meritò excidit suâ. Nec si Lex naturæ facit omnes homines pares ratione naturæ, sequitur pares esse ratione qualitatum & conditionis externæ. Nec per *Præscriptionem* & *Usucapionem*, quibus scilicet aliquis sortitur dominium in rem aliquam, si dominus intra certum temporis spatium eam non repetierit. Quia non efficiunt, ut alienum invito domino retineatur, quod repugnat æquitati naturali: Sed tantùm ut quod antea alienum erat, ubi pro derelicto habetur à priori domino, alterius fiat proprium; nam licet expressè per pactum vel donationem, dominus jus depositi non transtulerit in Depositarium, implicitè tamen censetur transtulisse, quia illud negligit & deserit. Nec per *retentionem gladii*, quem dominus furiosus repetit ad homicidium; Quia non retinetur ut proprietas ejus auferatur legitimo domino & lucri faciendi gratiâ, sed ad præcavendum homicidium, quod jure naturali tenetur quisque quantum potest impedire, quia qui non impedit malum quum potest, tam est in culpâ, quàm qui facit. Adde quod non æquum est, ut sit Dominus rerum suarum, qui non est Dominus sui ipsius.

XX. Deus non dispensavit de secundo præcepto, quum jussit fieri Cherubinos supra Propitiatorium, & Serpentem æneum. Quia figuræ istæ, non erant *imagines personales religiosæ* repræsentativæ alicujus suppositi, nulla quippe erat similitudo naturæ inter Cherubinos & Angelos, inter Serpentem æneum & Christum, sed erant tantùm *symbolicæ* & *emblematicæ* ad adumbrandum officium & qualitates, nec haberi debebant pro *objecto*, *vel*

medio

medio cultus, quo sensu prohibentur imagines, sed tantùm pro *signo* sacro, quo Deus mysterium aliquod nobis adumbrare voluit. Licet ergo pertinuerint ad religionem, non erant propterea objecta religionis vel cultus. Idem dicendum de Serpente æneo, qui fuit quidem symbolum seu typus Christi, sed non imago. QUÆST. VII.

XXI. Præceptum IV. est morale & perpetuum quoad substantiam rei mandatæ, nimirum quòd Deo cultus aliquis solennis externus debeatur, & quòd certum tempus illi sit assignandum; non quoad determinationem peculiarem diei septimi, quæ fuit juris positivi, quæque propterea ut cæremonialis potuit mutari, ut suo loco fusiùs probabitur. Nec si Maccabæi pugnarunt Sabbatho, factum fuit per dispensationem à Lege, sed per ejus declarationem & veram interpretationem, juxta quam prohibentur quidem opera arbitraria, sed non necessaria, qualis est legitima sui defensio adversus hostes, quod Christus ipse non semel confirmat Matth. 12. 11. *Quis erit*, inquit, *ex vobis*, *qui habens ovem unam*, *si ea inciderit in foveam*, *non apprehendat*, *& eam erigat?* Et Marc. 2, 27. 28. *Sabbathum propter hominem factum est*, *non homo propter Sabbathum*. Unde sanavit hominem Sabbatho, & discipuli Christi esurientes Sabbatho spicas evellebant.

XXII. Quum Christus jubet *odisse* parentes Luc. 14. 26. non dispensat de Præcepto Quinto, sed verum sensum illius exponit, & subordinationem secundæ tabulæ ad primam, & hominis erga Deum notat. Ita τὸ μισεῖν non absolutè & simpliciter intelligendum est, pro odio expresso & propriè dicto, sed *comparate* pro amore minori, & diminuto, ut notet, nullas necessitudines tantùm valere apud nos debere, ut nos seducant à pietatis officio, Deum supra omnes amandum esse & colendum; Ut si amor parentum sit ἀσύστατος cum amore Dei, parati simus ad relinquendos parentes potiùs, quàm ad abnegandum Deum, & semper præstare sciamus obedire Deo quàm hominibus. Sic sæpe *odisse* ponitur pro *minus amare*, ut Gen. 29. 31. 33. Jacob dicitur *odisse Leam*, id. minùs amasse; nec enim tàm crudelis censendus est Jacob, ut eam odio habuerit. Sic verò hoc loco intelligendum esse liquet ex collatione Matth. 10. 37. ubi exponitur per minus amare. *Si quis parentes dilexerit supra me*, *non est me dignus*. *Luc. 14. 26.* *Gen. 29. 31.* *Mat. 10. 37.*

XXIII. Non dispensatum fuit de sexto Præcepto homicidii, quum jussus est Abrahamus mactare filium suum: quia mandatum fuit exploratorium tantùm, non absolutum: Nec si mactasset Deo jubente, in Legem de homicidio peccasset, quia authoritate publicâ instructus id fecisset, mandato scilicet Dei. Lex verò non quodlibet homicidium damnat, quia tenetur magistratus supplicia in sontes exercere, & cuique privato licet injustum aggressorem, & latronem vitæ tuendæ causa occidere, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Sed homicidium tantùm à privato injustè & sine *Gen. 22. 1.*

au-

QUÆST. II. authoritate perpetratum. Mosis homicidium non potest censeri contra Legem, quod Deus approbaverit per dispensationem; Exod. 2. 12. quia Moses fuit persona publica, habens jam internam vocationem; Quod etiam de *Phinea* dicendum, qui publicâ authoritate fuit instructus, & internam habuit ad id vocationem, si non externam Samsonis αὐτοχειρία non fuit simpliciter contra Legem, quia non fuit facta privato impulsu tantùm, quæ damnatur, sed peculiari instinctu, & inspiratione illius, qui absolutum jus habet in vitam & bona, adeoque qui vitam nostram vel alienam repetere potest quando libet, quam hic adfuisse testantur. 1. Preces quas concepit ad Deum pro robore extraordinario ad ultimum istum actum obtinendo, quæ exauditæ fuerunt, adeoque ex fide profectæ. 2. Robur istud divinum ipsi subministratum, quô instructus tantam molem subvertit, unde Augustinus bene monet Spiritum latenter hoc jussisse, qui per illum miracula faciebat. 3. Testimonium Apostoli Heb. 11. 32. qui inter exempla fidei Samsonem refert, quod utique non fecisset, si hoc facto peccasset, & Legem violasset.

Exod. 2.12. *Jud.* 6.28.

Matt. 5.39. XXIV. Christus Matth. 5. 39. quum jubet percutienti malam dextram, etiam sinistram porrigere, & eripienti tunicam, insuper dare pallium, non immutat Legem naturæ, per quam homini insitum est propulsare injuriam, & vim vi repellere. Sed damnat tantùm τὸ ἀντιπεπονθὸς seu *talionem*, quando ad sui defensionem additur insuper ultio; & par aut major injuria. Proverbialiter & hyperbolicè ista sunt intelligenda, non κατὰ τὸ ῥητὸν, nec enim Christus ipse præbuit alteram maxillam percutienti Joh. 18. 23. nec Paulus Act. 23. 3. ut sensus sit, satius esse paratum esse ad novam injuriam ferendam, quàm ad parem injuriam referendam, aut malum malo pensandum, & quidem prætextu Legis divinæ de talione. Ita adversativa, ut sæpe aliàs comparationem in se includit.

Hosc. 1. 2. XXV. Deus non jussit Hoseam contra Legem scortari cap. 1. 2. sed ei mandavit ut fornicariam duceret uxorem, quod *parabolice* potius quàm historicè intelligendum esse regula Augustini testatur, qui vult Scripturam figuratè intelligi, quoties vel vitium aliquod præcipit, vel virtutem prohibet, & scopus Prophetæ, qui erat redarguere populum ob fornicationem spiritualem, quod non fecisset, si talia præstitisset. Denique verba ipsa hoc ostendunt, *Assume tibi uxorem scortum, & natos scorti*, cùm non potuerint iidem liberi assumi cum matre & ex ea gigni; sensus ergo est, Assume tibi scortum, argumenti loco, illudque propone populo Israëlitico, & simile hoc de uxore fornicaria Israëlitis applica, qui spirituali fornicationi, idololatriæ scilicet dediti sunt. Nec si exprimuntur apud Prophetam nomina uxoris & patris, judicandum est veram fuisse historiam, quia hoc non esse universale apparet ex parabola Lazari. Adde quod dato non concesso, hæc historicè facta fuisse, non sequeretur Prophetam jussum

fuisse

fuisse scortari, quia aliud est scortari, aliud scortum in matrimonium assumere: Sed nihil obstat quominus executiõ sit emblematica & parabolica, ut & præceptio. QUÆST. II.

XXVI. Cùm *Polygamia simultanea* repugnet *primævæ institutioni* conjugii, in quo Deus virum unum & unam fœminam creavit, ut essent duo, non plures; in carne una; Et ejus *confirmationi* per Christum, Mat. 19. 5. dum licentiam divortiorum arguens dicit *à principio non fuisse sic*; Et *saniorum Gentium testimonio*, apud quas infamia notatur, qui duas uxores simul habuerit; Dubitari non potest, quicquid *Ochinus* ad ejus defensionem dicat, eam illicitam esse ex se, & Legi naturali adversari. Quid verò sentiendum sit de Veteribus qui Polygami fuerunt, non omnes consentiunt. Quidam volunt hic intercessisse peculiarem quandam Dei *dispensationem* & *permissionem Ethicam*, secundùm quam remiserit illis legem quam tulerat ab initio, ut citiùs impleri posset promissio de multiplicatione seminis Abrahæ: quia aliàs vix concipi potest, quomodo tot & tales viri tam frequenter & perseveranter eam inire voluerint vivendi rationem, quæ Deo displiceret, & benedictionem prolis quæsiverint in eo quod Juris naturalis & divini regulas perverteret. Et hoc eò faciliùs fieri potuisse arbitrantur, quod polygamia ista repugnet quidem Juri naturali secundario, & naturæ honestati, quæ mutatis rerum & personarum circumstantiis aliquando immutari licitè possit, sed non Juri primario, quod absolutè sit indispensabile. Verùm quia talis dispensatio ex Scriptura demonstrari non potest, & probabilibus tantùm rationibus nititur: Alii satiùs putant *tolerantiam* hic tantùm agnoscere, & *permissionem physicam* facti, non permissionem ethicam juris, juxta quam nec simpliciter approbabat, nec absolutè & formaliter permittebat, tanquam licitam, sed tantùm ut infirmitatem & nævum aliquem dissimulabat & tolerabat suis de causis; Unde licita potuit esse in foro soli, ut immunitatem obtineret à pœnis civilibus & Ecclesiasticis apud homines, sed non in foro poli apud Deum.

XXVII. Licèt autem Scriptura non reprehendat Polygamiam in Patriarchis; Non sequitur licitam fuisse: Nam & alia varia referuntur in Scriptura, nec reprehenduntur, quæ à peccato excusari nequeunt, ut Lothi incestus, Saulis αὐτοχειρία & sim. Eam verò probatam non fuisse Deo colligi potest à posteriori ex gravissimis calamitatibus, quibus polygamos propterea castigavit. Nota crux domestica eo nomine Abrahamo imposita; Nota jurgia & æmulationes uxorum Jacobi; Notum quid David passus sit à liberorum flagitiis ex Polygamia ortis, & quàm carè constiterit illa Salomoni.

XXIX. Quamvis Patriarchæ nescìverint se peccare per polygamiam, Non obstat tamen quominus peccaverint ex ignorantia, putantes id licitum esse omnibus quod passim obtinebat ✓ pravâ consuetudine quæ

QUÆST. II. invaluerat, in ipsis obscurante vel obliterante primævæ institutionis memoriam, ut non cognoscerent esse peccatum. Nec sequitur mortuos esse in reatu illius peccati quod ignorabant, quia nunquam pœnitentiam ejus egerunt; quia si non expressè & formaliter pœnitentiam illius egerunt; *implicitè* tamen ejus veniam petierunt, quum petebant veniam omnium peccatorum etiam occultorum. Nec Pœnitentia specialis super hoc facto magis ab iis exigenda, quàm super factis aliis de quibus non leguntur pœnitentiam egisse. Aliàs nec Noachum super ebrietate, nec Lothum super incestu, nec alios super aliis peccatis pœnitentiam egisse legimus, quos tamen peccatorum omnium veniam à Deo per fidem in Messiam impetrasse non dubitamus. Si pii quilibet multa committunt peccata ex ignorantia & errore, quorum nunquam distinctam agunt pœnitentiam, quod non impedit quominus eorum petant & obtineant remissionem, dicendo cum Davide, *Purga me ab occultis*, Ps. 19. quidni idem dicamus de veteribus Polygamis?

Matt. 19.8. XXIX. Quoad *Divortium*, Deus nec præcepit simpliciter, aut permisit, sed tantùm licentiam divortiorum, quæ obtinebat apud Judæos contra legem naturalem conjugii, certis legibus coercere voluit, ut modum rei illicitæ poneret, non verò ut eam licitam faceret. Unde Christus dicit hoc Deum *permisisse*, seu *tolerasse propter duritiem cordis Judæorum*, Matt. 19. 8.

XXX. Si *Conjugia in gradibus prohibitis*, quæ inter liberos Adami *fratres & sorores* in principio contracta sunt, necessitate ita postulante, hoc non tam factum est per dispensationem propriè dictam Legis, quàm per ejus declarationem. Judæi Doctores plerique confugiunt hic ad *indulgentiam* Dei, quasi Deus hoc, licet vitiosum, indulserit primis illis hominibus. Verùm indulgentia non consentanea juri, & honestati naturali non potest locum habere, quia Deus nunquam indulget facere malum. Alii ut August. *Necessitatem* hîc obtendunt, *cum non essent*, inquit lib. 18. de C. D. cap. 16. *ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt, quod postea quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* Sed neque hoc plenè satisfacere potest: Quia necessitatis illius causa fuit ipse Deus, qui facile casum hunc tollere potuisset, si voluisset plura hominum paria creare, ne homines conjicerentur in necessitatem violandi Jus naturale. Commodiùs alii se expediunt distinguendo *Jus naturale primarium, & absolutum*, quod in naturà ipsâ Dei immediatè fundatur, & *secundarium*, quod fundatur in natura rerum, & locum tantùm habet in certo rerum statu, ut lex prohibens furtum supponit rerum divisionem. Talia conjugia repugnare quidem posteriori juri naturali in *certo rerum statu*, seu *natura constituta* post generis humani multiplicationem, & illicita esse naturâ, propter reverentiam sanguinis, quia

quia in ſorore & fratre, qui ſunt caro & imago parentis, venerandus eſt QUÆST. II.
ipſe parens, & verecundia naturalis hoc prohibet. Unde Gentiles ipſi, ut Plato lib. 8. de Legibus talia conjugia vocat μηδαμῶς ὅσια καὶ θεομισῆ, *minime pia & Deo inviſa*, & Diodo. Sicu. lib. 1. dicit eſſe κοινὸν ἔθος ἀνθρώπων *communem hominum morem ne fratres miſcerentur cum ſororibus*, quia cohabitatio & convictus quotidianus nunquam vacaret ſuſpicione illiciti amoris, & occaſionem daret ſtupris & adulteriis, ſi talia conjugia licita eſſent. Sed non repugnare Juri naturali primario & abſoluto; alias Deus qui ſeipſum non abnegat, de eo nunquam diſpenſare potuiſſet, nec talem conjunctionem, ne quidem ſub mundi initium, vel inſtituiſſet ipſe, vel probaſſet. Ut ergo rerum conſtitutio à voluntate Dei pendet, potuit in certis caſibus eam, ſi non abſolutè, ad ſecundùm quid & in certo rerum ſtatu immutare, prout expedire novit ad humanæ ſocietatis conſervationem; Et quia voluit ex uno ſanguine omnes naſci; neceſſe fuit tunc *in naturâ conſtituendâ* talem conjunctionem locum habere. Cæterùm quamvis nunquam licita poſſit eſſe conjunctio parentum cum liberis, non eadem eſt ratio conjugii fratrum cum ſororibus; quia reverentia filiorum erga parentes abſoluta eſt & intrinſeca, quæ nunquam auferri poteſt; ſed ſororum erga fratres eſt tantùm extrinſeca & relativa, quatenus ſunt tantùm imago parentum; Ideo nihil obſtat hunc reſpectum cohiberi à Deo, ne in hac vel illa perſona, cui nubendum eſt, emicet.

XXXI. Idem dicendum de *Lege Leviratus* Deuter. 25. 5. per quam levir ſeu frater demortui, uxorem fratris ducere tenebatur ad ſuſcitandum illi ſemen; Si intelligatur de Leviro propriè dicto ſeu fratre germano, ut Judæos intellexiſſe conſtat Matth. 22. 24. 25. nimirum caſum fuiſſe peculiarem, in quo Deus proſpicere voluit conſervationi tribuum & familiarum populi ſui. Sed ſi latiùs extendatur ad cognatum proximum extra gradus prohibitos, ut non improbabiliter volunt non pauci Viri docti, & Calvinus inprimis, nec vox יבמה repugnat, quæ cognatum aut affinem quemlibet ſignificat, qualis erat Booz ad Ruth Moabitidem Ruth. 3. 9. ſublata erit omnis difficultas. *Deut. 25. 5.*

XXXII. Non diſpenſatum fuit de Lege furti per factum Iſraëlitarum vaſa Ægyptiorum auferentium, 1. Quia ipſi Ægyptii ultrò vaſa illa conceſſerunt, *Jehova enim gratioſum reddiderat populum hunc ante oculos Ægyptiorum, adeo ut dederint illis petentibus, & ſic ſpoliaverunt Ægyptios*, Exod. 12. 33. 36. nec ab abeuntibus illa repetierunt, imò expulerunt eos cum vaſis ſuis, *dum vehementer inſtabant apud populum feſtinando dimittere eum è ſua regione.* Sic non poſſunt dici Iſraëlitæ abſolutè cepiſſe rem alienam invitis dominis. 2. quia Deus juſtè tanquam ſupremus Dominus, imò juſtus Judex bona Ægyptiorum transtulit in Iſraëlitas, ad mercedem præce- *Ex 12. 33. 36.*

 dentium

QUÆST. II. dentium laborum, & duræ illius servitutis quâ eos naturâ liberos Ægyptii oppresserant; ut Judex permittit creditori pignora sumere in domo debitoris, aut illum in possessionem bonorum ejus immittit; non potest autem esse furtum quod fit authoritate Judicis. 3. nequidem ipsi Ægyptii censeri possunt legitimi domini in foro poli & apud Deum, sed usurpatores tantùm, ut & cæteri impii, licet in foro soli & apud homines tales habeantur. Licet autem Israëlitæ non reddiderint quod mutuò acceperunt, non ideo possunt dici fures, quia potuerunt habere animum reddendi, si Deus jussisset.

XXXIII. Licet non licitum sit falcem in alienam messem immittere, libertas tamen legitimè dabatur olim viatoribus & transeuntibus, vel spicas evellendi ex agro, vel uvas decerpendi ex vinea, sedandæ famis gratiâ Deut. 23.24. 25. non per dispensationem Legis furti, sed per ejus veram interpretationem, quia opus erat necessitatis, quod permittebatur à supremo Domino majoris charitatis inter homines adstringendæ ergò. Si actus isti indecentiam aliquam habent in se, desinit esse talis accedente mandato, vel instinctu, vel vocatione divinâ necessitatem talem imponente, vel libertatem concedente.

Deut. 23. 24. 25.

XXXIV. Licet homines possint dispensare de Legibus suis; Non sic Deus de Lege morali, quia Leges humanæ sunt positivæ, quæ obligant tantùm à parte Legislatoris, non ex parte rei. At Lex moralis est juris naturalis, quæ obligat in se & à parte rei.

QUÆSTIO III.

DE PERFECTIONE LEGIS MORALIS.

An Lex Moralis ita sit perfecta vitæ morumque Regula, ut nihil illi superaddi possit, aut in ea corrigi debeat, ad verum Dei cultum? An verò Christus eam non modò ut imperfectam compleverit, sed etiam ut doctrinæ suæ contrariam correxerit? Prius Affirm. Poster. Neg. contra Socin. Anabap: Remonst. Pontif.

Sententia Socinianorum.

I. QUæstio hæc nobis intercedit cum variis; Primò cum *Socinianis*, qui pertendunt, alia fuisse Christi, alia verò Mosis præcepta, & Christum Legem moralem supplevisse & auxisse ut imperfectam

variis

variis additamentis, & ut minus rectam in quibusdam correxisse. Hinc correctiones varias Legis à Christo factas volunt, & additamenta varia, non modò singulis præceptis Decalogi, quibus ea perficiuntur, qualia sunt, respectu Primi, *Certa precandi ratio definita oratione dominica, & cultus religiosus Christi ut Mediatoris*; respectu Secundi *fuga Idolorum seu Imaginum*. Tertii *Interdictio Juramenti etiam in rebus veris*. Quarti *abrogatio Sabbathi, citra substitutionem alterius alicujus diei*. Quinti & in genere tabulæ secundæ *dilectio Inimici*. Sexti *Interdictum iræ & vindictæ sive privatæ sive publicæ*. Septimi *interdictio aspectus impudici, divortii extra adulterium, impuritatis & obscœnitatis*. Octavi *prohibitio avaritiæ, & erogatio superfluorum in pauperes*. Noni *prohibitio sermonis vani & levis, iniquæ censuræ* &c. Decimi *interdictum concupiscentiæ, non modo ut eâ non delectemur, sed ut ne quidem eam concipiamus quoad animum nostrum*. Sed etiam quoad Nova præcepta, quæ præter Decalogum à Christo data pertendunt, qualia sunt Tria potissimum. 1. *Abnegatio nostri*, 2. *Tolerantia Crucis propter Christum*. 3. *Imitatio Christi*, de quibus *Catech. Racovi.* de Prophe. Christi munere, c. 1. & 2. *Ostorod.* Insti. Relig. Christ. c. 22. *Volkel.* lib. 4. de Vera Relig. c. 21. Scopus illorum est, 1. stabilire impium dogma de Christo Salvatore non per λύτρον, sed per doctrinam. 2. statuere justificationem hominum per opera, non quidem per meritum operum, in quo differunt à Pontificiis, sed per acceptilationem illorum operum. 3. statuere præmium immortalitatis animæ non fuisse sub Vet. Test. sed per Christum exhibitum fuisse. 2. Hos sequuntur *Anabaptistæ*, & *Remonstrantes*, Illi colloq. Francoth. Artic. 1. 10. 11. & Embda. Art. 11. 12. 13. Isti Apolo. cap. 12. ubi approbant Thesim Socinianam de imperfectione Legis, & in hypothesi varias additiones ponunt & defendunt & c. 13. de tribus præceptis à Christo additis & de primo præsertim fuse agunt.

QUÆST. III.

Anabaptistarum & Remonstrantium.

II. Illis jam præluserant *Manichæi*, inter quos & Catholicos agitata fuit eadem quæstio, teste Augustino lib. 19. contra Faustum Manichæum, docentes Christum Legem moralem additis illis præceptis quæ Matth. 5. habentur partim adimplevisse, partim destruxisse, quod toto illo libro refutat Aug. Ex illorum lacunis hausisse videntur *Mahummedani* quod habetur in Alcor. Azoa. 12. Mosem tulisse Legem minus perfectam, Christum perfectiorem, sed Mahummetem perfectissimam. *Pontificii* hic etiam non unà ratione aberrant imperfectionem Legis statuentes; Unde *Bellarm.* lib. 4. de Justit. c. 3. docet Christum reddidisse Legem ex imperfecta perfectam, vel certè ex perfecta perfectiorem, & inter Legem & Evangelium illud ipsum interesse, quod inter doctrinam inchoatam & perfectam. Et *Maldo.* in Matt. 5. contendit obstinatè à Christo Legem veterem correctam fuisse adjunctis iis quæ ad perfectionem Evangelicam desiderabantur. Orthodoxi verò adversus istos omnes, Legem moralem

Pontificiorum.

QUÆST. III. ita perfectam censent, ut neque supplemento, neque correctione opus habuerit, sed tantùm genuinâ interpretatione: Et quicquid additum perhibetur, vel falsum esse & gratis confictum, vel in Lege jam vel explicitè, vel implicitè, contentum fuisse.

Status Quæstionis. III. Non quæritur. An Lex opus habuerit illustratione, confirmatione, & vindicatione adversus corruptelas Scribarum & Pharisæorum, & perversa hominum judicia. Hoc enim facilè concedimus, & in sequentibus sumus demonstraturi. Sed An opus habuerit vel supplemento, vel correctione, quasi imperfecta, aut minus recta foret? Adversarii affirmant, Nos verò negamus. Momentum Quæstionis magnum est, quia nihil aliud quærunt Adversarii, quàm ut Evangelium in novam Legem transforment, & ita pro justitia fidei, justitiam operum stabiliant.

Legis perfectio probatur. Ps. 19. 8. IV. Rationes Orthodoxorum sunt 1. Quia *Lex* est *perfecta*, Psalm 19. 8. non modò secundùm quid, & ratione illius ætatis sub Vet. Test. sed etiam absolutè ratione naturæ, & ita perfecta, ut non modò contineat omnia facienda, & nihil ei desit testibus *Genebrardo* & *Lorino*, in h. l. sed etiam nihil ei addendum aut detrahendum sit, ex Deuteron. 4. 2. & 12. 32. 2. Perfecta est tum *extensivè* quoad *partes*, quia adæquatè complectitur in dilectione Dei & proximi omnia officia illis debita, ut Christus docet Matth. 22. 37. tum *intensivè* quoad *gradus*, quia dilectionem non qualemcunque, sed perfectissimam, & quâ major dari nequit postulat, tum *finaliter* quoad usum & effectum perfectum, quia potest observantibus dare vitam, & felicitatem; *Qui fecerit ista vivet in iis*, Lev. 18. 5. quod dici non posset, si vel supplemento, vel correctione indigeret.

Matt. 5. 17. V. Secundò, Quia *Christus non venit ad eam destruendam, sed complendam* Matth. 5. 17. ubi τὸ πληρῶσαι, non est imperfectam complere, aut contrariam corrigere, quod esset potius ἀναλῦσαι, sed phrasi Hebraica id quod præceptum est facere, ut ita Christus Legem implevit non additione, vel correctione, sed observatione & executione. Trifariam Christus implevit Legem, vel ut *doctrinam* fidei prædicatione, solidâ confirmatione, & forti vindicatione; vel ut *normam* plenâ & constanti observatione, vel ut *typum* integrâ consummatione, veritatem typorum & oraculorum & corpus umbrarum in se ipso exhibendo.

VI. Tertiò, Quia Christus non alia Legis præcepta in N. T. tradidit vel per se, vel per Apostolos, quàm quæ à Mose data fuerant Matth. 22. 37. Rom. 13. 9. nec aliam explicationem eorum proponit, quàm quæ à Prophetis olim proposita fuerat. Unde præceptum charitatis à Johanne *vetus*, & *novum* dicitur 1 Joh. 2. 7. 8. vetus ratione primæ promulgationis in V. T. novum ratione renovationis, & illustrationis in N.

VII. Quartò, Quia Lex non potest suppleri vel corrigi, quin imperfectionis

fectionis & vitii arguatur, atque adeò vitium ipsum in Deum Legis authorem refundatur, quod vel cogitare impium. QUÆST. III.

VIII. Quintò, Quia *Abnegatio nostri*, *Tolerantia Crucis*, *& Imitatio Christi*, jam præceptæ fuerunt sub Vet. Test. Nam quando jubemur diligere Deum super omnia, nonne jubemur eo ipso abnegare nos ipsos propter Deum, & crucem tolerare patienter, quando ab eo nobis imponitur? Et quum imitatio Dei toties præscribitur, nonne eo ipso imitatio Christi, qui verus Deus, præcipitur? Adde quod Imitatio Christi non alia est, quàm respectu virtutum moralium, quarum regula non alibi quærenda est quàm in Lege. Hoc ipsum variis exemplis Vet. Test. confirmatur. Quoad *abnegationem* in Abrahamo relinquente patriam, & immolante filium, Levitis fratres suos cædentibus Exod. 32. Jobo benedicente Deo in adversis cap. 1. Mose, Daniele, & sociis ejus voluptates omnes fastidientibus Hebr. 11. 25. 26. Daniel. 1. 8. & seq. Quoad *Tolerantiam crucis* in Mose Hebr. 11. 25. 26. Prophetis sub Achabo 1 Reg. 18. Zachariâ 2 Chron. 24. Sociis Danielis cap. 3. Ecclesiâ Judaicâ sub Antiocho Ps. 44. & Heb. 11. Quoad *Imitationem Christi* in fidelibus ad exemplar Dei se componentibus.

Fontes Solutionum.

IX. Aliud est *Legem ipsam corrigere*, Aliud *falsam* interpretationem Scribarum & Pharisæorum convellere. Aliud *novum sensum* inferre Legi quem non habebat: Aliud *novam lucem* tantùm, evolvendo id quod in Lege latebat, & à Doctoribus non attendebatur, & sic *explicando* declarare, & restituere *vindicando*. Christus Mat. 5. posterius fecit non prius. Quia non agit novum Legislatorem, sed tantùm Interpretem, & vindicem Legis per Mosem datæ, & opponit dicta sua, non dictis aut scriptis Mosis, sed Scribarum & Pharisæorum, prout se illa ab antiquis doctoribus accepisse jactabant, patet 1. ex Christi *propositione* v. 20. ubi loquitur de Justitia Pharisæorum, *nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum.* Ergo contra justitiam Pharisaicam, non contra justitiam Lege Mosis imperatam agere intendit. 2. ex *modo loquendi*, non ait scriptum in lege Mosis, vel Lex aut Moses dixit vobis, sed *audistis* ex Scribis scilicet, aut Pharisæis *dictum esse antiquis*, vel *ab antiquis.* Atque ita ostendit se Traditiones tantùm Seniorum Matth. 15. 2. 3. non verò ipsam legem Mosis refellere. 3. ex *exemplo allato* v. 43. de diligendo proximo, & odio habendo inimico, quod non dictum est à Mose, qui etiam contrarium præcipit Lev. 19. 18. Exod. 23. 4. 5. & Salomo ex ipso Prov. 25. 21. 22. sed à Magistris Judæorum & Pharisæorum majoribus. 4. ex *rebus ipsis* à Christo vel præceptis vel vetitis, quæ vel explicitè vel implicitè in Lege ipsa contineri postea probabitur, & ex aliis quas rejicit, quæ in Lege non habentur, ut in sequentibus patebit.

X. Quomodocunque verba ista ἐῤῥέθαι τοῖς ἀρχαίοις vel *subjectivè*

ut

QUÆST. III. ut valeat idem quod ὑπὸ τῶν ἀρχαίων *dictum est ab antiquis*, quod vult *Beza* noster, & post eum *Piscator*, vel *objective* quod post *Syrum* aliis placet, & commodiùs videtur, ut innuat πρὸς τοὺς ἀρχαίους *dictum est ad veteres*, non sequitur ista dicta esse à Mose veteribus Israelitis sui temporis; quia vox ista promiscuè refertur ad majores quoslvis, & sensus Domini non alius est, quàm Judæorum Magistros Legis corruptores præceptis à se depravatis solitos fuisse prætexere procemium istud speciosum, *Dictum esse antiquis*, id. præcepta à se inculcari solita nova non esse, sed vetera, & majoribus Judæorum jam olim tradita. Antithesis ergo à Christo instituitur non inter se & Mosem, aut Legem ab ipso traditam, per Scribarum & Pharisæorum glossas super Lege Mosis, quibus Legem nimis restringebant, & perperam interpretabantur, ut doceat solvi ab ipsis legis literam & sensum, non verò à se, quamvis id sibi ab hostibus suis impingeretur.

Matth. 5.21. 27. 31. 33. XI. Licet Christus citet Mosis verba v. 21. 27. 31. 33. 38. non allegat sensu Mosaico, sed Pharisaico. Verba quidem erant communia, sed sensus diversus, Pharisæi enim verba Mosis pessimè exponebant ad externos tantùm actus restringendo, quæ ad internos etiam motus extendebantur, quod Christus docet, verum & genuinum Legis sensum aperiendo: Corrigit ergo Christus varia in Lege expressa, sed non reduplicativè, quà ibi expressa; verùm quà à Scribis & Pharisæis proponi solita, nec ex sensu Mosis, sed ex suo παρεισάκτῳ, non ἐμφύτῳ & γνησίῳ, sed ὑποβολιμαίῳ.

Mat. 5. 33. 34. XII. Lex non corrigitur à Christo circa præceptum tertium de Juramento v. 33. 34. sed tantùm exponitur & vindicatur à corruptelis Pharisæorum, qui generalem prohibitionem de *non assumendo nomine Dei in vanum* restringebant ad *perjurium* illius qui jurasset per nomen Dei, & laxabant fibulam juramentis levibus & temerariis in quotidiano sermone, & juramentis per creaturas, quasi non peccaretur in Legem vel in Legislatorem jurando temerè, & leviter, vel falsò etiam, modò non per nomen Dei, sed per nomen alicujus creaturæ; sed pejerando tantùm, & non adimplendo vel non reddendo jurata, & obstrictus quidem esset qui jurasset per nomen Dei, vel per donaria Deo sacra, sed non qui per templum, per altare, per similia jurasset Matth. 23. 16. 17. 18. talia juramenta impunè fieri posse & violari. Christus falsissimas istas glossas redarguit, ostendens nec vana & temeraria juramenta esse licita, nec ea quæ concipiuntur per creaturas qualescumque illæ sint, quo pacto nihil addit vel corrigit in Lege, Nam Lex non prohibet tantùm perjuria, sed etiam *levia & temeraria juramenta*, quum vetat nomen Dei sumere לשוא *in vanum*, quod perperam à Socinianis, & Grotio ipsis succollante, confunditur cum τῷ לשקר *in falsum*, vel *mendacium* de quo Levi. 19. 12. quasi solum perjurium damnaretur, cum longe latius pateat, & ad vanitatem & levitatem juramentorum temerariorum rectè extendatur,

tur. Unde L X X. reddunt *ἐπὶ ματαίῳ*, & Aquila *εἰς εἰκῆ* Targum למגנא quod idem est quod חנם Hebræorum, *gratis* & sine causa. Licet ergo pejerando sumatur nomen Dei in vanum, tamen sæpe nomen Dei potest sumi in vanum sine perjurio, in juramentis scilicet temerariis & levibus. QUÆST. III.

XIII. *Juramenta* etiam per *creaturas* in Veteri Test. ex Lege satis prohibebantur, tum *implicitè*, juramentum ad solum Deum referendo tanquam actum λατρείας soli Deo debitum: Deut. 6. 13. & 10. 20. *Jehovam Deum timeto, & ipsum colito, ac per nomen ejus jurato*, & Is. 65. 16. tum *explicitè*, damnando juramenta concepta per eos qui non sunt Dii, Jerem. 5. 7. *Jurant per eos qui non sunt Dii*, quod & *natura* juramenti evincit, quod formaliter est invocatio Dei testis, sive explicitè, sive implicitè, tum conditiones requisitæ in objecto, omniscientia, omnipræsentia, & omnipotentia, quæ in nullam creaturam cadunt: Nec obstant exempla, si qua sunt in V. T. talium juramentorum, quia *facti* sunt, non *Juris*, *Praxeos*, non *Legis*, quæ nusquam lata est juramenti per creaturas concipiendi.

XIV. Quod Christus addit ὅλως *omnino non esse jurandum*, & à Jacobo confirmatur c. 5. 12. non potest absolutè & universaliter intelligi de quolibet juramento, quasi simpliciter jurandum non sit, quod repugnaret & *naturæ rei*, quæ bona est in se, & necessaria, & ut talis præcepta ad confirmationem veritatis, & ad omnis controversiæ terminum Heb. 6. 16. Et *praxi ipsius Christi* & Apostolorum, qui non raro jurarunt; sed *secundum quid* de juramentis temerariis & levibus, vel conceptis per creaturas, de quibus hoc loco agebatur. Quod addita exegesis clarè evincit, quum ait non *jurandum esse omnino*, nec *per cælum*, nec *per terram* &c. id. nullas talis juramenti perversas formulas, quæ in usu erant apud Judæos, usurpandas esse, quas complexu generali damnat Jacobus c. 5. 12. quum addit, nec *aliud quodvis juramentum*: aliàs si omnia omnino juramenta proscripta voluisset, addere debuisset, *nec per Deum*; perperam ergo particula universalis separatur à *speciebus juramenti subjectis*, vel ad *genus* & *substantiam* juramenti, non ad *formam* illius à Matthæo expressam refertur. Nec verba addita à Christo *sit sermo vester, etiam etiam, non non*, contrarium probant; quia non loquitur absolutè & universaliter Christus de omni sermone, aut de praxi extraordinaria, aut de casibus necessitatis, si quando conscientia purganda, proximus juvandus, & Gloria Dei promovenda est, sed loquitur de consuetudine & praxi ordinaria in casibus levioribus, & de familiari colloquio, in quo sufficere debet simplex affirmatio vel negatio, & τὸ ναὶ ναὶ, οὒ οὔ, Ubi tria commendantur, *sermonis simplicitas*, opposite ad jurandi consuetudinem. 2. ejusdem *veritas*, opposite ad mendacium & æquivocationes. 3. ejus *constantia* *Jac.* 5. 12.

Quæst. III. & fides, opposite ad levitatem & inconstantiam. Quoad τὸ περισσὸν quod dicitur esse ἐκ τοῦ πονηροῦ, non potest extendi ad additiones necessarias & justas in juramentis gravibus & ad Dei gloriam, vel proximi salutem aut nostram pertinentibus, quæ à Deo permittuntur & præcipiuntur; sed referendum tantùm ad additiones superfluas, non necessarias, pugnantes cum illa verborum simplicitate & veracitate, quæ in juramentis levibus & temerariis occurrunt.

XV. Non corrigitur, sed vindicatur Præceptum sextum de homicidio

Matt.5.21. v. 21. quod Pharisæi explicabant tantùm de homicidio externo, cujus pœnam capitalem statuebant: sed Christus illud extendit ad internos iracundiæ motus, & ad convitia in sermonibus, quibus pœnas quidem æternas, sed quoad gradum diversas statuit, allusivè ad varios gradus pœnarum capitalium apud Judæos usitatarum, de quibus vide Loc. IX. Q. IV. Th. 17. Sic docet Christus malè restringi in Schola Pharisaica præceptum de non occidendo ad cædem actualem, eo quòd hæc sola capitaliter puniretur inter homines, cùm etiam extendatur in foro Dei, in quo non tantùm factorum, sed & dictorum & cogitatorum ratio est reddenda, ad ea, quæ alias pœnis ab hominibus infligi solitis, eximuntur.

Matt.5.38. XVI. Licet Christus referat verba Legis v. 38. de *talione*, quæ extant

Ex. 21.24. Exod. 21. 24. *Oculus pro oculo, dens pro dente*, & iis opponat suam sententiam de *non resistendo malo*; Non propterea illa corrigit, quasi omnem vindictam simpli. vellet abolere; nam ipse quà Deus ordinavit Magistratum, eùmque gladio armavit ad terrorem & pœnam malorum Rom. 13. & ipse percussus in maxillam unam, non præbuit alteram, sed malo restitit, innocentiam suam tuendo, & injustitiam Adversariorum redarguendo Joh. 18. 23. quod & Paulus imitatur Act. 23, 3. Sed refellit tantùm glossam Pharisæorum, qui, quod de vindicta publica Magistratus Lege Mosis sancitum erat, ad vindictam privatam trahebant; à qua longè suos abesse vult Christus, ut malle debeant duplicari sibi injurias, quàm ipsimet eas vindicare, quod Moses jam edixerat Levit. 19. 18. *Ne ulciscitor*, inquit, *neque iram asservato in populares tuos, sed diliges proximum tuum sicut teipsum*, nimirum quia *Domini ultio & retributio est* ut alibi loquitur Deut. 32. 35. Lex verò talionis potest adhuc suo sensu locum habere, non præcisè & formaliter, sed ratione moralis æstimationis.

Mat. 5.39. XVII. Verba Christi v. 39. 40. de *obvertenda maxilla percutienti, & relinquendo pallio petenti*, non tam *positive* intelligenda sunt, quasi revera obvertenda esset maxilla, & pallium dimittendum; quod nec Christus ipse, nec Paulus observarunt percussi, quàm *negative* id. de non resistendo & vindicando seipso resistentiâ privatâ, inordinatâ, & non necessariâ, non *literaliter*, & κατὰ τὸ ῥητὸν, sed *figurate & hyperbolice* κατὰ τὸ νοητὸν, de altera potiùs ferenda injuria, quam priori ulciscenda:

ſcenda: Ut hîc attendenda ſint non verba ipſa, ſed ſenſus & ſcopus, non ſpecies præcepti, ſed genus περὶ τῆς ὑπομονῆς ἀνεξικακίας: Vetatur ergo hîc *reſiſtentia culpabilis*, quæ fit ex vindicta, ſed non *legitimæ defenſionis* & inculpatæ tutelæ. QUÆST. III.

XVIII. Chriſtus non correxit Præceptum ſeptimum de adulterio, quum illud extendit ad cupiditatem & aſpectum mulieris v. 28. ſed verum ſenſum Legis aperit, quæ ut ſpiritualis, non externos tantùm motus attendit, ſed & internos, ut præceptum ultimum de concupiſcentia hoc evincit, contra Phariſæos, qui Legem iſtam reſtringebant ad ſolum actum externum fornicationis. *Matt.* 28.

XIX. Præceptum Chriſti de *non dimittenda uxore extra cauſam adulterii* convenit cum Lege Moſis Deut. 24. 1. ubi ἄσχημον πρᾶγμα optimè poteſt eo referri, & cum inſtitutione prima quam refert Chriſtus Mat. 19. 4. 5. Nec verba de libello repudii quæ referuntur à Chriſto, referuntur eo ſenſu, quo habebantur in Lege, ſed quo exponebantur à Phariſæis: Nam Phariſæi loquebantur categoricè & imperativè δότω αὐτῇ ἀποστάσιον; ſed verba Moſis ſunt hypothetica Deut. 24. 1. *Si quis uxorem &c. dimiſerit, & libellum diſceſſionis ei ſcripſerit.* 2. Moſes habet reſtrictionem in permiſſione repudii *ob turpitudinem* ערות דבר, ſed Phariſæi ſine ulla limitatione, *Quiſquis dimiſerit uxorem, det ei libellum repudii*, quaſi dimiſſio uxoris quacunque de cauſa facta, haud quaquam intercederet Legi, modò obſervaretur dimiſſio cum formula, & maritus ſolenni libello res ſuas ſibi habere, & res ſuas ſibi agere juberet mulierem. 3. Perperam etiam verba Moſis trahebant Phariſæi ad approbationem divortii, cùm eſſet tantùm *tolerantia* & *permiſſio*, quæ non illud inſtituebat per ſe, ſed modum tantùm illi ponebat per accidens propter duritiem cordis Judæorum Matt. 19. 7. 8. Unde Chriſtus loco τοῦ ἐνετείλατο, quo Phariſæi uſi fuerant, addit verbum ἐπέτρεψεν *permiſit*, non quod licitum eſſet *diſpenſatione morali*, quod demum tale erat *forenſi & civili*, aut *relaxatione juris*, quod demum *relaxatione pœnæ*, aut quoad immunitatem à culpa in foro interno conſcientiæ, quod demum immune à pœna in foro civili externo. *Deut.* 24. 1.

XX. Præceptum dilectionis proximi non poteſt dici correctum à Chriſto ratione *objecti*, quaſi objectum dilectionis fuerit anguſtius ſub V. T. nimir. *proximus*, qui ejuſdem fœderis & religionis eſſet; In novo autem latius, quod extendatur ad omnes homines in univerſum, etiam inimicos: Nam idem eſt utrobique dilectionis mandatum, idem objectum, eadem forma, & idem finis, eadem dilectio, tam *extenſivè* ratione *objecti*, quàm *intenſivè* ratione *modi* ſeu gradus. Per *Proximum* cujus dilectionem Lex præſcribit, non intelligitur tantùm Judæus & popularis, ſed quivis etiam peregrinus, imò & inimicus, quo ſenſu *Ægyptii* vocantur *proximi* Exod. 11. 2. & *Philiſtæi* Jud. 14. 20. Sic Levit. 19. 18. proximi nomine etiam cenſetur inimicus, *Matt.* 5. 43. 44.

quum

QUÆST. III. quum edicitur *ne ulciscantur*, *vel iram servent in ipsum*, & Prover. 25. 21. 22. *jubet Salomon inimicum esurientem cibare, sitientem potare*, exemplo Elisæi 2. Reg. 6. 22. Imò Exod. 23. 4. 5. Deus jubet ut jumentum *inimici sublevemus*, *& reducamus in viam.* Denique is proximus intelligendus contra quem falsum testimonium dicere non debemus, nec ejus uxorem & bona concupiscere, quod non de quibusdam tantùm, sed de omnibus dicitur. Nec obstat, quod Matth. 5. 43. 44 dicitur veluti ex Lege petitum, *Diliges proximum*, *& odio habebis inimicum*, quia Christus ibi carpit additamentum glossæ Pharisaicæ, non imperfectionem Legis, quæ hoc nec habet nunc, nec habuit unquam: Lex talionis quæ data fuit sub V. T. non restringit præceptum dilectionis, quia agit de jure Magistratus, non de officiis charitatis, de pœnis irrogandis reo à Judice, non de ultione quærenda à privato.

Mat 5. 43. 44.

Ex. 34. 12. *Deut.* 7. 2. XXI. Si Israëlitæ vetantur Exod. 34. 12. & Deut. 7. 2. cum septem populis Cananæorum affinitatem jungere, fœdus facere, imò eorum misereri, 1. non sequitur imperari eorum odium, quia datur medium inter amicitiam, quæ animorum, & officiorum contesserationem infert, & inter odium: nec absolutè prohibetur misericordia respectu ipsorum, sed secundùm quid tantùm ratione ultionis demandatæ à Deo erga eos, qui occidi debebant expresso Dei mandato, & quidem eâ de causâ, ne essent in laqueum populo Dei. 2. mandatum non datur de odio, sed de excidio, quia Deus illos exitio devoverat tanquam hostes suos ob horrenda crimina sua. 3. non simpliciter illud fieri debuit, sed tum demum cùm pacem recusassent. Deuter. 20. 10. 4. in N. T. illud etiam valet, non modo quum vetamur precari pro iis qui peccant ad mortem 1 Johan. 5. 16. & dicere salve illi, qui aliam doctrinam affert 2 Joh. sed etiam eo ipso, quo bella sunt licita.

XXII. 2. Præceptum dilectionis non est correctum à Christo ratione *modi* & *intensionis*, sive Deum, sive proximum spectemus, quia respectu Dei non potest dari major amor illo, quo jubemur Deum diligere tanquam summum bonum, adeoque non tantùm propter beneficia quæ nobis exhibet, sed & propter excellentiam, quâ major dari non potest. Respectu verò proximi illius amor, nullum potest recipere gradum, quia jubemur illum diligere sicut nos ipsos. Nec quod Evangelium jubet, ut
1 Jo. 3. 16. vitam etiam ponamus pro fratribus, 1 Johan. 3. 16. evincit nos debere diligere proximum plus quàm nos ipsos, ut charitatis Christianæ modus major sit charitate Legali. 1. quia mandatum de ponenda vita pro fratre, non ignotum fuit sub V. T. ut patet exemplo Mosis, mori optantis pro populo, & Davidis pro Absalomo 2 Sam. 18. & trium heroum pro Davide mori paratorum ib. c. 23. Nec ipsis etiam Ethnicis, quò pertinent exempla eorum, qui pro patria se devovebant, & amicorum qui pro amicis obire non recusabant, quales Damon & Pythias, Pylades & Orestes,

quod

quod Paulus ipse fatetur Rom. 5. 6. 7. 2. nota comparationis *sicut nos ipsos*, QUÆST. III.
non est intelligenda κανονικῶς, sed παραδειγματικῶς, nec exhibet *mensuram* & *regulam* secundùm quam debemus diligere proximum, sed tantum *exemplum*, & tale quidem quò intensius communiter non datur, quia naturà ad nos ipsos diligendos sumus proni Eph. 5. 29. Ita qui vitam ponit pro fratre, non plus diligit fratrem quàm se, sed sicut se, quia id facit quod sibi vellet fieri in simili casu. 3. qui vitam ponit pro fratre minus quidem diligit vitam propriam, quàm salutem alienam; sed id facit, tum quia salus aliena est pretiosior longe vità temporali, tum præcipuè, quia in eo gloria Dei vertitur, imò & salus nostra, quam plus diligere debemus vità proprià; unde vita ista liberè est profundenda ut obtineatur æterna.

XXIII. Præceptum charitatis non vocatur *novum* à Christo Joh. 13. 14. *Joh.* 13. 14.
& *Lex Christi* Gal. 6. 2. *absolute & simpli.* quoad *substantiam* mandati, quæ eadem utrobique fuit, sed *secundum quid* & *comparate* ratione *modi*, quia *renovatum* est à Christo & pristino suo nitori restitutum, cùm hominum malis moribus fuisset pene antiquatum, & *novis rationibus & motivis* illustratum & sancitum, qualia sunt tum exemplum Christi, tum maxima illius beneficia; quippe si nos tantopere dilexit, debemus vicissim, ut amor amore compensatur, in charitatis redhostimentum & ipsum & fratres nostros propter ipsum diligere 1 Joh. 4. 11. novum etiam ratione *durationis*, quia perpetuum est & æternum.

XXIV. Non potest dici quicquam additum à Christo quoad essentialia præceptis Legis moralis. Non Primo, Vel *novus modus orandi*, qui oratione Dominica definitur; Quia præceptum colendi, & adorandi Deum, orationem necessariò continet, & quamvis oratio Dominica quoad formam à Christo sit instituta, nihil habet quoad *materiam* & *res petendas*, quod precibus Sanctorum in V. T. non sit expressum. Vel *novus Christi cultus* & Patris in ipso. Quia adoratio Christi & mandata fuit sæpius in Vet. Test. Psal. 2. 12. & 45. 12. & 97. 7. Exod. 23. & exemplis variis confirmata, Abrahami Gen. 18. 23. &c. Jacobi Gen. 48. 16. Danielis 9. 17. &c. Imò nulla oratio à Patribus nisi in nomine Christi saltem implicitè fiebat, quatenus nitebatur promissionibus divinis, quarum fundamentum erat Messias 2 Cor. 1. 20.

XXV. Non Secundo, per *Imaginum & Idolorum*, non modò cultûs; sed etiam *fabricationis* & locorum Idolis sacrorum *frequentationis prohibitionem*. Quia hoc ipsum jam sub V. T. præceptum fuerat, quum Idola Gentium comburi, altaria destrui, & luci succidi jubentur Exod. 23. 24. Deuter. 12. 2. 3. Imò interdictum, ne nomina Idolorum in sermonibus usurpentur Exod. 23. & 13. & Psal. 16. 4. vel consortium cum Idololatris religioni damnosum colatur Deut. 7. 2. 3.

QUÆST. III. XXVI. Non Tertio, Vel per advocationem Christi in testimonium utpote cordium scrutatoris Apoc. 2. 23. Quia ut Christus tanquam coæternus & coëssentialis Patri adoratus est in Vet. T. ita juratum est per nomen ejus Is. 45. 23. & Rom. 14, 11. Vel per Juramenti absolutam prohibitionem, quia ut antea dictum, non absolutè & simpliciter intelligendus est sermo Christi Matt. 5. sed limitatè quoad subjectam materiam id. temerarias illas & perversas, quæ in quotidianis sermonibus usurpabantur, jurandi formulas per creaturas. Non Quarto per *abrogationem Sabbathi*, Quia, ut postea probabitur abrogatum tantùm est quoad cæremoniale, non quoad morale.

XXVII. Non Quinto, per Magistratuum, Dominorum, & Maritorum cultum, qui instar Patrum observari debeant. Quia certum sub nomine *Patrum* etiam in Vet. Test. & Magistratus & Dominos seu heros, & maritos, intelligi Genes. 41. 43. & 45. 8. Job. 29. 16. 2 Reg. 5. 13. qui potestate suâ moderatè & paternè, non despoticè debent uti Deut. 5. 20. 21. & 17. 15. & 24 1. Mala. 2. 14. 15. Non Sexto per *prohibitionem iræ, & injuriarum* erga fratrem, & *vindictæ cujuscunque*; Quia quoad prius Lex prohibendo homicidium, prohibet quæcunque eò deducunt, tum extrinsecus injurias & dicteria, tum intus motus iræ & odii, Quoad posterius à Christo vindicta privata tantùm vetatur juxta Legem, non verò publica, quæ non potest separari ab officio Magistratus Rom. 13. 1. 2.

XXVIII. Non Septimo, per interdictum aspectus impudici mulieris, divortii extra causam adulterii, & omnis scortationis & turpiloquii. Quia ista omnia sub Lege jam continentur, quæ sub una specie totum genus complectitur, vetando omnem impuritatem, quæ vel in opere, vel verbis sese exerit, & præceptum decimum de concupiscentia ad ipsum fortius confirmat. Divortium verò ut supra dictum, non permissum vel præceptum fuit Lege morali, sed toleratum tantùm Lege forensi propter σχληροκαρδίαν populi.

XXIX. Non Octavo, per avaritiæ, & luxuriæ in victu & amictu prohibitionem; Quia utraque in Lege jam interdicta, Illa quidem Exod. 20. 17. & 22. 25. & Psalm. 119. 36. Isa. 3. 17. Ista verò Deuter. 21. 20. Prov. 23. 20. Isa. 3. 16. 17. & 5. 11. 12. Non Nono, per mendacii cujusvis, & obtrectationum ac delationum interdictum; Quia hoc etiam in Lege continetur & alibi interdicitur Psal. 15. 3. & 101. 5. Non Decimo, per mandatum de non adjiciendo animo rei concupitæ. Quia Paulus Rom 7. 7. 8. docet omnem concupiscentiam in genere damnari, atque ideò omnes species & gradus ejus. Uno verbo omnes additiones ab Adversariis propositæ, vel continentur sub ipsis præceptis, ut species sub genere, partes sub toto, effecta sub causis, consequentia sub antecedentibus & vicissim; Vel heterogeneæ sunt ipsis præceptis, à scopo eorum & subjecto alienæ, vel illis etiam repugnant; ut ex dictis patet.

XXX. Quod nullo modo continetur sub dilectione Dei & Proximi, nec explicitè, nec implicitè, nec quoad literam, nec quoad sensum, bene additum dicitur Legi. Sed *Abnegatio nostri*, *Tolerantia crucis*, & *Imitatio Christi*, continentur in Lege, si non expressè, saltem implicitè & quoad sensum, quia non possumus diligere Deum toto corde, quin parati simus ad abnegandos nos ipsos, & tolerandam crucem propter ipsum, & Christum, qui verus Deus est, imitandum. Quæst. III.

XXXI. Quamvis Lex agat tantùm expressè de officiis erga Deum & proximum, sub illis tamen necessariò continentur officia erga nos, quia non possumus Deum diligere ex toto corde sine omnimoda sanctitate, nec amabimus ritè proximum sicut nos ipsos, nisi amorem nostri ex Dei Lege componamus.

XXXII. Christus confertur cum Mose Heb. 2. 1. 2. 3. non in Legislatione, quasi esset novus Legislator perfectior Mose; sic enim potius opponitur, quum Lex data dicitur per Mosem Joh. 1. 17. Gratia verò & veritas per Christum: Sed partim in genere doctrinæ quod illic Legale, hîc Evangelicum, partim in dignitate & gloria, quâ Mosem Christus longissimè superat. *Heb.* 2. 1. 2. 3.

XXXIII. Licet Lex resipiscentiam *directè* & *formaliter* non præcipiat, quia nullam spem veniæ dat peccatori, atque ita propriè ad Evangelium pertineat: *materialiter* tamen, & *indirectè* ad eam refertur, quia in ea præscribitur bene vivendi & Deo placendi regula, qui est resipiscentiæ scopus.

QUÆSTIO IV.

An aliquid additum sit Legi morali per modum Consilii? Neg. contra Pontificios.

I. Quæstio ista, quæ nobis cum Pontificiis intercedit, differt à præcedenti; Ibi enim disputabatur de *præceptis*. Hic de *Consiliis*: vocant autem illi *Consilia*, *Bona opera à Christo nobis*, *non imperata*, *sed demonstrata*, *non mandata*, *sed commendata*, finitore Bell. lib. 2. de Mona. c. 7. Quæ *Evangelica* & *Perfectionis* illis dicuntur, quòd in Evangelio tanquam Lege perfectiore proponantur; & suadeantur, & ad majorem sanctitatis perfectionem deducant, quotquot speciali voto se obstringunt ad eorum observationem. Unde distinguntur secundùm ipsos à *præceptis* 1. ex parte *materiæ*, quæ in consiliis longè difficilior & perfectior sit, quam in præceptis. 2. ex parte *subjecti*, quòd consilia ad certum tantùm hominum ordinem pertineant, præcepta verò ad omnes in universum. 3. ex parte *formæ*, seu

Quid sint Consilia Evangelica. *Sententia Pontificiorum.*

QUÆST. IV.

ſeu obſervationis, quæ in conſiliis arbitraria, in præceptis autem neceſſaria ſit. 4. ex parte *finis* & *effectus*, quòd majus & præſtantius præmium, puta aureolas, & ſublimiorem felicitatis gradum obtineant, præ præceptorum obſervatione. Licet verò de numero non conſentiant, dum alii plura, alii pauciora eſſe volunt; Tria tamen præcipua ſunt, quibus monaſticam vitam ſuperſtruunt *Continentia*, *Obedientia*, & *Paupertas*, quibus reſpondent tria vota Monachis impoſita *Continentiæ perpetuæ*, *Obedientiæ regularis*, *& voluntariæ Paupertatis.*

Orthodoxorum.

II. Orthodoxi verò non negant dari opera quædam adiaphora, quæ cujusque arbitrio permittuntur in Scripturis, & quorum reſpectu conſilia dari poſſunt in Verbo Dei, quæ à præceptis neceſſariò obſervandis, non malè diſtinguuntur: quale eſt conſilium Pauli de elocanda, vel non elocanda virgine 1 Cor. 7. 26. 36. & de uſu vini reſpectu Timothei 1 Tim. 5. 14. ſed quæ talia ſint, ut per ſe Deo grata non ſint, nec pœnam ullam neglecta, nec obſervata præmium ullum mereantur. Sed negant dari talia conſilia circa moralia: utpote quæ cadant ſub præceptum propie dictum, non ſub conſilium. Rurſus fatentur diverſa præcepta dari poſſe, alia *univerſalia*, quæ omnes homines ſine exceptione obligent, ut præceptum amandi Deum & Proximum. Alia *ſpecialia*, quæ certis perſonis in certo ſtatu & vitæ genere conveniunt, qualia ſunt officia Magiſtratus, Patris, Viri, & ſimilia. Alia *privata*, quæ perſonis quibusdam ſingularibus imponuntur, quale fuit præceptum datum Noacho arcam fabricandi, & Abrahamo tollendi filium. Sed negant ulla ex iſtis ſub conſilium cadere, cùm expreſſè mandentur.

Status Quæſtionis.

III. Quæſtio ergo eò redit, An in Evangelio additum ſit aliquid, non per modum præcepti, ſed per modum conſilii, non circa adiaphora, ſed circa moralia, non reſpectu omnium, ſed quorundam tantùm, non ad perfectionem tantùm Chriſtianiſmi, ſed ad perfectiorem quendam ſtatum obtinendum, & merita ſupererogationis ſtabilienda. Affirmant Adverſarii, Nos negamus.

Nulla dari conſilia Evangelica probatur.

IV. Rationes ſunt 1. Quia nullum datur opus morale bonum, quod non contineatur in lege morali, atque adeò quod non cadat ſub præceptum; ſiquidem eſt regula abſolutiſſima omnis rectitudinis & perfectionis, & nihil pertinere poteſt ad perfectionem moralem hominis cujuscunque ſit gradus, quod non includatur in amore Dei & proximi. II. Quia quicquid cadit ſub conſilium in rebus moralibus, cadit etiam ſub præceptum; Nam quod Deus conſulit, eo ipſo imperat: Unde Prov. 1. 30. Luc. 7. 30. Act. 20. 27. Apoc. 3. 18. *conſilium* pro mandato ponitur. III. Quia quicquid ad hominis Chriſtiani perfectionem facit, non ſuadetur tantùm, vel commendatur, ſed mandatur à Chriſto, *Eſtote perfecti, ut Pater veſter eſt perfectus*, Matt. 5. 48. IV. Quia quæ pro conſiliis Evangelicis obtruduntur,

vel

vel in Verbo præcepta sunt, qualis est dilectio inimici Matth. 5. 44. Rom. 12. 20. Patientia injuriæ Matth. 5. 39. Castitas, vel etiam Cœlibatus, si adsit donum continentiæ, & ex aliqua causa requiratur, 1 Cor. 9. 5. voluntaria Paupertas propter Christum & Evangelium Luc. 14. 33. Matt. 16, 24. Vel extra Verbum excogitata sunt ab hominibus; & non aliam rationem habere possunt, quàm cultus voluntarii; ut *Obedientia regularis*, quæ repugnat libertati, in qua nos Christus constituit Galat. 5. 1. & secundùm quam non debemus amplius *fieri servi hominum* 1 Cor. 7. 23. *Continentia perpetua*, quia testatur Christus illud donum non esse cujusvis, Matt. 19. 11. & per Apostolum præcipit, ut qui se non continet matrimonium contrahat, quòd melius sit nubere quàm uri. 1 Cor. 7. 9. *Paupertas voluntaria*, qualis commendatur à Pontificiis, quia nemo sine speciali vocatione aut necessitate facultates suas debet abjicere Matth. 19. 21. 27. ne tentet Deum Matth. 4. 7. aut charitatem erga proximum negligere cogatur Eph. 4. 28. QUÆST. IV.

V. Mandatum factum à Christo juveni turgido, & perfectam Legis observationem Pharisaicè jactanti, *Si vis perfectus esse abi & vende quæ habes, & da pauperibus* &c. Matt. 19. 21. non fuit consilium perfectionis, sed *præceptum personale & exploratorium* ad illius fastum retundendum & hypocrisim detegendam; Nec per modum consilii proponitur, quod sequi vel non sequi positum fuerit in ejus arbitrio, sed per modum præcepti ad cujus observationem tenebatur. 2. Perfectio quæ hîc proponitur, non est perfectio gloriæ, quam præ cæteris consecuturus fuisset, sed *perfectio justitiæ*, quæ studio bonorum operum in hac vita obtinetur, q. d. si vis te perfectum ostendere, qualem te jactas, debes hoc experimento illud comprobare, omnia vendendo, quod ex quæstione Juvenis, & Christi ad eam responsione patet. 3. Quod Christus ait *unum illi deesse*, non evincit Christum probare quæ dixerat de observatione perfecta Legis, aliàs non recusasset obsequi mandato Christi; sed fit tantùm ad explorationem, ut latens hypocrisis vitium detegeretur. 4. Licet præceptum vendendi omnia non sit generale & commune, non sequitur esse consilium, quia potest esse præceptum speciale & personale πειραστικὸν, quod certis de causis proponitur. 5. Quod Christus Marc. 10. 21. dicitur *eum dilexisse*, non infert juvenem vera dixisse, quum se observasse omnia Legis mandata à juventute profitetur: nam tristitia, quam concepit ex mandato Christi, satis evincit amorem ejus erga Deum perfectum non fuisse, sed signum fuit benevolentiæ, propter desiderium quod testabatur vitæ æternæ obtinendæ, & studium quod impenderat in implenda Lege, licet suis nævis non careret.

Fontes Solutionum. *Mat. 19. 21.* *Marc. 10. 21.*

VI. Quum Apostolus 1 Corinth. 7. 25. opponit γνώμην ἐπιταγῇ, & dicit se non habere ἐπιταγὴν seu *mandatum de virginibus*, sed dare γνώμην seu *sententiam & consilium*, ut V. V. reddit; nihil habet quod *1 Cor. 7. 25. 40.*

QUÆST. IV. quod faveat consiliis Evangelicis Pontificiorum; quia agitur de re libera & adiaphora, quæ nec præstita, nec omissa ullum reatum inducit; nam sive virgo nupserit, sive non, minimè peccat, cùm uterque status Deo gratus esse possit, si in eo purè versemur. 2. Nec si Paulus subjicit *melius facere* v. 38. κρεῖσσον ποιεῖν qui virginem innuptam relinquit, tam intelligit *bonum honestum & morale*, siquidem ex ipso Paulo v. 28. si nubat virgo non peccat, & Hebr. 13.4. τίμιος est γάμος ἐν πᾶσι *honorandum est conjugium in omnibus*, quàm *utile & commodum*, propter ærumnas varias, quas post se trahit matrimonium, & præcipuè ratione temporis illius, propter instantes persecutiones, in quibus melius agi debebat cum cœlibibus, quàm cum conjugatis, quod Apostolus v. 28. innuit *tales afflictionem habituri in carne*, & v. 35. hoc dico πρὸς τὸ ὑμῶν συμφέρον *ad commodum vestrum*. 3. si *beatior* vocatur, quæ in statu cœlibatus manet v. 40. hoc intelligendum non est de perfectiori aliquo gradu gloriæ, sed de statu hujus vitæ, quia minus afflictionibus & tentationibus debuit esse exposita.

Is. 56. 3. 4. VII. *Eunuchi* de quibus agitur Isa. 56. 3. 4. quibus promittitur *intra muros Jerusalem spatium & nomen melius, quàm filiorum & filiarum*; non sunt Eunuchi voluntarii, qui se voto cuipiam obstrinxerint, sed naturales, vel per vim facti, quibus sub novo Test. dummodo pietatem coluerint, promittitur admissio in Templum & Civitatem Dei, id. in Ecclesiam, & nomen eximium filiorum Dei, quod melius est liberis, quia est æternum, non obstante Lege forensi de Eunuchis, quâ à congregatione Domini excludebantur in Vet. Test. Deut. 23. 1. 2. Quia ergo Lex obedientibus fœcunditatem promittebat, Eunuchi ἄτεκνοι poterant cogitare inane fore studium suum, maximè cùm infames essent, & à populi privilegiis exclusi: Ideo quod hac in parte ipsis deest, id aliis beneficiis potioribus se compensaturum si fideles fuerint, dicit Deus, ita ut nulli opera sit peritura. Ita sub *Alienigenis* & *Eunuchis* Isaias complectitur omnes, qui videntur indigni, quos Deus in populo suo censeat, sive quia erant exclusi à fœdere, sive quia notam aliquam ignominiæ gerebant, quâ à populo Dei submoverentur, quos alloquitur ne diffidant; quòd non sit acceptio personarum apud Deum, sed in quavis gente, qui timet ipsum, illi sit acceptus, ut ait Petrus Act. 10. 34. 35.

Mat. 19. 12. VIII. *Eunuchi*, qui dicuntur *se* εὐνουχίζειν *propter regnum cælorum* Matth. 19. 12. non denotant eos, qui ex consilio voverunt perpetuum cœlibatum, sive futurum sit, ut urantur, sive non; non possent enim eximi à culpa, quia præstat nubere quàm uri: Sed qui sibi imponunt sponte necessitatem manendi in cœlibatu, & servandi talem vitæ statum, ut commodiùs Deo serviant, & ejus regnum promoveant, quandiu Deus donum continentiæ ipsis concesserit, quæ limitatio colligitur ex v. 11. ubi Dominus testatur, non omnes cœlibatus esse capaces, ideoque nonnullis

nullis necessarium esse conjugium: & ex v. 12. quum ait *qui potest capere capiat*, ubi hortatur ad usum continentiæ eos qui doni istius sibi conscii sunt, & quandiu illud habent. QUÆST. IV.

IX. Apostoli quidam cœlibes fuerunt, sed citra votum, salvâ manente conjugii ineundi libertate, si res posceret 1 Cor. 9. 5. Alii manserunt conjugati etiam post vocationem v. 5. & Luc. 4. 38. Reliquerunt quidem omnia, ut dicitur Matth. 19. 27. sed quæ Christum sequentibus impedimento esse poterant; Inter quæ numerare uxores contumeliosum est, tum quia & ipsæ secutæ sunt Christum Luc. 8. 2. 3. tum quia maritis fidelibus constanter adhæsisse leguntur. Quoad facultates, si eas reliquissent, fecissent hoc non consilio, sed mandato Christi Joh. 1. 40. &c. Matt. 9. 9. sed docet Evangelium, non abdicasse se earum proprietate, ut qui domos & naves retinuerint, Matt. 8. Joh. 19. & 21. sed ordinario earum usu abstinendo, & operis manuariis, ut ministerio suo in solidum vacarent. *Mat.* 19. 27.

X. Gratuita prædicatio Evangelii, de qua Paulus loquitur 1 Cor. 9. 12. 15. non imperata quidem fuit mandato communi Apostolo; aliàs nec ipsi, nec aliis licuisset stipendium accipere; sed ex vocatione singulari ei incumbebat, pro circumstantiis hominum & locorum, ut Apostolico munere à Christo sibi imposito ritè defungeretur, propter Pseudoapostolos ejus æmulos, qui hoc faciebant, ut seipsos apud Ecclesias commendarent. Gloriam quam sibi propterea tribuit v. 15. opponit calumniis falsorum fratrum, quasi quæstui haberet Evangelium; non quasi opus indebitum & supererogationis faceret, sed quatenus officii sibi demandati partes sedulò & fideliter obibat. *1 Cor.* 9. 12. 15.

XI. Quum Christus præscribit Juveni, ut se sequatur Matth. 19. 21. non dat consilium, sed præceptum omnibus commune, quia nemini spes esse potest salutis, nisi Christum sequenti 1 Pet. 2. 21. licet ex causâ singulari illi peculiariter accommodetur. *Mat.* 19. 21.

QUÆSTIO V.

De DIVISIONE PRÆCEPTORUM DECALOGI.

An rectè quatuor Præcepta Primæ Tabulæ assignentur, & sex secundæ? Affirm.

I. NOn quæritur, An præcepta sint plura, vel pauciora numero denario, de hoc enim constat inter omnes: Unde nomen Decalogi *Status Quæstion.*

 Legi

QUÆST. V. Legi datum propter decem verba. Nec, An decem ista præcepta distribuantur in duas tabulas, hoc enim etiam in confesso est: Sed quomodo distribuenda sint, & quot & quænam ad utramque tabulam pertineant: De hoc enim variant Doctorum sententiæ.

II. Quidam utrique Tabulæ quina præcepta assignant, ut Josephus lib. 3. Antiq. cap. 4. *Profert Moses duas tabulas continentes decem præcepta inscripta in singulis quina*, quem sequitur Philo de Decal. pag. 477. Et ex patribus Irenæ. lib. 2. cap. 42. Sed perperam, quia Christus præceptum quintum sub secunda tabula comprehendit, Matth. 19. 18. & Paulus Ephes. 6. 2. dum vocat primum mandatum cum promissione id. secundæ tabulæ: Nam in prima promissio datur secundo; Et rei natura hoc evincit; quia alia sunt religionis officia erga Deum, quæ primâ, alia charitatis & cultus erga Superiores, quæ secundâ præscribuntur.

III. Alii primæ tabulæ tria solùm assignant præcepta, primum & secundum in unum conjiciendo, & decimum in duo divellendo, quæ fuit Clementis Alexandr. partitio lib. 6. Stromat. & Aug. q. 71. in Exod. & Epist. 119. ad Janua. quam sequuntur Pontificii, & Lutherani. Alii denique primæ tabulæ quatuor vendicant, secundæ verò sex, quæ sententia est Paraphrastis Chaldæi in Exod. 20. & plerorumque Patrum; Origenis, Athanasii, Ambrosii, Chrysostomi, & aliorum, quam & nos sequimur. Hoc tantùm observamus cum Nostris, talem esse controversiam istam, de qua cum quoquam odiosè & pertinaciter non sit contendendum; modò salva maneat totius Decalogi doctrina, nec mutiletur præceptorum numerus; Quod faciunt hîc Pontificii, qui secundum præceptum de sculptilibus adjungunt primo de diis alienis non habendis, quasi esset tantùm appendix, vel explicatio primi; Imò & expugnare solent ex Breviariis, ne populo innotescat; quæ causa fuit, ut quidam ex nostris fortiùs divisionem istam exagitaverint, & sententiæ receptæ adhæserint, hîs potissimum nixi rationibus.

IV. Primò, Quia nisi divisio nostra locum habeat, confundentur officia Religionis erga Deum, quæ tabulâ primâ, cum officiis justitiæ & charitatis erga proximum, quæ tabulâ secundâ continentur; Quatuor enim prima præcepta religionem, & dilectionem Dei spectant, sex verò posteriora amorem erga proximum.

V. Secundò. Quia Præceptum primum & secundum, sententiis differunt, Ergo & ordine, Illud versatur circa τὸ ὄν seu *objectum* cultus, ut verus Deus colatur, Istud circa τὸ ποιεῖν seu *modum* cultus, ut non colatur per imagines. Unde fieri potest ut unum violetur non violato altero, quando verus Deus colitur quoad objectum, sed cultu non legitimo quoad modum, ut Israëlitæ qui Jehovam colebant in vitulo Exod. 32.

VI. Tertiò,

VI. Tertiò, Præceptum decimum perperam in duo diſpeſcitur, quia ſub uno communi nomine concupiſcentiæ comprehenditur, & idem peccati genus prohibetur, unde Moſes Exod. 20. concupiſcentiam domus præponit concupiſcentiæ uxoris. At Deut. 5. 27. ordine mutato illam poſtponit, quod fieri non debuiſſet, ſi duo eſſent præcepta diſtincta. Paulus refert præceptum hoc ut unicum Roman. 7. 7. non ut duo; *non cognoviſſem concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi Lex dixiſſet non concupiſces.* QUÆST. V.

VII. Quamvis ſub prohibitione Deorum alienorum in primo præcepto, contineatur etiam prohibitio Idolorum, quatenus conſtituunt *objectum cultus*; non ſequitur ſecundum non conſtituere peculiare præceptum, quia tunc ſub alia *σχέσει* ſpectantur, ratione *modi cultus*; Nec idola tantùm, ſeu fictitiorum Deorum ſimulachra innuunt; ſed etiam imagines veri Dei. Ne ergo cultus Imaginum, vel Dei in imaginibus licitus cenſeretur, ſapientiſſimè Deus peculiari præcepto illum vetare voluit. Nec juvat quod dicitur imagines optimè poſſe dici Deos alienos, quia quiſquis imaginem religiosè colit, is non Deum verum, ſed falſum, imò Diabolum ipſum colit ex Paulo 1 Cor. 10. 20. Nam licet conſequenter & eventualiter cultus imaginum refundatur in Deos falſos ſeu Diabolum; Non tamen ex mente & intentione Cultorum, qui hic peccant, non in objecto, ſed in modo cultus. *Fontes Solutionum.*

VIII. Quamvis Promiſſio & comminatio addita ſecundo præcepto poſſit extendi ad omnia præcepta in genere, reſpectu eorum qui mandata Dei ſervant, in ſpecie tamen bene annexa eſt huic mandato peculiari de cauſa; quia populus tum temporis nimis erat deditus idololatriæ, ut diligentiùs ſibi ab ea caveret, tum ſpe promiſſionis, tum metu comminationis.

IX. Licet Moſes utatur gemino verbo ad concupiſcentiam prohibendam התאוה & חמד in Exod. & in Deutero. non ſequitur duplex facere voluiſſe præceptum; nam & in ſecundo quod unicum eſt, duplex verbum adhibuit ad cultum imaginum prohibendum השתחוה & עבד *incurvandi*, & *ſerviendi*, quod ſit non diſtinctionis, ſed majoris emphaſis gratiâ.

X. Quamvis concupiſcentia ſit diverſa quoad *gradus*, una originalis, altera actualis, una ſine conſenſu voluntatis prævio, altera cum eo: Eadem tamen eſt quoad *ſpeciem*, quæ hoc præcepto prohibetur. Nec ſi objecta materialiter ſpectata ſunt diverſa, formaliter tamen differunt, quia ſub ratione formali rerum alienarum continentur. Si multiplicanda eſſent præcepta juxta diverſitatem rerum concupitarum, non jam duo, ſed multò plura conſtituenda eſſent præcepta.

XI. Diviſio Decalogi quoad materiam, ſeu res quæ jubentur vel prohibentur poteſt ita inſtitui. In genere præcipitur *Cultus* Dei, &

QUÆST. V. & quicquid illi opponitur vetatur. *Cultus* autem Dei, vel est *immediatus*, qui continet officia, quæ immediatè Deo præstantur, vel *mediatus*, quum officia proximo præstantur propter Deum. *Immediatus* primâ tabulâ continetur, estque vel *internus* qui in eo situs est, tum ut verum *objectum* cultus retineamus, unicum Deum colendo, quod primo præcepto sancitur, tum ut *modo legitimo* eum colamus, quod secundo traditur. Vel *externus*, isque, aut *privatus*, qui ab unoquoque semper & ubique præstari debet, qui tertio docetur; Vel *publicus* in sanctificatione Sabbathi, qui quarto continetur. *Mediatus* est pariter internus, & externus, *Externus*, tum in officiis Superiorum erga inferiores & vicissim, de quibus agitur præcepto quinto; tum in officiis proximorum erga proximos, qualia sunt conservatio vitæ & salutis, quæ præcepto sexto; castitatis & conjugii, quæ septimo; rerum seu possessionum, quæ octavo; famæ & veritatis, quæ nono præcipiuntur. Internus est affectionum omnium & desideriorum rectitudo, quæ decimo includitur.

QUÆSTIO VI.

De Regulis Explicationis, & Observationis Decalogi.

Quænam Regulæ sint tenendæ in explicatione Præceptorum Decalogi, & in eorum observatione?

Regula prima explicationis Legis. I. DUo istâ Quæstione quæruntur, Primò de *Regulis explicationis* Decalogi, ut genuinus præceptorum sensus teneatur contra perversa hominum judicia, qui præposterè eam interpretantur. Secundò de *Regulis obedientiæ*, ut sciamus qualem à nobis Lex exigat. Quoad primum, Regulæ istæ ad explicationem Legis sunt observandæ.

II. Prima, *Lex spiritualis est, quæ non tantùm externos corporis actus, sed internos animi motus respicit.* Patet, tum ex Paulo, qui Rom. 7. 14. *Legem spiritualem* esse testatur, tum ex naturâ ipsius Legislatoris, qui non est Legislator humanus & terrenus, qui cùm oculos carneos habeat, externa tantùm facta, quæ in sensus incurrunt attendit, nec consilia & voluntates spectat, nisi quatenus extra emerserunt; unde non violantur ejus interdicta, nisi patratis flagitiis. Sed divinus & cœlestis, cujus oculum nihil fugit, & qui externam speciem non tam moratur, quàm cordis puritatem; Ideo

animæ non minus quàm corpori loquitur, & internam obedientiam non minus ac externam postulat, quod Christus luculenter docet Matth. 5. quum homicidium extendit ad fratris odium, & adulterium ad concupiscentiam aspectum mulieris. QUÆST. VI.

III. Secunda, *In Præceptis affirmativis negativa, & In negativis affirmativa continentur.* Quia ut in Scriptura plures sunt res, quàm verba, ita in præceptis & interdictis plus inest semper, quàm verbis exprimitur; Non quod habenda sit Lex pro regula Lesbia, per quam quodlibet ex quolibet faciamus, sed ut in sensum Legislatoris penitiùs inquiramus, & ea quæ inter se connexa sunt, vel à se invicem pendent complectamur. Hinc, quia non potest bonum à Lege præscriptum præstari, quin malum oppositum caveatur; Nec malum prohibitum vitari, nisi bonum oppositum præstetur, fit ut in præceptis affirmativis negativa, & in negativis affirmativa contineantur, ut ea quæ sunt expresse negativa, sint implicite affirmativa, & vice versa; Atque ita virtutes commendantur, dum vitia prohibentur. Non quod virtus in sola vitii abstinentia collocanda sit, ut vulgò dicitur, ulteriùs enim procedendum est ad officia scilicet & facta contraria: Ita in hoc præcepto non occides, ratio nihil aliud videt, quàm ab omni maleficio abstinendum esse; sed certum est præterea commendari charitatem, ut proximi vitam quibuscunque possumus modis adjuvemus, & ratio hoc exigit, quia Deus vetat injuriâ fratrem lædi aut violari, quia vitam ejus nobis vult caram esse & pretiosam, ut quæcunque conferre possumus officia ad ejus conservationem conferamus; sic dum furtum prohibetur, beneficentia præcipitur. Si Deus jubet parentes honorare, & præmium eos colentibus promittit, vetat eo ipso ne quis in eos sit injurius, nec impunè laturum innuit, qui contra fecerit. Regula 2.

IV. Tertia, *In omnibus præceptis Synecdoche est agnoscenda:* quâ specie unâ propositâ intelligantur omnes sub eodem genere, & uno vitio prohibito cætera ejusdem generis eique analoga, & quæcunque eò spectant vel ducunt prohibentur: Sic præcepto de non mœchando, prohibetur quilibet affectus uxoris alienæ ad eam concupiscendam Matth. 5. 28. & quævis illicitæ libidines vetantur; Sub homicidio omnes iræ motus includuntur. Præterea quod est in unaquaque peccati specie turpissimum vetatur, quæque sunt capitalia, quibus subnectuntur alia omnia, vel quod inde fluant, vel quòd eò tandem ferant, vel quòd, quæ minima videntur hominibus, in Dei judicio accuratissimo severiori nota taxentur; Non ergo hoc fit ad excusanda vel excludenda peccata leviora, sed ut major peccati detestatio animis nostris imprimeretur, quia caro peccati fœditatem diluere, & speciosis pretextibus inducere conatur, verbi gratiâ ira & odium non usque adeo execranda putantur, quum suis nominibus appellantur: At quum interdicuntur nobis sub nomine homicidii, meliùs intelligimus quanta sint in abominatione apud Deum. Regula 3.

V.

QUÆST. VI.

Regula 4. V. Quarta eodem pertinens, *In effectu causa*, *In genere species*, *In relato correlatum includitur*, quia qui vult, vel prohibet aliquid, etiam id sine quo fieri non potest, vel non solet. Sic in prohibitione adulterii prohibentur illicitæ quæcunque libidines, & earum scaturigo, intemperantia, & quæcunque earum sunt incitamenta. Ita dum Castitatem Lex præcipit, exigit etiam ejus nutricem Temperantiam, & modum in victu. Dum jubentur filii parentes honorare; vicissim jubentur parentes filios paternè fovere, & in disciplina Domini educare, & sub nomine Parentum intelliguntur quilibet Superiores, Magistratus, Domini, Præceptores, Pastores, quibus vicissim officia præscribuntur, quibus tenentur erga inferiores.

Regula 5. VI. Quinta, *Præcepta primæ Tabulæ derogant secundæ*, quoad actus internos & externos necessarios, quando simul locum habere non possunt. Sic amor proximi debet amori Dei subjici, & tenemur odisse patrem & matrem propter Christum Luc. 14. 26. quando amor parentum est ἀσύςατος cum amore Christi. Justa humana sunt negligenda, ubi Dei mandatis opponuntur Matt. 10. 37. & Act. 4. 19. Sed vicissim *cæremonialia primæ tabulæ cedunt moralibus secundæ*, *quia Deus vult misericordiam*, *non sacrificium* Ose. 6. 6. id. cultum moralem præcipuè & primariò, tanquam potiorem & per se necessarium, cæremonialem verò secundariò tantùm propter moralem. Unde non tam soliciti debemus esse de isto, quàm de illo.

Regula 6. VII. Sexta. *Præcepta alia sunt affirmativa*, quæ jubent facienda, in quæ peccatur omissione; *Alia negativa*, quæ prohibent fugienda, in quæ peccatur commissione; *Illa obligant semper*, *sed non ad semper*, *Ista obligant semper*, *& ad semper*. Quia virtutes & officia quæ præceptis affirmativis jubentur, non omnibus momentis simul & semel possunt exerceri, & supponunt conditiones quasdam, quibus absentibus locus illis non datur, v. g. non semper superstites, vel præsto sunt Parentes, ut eos honore debito afficiamus. At vitia & scelera quæ prohibentur, nullo temporis articulo licitè committuntur. Hic verò excipiendum videtur mandatum generale affirmativum de Deo amando, quod obligat semper & ad semper, quia nullum est tempus, vel locus, vel status, in quo homo eximi possit ab officio amandi Deum.

Regula 7. VIII. Septima, *Omnium præceptorum principium & finis est Amor*. Hinc charitas vocatur finis & πλήρωμα Legis Ro. 13. 10. 1 Timot. 1. 5. Amor absolvit omnes beneficentiæ Dei, & obedientiæ hominis vices, Ut omnia Dei beneficia ab amore fluunt & in eo continentur; Ita omnia hominis officia amore includuntur. Amor Dei est plenitudo Evangelii, Amor hominis est plenitudo Legis. Deus est charitas, & Tessera filiorum Dei non alia est, quàm amor Joh. 13. 35. Ut verò duplex amoris objectum datur, *Deus* & *Proximus*;

Ita

Ita duplex amor præcipitur, Dei in prima Legis tabula, Proximi in ſecunda. Ille vocatur, *primum, & magnum mandatum.* Iſte *ſecundum illi ſimile.* Amor Dei rectè *Primum* dicitur præceptum, quia ut Deo nihil datur prius; ita cultus ejus primò intendi à nobis debet, ut ab eo incipiant, & in eo deſinant omnia. *Magnum* 1. ratione *objecti*, quia verſatur circa objectum maximum & infinitum, puta Deum. 2. ratione *ſubjecti*, quia exigit quicquid eſt facultatum & virium in homine, ut ex totâ mente, tum corde, totis viribus, Deum diligamus. 3. ratione *amplitudinis* & *extenſionis*, quia ambitu ſuo omnia claudit, & influit in omnes actiones hominis, nihil enim Deo gratum eſſe poteſt, niſi quod propter Deum fit. Secundum illi *ſimile* dicitur, non ratione *dignitatis*; ſed ratione *qualitatis*, quia utrobique, & in amore Dei, & proximi, ſinceritas & puritas cordis requiritur. 2. ratione *authoritatis*, quia utrumque à Deo præceptum eſt, & ad ejus gloriam tendit. 3. ratione *pœnæ*, quia utriuſque tabulæ violatio reatum mortis æternæ inducit. 4. ratione *connexionis* & *dependentiæ*, quia ita arctè inter ſe connectuntur, ut neutrum ſine altero præſtari queat, nam ut non amari poteſt Deus, quin ametur etiam proximus ad imaginem Dei factus; Ita nec diligi poteſt proximus, quin diligatur Deus, qui eum condidit. *Si quis dixerit quòd diligit Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt; Qui non diligit fratrem, quem videt, quomodo poteſt diligere Deum quem non videt?* 1 Joh. 4. 20. QUÆST. VI.

IX. Regulæ obedientiæ, quæ Legi præſtanda eſt, variæ etiam ſunt. Prima, *Tota Lex à toto homine debet impleri.* Ut enim Deus totam Legem nobis præſcribit quoad omnia ſua præcepta ſine ulla eorum diviſione; Ita totum hominem non dimidiatum poſtulat, qui eam obſervet, non modò externè quoad corpus, ſed & internè quoad animam & omnes ejus facultates: Ut nihil ex præceptis omitti à nobis debet, quin in omnibus maneamus quæ ſcripta ſunt; Ita, ut homo totus eſt ſublex Deo, nulla etiam pars ejus poteſt vel debet ſubduci ejus obedientiæ; ut quicquid eſt in homine, ſive in mente, ſive in voluntate & affectibus, ſive in animo, ſive in corpore, Deum colat & illi ſubjiciatur, quod & juſtitia *Legiſlatoris* exactiſſima, & *boni* natura, quod debet eſſe abſolutum omnibus numeris, & *fœderis Legalis* formula poſtulat. *Regula prima obſervationis Legis.*

X. Secunda, *Quadruplex perfectio in obedientia requiritur.* Primò, ratione *principii*, ut ſit *vera* & *ſincera*, quæ non in ore demum aut motu externo corporis conſiſtat, ſed quæ in animo ſedem habeat, & quæ ex corde purificato, & fide ἀνυποκρίτῳ oriatur, quod Paulus 1 Timoth. 1. 5. innuit, dum ait, *finem mandati eſſe charitatem ex corde puro, bonâ conſcientiâ, & fide non fictâ.* Secundò ratione *objecti* ſeu *partium*, ut ſit *univerſalis*, non ratione hujus aut illius mandati, ſed ratione *omnium*, quia qui peccat in uno, reus eſt omnium, nec cenſetur Legem impleviſſe, *Regula 2.*

QUÆST. VI. nisi qui in omnibus manserit quæ scripta sunt. Tertiò, ratione *graduum*, ut sit *intensa* & absolute omnibus numeris, nihil ut illi superaddi possit, unde Bernardus modum diligendi Deum ait esse, cum *diligere sine modo*. Quartò, ratione *temporis* & *durationis*, ut sit perpetua & constans à principio usque ad finem, ut non tantùm uno vel altero actu Legi incumbamus, sed per totam vitam *maneamus* in iis quæ scripta sunt.

Regula 3. XI. Tertia, Ut *obedientia interna longe præstat externæ, moralis cæremoniali; Ita frustra ista obtenditur sine illa.* Hinc graves Prophetarum querelæ, qui populo suam impietatem exprobrant, quia separant ea quæ Deus indissolubili vinculo copulavit, externo & cæremoniali cultu contenti, nihil de interno & morali solliciti. Vide Isa. 1. 15. 16. 17. 18. Et cap. 58. 1. 2. 3. 4. & 66. 1. 2. 3. 4. Mich. 6. 7. & alibi passim.

Regula 4. XII. Quarta, Ut Præcepta non æqualem habent dignitatis & necessitatis gradum; Ita nec obedientia ejusdem ordinis & valoris censetur; nec inobedientia omnis ejusdem est demeriti, sed majorem vel minorem reatum contrahit. Aliud est omissio præcepti, aliud ejus oppugnatio. Aliud oblivio, aliud neglectus, aliud contemptus, neglectus est à languore inertiæ, sed contemptus ex superbiæ tumore. Unde elatio contemnentis culpam auget, & nævum convertit in crimen. In facilioribus contemptus est damnabilior, & actus minùs laudabilis. In difficilioribus obedientia est gratior, quò prævaricatio est gravior.

QUÆSTIO VII.

AD PRÆCEPTUM PRIMUM.

An solus Deus sit colendus & invocandus, An verò Sanctos demortuos invocare, & religiosè colere liceat? Affirm. Pr. Neg. Post. contra Pontificios.

I. UT Præcepto primo, *De non habendis Diis alienis coràm Deo*, verum *objectum* cultus religiosis sancitur: Ita non vetatur tantùm *Atheismus*, qui nullum agnoscit & colit Deum, & *Polytheismus*, qui innumeros sibi fingit, sed & omnis superstitio & *Idololatria in objecto*, quâ pro Deo habetur & colitur, quod Deus non est Gal. 4. 8. sive sit merum hominis figmentum, quales erant plerique fictitii Gentium Dii, sive res verè existens, sed creata & finita, cui quoquo modo cultus religiosus, fiduciæ, adorationis & invocationis soli Deo debitus deferatur. Circa quod quia

quia multifariam peccant Pontificii, religioso cultu Creaturarum, Angelorum, Sanctorum, Reliquiarum, Hostiæ Missaticæ, & Papæ ipsius; atque ita non unius idololatriæ rei tenentur; De gravissimo, quod inter nos controvertitur, Religionis capite disputandum est. Antea Loc. VII. Qu. IX. De *Cultu Angelorum* diximus, nunc de *Invocatione Sanctorum* agimus. QUÆST. VII.

II. Non quæritur 1. An Sancti piè in Domino defuncti aliquo cultu & honore sint prosequendi: Non negamus enim eos à nobis juxta gradum excellentiæ suæ honorandos esse, tum de iis ut beatissimis, & in Domini consortium admissis Dei servis præclarè sentiendo, tum eorum memoriam gratâ & jucundâ recordatione usurpando Luc. 1. 48. Marc. 14. 9. certamina & victorias prædicando, doctrinam servando, virtutes celebrando, & imitando, Heb. 12. 1. & in illis & pro illis Deum laudando, & gratias agendo, quòd in bonum Ecclesiæ tales excitarit. Sed An cultu religioso propriè dicto sint venerandi. Quod vellent Adversarii, Nos negamus. Quod in limine movemus contra calumnias Pontificiorum, qui nos traducunt, ut Sanctorum contemptores, & inimicos; quia eorum cultum repudiamus, quasi inferatur contumelia Sanctis, si illis non tribuantur, quæ soli Deo & Christo competunt. At quamvis memoria eorum nobis sit sacrosancta, sedulò tamen cavendum putamus, ne colantur cum Dei injuria. Imò gravem illis injuriam fieri censemus, ab iis qui eos vertunt in Idola, & Dei amicis abutuntur ad eum provocandum ad zelotypiam. Nec dubitamus asserere, si ex culmine illo gloriæ possent pervidere quæ hic geruntur, non modò cultum qui ipsis defertur recusaturos, sed & gravissimam indignationem talibus inofficiosis Cultoribus testaturos. *Status Quæstionis.*

III. Non quæritur, De *Invocatione* impropriè dicta, seu *Interpellatione civili, sociali, & dilectionis*, quæ inter homines viventes locum habet, & ad secundam tabulam pertinet. Sed de propriè dicta & *religiosa pietatis*, quæ in prima tabula præcipitur, ut præcipua pars Religionis, quæ synecdo. pro toto Dei cultu sæpe ponitur Rom. 10. 13. sub qua Adversarii universum Sanctorum cultum complectuntur, qui juxta ipsos consistit, partim *intus* in *judicio de ipsis*, quòd necessitates nostras norint & possint nobis opitulari, partim in *fiducia in ipsis*, quòd etiam velint, partim *foris* in sacrificiis & invocationibus, quæ ipsis offeruntur, Festis & Templis, quæ ipsis consecrantur. An colendi sint, non eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur sancti homines Dei *propter imitationem*, sed cultu sacro pietatis *propter Religionem*, ut Aug. loquitur lib. 20. c. F. Mani. c. 21. Quod negamus, affirmant Pontificii.

IV. Non quæritur, An Sancti sint Mediatores & Intercessores nostri apud Deum; hoc enim ad aliam quæstionem pertinet, de qua agetur,

QUÆST. VII. quum de Intercessione Christi disputabitur; Sed, An ut Mediatores & Intercessores nostri sint invocandi, Nec tantum ut intercessores, qui nobis precibus & meritis suis, bona quæ ab ipsis petuntur obtineant; sed ut eorum largitores, quod Pontificii, licet dissimulent, statuunt tamen, ut ex precibus ad Sanctos directis patet, de quibus infra.

V. Quæstio ergò eo redit, An cultus adorationis & invocationis soli Deo debeatur exclusivè ad omnes creaturas qualiscunque sint ordinis & dignitatis. An verò possit tribui etiam Angelis & Sanctis, non militantibus, sed triumphantibus. Posterius Pontificii statuunt, Nos Prius asserimus.

Pontificiorum sententia.

VI. Pontificiorum sententia, non modò ex ipsorum praxi colligitur, sed & ex ejus sanctione in Concilio Tridentino facta, Sess. 25. Decreto de invocatione Sanctorum, & veneratione reliquiarum &c. *Iisdem mandat ut doceant Sanctorum invocationem, reliquiarum honorem, & imaginum usum, & eos qui aliter docent, impie sentire prædicent.* Bellarm. lib. 1. de Beati. Sancto. c. 19. *Sancti, sive Angeli, sive Homines piè atque utiliter à viventibus invocantur.* Catech. Rom. ad 1. præceptum q. 12. probat Invocationem Sanctorum, variis argumentis, potissimùm verò *ob eam causam, quod pro salute hominum preces assiduè faciunt, multaque eorum merito & gratiâ, Deus in nos confert beneficia.* Perronius adversus Regem M. Britanniæ, Invocationem Sanctorum, non modo utilem, sed etiam necessariam esse probare nititur. Maldo. in Matth. 5. 34. dicit *errorem esse impium & imperitum eorum, qui nullum nisi Deo religionis honorem tribuunt.* Hinc tam sollicitè Indices Expurgatorii delenda curant, quæcunque vel in Bibliis, vel in Patrum Scriptis pertinent ad solius Dei cultum. Ex Bibliis Vatabli not. in Is. 8. 32. delent, *Qui credent in Deum salvi erunt, qui verò non, peribunt.* Ex Athanasii indice delent, *Adorari solius Dei est, & Creatura nulla adoranda.* Ex Augustino lib. 1. de vera Relig. delent, *Sancti honorandi imitatione, non adoratione, & contra eos qui dicunt simulachra non colo, sed per ea ad id quod colere debeo adhortor* in Ps. 11. &c.

VII. Quoad praxim nemo est qui nesciat, cultum hunc inter præcipuas partes Religionis Pontificiæ reponi, Sanctos honorari, Templis, Sacellis, Aris, Imaginibus, Capitibus radiatis, missis, festis, cereis, illis donaria & sacrificia offerri, ad eos preces dirigi, per eos jurari, iis vota nuncupari, spem salutis, & fiduciam in iis collocari, adeoque eos invocari, non tantùm ut intercessores, sed etiam ut protectores à malis, & largitores tum gratiæ, tum gloriæ. Sic invocatio dirigitur ad omnes Sanctos, in Brevia. Rom. 1. Novemb.

Beata quoque agmina
Cælestium Spirituum

Præte-

Præterita, præsentia, QUÆST. VII.
Futura mala pellite.

Et ad Apostolos in Hortul. Anim. p. 184. *ô beati Apostoli, solvite me à peccatis, defendite me, confortate me, & ad regnum cœleste perducite,* Item, *me per vos salvari peto me in extremo judicio*, ad S. Petrum in Brevi. Ro. festo Petri & Pauli.

Jam bone Pastor Petre clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Resolve tibi potestate tradita,
Qui cunctis cœlum verbo claudis, aperis.

ad Jacobum majorem in Hortu. ani.

ô Jacobe accelera
mea delere scelera,
mihi dans dona justitiæ
à fermento malitiæ.

Idem de cæteris Apostolis & Sanctis facilè ostendi posset: Unde constat clarissimè, non tantùm invocari, ut intercessores qui pro nobis orent, sed etiam ut largitores bonorum, in quibus proinde spes & fiducia collocanda sit; ideo quemlibet Sanctum, cui quis magis in vita devotus extiterit, in mortis articulo ad hunc modum invocare jubent in Hortu. ani. *O gloriosissime Sancte, vel Sancta N. singularem in te dum viverem, spem & confidentiam semper reposui, succurre nunc mihi in hoc extremo necessitatis articulo laboranti.* Sed hoc præcipuè patet respectu B. Virginis, cui non modò nomina, titulosque divinos passim tribuunt, quum eam *Deam*, & *Dominam*, *Reginam cœli*, *Matrem misericordiæ*, *Redemptricem*, *Dominam nostram omnipotentem*, *confugium peccatorum* &c. vocant, sed & cultum divinum tam internum, quàm externum illi deferunt, quod innumeris probari posset exemplis, sed vel solum Psalterium Mariæ à Bonaventura concinnatum, nec unquam ab E. R. vel ab Indicibus expurgatoriis censurâ notatum, clarissimè evincit, ubi quæ Deo tribuuntur à Psalte, impiè in B. Virginem transferuntur. Vide quæ à nobis dicta Disp. 2. de Secess. & *Dovvman.* de Antichristo p. 1. l. 5. c. 1. 2. inprimis *Drelincurt.* Tract. Gall. de honore debito Virgini.

VIII. Ut vero pleniùs ipsorum mens teneatur, observandum, *Cultum* in genere Pontificiis esse honorem, qui debetur ab inferiori erga Superiorem, & tria ad ipsum requiri. 1. actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicujus. 2. actum voluntatis, quo nos illi interiùs inclinamus, & testari volumus ejus excellentiam & nostram subjectionem. 3. actum exteriorem, quo caput inclinamus vel genu flectimus, vel aliud aliquod signum subjectionis exhibemus. Unde colligunt tres esse adorationis seu cultus species, quot sunt species excellentiæ, quas in hac quæstione tres constituunt. *Divinam*, cui respondet species cultus, quam *latriam* vocant. *Humanam*,

QUÆST. VII. quæ poſita eſt in dignitatibus, virtutibus, & gradibus variis hominum, cui reſpondet *cultus civilis*, ſeu obſervantiæ humanæ. *Intermediam*, quæ ex gratia & gloria oritur, cui reſpondet tertia ſpecies cultus, quam *duliam* vocant, quæ rurſus, vel eſt ſimplex, quæ Angelis & Sanctis tribuitur, vel *hyperdulia*, quæ humanitati Chriſti ſeorſim conſideratæ, quamvis Verbo unitæ, & B. Virgini deputatur, quam religioſam eſſe pertendunt.

IX. Nos verò, licet non negemus diverſitatem cultus, juxta diverſitatem excellentiæ rerum non malè conſtitui; atque ita facilè concedamus pro ratione excellentiæ increatæ & infinitæ, & creatæ ac finitæ, poſſe dari duplicem cultum, alterum *religioſum* ſoli Deo debitum, alterum *civilem* creaturis adhibitum, qui rurſus attendi poteſt, Vel reſpectu *Civitatis mundanæ* in officiis omnibus reverentiæ, amoris, obſequii, quæ hominibus debentur, etſi ſint à fide alieni; Vel reſpectu *Civitatis ſupernæ*, quo honore domeſticos fidei proſequimur, ſive viventes per communicationem officiorum, ſive demortuos per amorem, laudem, memoriam, imitationem, &c. Non putamus tamen ſine gravi errore, cultum religioſum in varios gradus diſpeſci, ſed unicum eſſe pertendimus, qui ſoli Deo ſit proprius, & creaturis omnibus incommunicabilis.

X. Nec huic errori favere poteſt diſtinctio *latriæ*, & *duliæ* 1. Quia nullo fundamento ſolido nititur: Nec *vocum proprietate*, quia promiſcua eſt λάτρείας & δυλείας apud profanos Scriptores ſignificatio, Heſych. exponit λατρείαν per δυλείαν, Gloſſa. δυλεία λατρεία, λατρεύω δυλεύω; imò ex vi vocis δυλεία plus importat, quàm λατρεία, iſta enim mercenarii tantùm obſequium & cultum notat, λάτρις ὁ ἐπὶ μισθῷ δυλεύων, ſed illa mancipii & ſervi, qui domino ſuo totum ſe debet, ſubjectionem. Nec *uſu Scripturæ*, nam licet in Novo Teſtam. vox λατρείας nunquam uſurpetur, niſi pro cultu ſolo Deo debito, idem etiam ſæpe exprimitur voce δυλείας, ut Gal. 4. 8. 1 Theſſ. 1. 9. Matt. 6. 24. Rom. 12. 11. & 14. 18. Eph. 6. 7. & λατρεία à LXX. cultui humano tribuitur Deut. 28. 48. Lev. 23. 7. opus ſervile vocatur λατρευτὸν non faciendum Sabbatho; Paulus ſemper ſe δῦλον Chriſti, & nunquam λατρευτὴν vocat. Nec *authoritate Patrum*, nam licet Auguſt. diſtinxerit λατρείαν & δυλείαν, mens ejus non fuit cultum religioſum in duos gradus diſpeſcere, quorum alter ad Deum pertineat, alter verò ad Sanctos; ſed tantùm ſcopus fuit diſtinguere ſervitutem, in eam quæ ſoli Deo debetur, & quam docendi causâ, vocat λατρείαν, & alibi ſervitutem Religionis, & eam quæ hominibus debetur, quam peculiariter duliam dicit lib. 10. de C. D. cap. 1. *Sed ea ſervitus* nimir. oppoſitè ad latriam Deo debitam, *quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſt. ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine nuncupari ſolet, nim. duliæ.* Adverſarii fateri coguntur diſtinctionem eſſe ἄγραφον, & tam Hebræa, quam

Græca

Græca vocabula esse usus promiscui, *Bell.* lib. 1. de Beat. sanct. cap. 12. *Vasquez* Disp. 93. in 3. p. sum. c. 1. QUÆST. VII.

Invocatio Sanctorum rejicitur 1. ex Exod. 20. 3.

XI. Pro unius Dei cultu contra Sanctorum Invocationem, & cultum creaturarum, Orthodoxi pugnant, 1. *Expresso Dei mandato*, quô vetat Deos alienos habere coram se, Exod. 20. 3. *Non habebis Deos alienos coram me*, vel ut habent LXX. πλὴν ἐμοῦ *præter me*, Ubi sancit Dominus nihil esse religiosè colendum præter se unum illum ac summum Deum; *Deus* enim *nobis esse*, *proque Deo haberi* id dicitur, quodcunque adoramus, cultuque religioso prosequimur, quicquid illud de cætero sit, vel in se, vel apud nos, quia scilicet honorem, qui unius Dei est, ad id transferimus. Quod confirmatur à Christo adversus Satanam disputante, *Dominum Deum tuum adorabis*, & *illi soli servies.* Matt. 4. 10. Licet verò particula exclusiva *soli*, non occurrat Deut. 6. 13. & 10. 20. unde petitum est oraculum; necessariò tamen ex natura rei includitur, ut exprimitur 1. Sam. 7. 3. *servite ei* לבדו *soli*, & in loco citato per μόνον apud LXX. exponitur, quos hic Vulgatus sequitur. Et si nihil aliud occurreret, vox Servatoris sufficit, ut concludamus cultum religiosum soli Deo esse deferendum. Nec reponendum hic, exclusivam additam tantùm esse posterioribus verbis, ubi occurrit verbum λατρεύω, non prioribus, ad indigitandum, cultum quidem religiosum communem esse Deo & Sanctis, sed λατρείαν soli Deo competere. Quia cùm eadem species cultus, per τὸ *adorare*, & *servire* designetur, si particula exclusiva additur uni, intelligitur & alteri addita. Deinde Satan non petit λατρείαν, sed προσκύνησιν, *hæc omnia tibi dabo*, inquit, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι, quam cùm Christus ipsi deneget, eo ipso invictè testatur, tam προσκύνησιν, quàm λατρείαν soli Deo deberi.

2. Ex defectu præcepti & exempli.

XII. Secundò, Quia Invocatio Sanctorum nec habet *præceptum*, nec *promissum*, nec *exemplum* in Scriptura, quô nitatur, adeoque nihil aliud est, quàm ἐθελοθρησκεία vitiosa & damnabilis. Urgetur quidem passim invocatio Dei, sed nusquam mentio fit invocationis creaturarum. Imò & τὸ *orare* simpliciter ponitur non semel pro orare Deum, quia nulla alia legitima datur invocatio, nisi Dei. Nec diffitetur *Bannes* in 2. 2. q. 1. Art. 10. *Nec expresse, nec involutè*, inquit, *Scripturæ docent orationes ad Sanctos esse faciendas.* Sic *Ecki.* Enchi. c. 15. Salme. Disp. 7. in 1 Tim. c. 2. *Cottonus* Insti. lib. 1. c. 26. *Quod ad præceptum de invocandis Sanctis, Ecclesia nunquam docuit ullum extare, nisi quantum jubemur parere Ecclesiæ. Bellarm.* lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 20. dicit *mandatum non requiri, quando necessitas ipsa nos impellit.* Sed gratis supponit, dari ullam necessitatem talis cultus; Imò cùm quicquid fit sine fide peccatum sit, talem cultum, qui à Deo nunquam legitur institutus, vitiosum esse necesse est. Quoad exempla, fatentur sub V. T. non receptam fuisse Sanctorum invocationem, quia non putant receptos fuisse in cœlum, sed adhuc fuisse

QUÆST. VII. in limbo. Sub N. verò nulla oratio, vel ad B. Virginem, vel ad Apostolos, aut ullos Sanctos, directa legitur, quod vanitatis ejus luculentum præbet argumentum.

3. Quia carent scientiâ, potentiâ, & voluntate quæ requiruntur in eo qui invocatur.

XIII. 3. Invocatio supponit in invocante fidem Ro. 10. 14. & in Invocando scientiam, potentiam, voluntatem; *Scientiam* ut necessitates nostras omnes cognoscat, & orationes omnes tam orales quàm mentales ubique audiat, sitque revera καρδιογνώστης; *Potentiam*, ut possit laborantibus succurrere; *Voluntatem*, ut velit nos juvare, & cultum hunc sibi deferri postulet. At ista in Deum solum competunt, qui solus est objectum fidei, solus καρδιογνώστης & omniscius, solus omnipotens, qui ad se vocat, & aures habet apertas ad preces supplicantium. Quoad Sanctos vero, nec constat de eorum scientiâ, minùs de potentiâ, nihil de voluntate, nec magis de eorum munere mediatorio & intercessorio; quin potiùs ipsi exhiberi sibi *nolunt*, quod *uni Deo deberi norunt*, ut loquitur Aug. contra F. Manich. l. 20. cap. 21. ubi rationem reddit Angelicam, cur sic adorari nolint, quia *conservi nostri sunt* Apo. 19. 10. Scriptura sanè, quæ non uno in loco soli Deo tribuit omniscientiam, καρδιογνωσίαν, & omnipotentiam 1 Reg. 8. 39. 2 Paralip. 6. 30. Apo. 2. 23. Jerem. 17. 10. Creaturis eas convenire non posse satis arguit, & non semel defectum cognitionis rerum, quæ in terra geruntur, Sanctis tribuit Isa. 63. 16. Eccles. 9. 6. 2 Reg. 22. 20.

XIV. Nec defectum hunc supplere potest, ut vellent Pontificii, Vel imaginarium, quod fingunt, *Trinitatis speculum*, quasi beati in essentia Dei omnia videntis, viderent omnia quæ hic geruntur; Quia ut gratis absque Scriptura fingitur, eadem facilitate rejicitur quâ proponitur, ut non paucis inter primores displicuit in Papatu, *Lombardo*, *Thomæ*, *Altissiodorensi*, *Bannesio*, *Estio*, & aliis pluribus. Nec si Sancti vident faciem Dei omnia videntis, id. immediatâ ejus visione fruuntur, sequitur eos omnia in Deo videre; aliàs non ignorarent diem judicii, qui tamen illis ignotus est. Adde quod speculum illud vel erit *naturale*, vel *voluntarium*, si prius, nihil prorsus illis erit absconditum, non minùs ac Deo, quod dicere impium; si voluntarium, non alia in eo videbunt, quàm quæ Deo libuerit repræsentare, quænam vero illa sint quis dixerit? Vel *revelatio Dei*, qui Sanctis orationes & cogitationes fidelium revelet; nam præterquam quod frustra talis revelatio obtenditur tacente Scripturâ, Cur tot circuitus quærendi sunt, ubi Deus rectà nos ad se vocat? Et cui bono revelaret Deus Sanctis, necessitates & preces nostras, ut eas sibi denuo offerrent? Nec si Deus aliquando Prophetis voluit revelare cogitationes cordis, ut munus suum obire possent, ut factum Elizæo 2 Reg. 5. 26. sequitur hoc ordinariè fieri erga Sanctos, cùm de hoc taceat Scriptura, nec illi ullum munus in homines habeant, ad quod obeundum talis notitia sit necessaria. Vel *donum beatitudinis*, cujus vi fiat, ut è cœlo res quæ hic gerun-

geruntur intueri poſſint, ut vult *Coſterus* Enchir. cap. 14. Supponitur enim falsò & talem viſionem dari, & facere ad Beatitudinem Sanctorum. Nec vel Stephani exemplum, cui per extraordinariam diſpenſationem conceſſum eſt, ut videret Chriſtum in cœlis, vel Pauli in tertium cœlum rapti, & ineffabilia ibi audientis, poteſt efficere, ut Sancti in cœlis degentes cogitationes cordis, quod ſoli Deo competit, videant. QUÆST. VII.

XV. 4. Quia cultus omnis & invocatio religioſa, quæ ad alium quàm ad Deum dirigitur, eſt idololatrica; Idololatria enim ea verè dicitur, quâ creatura colitur παρὰ τὸν κτίσαντα *præter Creatorem*, vel *eo præterito*, Rom. 1. 25. quum coluntur illi *qui natura non ſunt Dii*, Gal. 4. 8. quod de ſanctis rectè dici nemo negat. Hinc Nazianzeno idololatria dicitur ora. 38. μετάθεσις τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα, *tranſlatio adorationis a Creatore ad Creaturas*, & Thomas 2ª. 2. q. 94. 3. Idololatriam definit, *quum aliquis honorem divinum creaturæ impendit.* Nec vanæ, quæ à Pontificiis obtruduntur, diſtinctiones & incruſtationes tantum crimen eluere poſſunt. Quum negant ſe cultum ſupremum qui Deo debetur, ſed tantùm ſubalternum deferre Sanctis, non *ſicut Deo*, ſed *ſicut amicis Dei.* 1. Quia perperam finguntur gradus in cultu religioſo, qui unicus eſt, & indiviſibilis. 2. hæc fuit exceptio Gentilium, qui diſtinguebant inter Deum ſummum, cui cultus ſupremus debebatur, & medioxumos & inferiores, quibus inferior etiam deferretur. 3. Arriani & Neſtoriani, Chriſtum non adorabant ſicut Deum, quem illi Deum creatum, hi hominem à Perſona λόγου diviſum exiſtimabant, & tamen à Patribus idololatriæ accuſantur. 4. Quis ferret adulteram ſe excuſantem, eo quòd copiam corporis ſui fecerit alteri, non ut marito, ſed ut mariti amico? At tam ſoli Deo proprius eſt omnis religioſus cultus, quàm conjugalis benevolentia ſoli marito debetur; cùm conſtet communem noſtram cum Deo, conjugio ſæpius adumbrari, & idololatriam adulterio, & fornicatione. 5. Cultus, quem creaturis exhibent Romanenſes, non differt à cultu divino, nec quoad cultum internum fiduciæ & ſpei, quam in illis collocant, nec quoad cultum externum adorationis & invocationis, [illegible] illis deferunt, ut ſupra viſum, & alibi probatum dedimus Diſp. 2. de Ne[illegible] ſeceſſi. th. 16. 17. &c. Unde ſi verbis diſtinguitur ad illudendum ſimplicioribus, reipſa tamen idem manet in praxi. 4. Quia eſt idololatrica.

XVI. Quintò, Quia invocatio Sanctorum duplici falſo fundamento nititur. Primum eſt quòd ſint *Mediatores* & Interceſſores noſtri apud Deum, qui non precibus modò ſuis, ſed & meritis beneficia temporalia & ſpiritualia nobis obtineant, quòd cùm falſiſſimum ſit, & contumelioſiſſimum Chriſto, ut ſuo loco ſumus demonſtraturi, falſum eſſe & fictitium, quicquid illi ſuperſtruitur, neceſſe eſt. Alterum eſt, *Canonizatio* ſeu Apotheoſis Sanctorum, quâ Sancti ab Eccleſia invocandi à Rom. Pontifice certis cæremoniis, per auream potiſſimùm ſcalam in cœlum illati, 5. Duplici falſo nititur fundamento.

QUÆST. VII. declarantur tales, qui coli & invocari debeant, Sed hoc impium θεοποιΐας commentum, quò terrestris homuncio, qui de sua salute certus non est, vult de aliena pronunciare, & cœlestium bonorum se diribitorem sacrilegè constituere, merum est impuræ Gentilitatis, & superstitionis Judaïcæ imitamentum, quod nec in Scriptura, nec in pia antiquitate fundamentum ullum habet, ut jamdiu Viri Docti observarunt, & solidè demonstrarunt. Vide *Johan. Prideaux* orat. 13. & *Hospin.* de Orig. Fest. cap. 6. Ne jam dicamus sanctos multos fictitios coli, qui vel nunquam extiterunt, vel qui nihil minùs sunt quàm beati.

6 *Ex Testimoniis Veterum.*

XVII. Sextò, Quia ignota fuit Apostolicæ Ecclesiæ, & primis Christianissimi seculis Sanctorum invocatio; Patet ex testimoniis vetustissimorum Patrum, Justini Apol. 2. *Proinde nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inservimus,* Smyrnensis Ecclesiæ, quæ negat *se quenquam alium colere posse* &c. apud Euseb. lib. 4. hist. c. 15. Irenæi lib. 5. c. 22. *Huic soli servire oportet discipulos Christi* &c. Tertull ad Scapu. c. 2. & Apol. c. 17. *Quod colimus*, inquit, *Deus unus est* &c. Epiphanii hæres. 69. *Sancta Dei Ecclesia creaturam non adorat*, Athanasii orat. 3. cont. Arri. *Creatura creaturam non adorat, solum Numen est adorari.* Gregorii Nysseni ad Placill. *qui creaturam adorat, licet faciat nomine Christi, est idololatra, nomen Christi idolo imponens.* Nazianzeni orat. 14. de Pace μηδ' ὑπερσέβοντες, μηδ' ὑποσέβοντες, *neque supercolentes, neque subcolentes, Alterum enim fieri non potest, Alterum nefarium & impium.* Sanctos autem ab iis nec cultos nec invocatos esse tunc temporis, variis argumentis ostendi posset. Ut quòd nulla mentio occurrat Templorum, Altarium, Simulachrorum, Festorum, Donorum, &c. Divis dicatorum, ut passim videtur apud Adversarios. Quòd in publico Ecclesiæ cultu, uni solique Deo hymnos cecinerint. Quòd in explicando primo præcepto, & Oratione Dominica, non æquè ut Romani, precum ad Divos religiosarum meminerint. Quòd Sanctorum canonizatio apud ipsos inaudita & incognita fuerit. Quòd plerique ex ipsis Sanctorum animas extra cœlum usque ad resurrectionem carnis degere putaverint. Quòd Pagani Divorum cultum ante quartum seculum Christianis nuspiam objecerint. Quod Paganis Deum summo, ministros secundo loco colentibus, ita constanter responderint, ut præfractè negarent alium nisi Deum unum summum se adorare, nec cultum Dei à cultu ministrorum uspiam distinguerent, & alia id genus, quæ primis seculis incognitum fuisse talem cultum clarè evincunt, quæ collegit Celeber. *Dallæus* de Relig. Cultus Objecto lib. 3. Et si error sensim invaluit progressu temporis, quod patuit demum circa ann. 370. non defuerunt qui illi masculè se opponerent: damnatus est à Conc. Laod. c. 35. & Carthagi. 3. Can. 23. oppugnatus ab Epiphanio contra Collyridianos Virginem invocantes hær. 79. ab Augustino de vera Relig. cap. 55. *qui hono-*

honorandos propter imitationem, non *adorando propter religionem* statuit, *cultu dilectionis*, & *societatis*, qualis conservis & concivibus debetur, non *religionis*, qualis Deo convenit cont. F. Manich. libro 20. cap. 21. QUÆST. VII.

XVIII. Septimò, Non pauci ex Adversariis nobis hîc adstipulantur, *Cassander* consult. art. 20. & 21: varios errores in hoc capite notat. *Vives* in Aug. de C. D. lib. 8. 27. ingenuè fatetur, quòd multi *Christiani in re bona plerumque peccant, quod Divos divasque non aliter venerantur quam Deum; nec videre se in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & quod Gentiles putabant de Diis suis.* Cardinalis *Richelius* lib. 3. cap. 4. methodi suæ agnoscit Ecclesiam primitivam ante 4. seculum non invocasse Sanctos, & pertendit Ecclesiam Catholicam non obligare absolute Christianos ad orandum actualiter Sanctos p. 410. Sic scilicet conatur invidiam idololatriæ ab Ecclesia sua amoliri; Sed frustra, cùm hoc ex sanctione multiplici, & praxi continua confirmetur. *7. Ex Testimoniis Adversariorum.*

XIX. A Sanctorum viventium interpellatione civili, ad invocationem religiosam defunctorum non valet consequentia. Quia inter vivos mutua est officiorum communicatio; Inter vivos & mortuos nulla Isa. 63. 16. Eccl. 9. 6. 7. Illa mandato & promissione Dei, & laudatis Sanctorum Vet. & Novi Test. exemplis nititur; Hæc verò illis destituitur. Illa est merè socialis & mutuæ dilectionis effectus; Ista religiosa, & cultus Deo soli debiti pars primaria. Illa sola charitate viventium nititur; Ista eorum etiam meritis. Nec si Sancti defuncti majori sunt nunc charitate præditi, continuò à nobis invocari volunt; Imò per retorsionem multò minùs quàm in hac vita hoc permiserunt Act. 10. & 14. ut qui longè nunc perfectiùs norunt hunc honorem soli Deo deberi. Et si compellari potuerunt à nobis sive voce, sive epistolâ, quia inquilini nobiscum erant in patria terrena, non statim invocari debent in patria cœlesti, quæ longissimè à nobis distat. Si eadem est ratio invocationis Sanctorum ac compellationis viventium; Cur Paulus, qui toties jubet alios pro aliis precari, nunquam jubet Sanctos invocare, nec ipse vel Stephanum, vel B. Virginem, vel alium legitur orasse? Frustra ergo *Fratres Walenburgii* Meth. Aug. c. 32. & *Episcopus Condomensis* exposi. fid. Cathol. vellent nobis persuadere, non aliter Pontificios invocare Sanctos demortuos, quàm Reformati Sanctos viventes, ut orent pro nobis; Cùm protestatio sit contraria facto, & res ipsa clamet aliud esse petere veniam, protectionem, salutem, liberationem à malis & sim.; aliud verò petere eorum intercessionem. Nec hic intentio Ecclesiæ potest obtendi, ubi verba ipsa contrarium evincunt, nisi velimus eam nobis illudere velle, aliud sentiendo, & aliud loquendo, quod nemo dixerit. *Fontes Solutionum.*

XX. Aliud est Jacobum optare, ut filii Josephi Ephraïm & Manasse *Gen. 48. 16.*

 vocen-

QUÆST VII. vocentur de nomine suo, & sint duo capita tribuum inter filios Jacobi, quum ait se petere *nomen suum super nepotes invocari*, Gen. 48. 16. ut agnoscunt Tostatus; Ribera, Cajetanus, Cornelius à Lapide, Arias Montanus, & alii, ut alibi Scriptura loquitur Isa. 4. 1. Aliud velle se ab iis invocari post obitum, quod negamus.

Job 5. 1. XXI. Quum Eliphas suadet Jobo, ut ad aliquem Sanctorum se convertat, non loquitur de Sanctis defunctis, sed advocat vivos suffragantes, è quibus negat ullum Sanctum secum consentientem producere posse, qui affirmet Deum innocentes & justos affligere, ut antithesis docet, & contextus series. *Cap.* 19. 21. Quum inclamat amicos Jobus cap. 19. 21. per רעי *socios*, quorum misericordiam implorat, Angeli vel Cœlites non intelliguntur, utpote qui ejus socii, & familiares non fuerunt, sed illi, quos olim socios & amicos habuit, quos ad συμπαθείαν invitat. Unde vers. sequente de iisdem amicis conqueritur, non questurus de Angelis. *Angelus advocatus unus ex millibus*, *Cap.* 33. 23. de quo agitur cap. 33. 23. non alium notat, quàm Angelum fœderis, Christum, cui soli competere possunt prædicata, quæ illi tribuuntur, miserendi, orandi liberationem, indicandi homini rectitudinem, intercedendi cum ostensione כפר λύτρω עליו apud eum id. Patrem, cùm solus Christus dicere possit מצתי כפר *inveni lytrum*. Sic Gloss. ordi. textum exponit.

Ex. 32. 12. XXII. Alia est *invocatio*, Alia *commemoratio*, Moses non alloquitur Abrahamum, nec ad patrocinium ejus confugit Exod. 32. 13. sed ad Deum preces dirigit, ut pacti sui memor, quod cum Patribus iniit, posteris moscolatris misericorditer ignoscat.

XXIII. Concilia quæ adduntur à Bellarmino post 400. annos à tempore Apostolorum celebrata, introducere non potuerunt novum aliquod Religionis dogma in Scripturis antea non inventum, aut in primitiva Ecclesia per tot annos non promulgatum: Et ostendunt potius quid factum fuerit, invalescentibus superstitionis tenebris quàm quid faciendum.

XXIV. Constat tribus primis seculis nullum inveniri Patrem hujus Invocationis patronum; sub Origene, ut videtur, bono interprete, sed malo dogmatista, ut de illo loquitur Hiero. irrepere cœpit inter Doctores Intercessionis opinio; non tamen inde quispiam Sanctos invocat, aut tradit invocandos, donec paulatim partim ex Philosophia Platonica, & Hellenismi reliquiis, partim ex licentia Poëtica & oratoria, & hyperbolicis laudationibus & Apostrophis, Basilius, Nyssenus, & Nazianzenus inter Græcos, & Ambrosius inter Latinos fenestram ampliorem huic errori aperuerunt. Huc facit quod apposite Sixtus Senensis Biblio. lib. 6. annot. 152. notat *Meminisse oportet, non esse Concionatorum verba eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt. Multa enim Declamatores per hyperbolem sæpe denunciant, vel occasione locorum, temporum, vel persona-*

rum adducti, vel affectuum impetu, & orationis cursu rapti. Sæpius etiam Patres declarant potiùs Sanctos fuisse invocatos, quàm invocandos; Vel hypotheticâ utuntur Invocatione, hæsitanter tantùm & limitatè sub his terminis, *ut opinor, ni fallor, si quis mortuis sensus, si de rebus nostris cura*, quam quum non exprimunt, intelligere concipiuntur conditionem. QUÆST. VIII.

QUÆSTIO VIII.

De Reliquiarum Cultu.

An Sanctorum Corpora & Reliquiæ, religioso cultu sint venerandæ? Neg. contra Pontificios.

I. R*Eliquiarum Cultus*, appendix est Cultus Sanctorum, Id enim ad Sanctorum honorem non parum pertinere creditur, quod eorum corpora vel saltem ossa, cineres, cingula, vestes, & similes reliquiæ, religiosè colantur. Licet vero hodierni Sophistæ turpitudinem istius λειψανοθρησκείας tegere & incrustare conantes, negent adorationem Deo debitam illis deferri, sed tantùm venerationem, & honorem. Certum est tamen sancitam eam esse authoritate Concilii II. Nicæ. cujus hæc sunt verba Actione IV. *ossa, cineres, pannos, sanguinem, sepulchra denique adorantes illis tamen non sacrificamus*. Baro. ad a. C. 821. l. 14. dicit se a Clemente VIII. missum *ut exploraret & adoraret venerandum Cæciliæ corpus*. Vasquez. lib. 3. de Ado. Disp. 4. c. 1. 2. *Imagines & reliquias eodem modo adorandas esse* probat. Catech. Trident. in 3. præcep. probat juramentum per reliquias, quod esse religionis actum nemo negare potest. Sed qualicunquè nomine sive adorationis, sive venerationis, cultus ille designetur, certum est ipsis esse religiosum. *Status Quæstionis.*

II. Nos vero, licet abjicienda non esse & ludibrio habenda corpora Sanctorum cum eorum reliquiis censeamus, sed honestè condenda, non modo quia sunt hominum reliquiæ, qui quodam naturæ privilegio honorem sepulturæ sortiri debent; sed etiam quia fidelium & Sanctorum, quorum memoria benedicta debet esse in Ecclesia. Negamus tamen religioso cultu colenda, & merito aversamur superstitionem; quâ per insignem fraudem ad ludificandum populum Apostolorum ostentantur reliquiæ, dum eorum occultantur scripta, quia reliquiæ mutæ sunt, nec periculum est ne aliquid hiscant in Pontificem; sed scripta Apostolica Papatum jugulant, & Idololatriam confodiunt.

QUÆST. VIII.

Rationes contra Reliquiarum cultum 1. quia non habetur in Scriptura.

III. Rationes nostræ sunt. 1. Quia Scriptura cultum talem nuspiam vel mandato, vel promissione, vel exemplo ullo sancivit, imò quoties in Veteri vel Novo Test. de functorum memorantur exempla, illorum corpora terræ mandata dicuntur sine ulla ostentatione, vel religiosâ veneratione. Sic Jacobus & Josephus morientes jusserunt ossa sua ex Ægypto transferri in Canaam, ut componerentur cum Patribus; sed nusquam leguntur adorata, aut osculo excepta, nec illata fuerunt tabernaculo, vel circumgestata per Pompam, vel supposita altaribus; quæ omnia factitantur in Ecclesia Romana. Et quomodo Israëlitæ potuissent adduci ad osculandas, vel gestandas reliquias, cùm ex Lege Mosis pollutus censeretur, qui cadaver tantisper attigisset? Quin & Deus ipse sepelivisse & occultasse dicitur corpus Mosis Deut. 34. 6. ne Israëlitæ tanti Viri reliquiis ad idololatriam abuterentur; Et valde consentaneum est, non aliam fuisse causam jurgii inter Michaëlem & Satanam, de quo Jud. v. 9. quam quòd Satan vellet promi cadaver Mosis, Michael vero vellet premi & ignorari. Stephani Protomartyris corpus composuerunt discipuli, & multo planctu sunt prosecuti Act. 8. sed nemo ad ejus thecam se abjecisse legitur, vel ejus ossa coluisse religioso cultu.

Deut. 34. 6.

Jud. 9.

2. Illi repugnat Matt. 23. 29.

2 Cor. 5. 16.

IV. 2. Christus Matt. 23. 29. reprehendit *Pharisæos & Scribas hypocritas, qui Prophetarum & justorum sepulchra ædificabant, & illa ornabant*, eorum interim doctrinam contemnentes: non minùs illi arguendi, qui horum cadavera in sepulchris jacentia colunt & venerantur. Paulus 2 Cor. 5. 16. *Si neminem amplius ne Christum quidem cognoscere secundum carnem* protestatur, ut scilicet in eo secundùm spiritum quærendo & possidendo omne studium suum & operam collocet: Quis vero negaverit, eos qui reliquias Christi & Sanctorum quærunt & colunt, velle adhuc eos cognoscere secundum carnem? *ita pro viventibus ire ad mortuos*, expresse vertatur Isa. 8. 19.

Isa. 8. 19.

3. est inutilis & idololatricus.

V. 3. Cultus talis non modo est inutilis, exhibitus quippe rebus inanimatis, & sensu omni carentibus: sed & idololatricus & superstitiosus, qui sine sacrilegio deferri non potest illis, soli quippe Deo debitus. Nec juvat incrustatio Adversariorum, negantium se reliquiis cultum religiosum *absolutum* strictè & propriè sic dictum, seu *adorationem latreuticam*, quæ solius Dei sit, sed tantùm *relativum* & *duleuticum* deferre. Quia Scriptura adorationis latreuticæ, duleuticæ, absolutæ, & relativæ differentiam non agnoscit, sed religiosam adorationem simpliciter soli Deo vendicat. Nec Deus secundùm ingeniosas illas, sed vanas præcisiones & intentiones hominum prævaricantium, quas vilis popellus ignorat, judicaturus est, sed secundùm regulam in Verbo præscriptam.

4. est imposturis obnoxius.

VI. 4. Cultus ille mille fraudibus & imposturis est obnoxius, dum pro veris reliquiis Christi & Sanctorum mille supposititiæ & adulterinæ obtruduntur, & corpora multorum coluntur in terra, quorum animæ torquen-

quentur in inferno, ut dicebat August. Exemplum extat apud Socratem lib. 7. c. 14. de Ammonio quodam monacho & latrone, qui diu pro Sancto cultus est. Gregor. Turon. lib. 9. hist. cap. 6. testatur *in Sancti cujusdam capsula inventas fuisse radices, dentes talpæ, ossa murium, & vulpium ungues conditos.* Tiguri in theca pretiosissima, in qua Reliquiæ S. S. Felicis & Regulæ Martyrum repositæ credebantur, inventæ sunt, cùm aperiretur in reformatione, particulæ aliquot de latere coctili, funiculus item 12. cubitorum longus, & costæ nonnullæ felis aut similis animalis, & nihil præterea. Non absimilis fraudis Geneva nostra fidem facere potest, quæ cùm antè reformationem duabus præcipuè reliquiis gloriaretur, cerebro Petri, & brachio Antonii, apparuit postea pumicem esse quod cerebrum Petri perhibebatur, & brachium Antonii esse Cervi inguen. Cassander consulta cap. de veneratione reliquiarum non diffitetur *avaritiæ causâ ad simplicem popellum alliciendum, falsas reliquias suppositas esse, & ficta miracula prædicata & iis miraculis alitam superstitionem* &c. Quòd si tales fraudes recensere vellemus, innumera passim eorum exempla occurrerent, quibus liquido constaret quantâ licentia Clerus miseræ plebeculæ fascinatæ insultet & illudat; imò incredibile prorsus videretur tam crassâ imposturâ & tam diuturnâ seductum fuisse mundum, nisi res ipsa clamaret. Vide *Calvinum* Admonitione de Reliquiis, & *Hospinian.* de Origine Reliquiarum: Quotquot ergo reliquias colunt, colunt quod ignorant; nam post tot fraudes & imposturas detectas, quæ certitudo potest dari, reliquias esse eorum Sanctorum quorum esse jactantur?

QUÆST. VIII.

VII. 5. Λειψανοθρησκεία primis Christianismi seculis ignota fuit, quod vel ex eo patere potest. Quòd Martyrum & Sanctorum corpora diligentissimè sepeliverint, quod non erant facturi, si ea putavissent adoranda, ut ab Ecclesia Smyrnensi factum testatur Eusebius lib. 4. cap. 15. de ossibus Polycarpi. Quod talis cultus Reliquiis delati nulla in vetustissimorum Theologorum libris mentio occurrat, ubi non modò opportunè, sed pene etiam necessariò hoc dicendum erat. Quòd Pagani nostris ante 300. annos talem cultum nunquam objecerint, quod fecerunt postea. Quòd reliquiaria, quæ nunc assiduè, velut arma & præsidia gestantur à Romanis, ignota tunc penitus essent. Ex his verò & aliis multis id genus argumentis, quæ collecta videntur apud Celeberr. Dallæum lib. 4. de religiosi cultus objecto, luce meridianâ clariùs liquet, ignotum penitus & inauditum fuisse primis illis seculis reliquiarum cultum, & sequentibus seculis demum introductum, & quidem successivè & per gradus.

5. est incognitus veteri Ecclesiæ.

VIII. Primò cœpti sunt ad sepulchra Martyrum cœtus Ecclesiastici celebrari, & quidem die passionis eorum, non quidem propter cultum & invocationem eorum, quod Epistola Smyrnensium expresse negat,

Quibus gradibus sit introductus.

sed

Quæst. VIII. ſed *ut ſequentium animi*, inquit, *ad præceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitentur*, quod Baſilius confirmat in Aſceticis cap. 40. & homi. 19. Aug. cont. F. Manich. ſcribit, *Populum Chriſtianum memorias Martyrum religioſâ ſolennitate concelebrare ad imitationem excitandam*, quod hactenus ſuperſtitione caruit. Sed progreſſu temporis ſuperſtitionum ſemina paulatim jacta ſunt; quando ſub Conſtantino M. effoſſiones & tranſlationes Reliquiarum ex ſepulchris obſcurioribus ad celebriora fieri cœperunt; quod quidem bono zelo ab Imperatore conſtitutum eſt; Ut enim varia externa ornamenta, quæ Ethnicæ Religioni ſpeciem aliquam, & authoritatem conciliârunt, ad Chriſtianam Religionem transferre ſtuduit, ut eam non modò Chriſtianis, ſed etiam Gentibus commendabiliorem redderet, ut Euſebius loquitur in vita Conſtantini: Ita cùm videret Gentes, Regum, aliorumque clarorum Virorum corpora, ſi in locis obſcurioribus humata eſſent, magnâ pompâ & ſolennitate ad clariora monumenta transferre, imò & in Templis magnificis deponere; honorem hunc multò rectiùs ſanctorum Dei Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque corporibus & Reliquiis exhiberi cenſuit. Quum primùm verò Corpora & Reliquiæ Sanctorum effodi, & tranſferri cœperunt; mox perſuaſio hominum animos invaſit, Martyres alioſque Sanctos ejus Regionis, urbis, loci, ubi eorum Reliquiæ ſeu corpora depoſita erant, columnas, turres, & præſidia eſſe, ut Baſilius loquitur. Hanc ſuperſtitionem confeſtim ſecuta eſt alia, ut corpora Sanctorum & Reliquias alias non ampliùs ſub Altari conderent, ſed ſuper Altaria ponerent, & ad venerationem proſtituerent. Unde ortæ ſunt circumgeſtationes Reliquiarum, ut in majori admiratione eſſent. Et quia miracula varia fiebant ad ſepulchra Martyrum, non Deum tantùm, ſed ipſos etiam Martyres apud ſepulchra invocare, imò etiam eorum Reliquias colere cœperunt. Sic ſenſim error invaluit, & ad ſuperſtitioſiſſimum cultum, & craſſiſſimam, quæ nunc obtinet, idololatriam, excrevit.

Fontes Solutionum. *2 Reg. 13. 21.*

IX. Miraculum apud oſſa Elizæi divinitus editum 2 Reg. 13. 21. vaticinii ejus præcedentis de ſucceſſura Moabitarum irruptione fidem confirmabat; ſed cultum religioſum corporis ejus non probat; unde nec ante nec poſt miraculum illud, quiſquam ſepulchrum Eliſæi inviſiſſe, vel oſſa religioſo adorationis oſculo excepiſſe legitur. Deinde miraculum iſtud verum fuit, & omni ſuſpicione falſi vacuum, quod de prætenſis miraculorum reliquiis nemo dixerit.

Mat. 9. 21.

X. Fimbriæ Chriſti tactus Mat. 9. 21. miraculoſæ ſanationis ſymbolum extraordinarium fuit: ſed hoc nec ullum aliud divinorum miraculorum ſymbolum à quoquam pio religioſè cultum eſt. Nec eadem eſt ratio veſtimenti Chriſti, quô indutus ad divinæ ſuæ potentiæ demonſtrationem uti voluit; Et reliquiarum Papiſticarum, quæ vel incertæ, vel à Chriſto vivo ſeparatæ, eandem vim & efficaciam habere non poſſunt.

XI. *Umbra* Petri Act. 5. 15. & *sudaria*, ac *semicinctia* Pauli, quæ ægrotos sanabant Act. 19. 12. fuerint itidem extraordinariæ curationis symbola; sed ut propter hoc symbolicum officium adorarentur, nec mandarunt Apostoli, nec à quoquam præstitum constat. An Petrus qui noluit adorari vivus à Cornelio, jubere voluit adorationem sui cadaveris? vel passurus fuisset, ut coram umbra sua, vel semicinctiis, ad ejus essentiam nequidem pertinentibus, homines procumberent venerabundi? Quæst. VIII. *Act.* 5. 15. & 19. 12.

XII. Translatio ossium Patriarcharum faciebat ad fidem ipsorum erga Dei promissionem de Terræ possessione confirmandam, & Messia in ea nasciturо; Sed nihil faciebat ad Religiosum ossium ipsorum cultum, quæ denuò recondenda & humanda fuerunt.

XIII. Si *Vigilantius* id unum egit, ut se gliscenti superstitioni in Reliquiarum cultu opponeret, non ideò justè hæreseos accusari potuit ab Hieronymo, vel Gnosticis, & Eunomianis associari, à quorum sententia fuit alienissimus. In quo iniquè cum ipso egisse Hieronymum, Erasmus ipse non potest dissimulare, quum ait eum in ipsum ita debacchatum fuisse, ut plusculum modestiæ in eo cogatur desiderare, quasi negaret faciendum martyrium, vel martyrum sanguinem conculcandum, & nullo prorsus honore dignum existimaret; Cùm negaret tantùm Martyrum reliquias esse colendas; Qua in re cum Vigilantio nos facere non diffitemur. Si verò errores quosdam fovit in aliis doctrinæ capitibus, ut illi exprobrat Hieronymus, quàm verè non satis constat, nihil nobis cum illo commune esse profitemur.

QUÆSTIO IX.

Ad Præceptum Secundum.

De Cultu Imaginum.

An Dei, & S. S. Trinitatis, Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum Imagines cultu religioso prosequi liceat? Neg. contra Pontificios.

I. DUÆ sunt præcipuæ Quæstiones de Imaginibus sacris, 1. De earum *cultu*, An colendæ sint & venerandæ? 2. De earum *usu*, An faciendæ saltem sint, & in Templis, aliisque locis sacris collocandæ? Posteriorem proximè expendemus. Prior nunc attingenda.

QUÆST. IX. *Status Quæstionis.*

II. Non quæritur, An dari possint Imagines, quæ in aliquo pretio apud nos esse debeant, sive artificem spectemus, sive materiam, sive antiquitatem, sive etiam propter prototypum, si sit vir alicujus nominis, vel nobis carus. Sed An Imaginibus Dei, & Sanctorum manu hominum factis deferendus sit cultus aliquis religiosus, sive adoratio, sive veneratio dicatur. Nec enim inter Adversarios de eo convenit, aliis *adorationem* rotundè tribuentibus, aliis verò ad declinandam invidiam, *venerationem* tantùm urgentibus. Sed inani distinctione, quia cùm cultus religiosus tantùm unicus sit, nec varias species admittat, perinde est quocunque nomine indigitetur.

III. Secundò, non quæritur hic de *modo* cultus Imaginibus exhibendi, seu *quomodo* adorari debeant Imagines; ut excutiamus variantes & sibi adversas Pontificiorum sententias, qui instar veteris Babelis architectorum divisi sunt linguis, & acriter inter se digladiantur. An adorandæ sint propriè & per se, ut terminent in se adorationem, ut quidam vellent; An vero tantùm analogice, impropriè, & reductivè ad exemplum & prototypum, quod alii. An cultu eodem cum prototypo, ut non pauci, An vero diverso & inferiori, ut alii. Sed quæritur tantùm de *veritate cultus*, An aliquis cultus religiosus illis debeatur; quod constanter asserunt Pontificii, Nos vero negamus.

IV. Pontificiorum sententia non aliunde meliùs colligitur, quàm ex Concilii Tridentini sanctione. Licet enim hic, ut alibi, suspensè & ambiguè loquatur, ut utrique dissentientium parti quantum fieri poterat satisfaceret; satis tamen mentem suam aperit, quum provocat ad Concilium Nicænum secundum, & approbat quicquid in eo circa cultum Imaginum constitutum est; Verba sunt Sessione 25. Decreto de Veneratione Reliquiarum, Invocatione Sanctorum, & Imaginibus, ubi mandatur Episcopis, ut *doceant Sanctorum Invocationem, Reliquiarum honorem, & Imaginum usum, & eos qui aliter docent impiè sentire prædicent. Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.* An nemo nescit Concilium hoc habitum an. 787. & inter Oecumenica ab ipsis relatum, adorationem Imaginum expressè sanxisse; Unde Actione 7. anathemate percutit eos, qui vel tantisper dubitant, An sint adorandæ Imagines. *Gloriosorum Angelorum, & Sanctorum Imagines adorandas putamus. Si quis vero ita non est animatus, sed circa venerandarum Imaginum adorationem laborat & dubitat, eum anathematizat sancta & veneranda Synodus.* Cùm verò quibusdam vox adorationis duriuscula videretur, & ut molliùs loquerentur dicerent, *Imagines esse venerandas*, Synodus Act. 4. sic in eos invehitur, *omnes qui se sacras imagines venerari confitentur, adorationem autem recusant, a S. Patre Anastasio redarguuntur ut hypocritæ*, & ait eos *Sanitus convitia dicere.*

dicere. Cùm ergò Concilium Tridentinum approbet quicquid in illa Synodo ſancitum eſt, patet non aliam fuiſſe ejus ſententiam. QUÆST. IX.

V. Quam confirmat ſecundò *praxis* quotidiana inter ipſos recepta, in qua conſtat populum coram imaginibus procumbere, illas oſculari, Thus illis adolere, Altaria erigere, preces offerre, vota nuncupare, ferias ſacras inſtituere, & ſimiles adorationis & cultus partes deferre. Et ne quis putet populum in illa praxi peccare, Doctores verò præcipuos aliud ſentire, non difficile eſt oſtendere, mentem ipſorum huic praxi reſpondere. Hinc Thomas 3. q. 25. artic. 1. vult cultum latriæ exhiberi cruci Chriſti, non minus ac ipſi Chriſto; *Cùm ergò Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens est, quod ejus imago ſit adoratione latriæ adoranda.* Quem ſequitur *Cajetanus* in notis, & Gab. Biel, lecti. 49. in Canon. Miſſæ; *Si fuerint imagines Chriſti, adorentur eadem ſpecie, quâ Chriſtus, id eſt adoratione latriæ.* Quam ſententiam maxima pars Doctorum amplectitur. *Alexander*, *Bonaventura*, *Richardus*, *Paludanus*, *Capreolus*, *Caſtro*, *Caniſius*, *Turrianus*; & alii plurimi, quos ad triginta uſque enumerat *Vaſquez* lib. 2. de Ado. Diſp. 8. c. 3. Ipſe verò ſummâ contentione pertendit quaslibet res inanimatas adorari poſſe latriæ cultu, Imò & feſtucam & radium Solis, ſub quo latet Diabolus lib. 3. diſput. 1. c. 2. & 3. Bellarm. lib. de Imagi. c. 21. vult imagines coli, non ſolùm ob prototypum, ſeu rem ſignificatam, ſed etiam ob ſeipſas, ita ut veneratio terminetur in Imaginem. Huc pertinet quòd publico & ſolenni ritu Crux ipſa invocatur in Hymno, qui die Veneris ante Paſcha pronunciatur in ejus adoratione, dum enim Sacerdos detegens Crucem, ait, *Ecce lignum Crucis*, & Chorus reſpondet, *Venite adoremus*, Oratio ad ipſam dirigitur, *ô Crux Ave, ſpes unica, Hoc Paſſionis tempore, Auge piis juſtitiam, Reiſque dona veniam.* Et ne quis putet hoc metonymicè dici de Crucifixo, ab eo ſtatim expreſsè diſtinguitur, *ſola digna fuiſti ferre ſecli pretium* &c. Ita in Pontifi. Rom. f. 205. in Ingreſſu Legati, *Crux Legati Apoſtolici erit ad dextram, quia latria illi debetur, & gladius Imperatoris ad ſiniſtram*, &c.

VI. Fateor nonnullis inter Pontificios hanc ſententiam non arridere, qui imaginibus Dei nullum cultum deferri debere pertendunt, ſed eas tantùm habendas eſſe ad hiſtoriam, & rerum præteritarum memoriam, non ut adoretur ipſa imago, ſed tantùm coram imagine ipſum exemplar, quæ ſententia fuit *Gregorii Magni*, qui *Serenum* Maſſilienſem Epiſcopum laudat, quod Imaginum cultum damnaverit, ſed in eo carpit, quod Imagines fregerit lib. 3. epiſt. 9. *Quod ea adorari vetuiſſes omnino laudavimus, fregiſſe vero reprehendimus; aliud eſt picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum addiſcere.* Ad quem accedit *Durandus* Epiſcopus Mimatenſis in Ratio. lib. 4. p. 2. de 4. parte Can. *Gerſon* Cancellarius Pariſienſis T. 2. Decla. Defect. Eccleſ. n. 67. *Holchotus*, *Toſtatus*

QUÆST. IX.

&alii in Deut. 4. Nec dubium est quin cordatiores & oculatiores ex Pontificiis eò propendeant. Verùm non posse haberi pro recepta E. R. sententia, patet, non modò ex Bellarm. & aliis, qui eam acriter rejiciunt, tanquam temerariam & hæreticam, adeò ut Baro. ad an. 794. insaniisse eos dicat, qui sic censuerunt, & Sirmondus Tom. 2. Concil. Galli. vocet hanc *haresim Gallorum*; sed imprimis ex Concilio Tridentino, quod cultum Imaginum expressè sancit.

Imaginum cultus rejicitur 1. ex Lege. Exod. 20. 4.

VII. Orthodoxi verò eum sic impugnant. 1. *Ex Lege*, quia diserta ejus extat prohibitio, dum præcipit Dominus expressè, ne vel faciamus Imagines Religionis ergo, vel eas adoremus & colamus Exod. 20. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea neque coles*, quod confirmatur Levit. 26. 1. *Non facietis vobis idolum, neque sculptile, neque vobis erigetis statuam, vel lapidem figuratum in terra vestra, ut prosternatis vos ante eum*, sic Deut. 4. 15. 16. quibus locis prohibentur facere, non tantùm פסל *sculptile*, id. imaginem sculptam, sed etiam תמונה *similitudinem* quamlibet etiam pictam, exprimentem seu repræsentantem qualicunque effigie speciem aliquam, sive in cœlis, sive in terris, sive infra terram. Quidquamne potuit unquam vetari disertiùs, quàm omnis hic imago interdicitur, quæ ad cultum religiosum statuatur? aut quidquam-ne fuit unquam violatum manifestiùs, quàm præceptum hoc violatur in communione Romana?

VIII. Nequicquam verò obtenditur ad vim istius teli declinandam. 1. *Præceptum* hoc esse *juris positivi*, quod Judæos tantùm obligârit, non verò naturalis, quò omnes obstringantur, ut *Vasquez* hoc effugium captat Disput. 4. c. 3. & *Ambrosius Catharinus* opusc. de Imagi. ad quos accedit *Grotius*. Nam contrarium testantur, tum finis immediatus & proximus Præcepti, qui est moralis & juris perpetui, nimir. ut verus Deus purè & incorruptè absque omni idololatria colatur, tum duæ ejus partes, prima de εἰδωλοποιΐα, quia impossibile & nefas est Deum repræsentare per imaginem, altera de εἰδωλολατρεία, quæ simpli. interdicitur Deut. 4. 15. Deinde repetitio facta non semel in N. T. etiam post abrogatam Legem cæremonialem Act. 15. 20. 1 Joh. 5. 21. & sæpius in Epistola utraque ad Corinthios. Tertiò quia præceptum est naturâ notum, unde Gentiles ex eo redarguit Paulus Act. 14. & 17. & Rom. 1. quod confirmatur ex historia multarum gentium, quæ imagines admittere noluerunt, vid. Plut. in Numa de Romanis. Tertull. Apolog. c. 25. Tacit. de Germa. c. 9. Quartò Adversarii plerique hoc nobiscum agnoscunt *Bellarm.* lib. 2. c. 7. *Suarez* in 3. To. 1. q. 25. art. 8. disp. 54. sect. 7.

IX. II. *Exc.* agi de Idolis quæ sint rerum non existentium, qualia erant falsa Gentium Numina, non verò de *Imaginibus*, quæ sint rerum

rerum existentium. Ideo פסל vertendum censent per εἴδωλον, non vero per εἰκόνα: Nam inane istud effugium esse patet. 1. quia vox פסל de quovis simulachro dicitur, unde à 70. redditur modo per εἴδωλον, ut apud Exodum, modo per γλυπτὸν, ut Deuter. 4. 16. & 5. 8. modo per εἰκόνα Isa. 40. 18. 20. Chaldæus reddit per צלמא imaginem. 2. Quia licet vox פסל esset angustior, vox תמונה, & quidem cum nota universalitatis, necessario omnem Imaginem debet includere, nisi velimus similitudinem non esse imaginem, & vice versa. 3. Vulgata Versio Deut. 4. 16. hanc distinctionem respuit, quum reddit *sculptam similitudinem, aut Imaginem masculi*, & Is. 40. 18. *quam imaginem ponetis ei?* 4. gratis fingitur distinctio inter εἴδωλον & εἰκόνα; quia licet in usu Theologico & Ecclesiastico *Idolum* sumatur ut plurimùm in malam partem; Imago vero etiam in bonam pro qualibet repræsentatione; tamen certum est in usu grammatico ejusdem esse significationis, & promiscuè usurpari pro quovis simulachro. Hinc Gloss. εἰκὼν εἴδωλον. Et apud Ciceronem *Imago* & *Idolum* eo tantùm differunt, quod alterum Græcum, alterum Latinum est, *Atomi*, inquit lib. 1. de finibus *inanes Imagines, quas idola nominant.* Ita passim apud Diodorum, Polybium, Plutarchum, & alios probatos authores Regum, Imperatorum, & aliorum statuæ εἴδωλα vocantur. Apud Scriptores Ecclesiasticos non raro confunduntur, ut εἴδωλον pro imagine simplici ponatur; & vicissim Imago pro Idolo. 5. Quamvis in eo possint differre, quod in usu hodierno Idolum strictius sumatur, Imago vero latiùs, ut omne quidem Idolum sit Imago, sed non vicissim omnis Imago Idolum; nisi quum illi aliqua relatio divinitatis accedit, sive quoad repræsentationem, sive quoad cultum; Certum nusquam ita inter se distingui, ut vellent Pontificii, quasi Idolum esset tantum rerum non existentium, Imago vero existentium. Quia passim apud profanos authores idolum dicitur rerum existentium. In Scriptura vero Idola dicuntur imagines veri Dei, ut vitulus aureus *Idolum* vocatur Act. 7. 41. & ejus cultores idololatræ, quod tamen ad verum Deum repræsentandum formatum fuit; Ita *Idolum* Micæ Jud. 17. & *Vituli* Jerobohami, 1 Reg. 12. 28. Deinde in Lege Deus prohibet non tantùm imagines rerum falsarum, sed etiam rerum existentium sive in cœlo, sive in terra *&c.* non dicit eorum quæ non sunt; sed *quæ sunt*. Sic res quælibet creatæ Idola fiunt, quum religiosus cultus illis exhibetur; Serpens æneus Idolum factum est, quum illi incensum adolere voluerunt Israëlitæ; Statua Nebucadnezaris idolum fuit, quando posita est ad adorationem; pleraque Gentium Idola non rerum falsarum, sed verè existentium fuerunt Imagines, puta vel Astrorum, vel Hominum, vel animalium. *Idolum nihil* dicitur esse 1 Cor. 8. 4. non *subjectivè*, ratione existentiæ, vel *objectivè*, ratione *repræsentationis*; sed ratione *efficaciæ*, & *formaliter*, quia non est verus Deus.

QUÆST. IX.

1 Cor. 8. 4.

X. III. *Excip.* In Lege non quasvis Imagines vetari, sed quæ fiant

QUÆST. IX. ad adorationem latriæ, & quæ *habeantur pro Diis*. Resp. Legis verba talem explicationem respuunt, quæ non modò latriam, sed & duliam vetant reddi imaginibus, vox enim hebraica תעבדם significat *servies eis*, quod est δουλεύειν. 2. si vetantur tantùm Imagines, quæ habeantur pro Diis, sic ageretur de *objecto cultus*, non de *modo*, atque ita confunderetur præceptum primum cum secundo. 3. Si exceptio valeret, facile Gentiles liberari possent à crimine idololatriæ, qui sæpe profitentur se non habere Idola sua pro Diis; *Celsus* apud Orige. lib. 7. p. 384. τίς γὰρ ἄλλος εἰ μὴ πάντα νήπιος ταῦτα ἡγεῖται θεούς, *quis nisi plane infans, hæc* scil. simulachra *putat esse Deos* Arnob. lib. 6. Ethnicos loquentes inducens, *Erras & laberis, nam neque nos æra, neque auri, argentique materias esse per se Deos, & religiosa censemus Numina; sed Deos ex his colimus*. Eodem modo loquuntur apud Lactantium lib. 2. c. 2. August. in Psal 113. hoc effugium ipsorum refert & refellit. *Videntur*, inquit, *sibi purgatiores esse religionis, qui dicunt, nec simulachrum, nec dæmonia colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo* &c. *non hoc visibile colo, sed numen quod illic invisibiliter habitat*. Nec Idololatræ fuissent Israëlitæ in vitulo aureo, quem non putabant Deum esse; Quis enim arbitretur eos adeo hebetes fuisse, ut crederent opus manuum suarum fuisse Deum illum, qui eos eduxerat ex Ægypto? sed tantùm habuerunt in animo ejus simulachrum sibi fingere, ut verum Deum in hac imagine colerent, teste ipso Aarone, qui festum huic idolo consecratum vocat *festum Jehovæ* Exod. 32. 5. Nec obstat quod dicunt Aaroni *fac nobis Deos*, quia notum est in Scriptura sæpe signis nomina rerum significatarum tribui.

XI. Unde patet nihil habere Adversarios, quô se liberent à crimine Idololatriæ illis ex Lege impacto; Quod dum animadvertunt, seque tam diserto præcepto premi sentiunt, indignationem suam vertunt in ipsam Dei Legem, sacrilegâ audaciâ, & facinore antea inaudito, hoc mandatum è numero reliquorum expungendo, ne ipsis negotium facessat; si non ex ipsa Scriptura, quia hoc non fuit in ipsorum potestate; at ex Officiis, Breviariis, & aliis formulis Legis divinæ, quæ traduntur populo, quod sanè luculentum est desperatæ causæ argumentum.

2. Quia cultus Imaginum est Idololatricus.

XII. Secundò, Quia cultus religiosus Imaginum à Scriptura nunquam præceptus, vel probatus, non potest a crimine Idololatriæ liberari; Nam ex usu Scripturæ, & Ecclesiæ veteris, idolum est omnis imago religionis causa efficta; Is ergo colit Idola, qui coram imaginibus incurvatur, & procumbit Isa. 2. 8. 9. vel eas per se quolibet religioso cultu proprie dicto, qui quocunque nomine veniat, soli Deo debetur, adorat. Imo qui imagines, non per se quidem coluerunt, sed in Imagine prototypum, Idololatræ dicuntur, ut Israelitæ in cultu vituli aurei Exod. 32. 4. 5. & in cultu duo-

duorum vitulorum à Jeroboamo erectorum in Dan & Bethel 1 Reg. 12. 28. Nam cultum Bahalis & falsorum Deorum per imagines Achabus postea introduxit 1 Reg. 16. 32. 33. qui ideo malum fecisse dicitur plusquam omnes, qui fuerant ante ipsum. Idem dicitur de Idolo Micæ Jud. 17.3. quod Jehovæ fuit sanctificatum, & cujus Sacerdos describitur ut Sacerdos Jehovæ cap. 17. & 18. Sic Gentiles, quamvis coram Imaginibus prototypum adorarent, nihilo seciùs tanquam Idololatræ justè damnantur. Denique non potest non esse idololatricus cultus, quô Deus colitur modo non debito, sed illicito & vetito. Frustra hic regeritur; non coli Imagines ipsas per se, quod esset idololatricum, sed tantùm relatè ad prototypum, vel prototypum in ipsis. Nam, præterquam quod non pauci ex ipsis volunt Imaginem ipsam propriè & per se coli, ut aliquid sacrum, & terminare ipsum cultum; & non solùm ut vicem gerit exemplaris, ut Bell. fusè docet lib. 2. de Imagin. c. 20. & 22. Legis verba omnem cultum Imaginum, sive absolutum, sive relativum expressè vetant. Ubi vero Deus cultum latriæ respectivum, cujus objectum proximum sit Creatura, remotum verò Deus, instituit? Annon eadem distinctione olim moscholatris Israëlitis, adeoque Paganis ipsis idololatriam suam incrustare proclive fuisset? Deinde si σχέσις ad prototypum eximeret ab idololatriæ crimine, nulla unquam esse posset idololatria circa Imagines Divinitatis; quia non possunt coli ut imagines, sine relatione ad prototypum quod repræsentant.

QUÆST. IX.

XIII. Tertiò Si Imagines religiosè coli possent, hoc fieret, vel *propter se*, vel *propter exemplar*; Sed neutrum dici potest; non *propter se*, quia sunt intra dignitatem hominis, quæ curâ hominum fiunt & conservantur, utpote res inanimatæ manui & phantasiæ artificis subjectæ. Unde toties simulachrorum cultus vetatur Psal. 115. 8. Isa. 40. 18. Jer. 10. 14. Habac. 2. 18. 19. quia sunt opus manuum hominum. Non *propter exemplar* vel Deum, vel Sanctos; Nam Deus in Imagine, in qua nomen suum non posuit, coli non vult, & in imagine materiali non potest repræsentari. Sancti verò nec per se, nec in Imaginibus colendi sunt.

3. Quia nec possunt coli propter se, nec propter exemplar.

XIV. Quartò Imaginum cultus incognitus fuit in Ecclesia Christiana quatuor primis seculis; Patet ex variis testimoniis Patrum illum impugnantium, *Origenis*, lib. 3. contr. Celsum p. 135. & l. 7. p. 386. *Tertull.* Apol. c. 12. & lib. de Idololatria, *Clement: Alexand.* in protrept. *Lactan.* lib. 2. c. 1. *Epiphanii* epist. ad Joh. Hieros. T. 2. quod refertur ab Hiero. epist. 61. ad Pammachium. *Augustini* in Ps. 113. 2. ex Concilio Elibertino, ubi expressè ita sancitur Can. 36. *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* 3. quia Patres cultum Imaginum passim Paganis objiciunt, & Gentiles Christianis probrum hoc objicientibus respondentes, cultum Imaginum apud Christianos usitatum nunquam afferunt ad tollendam, aut mitigandam saltem suæ in Idola super-

4. Quia incognitus fuit in prisca Ecclesia.

QUÆST. IX. superstitionis invidiam, quod non omisissent proculdubio, si tale quid in usu jam fuisset apud Christianos. Quia non modò nihil tale reponunt, sed defectum altarium & simulachrorum tanquam impietatem maximam illis objiciunt, à quo ut se purgent crimine Christiani, tantùm abest ut quicquam de Imaginum usu vel cultu apud se referant, quin potiùs variis rationibus utantur, quæ evincunt impossibile, aut illicitum, & inutile esse Imagines divinitatis facere. Quòd Judæi in disputationibus cum Christianis imaginum cultum, qui ipsis summè exosus erat nunquam objiciunt. Quia varii ex Patribus Artem pictoriam, vel ut absolutè illicitam, vel ut vanam & inutilem damnarunt; Ex quibus, & similibus aliis rationibus, colligitur invictè in Ecclesia primitiva cultum Imaginum nondum obtinuisse, quod solidè more suo persequitur Celeb. Dallæus lib. 1. & 2. de Imagin. 4. Quia non pauci ex Pontificiis hoc fatentur. *Cassander consult.* tit. de Imagi. *Certum est initio prædicati Evangelii aliquanto tempore inter Christianos præsertim in Ecclesiis Imaginum usum non fuisse*, Et post, *quantum autem veteres initio Ecclesiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerint, declarat unus Origenes* &c. *Tandem picturas in Ecclesiam admissas* ait, *ut rerum gestarum historiam exprimentes, aut Sanctorum Virorum veras effigies referentes* &c. Erasmus in Catech. *Usque ad ætatem Hieronymi erant probatæ Religionis Viri, qui in Templis nullam ferebant imaginem, nec pictam, nec sculptam, nec textam, ne Christi quidem* &c. Ibid. *Nam ut Imagines sint in Templis nulla præcepit vel humana constitutio, & ut facilius est, ita tutius quoque omnes Imagines è Templis submovere.* Lilius Gyraldus syntag. lib. de Diis gentium p. 20. *Illud certè non prætermittam, nos, dico Christianos, ut aliquando Romanos, fuisse sine Imaginibus in primitiva quæ vocatur Ecclesia.* Polyd. Virgil. de Inven. rerum, lib. 6. cap. 13. testatur *Simulachrorum cultum omnes ferè veteres Patres damnasse, ob metum idololatriæ, quâ nullum execrabilius crimen esse potest.* Quæ verba cum sequentibus quibus docetur, Mosem nihil magis inculcasse, quàm ne populus aliquid manufactum veneretur; Et Prophetam dixisse, *confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, Index Expurgat. ex Concilii Tridentini sanctione delenda censuit.

XIV. Quamvis verò post quartum seculum, sub initium quinti *Paulinus* Episcopus Nolanus, & *Severus* Bituricensis Episcopus, picturas quasdam historicas curaverint in basilicis, quas extruxerant, faciendas; non ideo fiebat, ut essent imagines illius quod religiosè colitur, neque ut ipsæ illæ picturæ religiosè colerentur; sed tantùm ut essent historica & commonitoria symbola, nec non basilicarum ornamenta, ut patet ex epist. 13. Paulini ad Severum. Cùm verò paulatim ex usu Imaginum, cultus earum à quibusdam introduceretur, factum est ut initio sexti seculi *Serenus* Massiliensis

Epi-

Episcopus, & *Gregorius I.* Romanus huic superstitioni obviam ire voluerint, licèt diversà viâ; Ille quidem eas tollendo penitus, Iste verò retinendo quidem, sed sedulò populum monendo ad memoriam tantùm utiles esse, non verò ullo modo adorandas; Unde scribens *ad Serenum*, ait, *Zelum quidem Vos, ne quid manufactum adorari possit, habuisse laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus*. Cùm vero sensim ex retentione Imaginum, rediret earum cultus, & superstitione paulatim serpente tàm in Occidente, quàm Oriente invalesceret; Varia Decreta ab Imperatoribus facta sunt de tollendis imaginibus, à Leone III. Isaurico anno 726. à Constantino Sexto Caballino, dicto Copronymo, ejus filio, qui congregatis Constantinopoli 338. Episcopis Oriente in VII. Synodo œcumenica Decretum contra Imaginum cultum fieri curavit anno 754. à Christophoro, & Nicephoro Imperatoribus anno 775. à Leone IV. an. 780. Licèt verò Irene Leonis IV. uxor rerum in Orientis potita, impubere filio, Imagines quibus impensè delectabatur, restituere sategerit, congregatâ Nicææ Synodo Generali, quæ earum cultum contra Constantinopolitanam sancivit an. 787. Non defuerunt tamen se huic opponere varii Imperatores in Oriente, Nicephorus I. & Stauratius anno 810. Leo V. Armenus anno 814. Michaël II. Balbus, & Theophilus anno 824. 829. 830. 832. Michaël III. Porphyrogenius anno 866. Vide *Decreta Imperialia* de Cultu Imaginum.

QUÆST. IX.

XVI. Sed inprimis in Occidente *Carolus Magnus* Decretum Nicænæ II. Synodi ita indignè tulit, ut non modò peculiari libro, qui sub titulo *Capitularis Caroli Magni* habetur, novissimè recuso, quem verum esse & genuinum Authoris fœtum, quicquid Baro. & Bell. in contrarium afferant, vel solum Hincmari Archiepisc. Rhemensis lib. 4. c. 28. testimonium, & Adriani Papæ ad Carolum prolixâ epistolâ de hoc argumento respondentis, luculenter demonstrat; eruditissimè cultum Imaginum adversus Pseudosynodum Nicænam impugnarit, sed & Synodum Francofurti indixerit Anno 794. quæ Nicænam damnavit, & severum Decretum contra Imaginum cultum fecit. Ex quo Occidentalis Ecclesiæ Præsules omnem omninò Imaginum venerationem constanter repudiasse, tam clarum est, ut Baronius, & qui Patrum Bibliothecam ediderunt, nobilissimos ejus ævi Scriptores in ea fuisse opinione, licèt inviti, fateantur; In quorum numero est *Agobardus* Episcopus Lugdunensis, *Claudius* Taurinensis, *Jonas* Aurelianensis, qui Claudium quidem arguit intemperantiæ, quòd sustulerit imagines, cæterùm cum eo consentit, nullatenus esse adorandas Tom. 4. Bibl. Patr. lib. 1. *Valafridus Strabo* Tom. 10. Bibl. Patr. p. 668. Quod fortius confirmatum fuit in Synodo Parisiensi à *Ludovico Pio* Caroli filio congregatâ an. 825. per P. Pithæum publicatâ, in qua rursus damnatus est Imaginum cultus. Unde Pithæus præf. in hist. P. Diaconi, *Sane si verum seriò volumus, nuper admodum nostri homines*, notat Gallos, *imaginosi esse cœperunt.*

QUÆST. IX. Quot autem quantæque ab octavo seculo turbæ excitatæ fuerint super Imaginum erectione, & cultu inter *Iconoclastas*, & *Iconolatras*, tum in Oriente, tum in Occidente, fusè referunt Ill. *Plessa.* in Histo. Papa. & *Forbes.* in Instruct. Theol. lib. 7. qui etiam cap. 12. historicâ de Imaginibus à tempore Concilii Francofurtensis ad XIII. usque seculum continuatâ narratione, ostendit Gallorum & Germanorum usque ad seculum illud in rejiciendis Imaginibus constantiam. Vide etiam *Dallæum* de Imag.

XVII. Ante Concilium Trid. non pauci inter Pontificios, in venerationem Imaginum & abusus notorios circa earum usum invecti sunt, ut Guliel. *Durandus* Episcopus Mimatensis, Johan. *Billet* Theologus Parisiensis, *Gerson*, *Biel*, & alii. Imò durante Concilio *Sebastianus* Elector Moguntinus Synodum Provincialem habuit, in qua sancitum, Imagines non ad adorationem aut cultum iis deferendum in Templis proponi, sed ad ea tantùm in memoriam revocanda, quæ adorari oportet, apud Histo. Conc. Trid. lib. 3. Eò pertinet, quòd *Catharina Medicea* Galliæ Regina an. 1561. ad Pium IV. literas dedit, quibus inter alia petiit, *ut Imaginum usus a Deo vetitus, & à B. Gregorio damnatus è loco adorationis prorsus tolleretur.* Et anno 1562. ejus jussu Valentinus & Sagiensis Episcopi, Butillerius, Espensæus, & Picherellus delecti ad consultandum de ratione ineundæ cum Protestantibus concordiæ, inter alia hoc caput proposuerunt, *Ut S.S. Trinitatis effigies è Templis tollatur, ut corona & vestes imaginibus non imponantur, ad eas vota & oblationes non fiant; in supplicationibus non circumgestentur; Crucis signum non amplius colatur.* Licet verò exinde post Concilii sanctionem, cultus Imaginum in Ecclesia Rom. passim obtinuerit; Non defuerunt tamen semper, nec desunt etiamnum hodie plurimi inter ipsos, quos tam crassæ idololatriæ pudet; Unde tot distinctiones, prætextus, & fuci excogitantur ad occultandam hanc superstitionem, & tanti criminis invidiam amoliendam, quibus tamen nequidem ipsi sibi satisfacere possunt. Imo Bellarm. lib. 2. de Imagi. cap. 22. 23. concedit, *si de reipsa agatur, Imagines posse coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quò exemplar colitur: sed quoad modum loquendi ad populum dici non debere imagines ullas adorari debere latriâ*, quasi nefas sit dicere, quod facere tamen licet.

XVIII. Quinto Dissensus Pontificiorum, & variæ ac incertæ, imo inextricabiles sententiæ eorum super adoratione Imaginum falsitatem dogmatis satis arguunt; Dum alii Imagines eodem cultu, quô exemplar colendas esse pertendunt; Imagines scilicet Dei, Christi, & Crucis, cultu latriæ, Imagines B. Virg. cultu hyperduliæ, & Sanctorum duliæ, ut Thomas cum familia sua, & plerique Scholastici: Alii vero cultu inferiori à cultu exemplaris, ut Bellarm. & alii. Alii propriè & per se colendas esse; Alii tantùm per accidens, analogicè & reductivè ad exemplar. Cùm ergo inter

Cul-

Cultores Imaginum nondum constet, An verè & propriè adorari debeant, QUÆST.
& quo genere cultûs sint afficiendæ, perperam talis cultus populo præscribitur, IX.
per quem in præsentissimum & perpetuum adducitur idololatriæ periculum: Quotusquisque enim est vel ex plebe, imò & ex doctis, qui tales distinctiones, vel intelligat, vel intellectas ritè applicet? ut per abstractionem mentis, dum procumbit coram imagine, non proprium ullum cultum; sed relativum & analogicum illi exhibeat, vel cultum tantùm inferiorem cultui prototypi ipsius? Quis contrà non videt in praxi confundi, quæ magno molimine in theoria Doctores conantur distinguere ad palliandam nimis horrendam idolomaniam? Bellar. sanè hoc non potuit dissimulare, qui loquens de distinctione *latriæ absolutæ*, & *relativæ*, ait lib. 2. c. 22. *eos qui defendunt Imagines adorari latriâ, cogi uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.*

XIX. Aliud est *incurvare se ad scabellum* pedum Dei id. versus Arcam, quæ ita vocatur, ut symbolum gloriosæ Dei præsentiæ; Aliud verò *ipsum scabellum adorare*, Prius damus, sed non Posterius. Nec contrarium probatur ex Psal. 99. 5. quum jubet Psaltes השתחוו להדום רגליו id. *adorate, vel incurvate vos ad scabellum pedum ejus*, ut v. 9. להר קדשו *ad montem sanctitatis ejus*; Ubi *locus* publicæ adorationis proponitur, non *objectum*, quomodo Chald. reddit, *adorate in domo sanctuarii ejus*, Et LXX. eadem verba Ps. 132. 7. reddunt προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον, *adorabimus ad locum, in quo steterunt pedes ejus.* 2. jubentur pii se incurvare versus Templum Ps. 5. 8. quod tamen colendum non fuisse omnes fatentur.

Fontes Solutionum. *Ps. 99. 5.*

XX. A *Cherubinis*, & *Serpente æneo* ad Imagines non valet consequentia. Aliud est symbolum, emblema, & typus rei alicujus, quomodo Serpens æneus typus fuit Christi; Aliud verò Imago. 2. Nec Cherubini, nec Serpens æneus adorati sunt, fatente ipso Vasquezio. Deus quidem pollicetur Exod. 25. 22. se responsurum Mosi è medio Cherubinorum, sed eos adorare nuspiam præcipit, nec ad cultum sunt positi, utpote extra conspectum populi supra Arcam in Sancto Sanctorum. Quoad Serpentem æneum, tantùm abest ut religiosè coli debuerit, ut etiam dejectus sit & contritus ab Ezechia Rege, cùm colere illud Judæi inciperent 2 Reg. 18. 4. sanati ergo fuerunt Israelitæ, non cultu religioso hujus serpentis, sed ejusdem aspectu juxta Dei mandatum facto. Nec obstat quòd in sublimi loco positus sit, quod postulabat ratio typi, & aspectus necessitas. Nam & Sol & astra sublimi loco posita sunt, non utique ad cultum.

Ex. 25. 22. *2 Reg. 18. 4.*

XXI. Adoratio Angeli, quæ facta fuit non semel à Patriarchis, non favet cultui Imaginum, quia adorabant Angelum increatum, qui non tantùm erat Jehovæ, sed ipse Jehova, ut ex circunstantiis locorum clarè colligitur, & ostensum est alibi Loc. VII. Q. 9. Th. 22.

QUÆST. IX.

Gal. 3. 1. XXII. Quum Apostolus Gal. 3. 1. dicit *Christum fuiße ante oculos Galatis depictum, inter ipsos crucifixum*, non loquitur de imaginum crucifixi efformatione, quæ vel penicillo pictoris, vel dolabrâ statuarii sint factæ; sed de prædicatione Evangelii, per quam exhibetur nobis ut crucifixus, quum Paulus nihil aliud sibi proponit docendum, quàm Christum crucifixum 1 Cor. 2. 2. & verbum προεγράφη, quo utitur Apost. aliud non significat.

XXIII. Honor Imaginis non transit ad prototypum & exemplar, nisi id ipse voluerit aut instituerit, qui exemplar est. Sin verò prohibuerit Imaginem sibi fieri, aut eam honorari, injuriâ afficitur, si quis adversus ejus voluntatem eat, quod hic à Deo factum pertendimus. Nec bona intentio potest hic sufficere, quia de bonitate operis, non ex intentione facientis, sed ex mandato Legislatoris judicandum est.

Exod. 20. 7. Phil. 2. 10. XXIV. A Cultu *Nominis Dei*, qui præscribitur Exod. 20. 7. & Phil. 2. 10. ad cultum Imaginum non valet consequentia, quia tunc nomen, non pro syllabis & literis præcisè sumitur; sed pro ipsa re per nomen significata, quo sensu Hebræi ipsum Deum שם *nomen* nuncupare solent.

XXV. Licèt Christiani signo Crucis, sed ἀνυπάρκτῳ, & in aere certo digitorum motu formato tantùm, ante Constantinum M. jam usi legantur, ut ex Tertul. de Coro. mili. c. 3. constat; non factum fuit ullâ lege Scripturæ, sed solâ consuetudine, ut ibidem fatetur, nec hoc signum adhibebant ut adorandum, vel ut operativum ex opere operato, ut falsò pertendit Bell. lib. 1. de Imag. c. ultimo; sed tantùm ut signum discretivum, & tesseram, quâ se invicem Christiani internoscerent, &, ut quod probro ipsis vertebatur, quòd crucifixum colerent, illi gloriæ adscriberent, teste *Masio* in Jos. 22. Hinc *Minutius Felix* in Octavio, *Cruces*, inquit, *nec colimus, nec optamus, vos plane qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes forsitan adoratis.* Si Constantinus M. visione cœlesti, quæ victoriam in signo crucis portendebat, cum his verbis ἐν τούτῳ νίκα, permotus perhibetur, ut Labarum in formam crucis conficeret; Et si Helena ejus mater lignum crucis apud Jerosolymam invenisse ann. 326. quod quàm suspectum esse debeat, vel solum silentium Eusebii docere potest; Non propterea cultus ullus Cruci redditus legitur: Imò Ambros. in orat. funeb. Theodosii hoc expresse refellit, *Helena*, inquit, *invenit titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum.* Si exinde crucis imagines paulatim introductæ sunt in Oratoria Christianorum, repugnantibus licèt multis viris piis, non erant adhuc adorationis objecta, sed fidei Christianæ symbola, donec subsecutis temporibus, & potissimùm circa seculum 8. in Pseudo-Nicæna Synodo sub Irene, cultus iste sancitus est.

QUÆSTIO

QUÆSTIO X.

An Cultus tantùm, Annon etiam formatio & usus Imaginum Religiosarum in locis sacris præcepto secundo sit prohibitus? Affirm. contra Lutheranos.

I. PRæcedenti Quæstione actum est de *Imaginum Cultu*; Nunc ulteriùs inquirendum superest de earum *Usu*; An præcepto de Imaginibus, præter adorationem, etiam ipsa factura earum sit prohibita? Ubi res nobis erit, non modo cum Pontificiis, sed etiam cum Lutheranis, qui licèt cultum imaginum aversentur & damnent, ut illicitum, & superstitiosum; εἰκονοποιίαν seu Imaginum efformationem, & usum in locis sacris tanquam legitimum, si non ad cultum, saltem ad historiam, & rerum gestarum memoriam propugnare conantur.

II. Non quæritur, An omnes in universum cujuscunque sint generis imagines, etiam in usu civili & œconomico à Deo prohibeantur, quasi ars πλαστικὴ, & picturæ omnes æquè ac sculpturæ damnarentur: Quamvis enim nonnullis Veterum, tam Judæorum, quàm Christianorum hoc visum sit; ut ex Clementis Alexandrini, Tertulliani, & aliorum variis locis constare potest, qui omnem Imaginum usum absolutè interdictum censebant, quò faciliùs Christianos ab horrenda Gentilium Idolomania abstraherent. Perperam tamen hoc statui, vel sola Tabernaculi & Templi structura docere potest, in quo variæ figuræ Cherubinorum, boum, & aliarum rerum affabrè elaboratæ à peritis artificibus videbantur, quibus Deus ad id mentem indiderat. Ita non damnamus Imagines *historicas* rerum gestarum, vel Virorum magnorum, vel *symbolicas*, quibus virtutes & vitia repræsentantur, vel *politicas*, quæ monetis imprimuntur. Sed hic agitur de *Imaginibus sacris & religiosis*, quæ ad pietatem excitandam aliquid conferre existimantur. *Status Quæstionis.*

III. Non quæritur, An liceat creaturas depingere, & rerum gestarum historias penicillo adumbrare, vel ornatûs gratiâ, vel oblectationis ergò, vel etiam ad institutionem, & rerum præteritarum μνημόσυνον: Hoc enim nemo nostrûm negat. Sed An liceat Deum ipsum & Trinitatis Personas imagine aliquâ repræsentare; si non per immediatam & propriam similitudinem ad exprimendam perfectam imaginem naturæ Dei, quod Pontificii fieri non posse fatentur: saltem per analogiam, seu metaphoricas & mysticas significationes; Quod Adversarii volunt, Nos negamus.

QUÆST. X. IV. Non quæritur denique, An Imagines Virorum Sanctorum domi habere liceat ad piam eorum recordationem, & imitationis exemplum; Sed An in locis sacris putà Templis & Oratoriis collocare eas fas sit, non ad cultum & venerationem, sed ad commonefaciendos fideles, & ciendos eorum affectus, per rerum præteritarum memoriam, quod Lutherani cum Concilio Francofurtensi statuunt; Nos negamus.

Imaginum usum illicitum esse probatur. 1. Ex mandato secundo Exod. 20.

V. Rationes sunt; 1. Quia Deus expressè hoc vetuit præcepto secundo, ubi duo prohibentur, tum *facere Imagines* religionis ergò, tum *eas colere*: Nec reponendum est 1. intelligi tales imagines, quibus essentiam Dei homines conantur exprimere, non autem, quibus vel Deus, vel Sancti in apparitionibus repræsentantur. Nam hoc falsum esse exinde patet, quòd nulla foret hoc prohibendi necessitas, quia nemo ita est fatuus & insanus, ut per symbolum aliquod externum & corporeum, spiritualem ipsam Dei essentiam repræsentare velit: Imò si accuratè & Philosophicè loqui volumus, ne minima quidem creaturæ essentia potest exprimi, sed tantùm externa lineamenta. 2. Vel notari tantùm Imagines falsorum Deorum; quia de Deo non repræsentando per ipsum Mosem luculenter exponitur Deut. 4. 12. imo & Deus ipse optimus Legis suæ interpres hoc innuit Isa. 40. 18. Hinc Israëlitæ Deum imagine vituli repræsentantes, graviter reprehensi, & puniti sunt Exod. 32. Et pii Reges non minùs Judæorum, quàm Ethnicorum idola sustulerunt, sicut populo suo utrumque præcepit, Deus, ut altaria Cananæorum demoliretur, statuas frangeret, & Deos fusiles sibi non faceret; Exod. 34. 13. 17.

2. Ex Dei natura. Is. 40. 18.

VI. Quia Deus utpote ἄπειρος, & ἀόρατος nulla imagine potest repræsentari; Isa. 40. 18. *Cui assimilabitis Deum fortem, & quam similitudinem*, vel imaginem ut habet V. V. *ponetis ei?* quo Paulus respiciens Act. 17. 29. *Progenies Dei cùm simus, non debemus existimare auro, & argento, aut lapide, sculpturæ artificis, & excogitationis hominum Numen esse simile.* Unde Deus in promulganda Lege nullam sui similitudinem exhibere voluit, ut populus ab omni ejus imagine sibi abstinendum esse tanquam re

Deut. 4. 15.

illicitâ, imo & impossibili intelligeret, Deut. 4. 15. *Quapropter cavebitis vobis ipsis valde, nam non animadvertistis ullam similitudinem, quô die alloquutus est vos Jehova* &c. *ut non corrumpatis vos, & faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulachri, formam maris aut fœminæ* &c. Quod Apostolus in Gentilibus carpit Rom. 1. 23. *Qui mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quodrupedum, & reptilium.* Quanquam ne hoc quidem latuit varios ex ipsis Ethnicis, qui nefas esse ducebant Numen ullâ imagine repræsentare velle. Plutar. in Numa. *Hic autem*, scilicet Numa, *vetuit imaginem aliquam Dei, homini aut ulli animali similem: neque ante erat apud illos, aut sculptile aliquod, aut fictile Dei repræsentamen. Verum*

totis

totis illis 160. qui præcesserant annis, templa quidem perpetuò ædificabant, ac tuguria sacra, sive sacella erigebant: nullum autem corporeum simulachrum faciebant, non sanctum scilicet judicando meliora assimilare pejoribus, nec Deum aliter nos attingere posse quàm solâ mente. Sic Antiphanes de Deo, *Deus ex imagine non dignoscitur, oculis non cernitur, nulli similis est, quare nemo illum ex imagine discere potest.* Et Herodotus lib. 1. *Persæ*, inquit, *nec statuas habent nec aras, & hac facientes insanos putant quod non (ut Græci) sentiunt Deos ex hominibus ortos.* QUÆST. X.

VII. Tertio, Quia id à locis sacris abesse debet, quod ad cultum Dei non pertinet, & cum idololatriæ periculo conjunctum est. At Imagines in locis sacris ad cultum Dei non pertinent, siquidem Deus à sui cultu expressè eas Lege submovit, & cum idololatriæ præsentissimo periculo conjunctæ sunt, quia homines maximè plebeii, ad superstitionem naturâ proni, ad cultum earum ipsâ loci reverentiâ moventur, experientiâ teste; nam ut bene agnoscit *Brochmannus* c. 7. de Lege q. 1. *quævis potius imagines semovendæ sunt, quàm ut prostare sinamus cultus religiosi causâ contra expressum Dei mandatum.* Frustra hic regeritur, prohiberi quidem occasionem peccati per se, non item eam quæ est per accidens: aliàs Solem è cœlo tollendum fore, qui innumeris occasionem Idololatriæ præbuit, abusum ergo tollendum esse, sed non legitimum earum usum. Nam abusus quidem non tollere debet usum legitimum, si talis aliquis detur ex Dei instituto, quod supponunt Adversarii, Nos negamus. 2. Excip. cultum solum facere imagines illicitas, à quo Lutherani profitentur se abhorrere. Resp. Licèt expressè non colantur ab ipsis, ut à Pontificiis procumbendo in genua, & thus illis adolendo, vel preces fundendo; non possunt tamen dici immunes ab omni cultu, si non directo, saltem indirecto & participato, quia pertendunt se per Imagines & ad earum intuitum concipere sanctas de Deo & de Christo cogitationes, quæ non possunt non ad cultum Dei pertinere, ut ita Deum revera colant per Imagines. Deinde si non coluntur ab ipsis, possunt ab aliis coli putà Pontificiis, si ingrediantur in Templa ipsorum, atque ita earum usum in Templis illicitum reddere, expositum idololatriæ periculo, quô Idololatræ in errore suo confirmantur & innumeri non modò infideles Judæi & Mahumedani, sed fideles Christiani offenduntur.

3. quia cum idololatriæ periculo conjunctus est.

VIII. Non potest ergo vitio verti Majoribus nostris, quod tempore Reformationis, Imagines omnes ex locis sacris removeri curaverint; Nihil enim hic factum, quod à Deo non sit præscriptum Num. 33. 52. Deut. 7. 5. Ezech. 20. 7. & exemplis variis Regum & Imperatorum confirmatum, qui in destruendis Idolis, & ab omni idololatriæ specie repurgandis locis sacris operam sedulam posuerunt, ut factum ab Ezechia, *qui amovit excelsa; fregitque statuas, & excidit lucum, contudit etiam serpentem æneum, quem fecerat*

QUÆST. X. *fecerat Moses, eo quod usque ad dies illos Israelitæ adolerent ei*, 2. Reg. 18, 4. & à variis Imperatoribus, qui ideo nomen Iconoclastarum obtinuerunt.

Fontes Solutionum.

IX. Licet Deus sub visibili forma aliquando apparuerit, & sub tali specie nobis describatur in Scriptura, quum membra, & actiones corporeæ illi tribuuntur. Non sequitur licere eum in Imagine repræsentare. 1. Quia idem Deus, qui ita apparuit, severe tamen prohibuit, ne ullam sui imaginem Israelitæ fabricarentur; potuit scilicet Deus sibi facere sermonem, corpora, & symbola, quibus singularem suam præsentiam testaretur; non tamen propterea homo potest Deo facere imaginem & statuam, in qua se homini exhibeat. 2. Species illæ corporeæ in visione tantùm fuerunt exhibitæ, quæ non essentiam Dei, sed opera, externamque gloriam aliquatenus adumbrarent, & quidem extraordinariæ non ordinariæ, temporales non perpetuæ, non palam omnibus propositæ, sed huic vel illi, maximè in spiritu oblatæ; nihil ergo cum Imaginibus commune habent. 3. Aliud est metaphorice loqui de Deo ad captus nostri modulum; Aliud speciem ejus visibilem quasi veram & propriam fingere, & omnium oculis publicè subjicere.

X. Non interdicitur absolutè factura Imaginum, sed cum geminà limitatione, ne fiant Imagines ad Deum repræsentandum Deuter. 4. 36. nec adhibeantur ad cultum ejus. Ergo facere imagines, & eas colere, non se habent in mandato secundo tantùm, ut medium, & finis, sed ut duæ partes interdicti divini; Nec enim vetantur tantùm imagines in quantum sunt objectum vel medium cultûs, sed in quantum fiunt simpliciter religionis ergò, vel in locis sacris collocantur.

XI. Ab *Imagine mentali*, ad *Imaginem sculptam vel pictam* non valet consequentia, quia illa est necessitatis, siquidem conspicere non possum rem ullam sine aliqua specie ejus, aut ideà in animo efficta. At imago ista conjuncta semper est cum spiritu discretionis, quo verum à falso ita secernimus, ut nullum sit idololatriæ periculum. Sed ista meri arbitrii & voluntatis opus, quod à Deo expressè est prohibitum, & quod magno cum idololatriæ periculo semper est conjunctum. Unde perperam non minus peccatum dicitur Imagines certarum rerum menti objicere, vel scriptis comprehendere, & legendas exhibere; ac eas in tabula delineatas visui subjicere; cùm magnum sit inter ista discrimen.

XII. Non valet consequentia à figuris Templi Jerosolymitani, ad Imagines Christianorum: Quia illæ fuerunt præceptæ, istæ verò non; illæ typicæ, impletæ in N. T. hæ non; illæ positæ fere extra populi conspectum, & adorationis periculum; quod de istis dici non potest. Neque hic obtendenda est libertas Christiana, quæ non est licentia quidvis faciendi circa Dei cultum, sed est immunitas à maledictione Legis, & servitute cæremoniarum. Ad quas cùm figuræ illæ pertinuerint, utique in N. T censendæ sunt abrogatæ.

XIII. Tantùm abest, ut Imagines rectè dicantur *Idiotarum Libri*, &

& pietatis ac devotionis religiosæ adjumenta, ut Spiritus S. testetur esse *doctores vanitatis & mendacii* Jer. 10. 8. & Habac. 2. 18. Alius est liber omnibus tàm peritis quàm imperitis consulendus, qui peritos facit & doctos; Scriptura scilicet, quæ continuò legenda & meditanda est fidelibus, ut ad salutem sapientes reddantur. Sed hanc Papa adimit populo, ut inextricabili errore implicetur, & ne ab ea redarguatur: aliosque libros mutos, quibus non tollitur, sed fovetur ignorantia substituit, quia non timet ne quid adversus eum mutiant. Sic dum pro doctoribus dat lapides, populus vertitur in lapides, fitque nihilo doctior suis doctoribus. Unde *Augustinus* lib. 1. de consensu Evangelistarum, ubi agit de Imaginibus Petri & Pauli, quarum occasione quidam in errorem inciderant; *Sic nempe*, inquit, *errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus, non in sanctis Codicibus, sed in pictis parietibus quæsiverunt.* 2. malè actum fuisset cum Judæis, quibus istos libros denegavit Deus, quibus tamen ut simplicioribus magis erant necessarii.

QUÆST. X. *Jer.* 10. 8. *Habac.* 2. 18.

XIV. Quicquid dicatur de utilitatibus Imaginum in locis sacris, non potest nec debet opponi mandato Dei eas prohibentis, & gratis hoc supponitur, non probatur. Sacra signa sunt Sacramenta, non Imagines; Ornamenta Templorum, Verbi pura prædicatio, Sacramentorum legitima administratio, & sanctitas disciplinæ; Media mentium in attentione retinendarum, sunt ipsius Dei præsentia & Majestas, & Mysteriorum sacrorum difficultas, & excellentia.

XV. Non sufficit imagines per prædicationem Verbi ejicere ex cordibus, nisi auferantur etiam ex locis sacris, ubi non possunt extare sine idololatriæ periculo.

QUÆSTIO XI.

AD PRÆCEPTUM TERTIUM.

An Quævis Juramenta ita conscientiam obligent, ut illa observare necessitate inevitabili obstricti simus? Dist.

I. AD Præceptum Tertium pertinet nobilis Quæstio de *Fide Juramenti*, seu Qualis sit & quanta Juramenti obligatio, & quibus in casibus fidem datam rescindere possimus, vel servare teneamur; Cujus decisionem Tribus Propositionibus complectimur.

Quæstio de Fide Juramenti tribus Propositionibus deducitur.

QUÆST. XI.

1. Propositio. Juramentum illicitum est irritum.

II. Prima. *Omne Juramentum, quod Legi Dei repugnat, & obedientiæ legitimæ erga Magistratum, quod est vel de rebus illicitis, vel impossibilibus, non obligat jurantem ad sui observationem.* Quia Juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, & nemo cogi debet ad aliquid iniquè perpetrandum, hic enim semper obtinere debet illud Apostolicum, *Satius est obedire Deo, quam hominibus.* Quo pertinet tritum illud Isidori Hispalensis C. in mal. Causa 22. q. 4. *In malè promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè voveris ne facias.* Et alterius Isidori Pelusiotæ lib. 4. ep. 96. ἄμεινον γὰρ ἐν τοῖς ἐναγέσι τὰ κακῶς ἐπαγγελθέντα λύειν καλῶς, ἢ τὸ δοκεῖν εὐορκεῖν κακῶς, *Præstat in iis quæ habent atrocitatem facinoris, male promissa bene rescindere, quàm male videri servare juramentum.* Hinc illicitum fuit, & per consequens non obligatorium *juramentum Davidis* cum fervore jurantis se ferro deleturum universam Nabalis domum ob negatum commeatum 1 Sam. 25. 22. 23. *Herodis* promittentis fœminæ impurissimæ caput Joh. Baptistæ Mat. 14. 7. *Judæorum*, qui in cædem Pauli conjurarunt Act. 23. 21. Talia juramenta non tantùm non obligant, quia res mala nullam vim accipit à juramento, sed si observentur augent reatum: quia tum duo peccata committuntur, unum ejus speciei cujus est factum per se consideratum, alterum contra religionem, ex abusu nominis Dei, quatenus propositum malum autoritate Dei firmatur. Hujus generis sunt Vota Monastica, quæ ut malè fiunt, ita pejus observantur, & legitimè revocantur.

III. Hujusmodi vitiosa juramenta varia sunt. 1. resp. *materiæ*, quæ sunt, vel de rebus illicitis, vel impossibilibus. 2. resp. *personarum*, quæ jurare non possunt, quales sunt pueri, amentes, stulti, ebrii, phrenetici, aut qui aliàs judicio rationis uti non possunt; tales etiam sunt, qui non sunt sui juris, sed sub aliorum potestate, ut liberi, servi, fœminæ, &c. qui cùm juramento se, invitis iis quibus subjecti sunt ad aliquid obligarunt, jure non sunt obstricti, sed rescindere illud debent juxta præceptum Domini Num. 30. 4. etsi hoc prætextu cultus & religionis fiat. Ita quum aufertur ratio formalis Juramenti, Juramentum cessat ratione eventus, qui casus est eorum qui jurarunt se obedituros Domino aut Principi alicui, qui postea desinit esse talis.

2. Propositio. Juramentum de re licita & possibili obligat.

IV. Secunda Propositio. *Omne Juramentum de re licita & possibili, quod salvâ pietate & obedientiâ Magistratui debitâ, & salute proximi præstari potest, absque omni fuco & dolo servari debet, etiamsi per vim aut metum extorqueatur, & cum injuria & damno temporali jurantis conjungantur, quia tale juramentum fit cum invocatione Nominis divini, quod non est profanandum.* Veritas ejus nititur disertis Scripturæ verbis Lev. 19. 11. 12. *Ne mentimini, neque fallaciâ utimini in proximum suum. Neque jurate per Nomen meum ad fallaciam ullam:* & Mat. 5. 33. *Non pejerabis, reddes autem Iuramenta tua Domino*, Sic Psl. 15. 4. *Qui juravit malum*, id. malum damni, quod

quod rebus suis obesse videt, non delicti, *& non mutat, habitabit in monte Domini.* Quamvis injuria facta tollat obligationem respectu hominis injuriam inferentis, quoniam in injuria nullum jus fundatur; manet tamen obligatio Deo facta, quæ sine irreverentia & injuria Dei non potest insuper haberi. Atque hic est casus hominis ad juramentum à latronibus adacti, de redemptionis pretio solvendo, qui vel jurare non debet, vel juramentum factum religiosè observare, quia juramentum factum est Deo qui non irridetur. 2. non factum est simpliciter ab invito, sed est actio mixta, in qua aliquid est voluntarii, quia inter pecuniæ solutionem, & vitæ redemptionem eligit id quod est melius. 3. res promissa est possibilis & privata, cui religio & veritas semper est præferenda. Nec dicendum, sic latrocinia & rapinas stabiliri, si latroni solvatur, quod vi extorsit. Quia hoc fit per accidens, nam viator qui juravit, nec juvat latrones, nec probat ipsorum factum, sed vitam suam redimit solvendo, quod jurando promisit. Potest verò malo huic pro virili occurrere, Magistratui furtum revelando. Nec obstat si juraverit insuper latroni silentium, quia est juramentum de re illicita, quod habet speciem alicujus collusionis cum latronibus, & si maximè non haberet, justitiam tamen impedit, improbos in malitia sua confirmat, & proximis in discrimen vitæ incidendi occasionem præbet, & sic multis modis in pietatem, justitiam, & charitatem peccat. QUÆST. IX.

V. Hoc ipsum confirmatur exemplo Israelitarum erga Gibeonitas, qui licèt fœdus cum ipsis juramento sancitum fecissent, dolo ipsorum decepti, quasi essent peregrini è locis remotissimis, detecto postea fuco & fraude non rescindunt juramentum, sed bonà fide implent, quamvis essent ex illis gentibus, quas Deus internecioni devoverat Jos. 9. 18. *Nos juramento promisimus eis per Jehovam Deum Israelis, ideo nunc non possumus tangere eos. Hoc faciamus eis, ut eos servemus in vita, ut non sit super nos indignatio, propter illud juramentum quò juravimus eis.* Et ne quis hoc factum tanquam Deo minùs probatum damnet, gratum sibi fuisse lætà & miraculosà victorià testatur Jos. 10. 13. Et cùm Saul elapsis jam à fœdere centum annis, quosdam è Gibeonitis occidisset; testatus est Deus quantum sibi factum hoc displicuerit immissà fame, nec nisi suspendio septem filiorum Saulis expiari potuit hoc perjurium 2 Sam. 21. 1. & seq.

VI. Ut Religio Juramenti pertinet ad forum divinum; Ita non subest foro humano; Unde nulli generi, aut ordini hominum est concessa absolutio à Juramento; Vel ex toto per dispensationem, quæ est simplex vinculi solutio, vel ex parte per commutationem solvendo, quæ est vinculi ab una materia in aliam translatio.

VII. Tertia Propositio. *Fides jurata etiam hæreticis & infidelibus servanda.* Opponitur sententiæ receptæ apud Pontificios, fidem hæreticis non esse servandam, quæ & superiori seculo, & hoc nostro horrendarum laniènarum & cædium adversus Protestantes nefandè exercitarum, fuit fundamentum

3. Propositio. Fides jurata etiam hæreticis servanda.

QUÆST. XI. damentum. Primi hujus perfidiæ authores fuerunt ipsi Pontifices Romani, qui hoc non modò senserunt, sed & palam professi sunt, & praxi sua comprobarunt 1. contra Excommunicatos, (qui ipsis sunt loco infidelium.) Imperatores, Reges & Principes, quibus nec ipsi fidem servant, nec servare alios volunt. Quod cœptum à Gregorio III. contra Leonem III. Iconomachum. 2. contra infideles a Religione alienos, ut constat vel ex uno exemplo Uladislai Poloniæ Regis contra Amurathem Turcam, qui impulsu Juliani & Francisci Cardinalium fœdus violavit, & fidem datam fregit. 3. contra prætensos Hæreticos, ut factum erga Johannem Hussium & Hier. Pragensem in Concilio Constantiensi. Quod acriter à Jesuitis hodie retinetur & urgetur.

VIII. Fateor nonnullos ex Pontificiis, quos tam propudiosi dogmatis pudet, ab hac impia sententia videri alienos, imò negare hoc dogma esse Pontificium: Sed frustra & falsò hoc dici patet, vel ex uno Concilii Constantiensis decreto, Sess. 19. *Præsens sancta Synodus ex quovis salvo conductu per Imperatorem, & alios seculi Principes, hæreticis, vel de hæresi diffamatis, (putantes eosdem sic à suis erroribus revocare) quocunque vinculo se astrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ vel Jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse, vel debere declarat; quominus dicto salvo conductu non obstante, liceat Judici competenti & Ecclesiastico, de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint: etiamsi de salvo conductu confisi, ad locum venerint judicii, aliàs non venturi, nec sic promittentem, cùm aliàs fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Quod & statim ipsa praxi confirmatum est in Johan. Husso & Hiero. Pragensi, qui contra fidem datam, & salvum conductum Sigismundi Imperatoris nefariè combusti sunt. Nec debuisset Concilium Trident. Sess. 25. in salvo conductu dato Protestantibus *pro hac vice derogare* nominatim Concilio Constantiensi, & illi axiomati de fide hæreticis non servandâ, nisi alias hoc agnovisset esse dogma constans Communionis Romanæ. Nec alia mens Thomæ 2. 2æ q. 97. art. 1. qui statuit *Hæreticum hominem prodendum esse Judicibus, non obstante fide & Juramento*, & Toleti Cardin. Inst. Sacerd. lib. 1. c. 13. num. 7. *qui tenebantur*, inquit, *aliàs obnoxii vinculo fidelitatis, vel juramenti alieni, liberantur à tali vinculo, si is inciderit in excommunicationem*; at omnes hæretici ipso facto sunt excommunicati. Quod confirmat *Azorius* Insti. mora. p. 1. lib. 8. c. 13 & *Directorium inquisitorum*, p. 3. q. 129. ubi docetur, *Omnes illos, qui aliquo obligationis genere alicui tenentur adstricti, tunc liberari penitus, cùm illi quibus obligati erant in hæresim inciderunt. Hæc pœna*, inquit Author *de amisso jure obligationum, multos parit effectus, nec pigebit aliquos referre. Primum ergò is*

apud

apud quem hæreticus aliquid deposuit, non tenebitur post manifestam ejus hæresim rem hæretico restituere. Rursus nec Catholica uxor debitum reddere viro hæretico obligabitur &c. His adde quod Custodes Arcium, Castrorum, vel Civitatum, ea Domino hæretico restituere non tenentur, neque ejus nomine custodire. Denique quicunque vassalli omni obligatione, etiam juramenti religione, quo Dominis suis tenebantur obstricti, ipso jure liberantur. Sic *Simanca* Cardin. de Instit. Cathol. lib. 46. art. 52. *Ad pœnam quoque pertinet, & Hæreticorum odium: Quod fides illis data servanda non sit, &c. cum hæreticis nullum commercium, nulla pax Catholicis esse debet. Quamobrem fides illis data etiam juramento firmata contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra jura divina & humana, nullo modo servanda est.* Eò pertinent impia Decreta Pontificum de liberatione subditorum à juramento fidelitatis erga Principes, sive propter hæresim, sive propter excommunicationem: Nec aliò respicit mysterium æquivocationum Jesuiticarum, & dispensationum Juramentorum, quam ut hominibus illudant, pacta omnia & fœdera ita eludendo, ut vix aliquis tutò cum ipsis contrahere possit. Quantò rectior hic Caroli V. mens, qui dum ad fidem datam Luthero tanquam hæretico frangendam sollicitabatur, generosè respondit, *Etiamsi in toto orbe terrarum fides exularet, tamen apud Imperatorem immaculatam eam manere debere.* Hæc etiam Orthodoxorum est sententia gravissimis rationibus nixa. QUÆST. XI.

IX. Primò, Quia fidem servare est actus veritatis, justitiæ, & fidelitatis; Nam qui fidem servat præstat quod dicit, quod est veritatis; facit quod promisit & ad quod obligatus est, quod est fidelitatis; & reddit alteri, quod ei ex promisso debetur, quod est justitiæ.

X. Secundò, Quia infidelibus fidem jurare licet, ergo & fidem servare, patet exemplis Abrahami fœdus pangentis cum Abimelecho Gen. 21.23.24. Isaaci c. 26.26. Jacobi c. 31.53. exploratum apud Rahabam Jos. 6.22. Israëlitarum erga Gibeonitas Jos. 9.15. Hæreticorum non potest esse deterior conditio.

XI. Tertiò, Quia Deus talia perjuria severissimè ultus est in filiis Jacobi contra Sichemitas Gen. 34. & 49. in Saule propter Gibeonitas 2 Sam. 21. in Sedechia adversus Nebucadnezarem 2 Chron. 36. Ezech. 17. In Uladislao Poloniæ Rege adversus Amurathem Turcam, in Rodolpho Suevo contra Henricum IV. Imperatorem.

XII. Quartò, Quia connubia cum infidelibus solvenda non sunt propter infidelitatem & hæresim, nec fides jurata propter eam violanda est 1 Cor. 7.13.14. Ergo nec alia pacta quæcunque, quia utrobique intervenit religiosa sponsio.

XIII. Quintò, Quia fides jurata ipsis hostibus servanda est, naturæ, gentiumque jure, & constat eximiis exemplis Reguli, Agesilai, &

 aliorum,

QUÆST. XII. aliorum, At sub jure illo non minùs infideles & hæretici, quàm ipsi hostes continentur.

QUÆSTIO XII.

An in Juramentis uti liceat Æquivocationibus amphibologicis, & reservationibus mentalibus? N. cont. Pontificios, & inprimis Jesuitas.

Status Quæstionis.

I. AD Quæstionis statum intelligendum, observa 1. non quæri de Æquivocationum *usu Rhetorico*; Constat enim frequenter uti illis Rhetores in figura antanaclasi & πλοκῇ dicta, & in tropo Ironiæ, ut in vulgato epigrammate.

Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem?
Sustulit hic Matrem, sustulit ille Patrem.

quomodo in Scriptura eadem vox diverso sensu sæpe in eodem loco ponitur Joha. 1. 10. Marc. 8. 35. Nec de *usu Logico*, qui sæpe obtinet in disputationibus, & aliis sermonibus πειραστικοῖς, qui exercendorum, & contra sophismata muniendorum ingeniorum causâ instituuntur. Sed de *usu Theologico*, & *Ethico* in testimonio dicendo, aut in Judicio, vel Confessionis casu. An præter ambiguitatem grammaticam, vel logicam, quæ vel ex ancipiti verborum sensu, vel ex orationis structurâ, vel ex circunstantiarum variâ dispositione sæpe locum habet, alia admittenda sit Theologica, sub aliquo limitationis prætextu, per quam aliud ore profitemur, aliud pectore clausum tenemus, ut eludantur quæsita Judicum, & veritas occultetur?

II. Non quæritur de *Limitatione propositâ*, vel explicitè, vel implicitè, nec de *suppositâ*, quæ vel ex communi colloquentium consensu, vel ex aliis circunstantiis in medio positis facilè potest colligi; tales enim limitationes sive restrictiones logicas, quæ ex propositis eliciantur, vel utrinque supponantur, & subintelligantur, licitas esse, & sermonem à mendacio & perjurio liberare nemo negat. Sed agitur de *Limitatione suppositâ* tantùm, & subintellectâ ab eo qui loquitur, quæ parit æquivocationem verbalem, vel realem. *Verbalis* est, quum verba ipsa quæ usurpantur, sunt ambigui sensus, & illo sensu recipiuntur à jurante, quem audientes cupit celare, ut alio sensu ab ipsis accipiantur: ut si quis rogatus, An Petrus esset domi, responderet, non est, id est, non comedit. *Mentalis* quum verba ipsa quæ adhibentur unum simplicem habent sensum, sed per tacitam restrictionem

aut

aut interpretationem, quam sibi in mente reservat, in alium commutantur: Quæst. XII.
quò pertinet Francisci Assisii responsum, qui rogatus, quà perrexisset quidam homicida, qui juxta eum transierat, manus in manicas immittens, respondit, non transisse illàc, intelligens, non transisse per illas manicas: Hoc modo Jesuitæ plerique statuunt, Sacerdotem rogatum, An sit Sacerdos, si vel à non Juridico rogetur, vel rationabilem habeat causam veritatem dissimulandi, posse respondere, se non esse Sacerdotem, dummodo intelligat se non esse Sacerdotem Baalis, aut non esse Sacerdotem, ut hoc alteri dicat.

III. Quæstio eò redit, Utrùm *Æquivocatio* & amphibolia, non Rhetorica, vel Logica, ex indifferenti verborum significatione; aut sententiæ constructione, aut circunstantiarum collatione; sed *Ethica* ad fallendum composita, quæ mente reservat limitationem nullo intelligibili modo propositam, nec utrinque suppositam & subintellectam, sed ab eo tantum qui loquitur intus reservatam, locum habere possit, vel in Judicio, vel in Confessionis casu, vel in communi hominum colloquio, & excuset à mendacio, & si juramento confirmatur, à perjurio? Affirmant Adversarii, Nos negamus.

IV. Æquivocationum Magistri jam fuerunt olim veteres Hæretici; ob eas infames fuerunt *Basilidiani*, qui docuerunt fidem esse dissimulandam, aut perjurio negandam, ut martyria devitarentur, Iren. lib. 1. c. 23. Euseb. lib. 4. hist. c. 7. Idem post eos secuti sunt *Priscillianistæ*, de quibus Aug. de hæres. cap. 70. ait, propter occultandas contaminationes, & turpitudines suas, habere illos in suis dogmatibus ista verba, *Jura, perjura, secretum prodere noli*: Nota etiam est Arii κυβεία, quâ Constantini de fide Nicæna elusit examen apud Niceph. hist. lib. 8. c. 51. superiori seculo idem dogma velut ab orco revocarunt Jesuitæ omnis perfidiæ Magistri. Quamvis verò illud non libenter, sed penè inviti in medium proferant, & inter Societatis suæ arcana habeant, tamen in scriptis non dissimulant, & factis ipsis satis comprobant. Apertè hanc artem defendunt *Toletus* Cardin. lib. 4. Instr. Sacerdo. c. 21. *Suarez* tom. de Virt. & Statu Relig. tr. 4. lib. 3. c. 10. 11. *Lessius* de Justi. & Jure cap. 47. dub. 6. S. 35. *Emmanuel Sà* in Aphor. in voce *Juramentum*, & *mendacium*, *Sanchez* lib. 3. Decal. cap. 6. *Valentia* ad 2. 2. q. 110. & alii plures, *Azorius*, *Maldonatus*, *Parsonius*, *Eudæmon-Johannes* in Apologia pro Garneto, qui ex professo & operosè hanc causam agit. Quibus omnibus addi debet *Garnetus* ipse, qui ex praxi & apologia coram Judicibus artem hanc probavit, ut videre est in Actis contra Proditores Anglicanos per Cambdenum editis, & in Apologia Regis Jacobi pro juramento fidelitatis. Et hi omnes ex ordine Jesuitarum; Cum quibus faciunt *Navarrus* Canonista c. 12. Manualis. *Bannes* in 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 8. *Glossa Juris Canonici* ad cap. *Ne quis* 22. qu. *Vincentius Candidus* in Disq. Morali. disp. 26. art. 3. dub. 1. & alii plures.

V. Quamvis

QUÆST. XII.

V. Quamvis verò Becanus clamet fieri injuriam sibi sociisque, qui doceant sincerè, candidè, & seclusà omni æquivocatione loquendum esse & respondendum. Facilè tamen colligi potest eum more suo tergiversari, & æquivocatione ludere. Quia statuit reum non teneri ad confitendam veritatem, si Judex non servat in interrogando legitimum juris processum; Censetur autem Judex non servare ordinem Juris, quando interrogat de occulto crimine, de quo neque fama est contra reum, neque judicia competentia, neque plena probatio, & in tali casu non vult reum mentiri, si neget à se patratum crimen, si videlicet crimen sit adhuc occultum, quasi Juris ordo pendeat ex æstimatione ipsius rei.

VI. Fatendum tamen non paucos animosè, & apertè impium hoc dogma rejicere & oppugnare, quales sunt *Malderus* tract. de restrictionum mentalium abusu cap. 4. *Sepulveda*, in opusculo de ratione reddendi testimonii. *Paulus Sylvius* Theologus Duacenus, & præcipuè *Ioh. Barnesius* Benedictinus, qui peculiarem tractatum edidit contra Æquivocationes cum approbatione Facultatis Theologicæ Parisiensis, qui doctrinam suam probat consensu *Thomæ*, *Scoti*, *Gersonis*, *Lombardi*, *Cajetani*, *Soti*, & omnium Scholasticorum melioris notæ.

VII. Hanc sententiam Orthodoxi constanter sequuntur. Licèt enim *Becanus* per calumniam in manuali suo lib. 5. cap. 21. ut nefaria Jesuitarum doctrina tantisper oculis Lectorum subduci posset, sparso hoc quasi sepiæ atramento nobis adscribat, *nos strenuè uti hac arte, & quod nos facimus, ipsis per calumniam impingere*; quem sequitur *Brochmannus* in Syste. Theo. Tr. de Lege c. 6. q. 4. ipsos tamen strenuè mentiri palam est, ex constanti Nostrorum doctrina, & praxi. Nec calumniæ favet, quod ex Beza uterque affert, quòd in confessione sua asseruerit an. 1556. *Corpus Christi vere & realiter esse præsens in Cœna, &c.* quia veram & realem præsentiam & perceptionem Christi fidelibus in Cœna admittimus, licèt Corporalem & Capernaïticam rejiciamus.

Non licere uti æquivocationibus in Juramentis, probatur ex Heb. 6. 16.

VIII. Rationes nostræ sunt, 1. Quia Juramentum debet esse omnis controversiæ terminus, ex Apost. Hebr. 6. 16. sed ubi adest æquivocatio, multiplicantur potius, quàm finiuntur lites, cùm nihil pateat, unde colligat pars altera, an bonà fide agatur necne. Nec hîc valet distinctio *Iudicis competentis*, vel *non competentis*, qui juridice procedat, vel non procedat, ut coram Judice juridice procedente, æquivocandum non sit, sed liceat coram non competente. Nam etiam inter hostes servanda est fides, nec considerandum est *cui*, sed *per quem* juraveris. Et quanquam in aliquo casu, ut agnoscit *Thomas* 2. 2. q. 69. art. 2. non modò licitum sit, sed & laudabile *veritatem tacere, ubi efferre non teneris, falsitatem tamen proponere in nullo*, inquit, *casu licet alicui.* Nam ut de Juramento Lombar. & Canonistæ 3. sent. dist. 39. quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui con-

conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit: Sic simplex asseveratio æstimanda est, non ex subdola reservatione, sed ex convenientia enunciationis prolatæ cum re proposita ab interrogante; siquidem ad eum dirigatur. Nec interest, utrùm Judicem alloquatur competentem, vel hostem, aut amicum. Ut enim scriptum mendax non mutuatur veritatem à lectore, sicut nec mendax assertio à quovis auditore. QUÆST. XII.

IX. 2. Quia Scriptura hanc artem apertè damnat, dum perstringit eos, qui in ore suo pacem loquuntur proximo, & in corde ponunt insidias Jer. 9. 8. & eos qui ambulant in astutia, 2 Cor. 4. 2. Unde vult abrenunciari τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης περιπατοῦντων ἐν πανουργίᾳ & præcipit, ut *in manifestatione veritatis nosmet ipsos commendemus, non tantum coram Deo, sed & apud omnium hominum conscientiam.* Frustra excipiunt, se non passim & sine delectu æquivocationem permittere, sed quando justa tegendi necessitas ita requirit, ut cùm verè respondeas, fugias tamen ejus conscientiam, qui arcani rescisccndi nullum jus habet. Quia gratis supponitur justam dari necessitatem tali æquivocatione utendi; quæ sine mendacio esse non potest. Quamvis ergo nolint locum habere debere, vel in rebus fidei, aut in contractibus, quibus aliis possit esse præjudicio, nec in rebus moralibus, ut communi usu vitæ, quando veritas inter amicos requiritur; sed vel in *necessaria defensione* ad evitandum magnum aliquod damnum, vel ad assequendum non parvi momenti bonum; alibi ulteriùs extendunt *in quolibet alio utilitatis, aut virtutis actu*, ut ait Garnetus, ubi *mentalis reservatio censetur expediens & studiosa*, ut *Zanchez* pertendit. *In causa Religionis persecutionis tempore, potest quivis, & fortasse obligatur*, inquit Parsonus, *uti æquivocatione.* In cæteris autem per hanc singularem doctrinam, ut ait Navarrus, *possumus evitare innumera peccata.* Hoc pacto juxta ipsos licitum erit æquivocare quando & quoties libet, ut rectè ex variis ipsorum casibus ostendit *Masonus* in nova arte mentiendi cap. 3. Quod quàm periculosum futurum sit Ecclesiæ, Reipublicæ, & reciprocis singulorum commerciis nemo non videt. *2. Quia Scriptura hoc damnat.*

X. 3. Quia hoc Juri divino, naturali, & civili repugnat. *Divino*, quod vetat fieri mala ut eveniant bona. *Naturali*, quia est falsa significatio, pugnans cum natura, & cum proposito fallendi conjuncta. *Civili*, quia hoc posito suspecta erunt colloquia, juramenta, contractus, commercia, nihilque tutum & securum erit. *3. Quia repugnat Juri divino & naturali & civili.*

XI. 4. Quia Magistratui imponere, & ejus interrogata ambiguis responsis eludere nefas est, quod præstant æquivocationes Jesuiticæ, quia sic Deo imponunt, qui præest Judiciis, & cujus nomine exercentur, 2 Chron. 19. 6. & sic omnia judicia Magistratus dissolvuntur, cùm per æquivocationem nec veritas inquiri, nec controversiæ de- *4. Quia imponit Magistratui.*

QUÆST decidi queant, nec sontes puniri, & insontes absolvi possint.

XII. XII. 5. Mentalis æquivocatio sine gravissimo peccato non potest adhiberi, 1. quia est mendacium directum & manifestum, quia aliud tegitur pectore, aliud ore profertur, idque cum fallendi intentione, & verbis itur tam contra mentem & conscientiam testis, quàm contra rem ipsam. Nec elabitur qui dixerit, hic nullum intervenire mendacium, quia æquivocans enunciat falsum, non quidem fallendi, sed seipsum conservandi studiò. Quia qui aliter sentit quàm loquitur, alterum fallit, & fallere intendit, inquit Toletus Insti. v. 8. c. 54. non enim sic profert, nisi ut diversam opinionem in animo alterius generet, quod est fallere. Nec juvat, quòd hoc fieri dicatur ad evadendum; Nam utcunque finis primarius sit ut periculum evadas, intermedius est, ut fallendo evadas. Latro dicet se grassari, non ut viatorem spoliet, sed ut propriis necessitatibus consulat. At Judex reponet, non ideo te condemno, quia tibi ipsi prospexisti, sed quia furari voluisti, ut hoc faceres, nec enim facienda sunt mala ut eveniant bona. 2. Quia juramenti natura per istam simulationem violatur, quæ est testimonium aliis perhibere maximè solemne, quod fieri nequit cùm nihil certi verbis explicamus, sed fictum aliquid & simulatum. 3. Quia gravis est erga Deum injuria, afferre ejus testimonium quanquam ficte ad rem falsam comprobandam. 4. Quia sic aperitur janua omnibus mendaciis fovendis; nihil enim est, ait *Azorius*, tam falsum, quod non queat ab omni mendacio liberari, si aliquid arbitratu nostro mente tacitum retineamus. Facile enim possumus quicquid à nobis petitur negare nos habere, intelligentes scilicet, *ut demus*. & quicquid viderimus aut fecerimus, negare nos fecisse aut vidisse, eo scilicet sensu, ut *aliis dicamus*. Nec reponendum ex oratione vocali, & restrictione mentali, fieri unam orationem compositam & totalem, in qua nulla falsitas est, licere autem homini orationem suam componere ex terminis vocalibus & mentalibus. Quamvis enim talis oratio mixta posset utcunque admitti, quando fidelis secum, aut cum Deo solo loquitur, qui quicquid est in mente nostra æque percipit, ac si verbis exprimeretur: non potest tamen locum habere in testimonio coram hominibus dicendo, quia reservatio mentalis nihil testatur audientibus; qualiscunque ergo fuerit, testimonium non desinit esse mendacium, & si juramento confirmetur, perjurium, cùm illud quod in testimonio oratione vocali significatur, conscientiæ testis repugnet.

5 quia mentalis reservatio est peccatum grave.

XIII. 6. Æquivocatio verbalis non minùs est illicita in juramento, tum quia nihil certi testatur, sine quo juramentum saltem est vanum; tum quia fallit ac decipit audientes, quod juramenti naturæ adversatur; tum quia juramentum istiusmodi mendacium confirmans, perjurium est manifestum ex natura rei, & ex ipsa intentione jurantis, & est profanatio Nominis divini. Nec tollitur perjurii aut mendacii ratio, si injuria nobis inferatur,

6 quia æquivocatio verbalis est illicita.

inferatur, aut minùs juridicè rogemur; quasi fas nobis sit nostro bono consulere, dummodo ambigue loquamur. Nam nulla injuria nobis ab hominibus illata, justam causam præbere potest injuriam faciendi Nomini divino, qualis fit in mendacio, & gravior adhuc in perjurio. Quæst. XII.

XIV. 7. Exemplum Christi, Apostolorum, & Martyrum huc maximè facit, qui nunquam æquivocationibus usi leguntur, quamvis enim Christus interrogatus aliquando obmutuerit, ut se sponte vitam deponere testaretur, tamen ubi respondet Pontifici, & Pilato, apertè loquitur Johan. 18.19. & præclaram confessionem fecisse dicitur 1. Tim. 6. 13. sic se gerunt Apostoli in Actis coram Judæis & Gentilibus, & Martyres ad Tribunalia Judicum infidelium tracti, nunquam vel eluserunt interrogata, vel ambiguè responderunt. *7 pugnat cum exemplo Christi & Sanctorum.*

XV. 8. Quia sententia Adversariorum variis gravissimis absurdis urgetur. Nam si licet enunciationem apertè mendacem ex addita, quam pro libitu quis concipiat, in animo limitatione, veram efficere; sequetur, 1, frustra Deum leges contra mendacium, aut perjurium tulisse, cùm nemo sit, cui talis subinde mentalis non succurrat limitatio. 2. Diabolum non esse Patrem mendacii, vel unquam mentiri, cùm illi nunquam deesse possit talis reservatio. 3. Martyres non tantùm stultos fuisse, sed & veritati, & sibi ipsis injurios, cùm teneatur quilibet maximè in vitæ discrimine, omni legitimâ uti defensione, quâ seipsum expediat, quod ex hypothesi ista Loiolitica facilè fieri potuit. 4. Tollitur omnis fides in Judiciis, Fœderibus, & Contractibus, sive publicis inter Principes aut Status, sive privatis in quibuslibet commerciis, si latet mentalis reservatio, quæ pervertat & dubia reddat omnia. Cùm ergo hæc στρεψοδικοπανουργία tot & talibus gravetur absurdis, patet luculenter quanta ratione tam putidum & prodigiosum commentum rejecerint hactenus & oppugnarint, non modò Orthodoxi, sed & cordatiores ex Pontificiis. *8. variis absurdis urgetur.*

XVI. Aliud est *aliquid veri tacere*, Aliud *falsi aliquid dicere*; Non est mendacium, quum silentio absconditur verum, sed quum loquendo promitur falsum, ut mendacium excusantibus, Patriarcharum exemplo, Priscillianistis respondet Augustin. cont. mendaci. c. 10. Abrahamus potuit aliquid veri tacere, quum Saram non dixit uxorem suam Gen. 12. 18. quia hoc ab ipso præcisè non petebatur, nec necesse erat ut sponte indicaret; sed nihil falsi dixit, quum eam dixit sororem suam, quia *vere*, inquit, *soror mea est*, *filia Patris mei* cap. 20. 12. Deinde exempla Sanctorum in Scriptura memorantur, sed non statim laudantur, nec exemplis, sed legibus vivendum est. Unde Aug. *Hæc quando in Scripturis S. legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla*, contr. menda. c. 9. *Fontes Solutionum.* *Gen. 12 18.*

QUÆST. XII.

XVII. Promissiones & comminationes, quæ tacitam habent conditionem non favent æquivocationi Jesuiticæ; Quia licèt sit tacita & non expressa, non ignota tamen fuit iis quibus proponebantur, ut Interminatio Jonæ Ninivitis facta excidii, notam omnibus inclusit limitationem, *nisi pœnitentiam agerent*, quod ipsum intellexerunt Ninivitæ, ideoque pœnitentiam egerunt. Sic Samuel dum profitetur se ad immolandum Domino venisse Bethlehem, 1 Sam. 16. 5. dicit aliquid quod erat præstiturus, & quod revera præstitit, sed ulteriùs non indicavit quid esset facturus, quia non opus erat.

Jon. 3. 4.

1 *Sam.* 16. 5.

XVIII. Christus non utitur æquivocatione Johan. 7. 8. quum dicit *se non ascensurum ad festum*, cùm tamen tacitè statuisset apud se ascendere, ut fecit paulò post. Quia non negat simpliciter se ascensurum, sed secundùm quid ratione certi temporis, Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω, *Ego nondum ascendo*, quia scilicet præstitutum suum tempus seu hora constituta ascendendi nondum advenerat, ut addit statim: ascensum ergo distulit, non negavit. Sic Marc. 13. 32. simpliciter negat se scire diem & horam judicii sine ulla reservatione mentali, sed hoc intelligit secundùm humanam naturam, quà filius hominis. Gestus Christi, quo finxit discipulis Emauntem proficiscentibus se longiùs iturum, non infert ullam æquivocationem, sed occultationem consilii, quod prudentiæ fuit, non æquivocationis, *Dominus voluit ulterius progredi*, inquit Barradius Jesuita Tom. 4. l. 8. c. 12. *si non retineretur à discipulis. Nil veritas fingit*, ait Ribera, *si eum non tenuissent, transiisset sine dubio, iissetque longius.*

Joh. 7. 8.

Marc. 13. 32.

Luc. 24. 28.

XIX. Aliud est *scrutinium* ad veritatem eruendam, Aliud *subterfugium* ad mendacium palliandum. Primum confirmatur ex Salomonis praxi in meretricum causa, Et Servatoris cum Philippo, quem de panibus percontabatur, *tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus* Joh. 6. 6. Unde constat explorationes longè differre ab æquivocationibus, & prudenter aliquem tentare, aut propositum celare, tam longè abesse à mendacio, ut isti à sinceritate Christiana absint, qui patrocinantur mendacio. In explorando licet celare veritatem; At mentiri, fallere, pejerare, ut tutiùs explores, non licet.

1 *Reg.* 3.

Joh. 6. 6.

XX. Medicorum commenta ad demulcendos phreneticos, subintellectam semper habent modificationem, usu notissimam, ut constet ex re de qua agitur, & fine quem proponunt, illos non fingere ut fallant, sed ficta tantum narrare, ut ægrotantis infirmitati consulant, ubi adjecta in exitu negotii explicatio, non perfida æquivocationis impostura, sanat omnia.

XXI. Quum quæritur quid agendum sit in Principiis aut Patriæ discrimine, vel ad conservandam uxoris aut matris castitatem, vel ad declinandam in proprio periculo Tyranni irruentis sævitiam, vel ad advertendum latronem, & sicarium ab innocuo viatore; Certum & justum elabendi subterfugium haberi non potest in æquivocatione, quæ sine peccato fieri

non

non potest; Audiatur potiùs *Firmus* Episcopus Tagastensis,apud August. de Menda. ad Consen. cap. 13. qui interrogatus de homine ab apparitoribus quæsito, *Nec prodam*, inquit, *nec mentiar*; Et fœmina in equuleo apud Hierony. ad Innocent. *Non ideo negare volo, ne peream, sed ideo mentiri nolo, ne peccem.* Faciendum ergo nobis quod nostri est officii, relictis cæteris Dei providentiæ, quæ novit insontibus prospicere absque peccati patrocinio. Quæst. XIII.

QUÆSTIO XIII.

Ad Præceptum Quartum.

An in Præcepto IV. sit prima institutio Sabbathi, & An mandatum sit partim morale, partim cæremoniale? Prius Neg. Poster. Affirm.

I. AD faciliorem Quæstionis vexatissimæ de Sabbatho intelligentiam, quædam præmittenda sunt, tum de nominis etymo, tum de multiplici ejus significatione. Vera vocis origo, vanas enim & absurdas variorum conjecturas commemorare nihil attinet, non aliunde petenda est, quàm à verbo שבת, id. *cessare*, vel *quiescere*, quod vel ad *existentiam rei* refertur, quando desinit esse, & deficit, ut dicitur de manna Jos. 5. 12. & de gaudio Is. 24. 8. vel ad operationem agentis, quando desinit operari, & ponitur pro quievit, & cessavit ab opere, quæ propria est hujus loci significatio, quæ innuitur Gen. 2. 3. quum Deus dicitur benedixisse diei septimo, quia בו שבת, *eo die quieverat*. Ideo vocatur dies ille שבת, & יום שבת. Græci per παύειν, ἀναπαύειν, & καταπαύειν reddunt, & nomen שבת per ἀνάπαυσιν, ut Josephus c. Appio. lib. 2. & LXX. non semel. Aliàs retinent vocem Hebræam, ut & N. Test. Scriptores, qui ab interpretatione illius abstinuerunt tanquam à re notissimâ, & ut à profanâ & communi quiete distingueretur, ut factum circa alias plurimas voces Hebraicas *Hosanna*, *Pascha*, *Immanuel* &c. *Vocis Sabbathi etymon.*

II. *Usus* & *significatio* nominis multiplex est. Propria & prima, à qua aliæ omnes pendent, & quæ hic intelligitur, est quâ ponitur pro septimo quoque die cujusque hebdomadæ, idque ab eventu, quia Deus absoluta rerum creatione, à novarum specierum creatione cessavit, & voluit, ut is deinceps in rei memoriam quieti hominum destinatus esset, ut non tantum ad Dei imitationem cessarent in eo ab operibus corporeis & profanis, sed & cultui divino vacarent. Exinde verò ob eandem caussam *Sabbathi* nomine notantur omnia festa solennia Judæorum, *Significatio multiplex.*

 licèt

QUÆST. XIII. licèt in diem ſeptimum non incidant Lev. 23. 32. & alibi, quia eodem ferè modo quo Sabbathum hebdomadale celebrabantur. Tertiò, Primus & ultimus dies cujusque feſti, quod plures dies durabat, dicitur Sabbathum, quia ambo ex æquo ſolennes erant. Quò pertinet Sabbathum δευτερόπρωτον, de quo Lucas cap. 6. 1. *Secundò-primum*, ſic dictum, ſive quòd proximè poſt ſolenne Paſchatis ſequeretur, quòd ſit ἀπὸ τῆς δευτέρας πρῶτον, *primum à craſtino* Paſchatis in computo Pentecoſtes, ut vult magnus *Scaliger*: ſive quia erat ultimus dies feſti, qui ut ordine erat Sabbathum poſterius & ſecundum; ita dignitate erat perinde primum aut magnum, ſicut primus dies feſti, qui ſolennis erat propter conventum publicum, qui in eo congregabatur, quaſi diceres primum ſecundariò repetitum, quod magis placet *Bezæ* noſtro, & aliis. Quartò, Sabbathum ſumitur etiam ſynecdo. pro ipſa ſeptimana, quam claudit dies ſeptimus Luc. 18. 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου *bis in ſeptimana jejuno*, & μία σαββάτων 1 Cor. 16. 2. ponitur pro primo die ſeptimanæ.

Luc. 6. 1.

Triplex Sabbathum. III. Rurſus *Sabbathum* triplex in Scriptura obſervatur, Temporale, Spirituale, & Æternum ac Cœleſte. *Temporale* illud eſt, quod Deus fidelibus Vet. Teſt. præſcribebat, quod rurſus, Vel *annuum*, ſeptimus ſcilicet quiſque annus, quo jubebat Iſraelitas terram incultam relinquere, ut ſuam etiam quietem haberet, Lev. 25. 2. & quadrageſimus nonus annus, qui erat annus Jubilæi, quod erat ſabbathum hebdomadarum annorum, de quo Lev. 25. 8. Vel *menſtruum* neomenias, ſeu primi cujusque diei: Vel *hebdomadale*, de quo hic agitur. *Spirituale* conſiſtit in quiete conſcientiæ, quâ fruuntur fideles, & ceſſatione ab operibus peccati, cui incumbere debent toto vitæ ſuæ tempore, quod innuitur Hebræo. 4. 1. 3. 3. *Æternum* & *cœleſte* eſt, quo in cœlum recepti perfectiſſimè tum à peccatis, tum à laboribus & moleſtiis hujus vitæ liberati in Deo æternùm quieſcemus, de quo Heb. 4. 9. *ſupereſt adhuc ſabbatiſmus populo Dei*, requies nim. cœleſtis, ſub qua felicitas æterna ſolet adumbrari.

Temporale. *Spirituale.* *Æternum.*

Prima Quæſtio de origine Sabbathi. IV. Duo præcipuè circa Sabbathum quæruntur, quæ hac quæſtione continentur. Prius de prima origine ſeu inſtitutione Sabbathi. Poſterius de ejus natura & uſu; ſeu quale ſit ejus præceptum, An morale, An ceremoniale, quod utrumque inter Theologos in controverſiam vertitur, & magno animorum æſtu etiamnum hodie agitatur. Nos hic paucis, ſalvo doctiorum judicio, quid ſentiendum nobis videatur aperiemus.

Status Quæſtionis. V. Quoad prius, Non quæritur de Authore Sabbathi; Conſtat enim inter omnes ad Deum ſolum ejus inſtitutionem referendam eſſe, ſed de hujus inſtitutionis primordio & origine; An arceſſenda ſit ab ipſis mundi incunabulis; An verò referenda demum ad Legis promulgationem in monte Sinaï. Plurimi ex Reformatis priorem ſententiam amplectuntur, quorum catalo-

catalogum vide apud Walæum, & Rivetum; Alii nonnulli posteriorem sequuntur. Licet verò suis utraque non contemnendis rationibus nitatur, nec dissensus sit fundamentalis; veriorem tamen & Scripturæ verbis convenientiorem judicamus primam, ad quam etiam accedimus, his potissimum nixi argumentis. Quæst. XIII.

VI. Primò, Quia Deus dicitur statim post absolutam creationem benedixisse, & sanctificasse diem septimum Genes. 2. 3. *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit ipsum, cùm in eo quievisset ab omni opere suo, quod creaverat Deus*, quæ verba clariora videntur, quàm ut possint ullâ distinctione in contrariam sententiam inflecti. Nam non potest dici Deus benedixisse diei septimo, & illum sanctificasse, nisi per Sabbathi institutionem; non alium enim in finem est benedictus ille dies, nisi ut Dei cultui consecraretur in memoriam quietis divinæ ab operationibus creationis; dicitur ergo Deus benedixisse & sanctificasse, quia sanctificando benedixit, à profano & communi usu segregando, & divino cultui dedicando; ut deinceps ab hominibus sanctificaretur per exercitia publica pietatis & solennem Dei cultum. *Probatur institutio Sabbathi ante Legem. 1. Ex Gen. 3. 2.*

VII. Nequicquam Excipitur 1. hæc dici per prolepsin à Mose, ut mandati ostenderet *æquitatem*, non *initium*, ut Deus dicatur hunc diem sanctificasse, non quando cessavit ab operibus suis, sed quando manna dedit, vel quando per Mosem legem tulit. Resp. Sed licèt Scriptura utatur aliquando prolepsi, nunquam eò deveniendum est, nisi cogente necessitate: At hîc nulla necessitas occurrit, quæ prolepsim suadeat, & multæ rationes obstant quominus admitti debeat. Primò, quia ut Deus quievisse dicitur ab operibus suis hoc die septimo propriè & historicè, non prolepticè, ita & benedixisse & sanctificasse illum; uno enim tenore ista proponuntur, & de eodem die septimo creationis debent intelligi, non de alio simili, quod etiam notat articulus ה demonstrativus ter repetitus. Secundò, quia positâ prolepsi sensus verborum Mosis erit, Deus post sex dierum opus peractum quievit die septimo, Ideo post annos bis mille quadringentos & quinquaginta tres benedixit simili diei, & eum ad usus sacros sanctificavit, quod quàm durum sit & coactum nemo non videt. Tertiò nulla solida ratio afferri potest, cur Moses voluerit in simplici historiæ seu rerum gestarum, bis mille annis antequam extiterint, narratione, aliquid inserere quod suo tempore demum factum erat; Cùm hoc apertè tenderet ad historiam quam texebat obscurandam potiùs, quàm explicandam, nullo addito istius prolepsis, vel minimo indicio.

VIII. 2. Excip. sanctificationem & benedictionem istam intelligendam esse ratione intentionis & destinationis, non ratione executionis. Resp. Eo modo dicitur benedixisse diei, quo in illo quievit: at non quievit tantùm intentione, quia destinabat hoc facere, sed reipsa, quia cessa-

vit

QUÆST. XIII. vit ab operibus suis. 2. destinatio non demum facta est hoc die, sed ab æterno; sic dici posset Deus sanctificasse diem Paschatis, & Pentecostes, quia tunc in animo habuit illos sanctificare. 3. Exc. *Licet Deus tunc benedixerit diei septimo, non sequitur tunc Adamo præscripsisse hujus diei observationem*; non enim continuò quibus rebus benedicit Deus, eas custodiendas præcipit, benedicere & sanctificare sunt actiones Dei, non nostræ; At præceptum est de actionibus hominis. Resp. Sed cùm benedictio & sanctificatio non fiat respectu Dei, sed hominis; hinc patet Deum non in alium finem diem istum sanctificasse, id. ab usu communi separasse, & sacro dedicasse, quàm ut ab homine religiosè observaretur.

2 Ex Exod. 16. 23. 25. IX. Secundò, Quia Exod. 16. 23. mentio fit Sabbathi, tanquam jam noti & solennis inter Israëlitas ante ipsam Legis promulgationem, in datione mannæ; quum jubentur colligere die sexto duplam mensuram, quâ possent pasci die sexto & septimo, quod Sabbathum erat Domini. *Illud est*, inquit, *quod edixit Jehova, quies, Sabbathum sanctum est Jehovæ cras, quod coctur(i) estis, coquite hodie*, & v. 26. *sex diebus colligetis, die verò septimo Sabbatho, non erit*, & v. 30. *considerate, quia Deus dedit vobis ipsum Sabbathum, manete quisque in loco, ne exeat quisque è loco suo*, scilicet ad colligendum manna, *sic quiescebat populus septimo die*, quod dici non posset, nisi jam tum Sabbathum institutum fuisset & præceptum à Deo. Nec excipi debet; Hic demum institutum fuisse, quum Dominus ait *cras futurum Sabbathum*. Quia quomodocunque legatur, sive *cras est*, ut plerique Interpretes vertunt, sive in futuro *cras erit*, ut alii nonnulli, quorum neutrum est in *Hebræo*, hoc non notat primam Sabbathi institutionem, sed tantùm ejus confirmationem & hortationem ad illud rite observandum; Nec tam solennis diei institutio, tam obscurè fieri debuit sed solennem etiam & claram præcepti divini declarationem habere debuit.

3 Ex Exod. 20. 21. X. Tertiò, Quia verba Præcepti quarti, *Recordare diei Sabbathi, ut sanctifices illum*, non obscurè innuunt Legem hanc non tunc primò datam fuisse, sed tantùm renovatam, postquam in desuetudinem veluti abierat, ut curam singularem in hac re adhiberent, nec postea traderent hoc mandatum oblivioni, ut antea fecerant, quod verba sequentia confirmant, ubi repetit rationem institutionis allatam Gen. 2. de requie Dei, & benedictione ac sanctificatione diei septimi, quod satis indicat Sabbathum tum institutum fuisse, quando ratio illa locum habuit. Unde *Calvi.* in Exod. 20. 11. *Ex hoc loco*, inquit, *probabili conjecturâ elicitur, Sabbathi sanctitatem fuisse priorem Lege. Et certè quod ante narravit Moses, vetitos fuisse die septimo manna colligere, videtur ex receptâ notitiâ & usu sumptum. Et quum Deus sanctis tradiderit sacrificandi ritum, credibile non est, omissam fuisse Sabbathi observationem.*

XI.

XI. Quartò, Ex Heb. 4. 3. 4 ubi Apostolus probaturus populum Dei superesse adhuc Sabbatismum id. requiem, in quam per fidem sint ingressuri fideles, ut increduli ab ea excludendi sunt propter incredulitatem, ostendit verba Ps. 95. quæ citat, *Juravi in ira mea, si unquam ingrediantur in requiem meam*, eò necessariò referenda esse; Quia cùm Scriptura loquatur tantùm de tribus Sabbatismis Dei, Primo, post opus Creationis, Secundo, post introductionem populi in terram Canaan, Tertio, quoad spiritualem & æternam requiem fidelium & beatorum; & verba Davidis non possint referri, vel ad primam Dei requiem, in quam ab initio intravit, & quam hominibus præscripsit exemplo suo, vel ad alteram, quæ illis per introductionem populi in terram Canaan à Josue procurata est, quia utraque jam diu præteriit; necessariò intelligenda sunt de tertia illa requie, quæ fidelibus in Evangelio per gratiam, & beatis in cœlo per gloriam promittitur. Ita sensus verborum, qui aliàs videtur intricatus, planus est, *Introimus enim*, inquit, *in requiem Dei nos qui credidimus*, *sicut dixit*, *Itaque juravi in ira mea si ingressuri sint in requiem meam*, (licèt enim verba Psalm. sint comminatoria, promissionem tamen ex consequenti includunt, ut in mandatis Dei, quævis jussio prohibitionem, & quævis prohibitio jussionem includit,) Ne verò quis diceret hæc referenda esse vel ad quietem Dei, quæ contigit post opus Creationis, de qua Genes. 2. 3. addit *καίτοι ἔργων* &c. *quamvis opera ejus fuissent absoluta à fundatione mundi*, ut innuat, non posse hoc intelligi de illa requie, de qua Moses ibidem loquitur, quia jam diu præterierat; vel ad quietem Canaan, subjicit v. 8. *Si Josue illos introduxisset in quietem*, scilicet veram illam & salutarem, in qua felicitas consistit, *non loquutus fuisset postea de alio die*; Unde concludit v. 9. *superest ergo sabbatismus populo Dei*, id. quies à prioribus diversa.

QUÆST. XIII.

4. *Ex Heb. 4. 3. 4. Psal. 95.*

XII. Nec hic reponendum requiem illam, de qua agit Apostolus v. 3. & 4. nihil habere commune cum Sabbatho à Deo instituto, quia intelligenda sit de quiete Dei id. Deo ipsi propriâ, non verò hominum. Quia requies Dei non excludit, sed includit necessariò hoc in loco requiem seu sabbathum hominum; nulla quippe ratio dari posset, cur Apostolus requiem illam à jactis mundi fundamentis excipiat, si ea nullo modo ad homines pertinebat, & si sub requie Dei non intellexit eam, quam suo exemplo hominibus præscripsit. 2. Si non includitur hîc Sabbathum hominum, sequetur Paulum omisisse Sabbathum Judæorum, quod non potuit sine rationis quâ utebatur præjudicio, quia objici illi potuisset, esse alium sabbatismum præter illum, quo Deus quievit, & eum quo fruebantur Israelitæ post possessionem Canaan, nim. sabbathum ordinarium hebdomadale.

XIII. Quintò, hoc ipsum confirmat *Pietas* & *Religio* Patrum veterum, quia cùm sit juris naturalis & perpetui, ut certa tempora separentur ad solennem Dei cultum; fieri non potest, quin Adamus

5. *Ex Religione Patrum.*

QUÆST. XIII. & S. Patriarchæ dies aliquos ſacros & ſolennes habuerint, quibus cultus Dei perageretur, in quibus Dei beneficiorum in creatione cœli & terræ recordarentur. Et ſi qui fuerunt tum dies ſacri, conſentaneum eſt diem hunc à Deo inſtitutum, fuiſſe obſervatum, potiùs quàm alios quoſlibet dies, de quibus Scriptura nihil dicit. Fruſtra regeritur, alia potuiſſe eos habere tempora præter hunc diem. Nam cùm hoc nuſpiam dicatur, eadem facilitate rejicitur, quâ proponitur: Nec ſine temeritate alia finguntur tempora, quæ nuſquam memorantur, & præteritur illud tempus, cujus ſanctificationis ante Legem tam diſerta ſit mentio.

6. Ex veſtigiis Sabbathi inter Ethnicos.

XIV. Sextò, Quia non obſcura extant apud Ethnicos monumenta, tum ſeptenarii in genere numeri tanquam ſacri, tum ſeptimæ diei recurrentis ab Ethnicis pro ſacra habitæ, quod non tam videtur ex Judæorum more petitum, quorum Religio erat Ethnicis exoſa, quàm ex Majorum traditione πατροπαραδότως acceptum, & longo uſu ad eos derivatum. Unde Clemens Alexand. Strom. 5. ἀλλὰ καὶ τὴν ἑβδόμην ἱερὸν, οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι, *ſeptimum quemque diem ſacrum eſſe non modò Hebræi, ſed etiam Græci agnoſcunt*, quod probat ex Heſiodo, Homero, Lino, & Callimacho, apud quos ἑβδόμη dies *ſeptimus* vocatur ἱερὸν ἦμαρ *dies ſacer.* Unde Philoni vocatur ἑορτὴ πάνδημος, *feſtum populare*, ad omnes ex æquo Gentes pertinens; ſic & Joſeph. contra Appio. lib. 2. c. 10. *Neque eſt Civitas*, inquit, *Græcorum ulla uſquam aut Barbarorum, nec ulla Gens, ad quam ſeptimanæ, in qua vacamus, conſuetudo minime pervenerit*, apud Tibullum lib. 3. Eleg. 3. dies Saturni vocatur *dies ſacra.* Vide plura apud *Euſeb.* præpar. Evang. l. 13. c. 13.

Fontes Solutionum.
Ex. 16. 29. Ezech. 20. 12. Nehem. 9. 14.

XV. Quamvis Deus per Moſem præceptum de Sabbatho notum feciſſe dicatur Judæis, emphaticâ etiam attentionis provocatione præmiſsâ, Ex. 16. 29. & 31. 13. Ezech. 20. 12. Nehem. 9. 14. Non ſequitur, non fuiſſe ab initio jam inſtitutum. Quia non tantùm dicitur dari, quod primò inſtituitur, ſed etiam quod renovatur, ſi fortè obliteratum, vel neglectum fuerit, vel quod novo & illuſtriori modo clarè ac diſtinctè promulgatur. Sic Pſal. 147. 19. Deus dicitur dediſſe Statuta ſua, & Jura Iſraëli, non ſic feciſſe ulli genti, non abſolutè & ſimpliciter; quia gentes gerunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis Rom. 2. 15. ſed ſecundùm quid & comparate, ratione revelationis, quæ facta eſt in Verbo. Eodem modo notum feciſſe dicitur Sabbathum, quo Lex, & præcepta, & ſtatuta, quæ per Moſem præcepta dicuntur; Iſta enim conjunguntur apud Nehem. 9. 14. At nemo negare poteſt Legem iſtam, moralem ſcil. datam antea fuiſſe, ut & ſtatuta & præcepta cæremonialia varia in ſacrificiorum, & circumciſionis inſtitutione.

XVI. Quæ data ſunt communiter omnibus, nihil obſtat quibuſdam dari ſpecialiter, cum emphatica diſtinctione, & quidem in ſignum ſancti-

ctificationis ipsorum; si quæ olim communiter data sunt, & per negligentiam omissa, vel obliterata, quibusdam postea restituantur, & specialibus de causis commendentur, quod hîc obtinet. Licet ergo Sabbathum in prima sua institutione habuerit usus communes omnibus, & finem generalem, nimirum ad memoriam Creationis celebrandam, opera Dei contemplanda, & cultum Dei publicum exercendum; Nihil vetat, quominus Israelitarum respectu fines speciales habuerit. Ut Iris, quæ signum alioqui naturale erat, facta fuit signum sacramentale rei, quam non antea indicasset, quamvis extitisset. Ita quod signum erat unius beneficii, potuit, accedente novâ benedictione & institutione, signum esse speciale iis quibus ampliatum erat beneficium. Hoc sensu Exod. 31. 13. & Ezech. 20. 12. Sabbathum dicitur datum Israëlitis in signum speciale, ut à reliquis gentibus separarentur, maxime ab Ægyptiis per verum Dei cultum, quod alias signum erat commune. QUÆST. XIII.

XVII. Licet Adamus in statu innocentiæ justus & sanctus debuisset quotidie Deum colere, & opera ejus contemplari; Non obstat hoc tamen, quin statum aliquem diem habere debuerit, quo solennem cultum & publicum Deo redderet, cessando, non quidem ab operibus justitiæ & laudis, quæ continua debuerunt esse, sed a laboribus suis quotidianis in colendo paradiso, quibus ex Dei præscripto etiam incumbere debuit, licet citra molestiam & tædium, ut postea per peccatum contigit.

XVIII. Quamvis in vita Patriarcharum non fiat mentio expressa Sabbathi ab ipsis observati; Non sequitur non fuisse cognitum vel observatum omnino ab ipsis, quia compendiosa est narratio, in qua non necesse est omnia reperiri, quæ ad ipsos pertinebant; Satis fuit Spiritui S. ea attingere, quæ faciebant ad ejus scopum, nimirum confirmare promissiones factas ipsis de Semine benedicto, & texere genealogiam ipsorum ad veritatem historiæ cognoscendam. Sic nulla mentio fit Sabbathi observati tempore Judicum, & Samuelis; unde tamen quis perperam colligeret non observatum fuisse. 2. non legimus Patriarchas ulla stata tempora observasse ad cultum publicum Dei; Et tamen pietas ipsorum nos dubitare vetat, certos dies habuisse sacros & solennes cultui Dei consecratos. Tales autem dies non potuerunt commodiores esse, quàm dies septimi hebdomadales, qui à Deo peculiari ratione benedicti & sanctificati erant ad quietem hominis ad instar quietis Dei.

XIX. Secunda Quæstio agit De *moralitate Sabbathi*, An Præceptum IV. quo Sabbathi sanctificatio sancita est, sit morale & perpetuum, An cæremoniale tantùm & ad certum tempus constitutum. Circa quam Tres occurrunt præcipuæ Theologorum Sententiæ, Duæ extremæ, & Tertia media. Prima quæ statuit Præceptum esse simpliciter morale & perpetuum, Quam sequuntur Judæi; Ad quos accedebant olim Ebionitæ, Cerinthiani, *Secunda Quæstio de moralitate Sabbathi.*

QUÆST. XIII

Apollinaristæ, & alii, communi nomine *Sabbatharii* dicti, qui diem septimum non minùs nunc, quàm olim sanctificari volebant, quos à veteri Ecclesia hæreseos damnatos fuisse notat Euseb. hist. lib. 3. cap. 21. à quibus non sunt alieni, qui etiamnum hodie præceptum hoc absolutè morale esse pertendunt, ut cætera præcepta Legis moralis, adeoque perpetuò observandum. Secunda, quæ asserit esse merè cæremoniale, adeoque abrogatum secundùm se totum per Christum, in qua fuerunt olim *Manichæi* veteres, & hodie *Anabaptistæ*, & *Sociniani*, qui ita abrogatum illud esse volunt, ut ad Christianos nullâ ratione pertineat, Catech. Rako. cap. 1. ad q. 69. respondet *sublatum esse sub N. Fœdere, ut alias cæremonias.* Et Volkc. lib. 4. cap. 14. *Quartum Decalogi præceptum de Sabbatho, quod olim Israëlitis datum erat, est cæremoniale, non morale, & porro ad Christi disciplinam nihil quicquam pertinet.* Nec desunt alii, quibus hæc sententia arridet. Tertia media, quæ vult præceptum hoc esse mixtum, id. partim morale, partim cæremoniale, morale quoad *substantiam*, nimirum cultus divini necessitatem certo & stato tempore, cæremoniale verò quoad *circumstantiam*, septimi diei scil. peculiarem determinationem. Quæ recepta est inter Orthodoxos, cujus veritatem demonstrabimus tribus Propositionibus.

Prima Propositio. Præceptum 4. non est totum morale.

XX. Prima. *Præceptum IV. non est ex omni parte morale & perpetuum.* Probatur & contra Judæos, & contra Christianos, qui absolutam ejus moralitatem adhuc urgent. Primò contra Judæos, Ex naturâ *rerum moralium*; nam *moralia* præcepta *strictè* sic dicta sunt de Lege naturæ, conformia imagini Dei, & notionibus boni & mali, honesti & turpis, quæ principium habent in ipsa natura, & per se faciunt ad bonos mores, adeoque juris sunt æterni & immutabilis. Talis verò non est determinatio septimi diei, quippe quæ sive ἁπλῶς considerata in *se*, nec bona nec sancta sit, sive *comparate* non melior determinatione aliûs diei, nisi ob authoritatem solam præcipientis. 2. Ex *ipso præcepto*, in quo præscribitur determinatio cultus publici ad diem septimum, quæ cùm mera sit temporis circunstantia, eo ipso mutabilis censenda, atque adeò cæremonialis & positiva, non moralis. 3. Ex *fine præcepti*, Quia inter alios fines, habuit etiam rationem *signi*, & *typi*, quod ideo suo tempore abrogari debuit; *Signi* quidem, dum vocatur signum fœderis inter Deum & Israëlitas initi Exod. 31. 13. & Ezech. 20. 12. 20. &c. signum non *indicativum* tantùm *gratiæ præsentis*, sed & *obsignativum futuræ*, non tantùm Jehovam esse Deum Judæorum, sed & Deum illos sanctificantem. *Typi* verò, quia dicitur cum cæteris cæremoniis *umbra futurorum* Col. 2. 16. 17. adumbrans scilicet duplicem fidelium quietem, quam in Christo obtinent, Primam *spiritualem*, tum in quiete conscientiæ à terroribus iræ divinæ, tum in cessatione ab operibus nostris malis, de qua Matth. 11. 28. Roman. 5. 1. Hebr. 4. 3. Isa. 58. 13. 14. Unde cultus

spi-

ſpiritualis N. Teſt. ſolet deſcribi ex ſtylo Spiritus Sancti, qui myſteria Evangelii terminis legalibus ut plurimùm exprimere amat, per Sabbathi celebrationem Iſa. 56. 2. & 66. 23. Alteram *cœleſtem*, quietem ſcilicet non modò ab omnibus peccatis, ſed etiam ab omnibus laboribus & miſeriis hujus vitæ Pſ. 59. 11. Heb. 4. 10. Apoc. 14. 13. 4. Quia à Prophetis ſæpe ſabbatha adnumerantur reliquis feſtis & cæremoniis Judæorum, quæ tamen juris merè cæremonialis & poſitivi fuerunt, & obſervata tantùm ex præcepto, & ob illud. Ergo & Præceptum de Sabbatho affine eſt illis ſecundùm aliquid ſui. QUÆST. XIII.

XXI. Secundò contra Chriſtianos, I. Quia cæremonialia omnia & typica quà talia ſublata ſunt per Chriſtum; Ergo & id quod cæremoniale in Sabbatho. Tale quid autem in eo dari Chriſtus teſtatur, dum eodem ordine illud cenſet, quó Cæremonias alias legales, qualis eſt inſtitutio de panibus propoſitionis, & Sacerdotum λειτεργία in Templo Mat. 12. 3. 4. 5. Imò Sabbathum ibidem ab eo *ſacrificii* nomine comprehenditur, & *ſacrificii* quidem contradiſtincti *miſericordiæ*, v. 7. 8. II. Quia Dominus teſtatur Marc. 2. 27. 28. *Sabbathum factum propter hominem, non hominem propter Sabbathum, & Filium hominis eſſe Dominum Sabbathi*, adeoque illius ſanctionem aliùs naturæ eſſe à præceptis aliis, obnoxiam etiam Filio hominis, qui ejus abrogandæ poteſtatem habeat reſpectu ejus quod eſt merè poſitivum, quod de aliis dici nequit. III. Quia Apoſtolus expreſsè hoc tradit Col. 2. 16. 17. dum ait, *Nemo vos judicet in cibo, parte feſti, vel novilunii, vel Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum, Corpus autem Chriſti*; Ubi I. Sabbathorum obſervationem cum aliis cæremonialibus conjungit, ut quid homogeneum, cum *diſtinctione ciborum, dierum feſtorum*, & *novilunii*. 2. illa omnia vocat σκιὰν τῶν μελλόντων, *umbram futurorum*, ubi verba ἅ ἐςι non tam ſunt διακριτικὰ, quàm αἰτιολογικὰ, ut ratio reddatur quare non ſint ſervanda ampliùs Sabbatha, *quia ſunt umbra futurorum*. 3. illis opponit Chriſtum, ut corpus, in quo & per quem res ſignata fuerit exhibita. Fruſtra regeritur non intelligi Sabbathum hebdomadale, ſed alia varia, quæ apud Judæos obtinebant, quæ typica erant. Quia ſupponitur gratis quod probandum eſt, & verba Apoſtoli hoc non patiuntur; quia cùm generalia ſint, & agant de *Sabbathis* in plurali ſine ulla limitatione, ad omnia debent etiam extendi, nec noſtrum eſt reſtringere, quod Apoſtolus non reſtrinxit. 2. quia feſta hîc diſtinguuntur à Sabbathis. 3. Sabbatha intelliguntur præcipuè, quæ præcepto 4. ſancita, quæ frequenter recurrebant, & quorum obſervationem exigebant Judæi & Sabbatharii inter primos Chriſtianos. Nec tamen inde bene concludi poteſt Sabbathum ergo eſſe merè cæremoniale, ut qui ſunt in ſententia contraria inde argumentantur, quia non ſtatim quod eſt cæremoniale certo reſpectu, atque adeò mutabile, debet eſſe omni ex parte tale, ut poſtea fuſiùs probabitur. IV. *ab*

Marc. 2. 27.

Col 2. 16. 17.

QUÆST. XIII. *absurdo.* Si præceptum hoc est ex omni parte morale & perpetuum; Ergo obligamur adhuc hodie sub N. Test. ad observationem præcisam septimi diei, nec translatio ejus potuit fieri in diem Dominicum.

Fontes Solutionum. XXII. Quamvis præceptum de Sabbatho contineatur Decalogo; Non sequitur esse omni ex parte morale, quia Decalogus non est tantùm compendium Legis moralis, sed in eo datur fundamentum totius Legis Mosaicæ, cujus tres erant partes, moralis, cæremonialis, & forensis. Unde præter Legem moralem, quæ præcipuè hic traditur, datur etiam radix omnium cæremoniarum, quibus divinus cultus tum temporis constabat in prima tabula, ut in secunda fundamentum Politiæ Judaïcæ, & Legum ipsius Judicialium. Distinguenda ergò hic *res præcepta*, & *circumstantia rei*, Res præcepta moralis est, circumstantia verò rei, cæremonialis, vel merè saltem positiva.

Ex. 31. 16. 17. XXIII. Sabbathum vocatur ברית עולם *fœdus perpetuum* Exod. 31. 16. 17. non ratione *perpetuitatis* absolutæ, sed *comparatæ* & *periodicæ* propter diuturnitatem ejus usus in Veteri Test. ut vox עולם sæpe sumitur pro duratione memorabili, sed pro natura rei limitata, quo modo tribuitur circumcisioni Gen. 17. 13. panibus propositionis Lev. 24. 8. oblationibus primitiarum Num. 18. 19. Sacerdotio Num. 28. 23. & passim עולם de tempore œconomiæ legalis usque ad Messiam usurpatur; imò & pro minori spatio Jubilæi scil. tempore, Exod. 21. 6. *servus* dicitur *serviturus in perpetuum* id. ad Jubilæum usque.

XXIV. Ex eo quòd Lex de Sabbatho data sit ante lapsum, ut ad exemplum Dei dies ille ab homine sanctificaretur, bene colligitur esse præcipuâ sui parte moralem; sed non statim sequitur esse absolutè & simpliciter talem; Non enim quicquid Deus Adamo præcepit aut vetuit, est ex se & in se bonum & malum moraliter, quod vel ex esu arboris scientiæ boni & mali patet.

XXV. Immutabilitas Dei, & constantia Decretorum ejus, facit quidem, ut ea quæ sunt juris naturalis Dei, vel ab eo decreta sunt in perpetuum, perpetua etiam sint, & nunquam mutentur: sed non eadem est ratio eorum quæ sunt Juris positivi, & quæ ad certum tantùm tempus instituuntur, quale fuit Sabbathum Mosaïcum, quoad circumstantiam temporis & modum observationis Judæis præscriptum.

Secunda Propositio. Præceptum 4. non est merè cæremoniale. XXVI. Secunda Propositio. *Præceptum* IV. *non est omni ex parte cæremoniale.* Rationes sunt 1. Quia est præceptum Decalogi, quo Lex moralis continetur; Cujus ideo nullum præceptum datur, quod sit merè cæremoniale. 2. Quia finis ejus est moralis, tum primus, publicus nimirum & solennis Dei cultus, positus in consideratione & meditatione operum ejus, & in exercitiis publicis pietatis, qui non potest præstari sine determinatione stati cujusdam & solennis diei, illi cultui dicati; tum subordinatus, cessatio nimirum ab opere servili ad servorum & brutorum aliquam rela-

relaxationem. 3. Quia officium quod præscribitur morale est, sanctificatio scilicet Sabbathi, diem illum ab aliis segregando, & sanctis usibus, nimirum exercitiis pietatis & cultus erga Deum, & charitatis erga proximum consecrando. 4. Quia ratio & motivum præcepti ab exemplo Dei ad imitationem nobis proposito, quiete scilicet ejus illo die, ejusque sanctificatione morale est, cuique ideo conformes esse non possumus, nisi per officii moralis illi respondentis præstationem. Quæst. XIII.

XXVII. 5. Quia natura præcepti est de rebus, quæ naturam rationalem quà talem decent, & quæ principiis naturalibus, & rationi rectæ conveniunt. Nam ut Creatura rationalis tenetur Deum colere, non tantùm interno cultu animi, sed & externo corporis, nec privato duntaxat, sed etiam publico in Communione Sanctorum: Ita recta ratio docet nihil convenientius esse, quàm Deo, qui nobis esse nostrum, & omnia quæ possidemus, tempusque ipsum totum gratis dedit, statum aliquod & determinatum tempus in Cyclo aliquo convenienti consecrare ad publicè ipsum colendum, & laudes ejus celebrandas. 6. Quia præceptum hoc nunquam legitur penitus abrogatum in Novo Testamento; Imò cùm Christus totam Legem moralem tanquam ad Christianos pertinentem & omni tempore eos obligantem confirmarit, eo ipso censetur & hoc præceptum confirmasse. Et cùm certi dies semper ab Ecclesia Christiana sint ad cœtus publicos, & solennem Dei cultum sanctificati & dicati, ex eo abundè liquet, Præcepti istius observationem moralem habitam esse, & juris perpetui. Aliàs si præceptum esset merè cæremoniale, non liceret nunc Sabbathum ullum observare, non magis quàm alias cæremonias, quas Deus abrogavit sub N. T. postliminio revocare, quod quàm absurdum sit nemo non videt.

XXVIII. Præceptum de Sabbatho bifariam debet spectari, vel *absolutè* & in se, quoad *substantiam* Mandati, vel *relatè* ad *œconomiam Mosaicam* Veteris Testamenti, & quoad *circumstantiam* præcisam *temporis*, & speciales rationes & fines, propter quos datum est Israëlitis. Licèt posteriori hoc respectu *signum* dicatur, particularis illius fœderis dispensationis Exod. 31. 13. Ezech. 20. 12. atque adeò habeat aliquid cæremoniale; Non sequitur esse meram cæremoniam, aut Præceptum in se consideratum ad hanc œconomiam tantùm pertinuisse. *Fontes Solutionum.*

XXIX. Quamvis mandatum de *Loco solenni* cultus fuerit cæremoniale; Non sequitur mandatum de *Tempore* solenni pariter esse cæremoniale; Quia multiplex datur differentia inter *Locum* & *Tempus* hac in parte. 1. Mentio fit in Decalogo observationis temporis, sed non determinationis loci; Ergo non sunt æquales Religionis circunstantiæ. 2. Necessitas & utilitas loci cujusdam ad cultum est physica tantùm, & Religioni accidentalis, quia nihil facit ad religionem promovendam sive in aprico, sive in

basi-

QUÆST. XIII. basilicâ, sive in loco subterraneo, sive in loco publico, sive in privato, Deus colatur. Sed necessitas temporis sive indeterminati, sive determinati, longè major est, quia est moralis & Theologica, sive de portione totali, sive de duratione, sive de frequentia separatim loquamur, & multò magis si de iis simul fiat sermo: Dubium enim non est, quin major Temporis portio, vel quoad durationem, vel quoad frequentiam, vel quoad utrumque in Religionis exercitiis faciat ad progressum in pietate, & ut Deo sit gratior & acceptior, qui tale tempus impendit cultui sacro, quàm qui rariùs & breviùs, modò cætera sint paria. 3. Temporis determinatio ad exercitia sacra necessaria est, quia impossibile est, ut uno eodemque tempore negotia mundana peragere possimus, & simul cultum Dei exercere. Ne ergo ista nobis sint impedimento, ut quamdiu & quoties requiritur cultui divino vacemus, talis determinatio absolutè exigitur; sed quoad locum nihil tale dici potest, quia in uno & eodem loco diversis scil. temporibus possumus Deum colere, & negotia mundana peragere, & positâ loci alicujus determinatione, non necesse est dari ibi cultum, si nulla fiat temporis determinatio.

XXX. Licèt Sabbathum hebdomadale spectatum ratione œconomiæ Mosaïcæ, & cæremonialium adjunctorum, nimirum ratione præcisæ observationis septimi diei, & scrupulosæ ac operosæ ejus observationis, quæ præscribebatur in Veteri Test. fuerit umbra futurorum, & rectè dicatur abrogatum sub Novo Test. Non sequitur Sabbathum ipsum in se & absolutè consideratum pariter cæremoniale esse, atque ideo abrogandum. Paulus Coloss. 2: 16. 17. priori sensu loquitur de Sabbatho, quô illud urgebant Pseud-Apostoli; sed non secundo. Eodem modo quô loquitur de *cibo & potu*, non *absolute & simpliciter*, quia sic sequeretur nullum dari præceptum morale circa cibum & potum, eoque non magis damnandos nunc esse epulones & ebriosos, quàm qui observant neomenias; *sed secundum quid* & comparatè ratione Legis cibariæ, quæ ciborum discrimen præscribebat, quod jam sublatum est in N. T.

Col. 2: 16. 17.

XXXI. Quamvis institutio Sabbathi quoad certi diei determinationem non fluat ex naturâ Dei, nec nitatur absolutè Jure Dei naturali primario, sed ab ejus arbitrio pendeat, & sic nitatur potiùs ejus Jure positivo; Non sequitur non posse esse moralem & perpetuam ratione Juris secundarii nobis naturalis; nam quod Deo est positivum, nobis potest esse naturale, ut antea visum.

Tertia Propositio. Præceptum 4. est partim morale, partim cæremoniale.

XXXII. Tertia Propositio. *Præceptum IV. de Sabbatho, est partim morale, partim cæremoniale.* Cæremoniale in tribus spectari potest. 1. *In diei septimi designatione*, qui, ut mutatus est in Novo Test. cæremonialis debuit esse. 2. in *Sanctificatione* istius diei, strictâ ac rigidâ ejus observatione à vesperâ ad vesperam, tum *privativâ* per cessationem omnis operis servilis, secundùm quam nec focum accendere, nec cibum parare, & coque-

re,

re, nec ambulare, & iter facere liceret; tum *positivâ* in operum variorum caeremonialium exercitio, partim communium aliis diebus, qualia erant, sacrificium juge, & circumcisio, partim propriorum huic diei, singularia putà sacrificia illius diei pro totâ Ecclesiâ, & duo agni anniculi, & duæ decimæ similæ oleo perfusæ Numer. 28: 8. 9. & panes propositionis, qui singulis Sabbathis debebant apponi in Templo, Lev. 24: 7. 8. 3. In *typica istius diei significatione*, ad adumbrandam sanctificationis gratiam, & ex ea quietem spiritualem & cœlestem in Christo, de qua loquitur Paulus Col. 2: 16. 17.

QUÆST. XIII.

XXXIII. *Morale* in tribus etiam versatur. 1. In *Indictione publicorum conventuum* ad Deum colendum certo & definito aliquo tempore & die. 2. In *sanctificatione ipsius diei*, tum *privativa* per cessationem ab operibus ordinariæ vocationis, ut sacris meditationibus, & cultui divino vacare liceat, exceptis tamen operibus *charitatis*, & *necessitatis*; tum *positiva*, per solennem & publicum Dei cultum in congregatione Ecclesiæ. 3. In *sublevatione servorum & jumentorum*, quorum rationem haberi voluit Deus, ne continuato opere fatiscerent, & ut ipsi servi etiam sacris operam dare possent.

An ad moralitatem Sabbathi pertineat unius diei è septem determinatio. Status Quæstionis.

XXXIV. Hîc verò nova suboritur Quæstio circa istam *moralitatem*, quæ etiam inter Orthodoxos agitatur. An ex vi & analogia hujus præcepti ad eam pertineat, non tantùm determinatio cujusdam temporis & diei indeterminati ad cultum publicum: sed etiam designatio unius diei è septem in cyclo hebdomadali, qui singulis septimanis in orbem recurrens sit necessariò observandus. Circa quam 1. Non quæritur de *convenientia* rei, An conveniens fuerit, & rationi consentaneum hoc ita designari; Convenit enim inter omnes, unum diem è septem ritè potuisse institui ad cultum Dei, & non institutum fuisse sine variis gravibus causis; sed de *necessitate*, An necesse fuerit absolutè ex natura rei hoc ita disponi ex vi & analogiâ præcepti. 2. Non quæritur de *morali strictè* dicto, quod Deo est naturale, fundatum quippe in ejus naturâ, & sanctitate, & fluens ab ejus imagine, cujus contrarium sine contradictione præcipere non potest, nec de eo dispensare. Hoc enim sensu omnes consentiunt designationem talis diei non esse Deo naturalem, & liberum Deo fuisse vel unum ex septem, vel ex octo, vel ex decem diebus seligere ad sui cultum; nec ad alteram contradictionis partem ex ulla naturæ suæ necessitate adstrictum fuisse: Sed agitur de *morali late* sic dicto, quòd licèt positivum sit à parte Dei, est tamen nobis naturale, quatenus convenit naturæ rationali, & relationi hominis ac officio erga Deum.

XXXV. Quamvis verò problematicè hîc utrinque disceptetur, salvo manente fidei & charitatis vinculo, nec desint rationes graves Viris magnis, qui stant pro negativâ, ad sententiam suam tuendam: Non diffitemur

QUÆST. XIII. tamen nos in affirmativam propendere cum aliis, & rationes, quæ pro illa afferuntur, solidiores nobis videri.

XXXVI. Primò, Ex *naturâ rei*. Cùm enim naturale sit, & morale; non modò, ut homo Deum colat publicè cultu aliquo externo, & quidem in communione Sanctorum, & Conventu publico, sed etiam ut tempus aliquod huic usui separetur; naturale pariter esse debet, ut fiat temporis illius solennis aliqua determinatio, tum quoad frequentiam, tum quoad durationem, quæ non ab alio quàm à Deo sapientissimo cultus & temporis authore fieri potest. Cùm ergo diem illum definire voluerit in Lege, quem pro sapientia sua novit ad hunc finem convenientissimum esse & maximè accommodum, sex diebus homini relictis, & unum tantùm in cyclo hebdomadis sibi servando, qui vellet jam diem illum refigere, & alium in ejus locum substituere, supra Deum sese quodammodo extolleret, & eo se sapientiorem jactaret, quod non modò maximæ temeritatis, sed & intolerandæ superbiæ, & profanæ impietatis esset argumentum.

XXXVII. Secundò. Quia si ex vi & analogia præcepti non rectè colligitur, unum diem è septem divino cultui esse consecrandum, nullus certus dierum numerus aut circulus ex ullo præcepto divino limitari poterit, cùm nullius alterius numeri ullibi in ullo alio præcepto fiat mentio; Quod absurdum esse nemo non videt. Nec juvat quod excipitur, satis esse quòd dies sufficiens ad Deo gratitudinem exhibendam ex vi præcepti colligatur. Quia præceptum non agit tantùm de die sufficienti, sed de die uno e septem, quod nostrûm non est immutare.

XXXVIII. Tertiò. Quia Apostoli in mutatione diei septimi retinuerunt tamen cyclum hebdomadalem, ut ex septem diebus unum eligerent ad cultum publicum, quod non fecissent tamen, nisi hoc pro invariabili & morali agnovissent. Et nemo repertus est unquam inter Christianos qui mutationem aliquam hic moliri ausus sit. Nec dici debet, hoc ex libertate Christianâ, & prudentiâ factum esse; quamvis enim mutatio diei septimi in primum facta sit ex libertate Christianâ; Non sequitur retentionem unius diei è septem pariter fuisse absolutè liberam, & positivam, quæ ab ipsorum mero arbitrio pependerit.

Fontes Solutionum.

XXXIX. Determinatio unius diei è septem, non magis repugnat libertati Christianæ, quàm destinatio certi & stati diei ad divinum cultum: Sive enim unus è septem, sive ex octo, aut decem seligatur, semper aliquod discrimen servatur. Ergo quum Apostolus discrimen dierum sublatum esse docet sub Novo Test. Rom. 14. 5. 6. Galat. 4. 10. & crimini dat Galatis, quòd dies & menses observent, hoc intelligendum est de distinctione dierum cæremoniali, qualis obtinebat apud Judæos sub Veteri Testamento, ubi constituebat partem cultus divini, & ubi operosè & rigidè observari debuit; vel qualis obtinebat apud Gentiles, qui dies alios aliis san-

Rom. 14. 5. 6.
Gal. 4. 10.

sanctiores & feliciores ex se existimabant, quosque ideo in atros & albos, faustos & infaustos distinguere solebant: aliàs si omnis observatio dierum absolutè & simpliciter damnatur, nullum omnino licebit nunc diem solennem ad Deum colendum observare; Nec Paulus potuisset Christianis præscribere, ut primo quoque hebdomadis die conveniant, & collectas faciant 1 Cor. 16. 2. QUÆST. XIII.

XL. Quamvis teneantur fideles singulis septimanæ diebus Deum colere, & sic tota vita nostra continuum deberet esse Sabbathum; Non sequitur statum aliquem in septimana diem non esse Deo consecrandum: Quia constat cultum illum publicum præstari quotidie non posse, tum propter carnis infirmitatem, tum propter vitæ animalis necessitatem, quæ varia opera hominis exigit ad sui conservationem: Atque ita Sabbathismus hujus vitæ distinguitur à cœlesti, qui erit perpetuus & constans, quia quieturi sumus ab omnibus laboribus nostris, libertati quippe ab omnibus hujus vitæ miseriis, & necessitatibus.

XLI. Licèt ex vi præcepti servandus sit necessariò unus è septem diebus, tanquam officium morale & perpetuum: Non sequitur pariter moralem esse observationem diei septimi, quæ hoc præcepto sancitur: Quia determinatio præcisa diei septimi est merè libera & accidentalis cultui; nam sive septimo, sive sexto, sive alio quopiam è septimana cultus Deo præstetur, perinde est, modò colatur: Sed determinatio unius diei necessaria est, & facit imprimis ad Dei cultum, nec enim convenienter & sufficienter censemus Deum coli, nisi unus dies in septimana illi consecretur.

XLII. Calvinum ab hac sententia alienum non fuisse, non obscurè potest colligi ex Concionibus ejus in decem Præcepta; Concione quinta, *Si essemus serviai in cultu Dei, ut par esset, non unus dies in septimana seligendus esset, sed quotidie conveniendum esset sine Lege scripta; cum ergo talis & tanta sit infirmitas nostra, agnoscamus politiam istam non datam esse solum Judæis, ut dies certus habeatur ad conveniendum; sed etiam nobis, & hoc nobis cum illis esse commune.* Ita Concione sexta, *Quum dicitur sex diebus operaberis, Dominus ostendit, non debere nobis molestum videri certum aliquem diem ipsi dicare, quum sex loco unius nobis concedat*, & sub finem addit, *Deum summo jure nobiscum non agere, sed contentum esse si illi diem unum consecremus, aut si dies ille nobis inservit per totam septimanam.*

XLIII. Nec aliam ejus mentem fuisse colligitur ex lib. 2. Instit. cap. 8. §. 34. quum ait, *se septenarium numerum dierum non sic morari, ut ejus servituti Ecclesiam adstringat:* quia ibi scopus ejus est, non tam unius diei in septimanà destinationem ad cultum publicum damnare, quam alibi satis expressè probat, vel ad politiam merè humanam & liberam re-

QUÆST. XIII. ferre, quàm superstitionem Judaïcam hic arguere, eorum qui in ejus observatione Judaïzabant. Quò pertinent quæ sequuntur, *Ita evanescunt nugæ Pseudoprophetarum, qui Judaica opinione populum superioribus seculis imbuerunt, nihil aliud afferentes, nisi abrogatum esse quod cæremoniale erat in hoc mandato, quod vocant diei septimæ taxationem, remanere autem quod morale est, nempe unius diei observationem in hebdomade. Atqui id nihil aliud est, quam in Judæorum contumeliam diem mutare, diei sanctitatem animo eandem retinere.* Ubi certum est eum non carpere ullos ex Reformatis, quibuscum illi nunquam ulla de hac re lis fuit; sed Pontificios quosdam & Scholasticos, qui libertati Evangelicæ satis prospexisse putabant, si taxationem diei septimi tanquam cæremonialem abolitam docerent, interim unum diem è septem eo modo observandum docerent, quò Judæi suum Sabbathum observabant; Unde addit *eos, qui eorum constitutionibus hærent, crassa, carnalique Sabbathismi superstitione Judæos ter superare.*

XLIV. *Petrus Viretus*, Calvini Collega Dialog. 5. in decem præcepta sententiam receptam sequitur, & fusè exequitur; Nec aliter *Beza* in Apoc. 1: 10. vult. *Quartum præceptum de septimo quoque die sanctificando, quod ad Sabbathi quidem diem & ritus legales fuisse cæremoniale, quod ad cultum Dei attinet esse Legis moralis immotæ, & in hac vita perpetuæ præceptum* &c. Et postea, *Dominicæ igitur diei cœtus, Apostolicæ ac vere divinæ sunt traditionis, sic tamen ut Judaica cessatio ab omni opere minimè observaretur, quoniam hoc plane fuisset Judaismum non abolere, sed tantum quod ad diem attinet immutare.* Eadem est sententia *Martyris* Lo. Com. Clas. 2. c 7. parag. 1. *Septenarii numeri mysteria hic omittamus &c. idque tantùm advertamus è septem quibusque diebus unum Deo esse servandum.* Et postea, *sicut perpetuum est ac æternum, ut quamdiu Ecclesia agit in terris, ministris ejus victus debeatur &c. Ita quod unus dies in hebdomada cultui divino mancipetur stabile ac firmum est* &c. Ita Bucerus lib. de Regno Christi cap. 15. *Certè & hoc nostri officii est unum in septimana diem religionibus publicè sanctificare &c. Quis itaque non videat, quàm salutare sit Christi plebibus, unum esse in septimana diem, ita sacris religionibus consecratum, ut in eo nihil aliud facere operis fas sit, quàm in sacrum convenire cœtum, &c.* Zanchius c. 19. in 4. Præcep. *Morale est mandatum, quatenus præcipit, ut e septem diebus unum consecremus externo cultui divino &c.* In eadem sententia sunt *Fayus* Disp. 47. in 4. Præcep. Th. 17. *Junius* de Polit. Mosis Observ. c. 8. *Pareus* in Catech. *Alstedi.* Theo. Catech. lib. 3. c. 6. & alii non pauci.

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

DE DIE DOMINICO.

An institutio Diei Dominici sit divina, An humana, & An observationis sit necessariæ & perpetuæ, An vero liberæ & mutabilis? Prius Affirm. & Poster. Neg. Quoad utrumque.

I. Κυριακὴ ἡμέρα seu *Dies Dominicus*, ex usu Christianorum vocatur primus dies hebdomadis, publico Dei cultui destinatus in memoriam resurrectionis Christi. Ita autem dicitur, non tam ratione *efficientis*, quasi à Christo ipso institutus sit formaliter, ut *Oratio Dominica*, & *Cæna Dominica* appellatur ab Apostolo 1 Corint. 10: 21. nam ut postea videbitur nullum talis institutionis dari potest argumentum, quàm ratione *finis*, quia ad memoriam resurrectionis Christi, qui hoc die resurrexit Matt. 28. 1. & in ipsius honorem ac cultum est institutus, ut *altare Domini*, *festum Domini* vocatur, quod ad ipsius cultum est institutum, & Veteres Templa divino cultui dicata Κυριακὰς seu *Dominicas* appellant. *Dies Dominicus quis sit.*

II. De hoc die duo potissimùm quæruntur, 1. quænam sit ejus *origo*, 2. quænam *observationis necessitas*. Quoad prius; Non quæritur, An mutatio facta fuerit diei septimi in primum per abrogationem Sabbathi Judaïci; Hoc enim in confesso est apud Christianos, qui mutationem istam non tantùm fieri potuisse ab eo, qui Sabbathi Dominus est, sed & fieri debuisse, & convenientissimè factam esse agnoscunt: quia prior ille dies propter cæremoniale quod in ipso fuit, quodque ideo ad œconomiam legalem pertinuit, abrogari debuit, ut alius in ejus locum substitueretur: alius verò non potuit convenientiùs subrogari sub Novo Fœdere, quàm is qui hodie Dominicus vocatur propter Domini nostri Jesu Christi resurrectionem in eo factam, cujus memoriam semper celebrari in Ecclesia Christiana æquissimum fuit, utpote quâ æternæ Redemptionis nostræ, & novæ creationis opus plenissimè absolutum fuit; tum etiam ut hoc esset publicum abrogatæ Legis cæremonialis monumentum, & discriminis quod inter Judæos & Christianos esse debuit. Sed quæritur de principio & origine istius mutationis, An fuerit ordinationis tantùm humanæ, & politicæ seu Ecclesiasticæ, An verò divinæ. *De origine Diei Dominici. Status Quæstionis.*

III. Hîc enim variant Theologorum sententiæ: Aliis vel ad Jus

QUÆST. XIV. Canonicum referentibus, ut faciunt Pontificii, qui ex eo etiam Traditionum non scriptarum necessitatem colligunt; licet non desint inter ipsos varii qui, observante Azorio Institu. Mora. p. 2. c. 2. ut Anchoranus, Panormitanus, Angelus Sylvester, pro divina ejus authoritate pugnant; Vel ad ordinationem politicam, ut Remonstrantes, qui in Confessione profitentur discrimen dierum prorsus esse sublatum sub Novo T. & Sociniani qui arbitrarium ejus cultum esse asserunt, Catech. Rako. c. 1. de Propheti. Christi munere. Aliis ad ordinationem divinam ascendentibus, ut vel Christus ipse immediate & expresse diem illum instituisse dicatur, quod vult *Junius* Prælectio. in Gen. 2. & quidam cum ipso; Vel mediate tantum, quatenus Apostoli θεόπνευστοι tum præcepto, tum exemplo & praxi suâ eum in Ecclesia Christiana sanxerunt. Quæ communior est Orthodoxorum sententia, ad quam etiam accedimus.

IV. Qui referunt originem Diei Dominici ad Christum nituntur potissimùm, tum *resurrectione Christi*, qui hoc die resurgendo à mortuis, eum videtur ad cultum suum consecrasse in illius memoriam, tum *apparitionibus* variis post resurrectionem factis hac ipsâ die, quando se exhibuit discipulis congregatis Jo. 20. 19. & v. 26. Apoc. 1. 10. tum *effusione Spiritus S.* in Apostolos, quæ hoc die contigisse statuitur; Sed licet ista probabiliter dicantur & videantur occasionem dedisse huic institutioni, firmum tamen & solidum non possunt efficere argumentum ad eam probandam, quod aliquod expressum Christi mandatum, vel exemplum requireret.

V. Longe ergo convenientiùs hoc dicitur esse Apostolicæ institutionis, qui Diem Dominicum Sabbatho substituerunt, & Ecclesiis commendarunt; non sine peculiari ductu Spiritus Sancti, quò regebantur infallibiliter ad ea præscribenda, non modò quæ faciebant ad fidem & ad mores, sed etiam ad Ecclesiæ εὐταξίαν & cultus divini exercitium. Tria autem sunt præcipuè loca

Act. 20. 7. ex quibus hæc institutio colligitur, 1. ex Act. 20. 7. *Primâ verò Sabbathorum*, id. hebdomadis, *cùm discipuli convenissent ad frangendum panem, Paulus disseruit inter eos abiturus postridie.* Cur dicuntur Apostoli convenisse ad Verbi prædicationem, & Eucharistiæ administrationem, hoc die potiùs quàm alio, aut celebri Judæorum Sabbatho, nisi tunc temporis jam invaluisset consuetudo solennes conventus agendi, evanescente paulatim Judaïci Sabbathi cæremoniâ? Nec dicendum μίαν σαββάτων hic non primum septimanæ, sed unum tantùm, id. aliquem diem septimanæ designare; Quia non alio sensu usurpatur Luc. 24. 1. & Marc. 16. 2. & quod affertur ex Luc. 5. 17. & 8. 22. non huc facit, quia aliud est dicere ἐν μιᾷ τῶν ἡμέρων, quod tempus indeterminatum notat; aliud ἐν τῇ μιᾷ cum articulo, qui diem determinat.

1 Cor. 16. 1. 2. VI. Secundò, Ex 1 Cor. 16. 1. 2. ubi non tantum praxis Apostolica, sed & præceptum insinuatur, *Porrò de Collectâ in Sanctos, quemadmodum*

modum ordinavi Ecclesiis Galatiæ; Ita & vos facite, primo quoque die hebdomadis, unusquisque vestrûm apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate licuerit, ne cum venero tum collectæ fiant, ubi Apostolus vult collectas fieri à fidelibus primo quoque hebdomadis die, quô scilicet Conventus publici fieri etiam debebant, quod petit à consuetudine Judæorum, qui, observante Philone, & Josepho, singulis Sabbathis, quibus convenire solebant, collectas facere solebant in Synagogis ex decimis & aliis spontaneis collationibus, quæ postea mitterentur Hierosolymam in usum Templi & Levitarum. Quia ergo Ecclesia Hierosolymitana propter persecutionem Judæorum, peregrinorum multorum adventum, & continuum in propagando Evangelio zelum, inopià valde premebatur, Apostolus vult, ut fideles collectas in ejus usum faciant. Ut ergo collectas ordinat primo quoque die hebdomadis, ita & Conventus publicos in quibus solebant fieri, censetur pari ratione ordinasse, vel jam ordinatos calculo suo comprobasse. QUÆST. XIV.

VII. Tertiò, Ex Apo. 1. 10. ubi Johannes dicit *se raptum fuisse in spiritu Die Dominico*, non sane Sabbatho Judæorum, quod proculdubio nominasset, non aliquo tantùm die septimanæ, quia sic ambiguus esset titulus, ad implicandum potiùs quàm explicandum comparatus, sed die illo, quô Christus resurrexerat, quô convenire solebant Apostoli ad sacra peragenda, & quò Paulus ordinaverat collectas habendas, prout moris erat in primitiva Ecclesiâ. Cùm ergo de illa die tanquam notâ & in Ecclesiâ usitatâ loquatur, dubium non est, quin ex recepto Ecclesiæ usu hoc nomine insignita sit; quis enim aliàs Christianorum intellexisset, quid Johannes hac appellatione significasset, si quam aliam diem designare voluisset? *Apoc.* 1. 10.

VIII. Quartò, Solus ille mutare potuit Sabbathum, vel immediatè & per se, vel mediatè per Apostolos, qui Dominus est Sabbathi, Matth. 12. 8. & maximè consentaneum fuit, ut ab illo institueretur dies cultus sub N. T. à quo cultus ipse fuit institutus, & à quo omnis benedictio in omni cultu expectanda est.

IX. Quintò, Si nec à Christo, nec ab Apostolis constitutus est Dies Dominicus, deterior erit conditio Ecclesiæ Christianæ sub Novo Testamento, quàm Judæorum in Veteri; quia in Veteri Test. fuit dies destinatus quieti à labore seculi, quô familiæ ac jumentis concedebatur respiratio ab opere servili, Deut. 5. 14. qualis in Novo Testamento nullus erit, quod absurdum esse nemo non videt, cùm longe potior sit conditio nostra præ statu Veterum; qui jugo Legis ἀβαςάκτῳ premebantur.

X. Sextò, Si Diei Dominici institutio sit ordinationis tantum humanæ, sive politicæ, sive Ecclesiasticæ, ut publici cultus necessitatem circumscripserit humana constitutio, rescindi poterit eadem facilitate, quâ coaluit; nec ita fortiter urgeri poterit ejus observationis necessitas; sic enim

QUÆST. XIV.

enim profanus secum dispensare poterit, ne intersit precibus & concionibus, & quilibet quidvis agendi vel negligendi sibi indulgeret veniam, si nihil eliceretur ex Scripturis, quod præter humanum institutum obligaret conscientiam. Prudenter ergo & piè, præter solennem & non interruptam Ecclesiæ traditionem, Apostolica urgetur sanctio & praxis, ut constet Ecclesiam nihil egisse in re tanti momenti, quod à viris θεοπνεύστοις non acceperit, quodque ideo non sit observationis necessariæ.

XI. Septimò, Accedit authoritas Veterum, qui proximi fuerunt ætati & temporibus Apostolorum. Inter quos est *Ignatius* epist. ad Magnes. & Tralli. *Justi*. Apol. 2. *Diony. Corinth.* apud Euseb. l. 4. c. 22. *Melito* apud eundem lib. 4. c. 26. *Irenæus* apud eundem l. 5. c. 24. *Tertulli.* de Corona Militis, *Origenes* in cap. 15. Exod. lib. 3. & alii non pauci. Huc pertinet Lex de eo lata à Constantino Magno Imperatore apud Euseb. lib. 4. de vita Constantini, cap. 18. repetita & confirmata ab Imperatoribus succedentibus, Theodosio, Valentiniano, Arcadio, Leone, & Antonio, à quibus severissimis prohibitum est pœnis exhibere hoc die spectacula, aut voluptatibus operam dare, ut videre est Codice de feriis.

XII. Idem asserunt plurimi ex nostris, Calvinus in Act. 20. *Verosimilius est Apostolos diem initio retinuisse jam usitatum, postea Judaica superstitione coactos illo abrogato alium substituisse*, Bucerus de Regno Christi cap. 15. *Dies Dominicus ab ipsis Apostolis sacris actionibus est consecratus:* Sic Beza in Apo. 1. 10. traditionem hanc esse verè divinam statuit, & Spiritu dictante ab Apostolis factam; *Dominicæ igitur diei cultus, quod etiam Justi. in Apol. 2. diserte commemorat, Apostolicæ, ac verè divinæ sunt traditionis* &c. Sic *Gallasius* Calvini & Bezæ Collega, in Exod. 31. *Hoc institutum, ut dies Dominicus in locum Sabbathi substitueretur, non ab hominibus, sed jam inde ab Apostolis nos accepisse, hoc est à Spiritu Dei, quô regebantur:* non aliter *Fayus* disp. 47. in 4. præcep. *Merito igitur dixerimus, Apostolos Spiritu S. duce pro septimo illo die legali eum substituisse, qui primus erat in prioris mundi Creatione* &c. In eadem sunt sententia *Bullingerus* in Apo. 1. *Gualterus* homi 162. in Matth. *Junius* in Genes. 2. *Piscator* in Aphor. explic. Apho. 18. *Perkinsius*, *Amesius*, *Hyperius* in 1 Cor. 16. 2. *Valæus* de Sabba. c. 8. *Voetius* p. 4. Select. Disput. p. 760. & alii non pauci.

Fontes Solutionum.

XIII. Quamvis Dies Dominicus dicatur esse Apostolicæ institutionis, authoritas quâ nititur nihilominus est divina, quia divino Spiritu agebantur, non minùs in sacris institutionibus, quàm in ipsa doctrina Evangelii, vel verbo, vel scriptis proponendâ. Ordinatio ergo divina hîc rectè obtenditur, non quidem formaliter & immediatè ex instituto Christi, sed mediatè ex sanctione & praxi Apostolorum θεοπνεύστων.

XIV.

XIV. Licèt quædam Apostolorum ordinationes, quæ ritus & circunstantias cultus divini spectabant variabiles fuerint, & ad tempus tantùm institutæ, ut sanctio de non edendo sanguine & suffocato Act. 15. & de capite fœminarum velando, & virorum contrà aperiendo, quando prophetant 1 Cor. 11. quia causa & occasio dabatur singularis, propter quam fiebant, quà cessante cessare etiam debuit & ipsa constitutio. Aliæ tamen dantur invariabiles & perpetuæ observationis in Ecclesia, quæ nullâ nituntur singulari aliquâ occasione ad tempus tantùm duraturâ, quâ possint reddi temporariæ, qualis est manuum impositio in electione Ministrorum, & distinctio muneris Diaconatus à munere Pastorali. Cujus generis cùm institutio Diei Dominici fuerit, ex eo colligitur mentem Institutorum fuisse, ut hujus diei observatio sit perpetui & immutabilis Juris. QUÆST. XIV.

XV. Imperatorum Constitutiones & Conciliorum Canones circa Diei Dominicæ observationem, non arguunt fuisse tantùm ordinationis humanæ, quia non primò eam sanciunt; sed jam institutam ab Apostolis authoritate sua confirmant & stabiliunt, ne quis impunè eam violare præsumeret, quod factum ab ipsis piissimè, tum propter Ethnicos, tum propter impios Christianos, à quibus nolebant profanari diem illam, quique sine ejusmodi constitutionibus liberum & solutum sibi esse existimassent, eam violare.

XVI. Quæ ex Scriptura solent afferri contra institutionem divinam Diei Dominici ex Rom. 14. 5. Gal. 4. 10. Col. 2. 16. assertionem nostram non evertunt. 1. Quia in istis locis omnibus diei alicujus observatio ad usum religionis, ex ordine Christi, non magis damnatur aut negatur, quàm certi alicujus cibi electio ad usum religionis ex Christi instituto: Nemo verò dixerit electionem panis & vini in Cœna ad usum religionis, vel esse illicitam, vel non à Christo institutam. 2. Aposto. Rom. 14. expressè loquitur de illâ æstimatione dierum, quæ offensionem tum temporis pariebat inter Christianos; At observatio Diei Dominici, quam Apostolus ipse tum temporis in omnibus Ecclesiis obtinuisse docet 1 Cor. 16. 1. 2. non potuit ullam occasionem præbere alicujus offensæ. 3. Agitur de distinctione dierum Judaïcâ, quæ pertinebat ad servitutem egenorum & infirmorum elementorum Gal. 4. 9. & quatenus habebat aliquid typici & cæremonialis, & rigorem Legis referebat, quod jam locum nullum habet respectu Diei Dominici. *Rom.* 14. 5. *Gal.* 4. 10. *Col.* 2. 16.

XVII. Non potest dici imminui libertas Christiana hâc sententiâ; Quia non est libertas, sed licentia non Christiana, si quis liberari se putat ab observatione ullius præcepti Decalogi, & Sanctionis Divinæ & Apostolicæ; Et experientia nimis docet licentiam, & negligentiam rerum sacrarum magis magisque invalescere, ubi Diei Dominici justa ratio non habetur.

XVIII. Hoc verò ante omnia hic observandum, ut non tam de inve-

QUÆST. XIV.

stiganda primâ istius diei origine simus solliciti, quàm de seriâ & sedulâ ejus sanctificatione. Quamcunque sententiam quis sequi voluerit, liberè enim suo quemque judicio frui patimur; hoc arctè & inviolatè omnibus curandum, ut ex præscripto Christi fideles à profanationibus abducti, sacris pietatis exercitiis seriò incumbant, & sacrosanctum hunc diem sanctè observent. De cujus observationis necessitate & modo in sequentibus agetur.

Secunda Quæstio de Observatione Diei Dominici.

XIX. De observatione Diei Dominici non parum etiam disceptatur; aliis in excessu ad nimium rigorem & severitatem propendentibus, & ita ad Judaismum accedentibus; aliis contrà in defectu nimiâ relaxatione utentibus, quæ profanitatis & licentiæ januam aperit. Nobis vero tutissima videtur via media, quam duabus propositionibus sic explicamus. Prima *necessitatem*: Secunda *modum* observationis istius docet.

Ejus necessitas probatur.

XX. Prima Propositio. *Observatio Diei Dominici non est necessaria per se ut pars cultus divini, aut mysticæ significationis gratiâ, sed tamen necessaria est ratione εὐταξίας, & politiæ Apostolicæ & Ecclesiasticæ observanda.* Non potest dici pars cultus in se, sed tantùm ejus adjunctum & circumstantia, quia cultus Evangelicus & λογικὸς Novi Testamenti non alligatur ampliùs certis locis vel temporibus, ut sub Veteri Testamento, sed in spiritu & veritate ubivis & semper præstari potest. Necessaria tamen est ex ordine Dei, ratione politiæ in Ecclesia perpetim servandæ, quia absque certo die nec ordo nec decorum constabit Ecclesiæ, sed mera erit confusio in conventibus Ecclesiasticis. 2. Quia non instituta fuit peculiari quadam de causa pro certa Ecclesia unius temporis, sed generaliter pro Ecclesia omnium temporum; Nam ut Apostoli qui hoc exemplo suo & præcepto sanciverunt 1 Corint. 16. 2. Act. 20. 7. Legati universales fuerunt, Ita ad bonum totius Ecclesiæ respexerunt in hac sanctione. Et ut recepta fuit jam ætate Apostolorum; Ita constanter retenta fuit deinceps ab omnibus Ecclesiis, ut liquet ex hist. Ecclesi. 3. Quia nulla causa mutationis esse potest, cùm ut mortis, sic & resurrectionis Christi memoria debeat esse perpetua in Ecclesia 1 Cor. 11. 26. 2 Tim. 2. 8. 4. Quia confirmata est deinceps tum Canonibus variis Conciliorum Oecumenicorum, tum Imperatorum Legibus & Edictis plurimis.

XXI. Licèt verò facilè concedamus Deum, qui Dominus est Sabbathi, posse mutare, si vellet, diem hunc primum in alium quemvis ex septimanâ, non putamus tamen hoc cuiquam mortalium licere, post tam constantem & universalem diei istius observationem. Nec si casus possunt dari, in quibus publica pietatis exercitia hoc die præstari non possunt; sequitur observationem hanc temporalem tantùm & mutabilem esse; quia hoc non fit sponte, sed ex necessitate, quæ legem non habet.

XXII. Si prisci Christiani Sabbathum etiam per aliquod tempus observarunt

runt cum Die Dominico, ut sacros in eo conventus haberent, & nefas ducerent eo die jejunare, ut colligitur ex Constitu. Clementis lib. 2. cap. 59. & Socrate lib. 3. c. 21. hoc pertinuit ad honestam Synagogæ sepulturam; & constat Sabbathi festivitatem, etiam cùm servabatur, multò infra Diem Dominicum habitam fuisse: Quod vel ex eo liquet, quòd inter errores Ebionitarum, propter quos ab Ecclesia condemnati sunt, etiam istius arguuntur, quòd Diem Dominicum & Sabbathum simul celebrarent, apud Euseb. lib. 3. cap. 21. Et ex Canone 29. Synodi Laodicenæ, cujus hæc sunt verba; *Non oportet Christianos Judaizare, & in Sabbatho otiari, sed ipsos eo die operari, Diem autem Dominicum præferentes otiari si modo possint*, quod additum videtur propter servos, qui Dominis gentilibus serviebant, *ut Christianos, quòd si inventi fuerint ut Judaizantes, sint anathema apud Christum.* QUÆST. XIV.

XXIII. Secunda Propositio. *Modus rectæ observationis* Diei Dominici duabus partibus absolvitur, primâ, quæ *privativa* potest dici, & in quiete seu cessatione ab omni opere servili consistit; alterâ quæ *positiva* est, & in Sanctificatione istius quietis per religiosum Dei cultum versatur. *Et modus.*

XXIV. Quies quæ requiritur, non otio & inertiâ peragitur, multò minùs comessationibus & crapulâ, spectaculis, & choreis, & profanis aliis exercitiis damnatis à Paulo Rom. 13. 13. hoc enim est Sabbathum Jehovæ, non festum Cereris, Bacchi, aut Veneris: Sed cessatione ab omni opere ordinariæ & mundanæ vocationis, quod à cultu divino posset nos avocare; Et ita abstinendum est hoc die 1. ab omnibus illis operibus, quæ propriè & strictè vocantur servilia, quæ à servis aut hominibus servilibus præstari solent, quantum scilicet fieri potest per instantem necessitatem. 2. ab operibus nostris, quæ scilicet pertinent ad hujus vitæ usus, in rebus naturalibus & civilibus, & propriè lucrum & commodum nostrum spectant; quod colligitur ex opposita concessione, ut enim sex dies nobis concedit, ut in iis operemur, & faciamus omne opus nostrum; Ita hoc die præcipit cessationem à tali opere, ne cultui divino ullum apponatur impedimentum. Atque huc pertinet Leonis & Anthemii Lex memorabilis, quæ extat Codice de feriis, cujus verba adscribere non pigebit: *Dominicum diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat; sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat, respirent à controversiis litigantes*, &c. Et postea, *Nec hujus tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri, nihil eodem die sibi vendicet Scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula, & si in nostrum aut natalem celebranda solennitas inciderit, differatur* &c.

QUÆST. XIV. XXV. Hic tamen excipiuntur, 1. *Opera* illa quæ directè spectant *cultum & gloriam* Dei Matth. 12. 5. Johan. 5. 8. 9. hoc enim casu opera illa, quæ sunt suâ naturâ servilia, transeunt in naturam operum sacrorum, nec tam sunt opera nostra, quàm Dei. 2. *Opera charitatis* & misericordiæ, quæ officiis pietatis accensentur Matth. 12: 10. 12. Johan. 5: 9. & 9: 14. Luc. 13: 15. 3. *Opera communis honestatis*, quia ut semper, ita hoc die præ cæteris honestè & decorè debemus nos gerere & agere. 4 *Opera necessitatis*, quæ neque fingitur, neque consilio accersitur, sed per providentiam nobis imponitur Luc. 14 5. non tantùm absoluta & simplex, ut id necessarium tantùm dicatur, quo nullo modo carere possimus, sed *modificata* & secundum quid, ut necessaria ea censeantur, non modò quæ absolutè ad esse seu vitæ sustentationem requiruntur, sed etiam quæ faciunt ad melius esse, unde magnum aliquod ad nos vel proximum redit commodum & emolumentum si fiant, vel magnum aliquod incommodum & damnum si omittantur, *Sabbathum* enim, ut Christus testatur Marc. 2. 27. *Factum est propter hominem, non homo propter Sabbathum.*

XXVI. Non putamus ergo in hac cessatione fideles teneri ad præcisitates Judaicas, quas nonnulli justo scrupulosiores tantùm non revocatas vellent, ut nec ignem accendere, nec cibum coquere, nec arma contra hostem expedire, nec iter susceptum terrâ, marive prosequi, nec honestis animi corporisque relaxationibus, modò extra horas cultui divino destinatas usurpentur, se recreare, nec ullum avocamentum, quamvis levissimum, ad res ullas, quæ humanæ hujus vitæ commoda aut emolumenta spectent, habere liceat. Licèt enim sententia hæc pulchram habeat pietatis speciem primâ fronte, & à viris piis bono animo proculdubio proponatur ad majorem Dei istius, qui tam fœdè profanari solet, sanctificationem procurandam; gravibus tamen laborat incommodis, nec potest retineri, quin reducatur hoc pacto in Ecclesiam, humerisque Christianorum denuò imponatur jugum ἀβάστακτον, Christianæ libertati repugnans, & lenitati Christi, & fœderis gratiæ suavitati adversum, quod infinitis scrupulis & inextricabilibus nodis conscientias hominum agitat & torquet; & tantùm non ad desperationem adigit.

XXVII. Altera pars observationis Diei Dominici pertinet ad sanctificationem quietis, quæ in sacris conventibus, & solenni ac publico Dei cultu exercetur. Quamvis enim sacri cœtus ad publica pietatis exercitia, aliis quoque diebus possint & debeant ab unoquoque, quantum res suæ ferunt, frequentari, & quilibet pius ad quotidiana suæ devotionis exercitia privatim habenda ex conscientiæ officio obligetur: hoc tamen die præ cæteris convocatio sancta fieri debet ut fieri solebat Sabbatho Levi. 23. 3. in qua devotè & attentè vacetur Verbi divini lectioni & auditioni Hebr. 10. 25. Sacramentorum celebrationi Act. 20:7. Psalmodiæ & orationi Col. 3:16. Act. 1:14. Eleemo-

mo-

mosynis & pauperum subventioni 1 Cor. 16: 2. & in genere omni illi Hierologiæ, quæ ad cultum externum & solennem pertinet. QUÆST. XIV.

XXVIII. Atque in id potissimùm incumbendum esse consentiunt omnes, remotis tot aliis controversiis, quæ hic moveri solent, vel curiosis, vel minùs necessariis & utilibus. Eò respicit Synodus Dordracena in Postactis Sectio. 164. dum statuit, *Diem istum sic cultui divino appropriari debere, ut eo die ab omnibus operibus servilibus quiescendum sit, (exceptis iis quæ charitas, & præsens necessitas postulant) & ab omnibus ejusmodi oblectamentis, quæ cultum divinum impedire possent.* Et *ne populus diebus Dominicis post meridiem, aliis laboribus aut exercitiis profanis distentus, à pomeridianis concionibus abstrahatur, rogari vult Magistratus, ut opera omnia servilia seu quotidiana, atque inprimis lusus, compotationes, aliasque Sabbathi profanationes, quibus tempus pomeridianum, maxime in pagis, plerunque transigi solet, severioribus edictis prohibeant, ut hac quoque ratione ad conciones illas pomeridianas adduci melius possit, atque ita integrum Sabbathi diem sanctificare discat.* Nec alia de causa Deus in Lege & Prophetis tantopere urget & commendat Sabbathi sanctificationem, ejusque violationem & prophanationem tam severè se vindicaturum interminatur. Quamvis enim ista Judæos primò spectarint, dubium tamen esse non potest, quin suo modo Christianos etiam respexerint, quatenus morale officium & perpetuæ observationis includebant.

XXIX. Quamvis sublata sit per N. T. conscientia & discrimen dierum, aliorumque temporum cæremonialium typicorum V. T. ut etiam prorsus vetita est superstitiosa dierum ac temporum discretio, quæ Gentilibus fuit usitata: Non sequitur Sabbathum Domini à septimo die in primum translatum, & ab usu typico, & rigore œconomico V. T. liberatum, eo ipso abrogatum esse. *Fontes Solutionum.*

XXX. Qui Sabbatho facit opera necessariæ charitatis ac misericordiæ, non profanat Sabbathum: imò peccaret turpissima superstitione & hypocrisi, qui ejus prætextu proximum periclitantem desereret; in cujus auxilio Deo servire posset ac deberet, juxta ipsius ordinationem, *Sabbathum* enim dicitur *factum propter hominem*, ut is singulari ratione saluti suæ consulat, Deo pietatis & proximo charitatis officia præstando, *non homo propter Sabbathum*, quasi negligi deberet necessaria charitas, vel misericordia erga ipsum, vel proximum per superstitiosam Sabbathi observationem.

XXXI. Cessatio ab omni opere servili, & oblectamento carnali, non sic urgeri debet, ut negligatur spiritualis praxis veræ sanctimoniæ; imò nec debet urgeri propter se, quasi esset pars cultûs, vel quasi dies iste sanctior esset aliis, sed tanquam conditio & adminiculum Exercitiorum privatorum & publicorum sic præstandorum. Longissimè igitur abest hæc doctrina ab

QUÆST. XIV. hominibus in illam opinionem inducendis, quasi egregiè suo munere functi essent, si relicto veræ pietatis & sanctitatis studio, se dedant scrupulosæ & omnimodæ ab omni opere cessationi; medium requirimus propter finem, & conditionem propter opus principale: quietem scilicet illam propter spiritualia exercitia veræ pietatis & sanctimoniæ. Istis ergo consequentiis ex accidentali hominum abusu, non magis debet gravari praxis Sabbathi, quàm praxis Sacræ Lectionis, Auditionis Verbi, Precum, & Sacramentorum, quæ iisdem incommodis possunt urgeri, licèt nemo neget ea officia moralia esse perpetuæ observationis.

XXXII. Accommodatio quarti Præcepti ad singularem statum Judaïcum, quæ fuit in observatione diei septimi ab initio creationis, præceptum ipsum non magis reddit cæremoniale, quàm præceptum quintum cæremoniale facit promissio de terra Canaan populo Israelitico data, & quàm omnia præcepta cæremonialia reddit præfatio, ubi agitur de eductione populi ex Ægypto. Damus quidem arctiorem aliquam observationem Sabbathi iniis temporibus fuisse imperatam, pædagogiæ & servituti temporis accommodatam, quæ seculis omnibus non obtinet. Hoc tamen non impedit, quin observatio ipsa sit moralis, & omnium seculorum communis.

QUÆSTIO XV.

DE DIEBUS FESTIS.

An de fide sit in N. T. præter Diem Dominicum, alios esse dies festos propriè dictos, quorum celebratio per se, & ratione mysterii, non ratione ordinis vel Politiæ Ecclesiasticæ tantùm sit necessaria? Neg. contra Pontificios.

Status Quæstionis. I. D*ies Festi* sunt Dies solennes anniversariè, vel hebdomadatim, aut menstruatim per vices recurrentes, religionis & pietatis causâ à cæteris segregati, & certâ lege in publicum Numinis cultum veluti consecrati. Obtinuisse plures sub Vet. Test. nemo dubitat, cùm distinctio dierum partem fecerit Legis cæremonialis; Sed An locum habere debeant in Ecclesia Christiana, Quæritur inter Nos & Pontificios, qui, ut in aliis varios Judæorum ritus retinuerunt: Ita hac in parte etiam Judaismum interpolarunt, vel ipsum etiam Paganismum, in quo notum est plures dies festos fuisse distinctos

à

à profestis, tanta festorum mole Christianismum obruentes, ut non exiguam anni partem complectantur. QUÆST. XV.

II. Non quæritur, An beneficiorum Dei in nos, & mysteriorum Christi ad salutem nobis acquirendam patratorum memoria in animis nostris perpetua esse debeat, & a nobis continuò recolenda sit. Hoc enim in confesso est apud omnes, & quotidie fit per Verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem. Sed An ad singulorum illorum beneficiorum & mysteriorum recordationem & solennem ac publicam commemorationem certi quidam Dies festi, Deo sacri annuatim recurrentes à Christianis quotannis celebrandi sint; Quod negamus.

III. Non quæritur, An Anniversarii dies deligi possint, quibus Christi vel Nativitas, vel Circumcisio, vel Passio, vel Ascensio, & similia Redemptionis mysteria commemorentur, vel etiam quibus memoria singularis alicujus beneficii celebrari solet. Hoc enim Orthodoxi libertati Ecclesiæ relictum esse censent; Unde alii dies quosdam tali festivitati deputant, non ex necessitate fidei, sed ex prudentiæ consilio ad pietatem & devotionem magis excitandam; alii verò pro sua libertate solum diem Dominicum retinent, & in eo statis temporibus memoriam mysteriorum Christi celebrant, apud quos tamen *ejusmodi rerum dissonantia, non tollit fidei consonantiam*, ut olim de Jejunio monebat Augustinus. Sed quæritur, An Dies quidam sint sanctiores & sacratiores aliis, & pars quædam cultus divini, qui celebrari debeant sub ratione mysterii, & non tantùm ratione ordinis & politiæ Ecclesiasticæ, ut pertendit *Bellarm.* de cultu Sanctorum lib. 3. cap. 10. & doctrina est, & praxis publica Papatus. Nos verò negamus dies illos per se sanctiores aliis esse, sed omnes esse pares, & si qua sanctitas illis tribuitur, non esse temporis & diei, sed cultus divini, atque ita observationem eorum apud eos qui eam retinent, esse tantùm juris positivi, & ex constitutione Ecclesiastica, non verò necessitate præcepti divini.

IV. Primò. Quia festa propriè dicta, quæ sunt de necessitate fidei, obligantia per se, & sub ratione mysterii, debent Verbo Dei mandari, quia Deo soli jus competit cultum suum præscribendi, qui nihil in Verbo suo omisit ex iis, quæ Ecclesiæ suæ necessaria judicavit. Sed talia festa nuspiam à Christo, vel Apostolis vel instituta, vel celebrata leguntur. Nec hic obtendi potest Traditio ἄγραφος, cùm nullus locus ipsi dari possit vel debeat in rebus fidei vel morum, ut suo loco demonstratum est. Secundò. Quia hoc revehit distinctionem dierum Veteris Testamenti abrogatam in Novo, & damnatam à Paulo Rom. 14: 5. 6. Gal. 4: 10. Coloss. 2: 16. imò & veterum Ethnicorum superstitionem & Idololatriam sub aliis nominibus & specioso obtentu in Ecclesiam inducit.

V. Tertiò. Quia Veteres fatentur, festa nec ex Christi, nec ex Apostolo-

QUÆST. XV. lorum institutione, sed pro arbitratu & consuetudine observata fuisse: locus insignis est Socratis l. 5. Hist. Eccl. c. 22. ubi loquens de dissidio Orientalium & Occidentalium circa observationem Paschatis, qui fuit primus dies festus in Ecclesia Christiana observari cœptus, exactè dicit, *Nec Apostolos, neque Evangelia ipsa jugum servitutis, his, qui ad Christi doctrinam accedunt imposuisse, sed festum Paschatis, aliaque festa* τῇ εὐγνωμοσύνῃ τῶν εὐεργετηθέντων τιμᾷν κατέλιπον, *libero & æquo judicio illorum, qui in illis diebus beneficia acceperant, reliquisse recolenda* &c. Et postea addit. *Neque Servator, neque Apostoli illud observandum lege aliqua præceperunt*, &c. *Nam Apostolis*, subjicit, *propositum fuit non de festis diebus celebrandis leges ferre, sed pietatis & recte vivendi rationem nobis præscribere*, quod repetit Nicepho. Callixtus Hist. Eccl. l. 12. c. 32.

VI. Quartò. Quia festa ista in Papatu perniciosis superstitionibus scatent, dum faciunt festos dies per se sanctiores cæteris, fovent opinionem operis operati, affingunt iis merita & peccatorum expiationes, consecrant eos Sanctis, adeoque eos latriæ cultu afficiunt, cùm teste Durando l. 4 c. 39 ad latriam etiam festivitates pertineant, denique tot dies festos faciunt, & tam artificialibus nugis, & scrupulis distrahunt animos, ut magni viri in Papatu, tædio eorum victi, gravissimè conquesti sint. Audiatur *Nicolaus de Cl. magis* libro de novis festivitatibus an. 1416. ubi inter alia probat, vetera potius festa aliqua abolenda esse, propter ingentem abusum, quam nova instituenda. Et queritur, tam multa de Sanctis legi & dici in Templis, ut jam S. Literarum lectio planè omittatur *&c. Petrus de Alliaco*, de *Reform. Eccl.* monet inter alia Primores Ecclesiasticos Concilii Constantiensis *providendum esse, ne tot nova festa solemnizentur, ut præterquam Dominicis & majoribus festis ab Ecclesia institutis liceret operari post auditum officium, tum quia in festis sæpe magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis, & aliis lascivus, quas docet otium: tum quia dies operabiles vix sufficiunt ad vitæ necessaria procuranda* &c. *Polyd. Vergil.* de Inven. Rerum l. 6. c. 8. scribit quàm *olim ex usu fuerit festa instituere, tam nunc præstare videri eadem antiquari; cum bona pars hominum otium istud festorum non ad orandum, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam in dies magis magisque impudenter consumat. Erasmus* idem confirmat in Matt. 11. ipse Papa *Urbanus VIII.* in sua de observantia festorum Bulla anno 1642. edita, festorum numerum restringere conatus, inter alia fatetur, *Quæ festa ad glorificandum Numen primitus instituta fuerint, ea temporis decursu hominem inimicum corrupisse, & in magnam illius offensionem, gravemque animarum jacturam convertisse* &c.

Fontes Solutionum. VII. Quamvis Dies Dominicus Deo sit sacer; Non sequitur pari ratione alios dies festos posse Deo dicari. 1. Quia Dominicus Dies ab ipsis Apostolis institutus est & observatus, reliqua festa à Patribus tantùm ordinata. 2. Dies

Do-

Dominicus quoad genus præceptus est, ut unus dies in hebdomade destinetur cultui Dei publico, licèt non quoad speciem. At festa ista neutro modo præcepta. QUÆST. XV.

VIII. Praxis Judæorum, qui festum Purim apud Estheram, & Encæniorum in memoriam repurgati à Juda Maccabæo Templi de quo Johan. 10: 22. observabant; non evincit statim morem hunc obtinere debere in Ecclesia Christiana, propter varietatem œconomiæ V. & N. Test.; Vel ostendit tantùm certis diebus annuatim recurrentibus publicè fieri posse commemorationem singularium Dei beneficiorum, modò absint abusus, opinio necessitatis, mysterii, & cultus, superstitio & idololatria.

IX. Paulus Actor. 20: 16. non innuit necessariò sibi festum Pentecostes celebrandum esse, sed festinandum tantùm sibi esse, ut die Pentecostes Jerosolymis præsens sit, propter concursum Judæorum, ut occasionem & ansam ampliorem prædicandi, & multos ad Christum convertendi haberet. *Act.* 20:16.

X. Aliud est facere mentionem Conceptionis, Nativitatis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, certis diebus in concionibus ad populum, & inde occasionem sumere adhortandi, consolandi, instruendi ad ædificationem, pietatem, patientiam, sanctitatem populum Christianum; Aliud verò facere, & lege constituta necessariò plebi Christianæ imponere dies festos Deo & Sanctis sacros, qui Religionis & cultus divini partem constituant, sintque aliis diebus sanctiores. Prius illud pro ratione circumstantiarum temporis, loci, personarum, & rerum, potest cum fructu aliquando usurpari, absit modò abusus, superstitio, & idololatria, ut fuit in primitiva Ecclesia non rarò usitatum; sed posterius non licet; Tum quia Dei solius est, non hominum, ea quæ sunt cultus divini præscribere, tum quia religiosus cultus non est creaturis ullis, sed soli Deo deferendus.

XI. *Sanctum* aliquid potest dici, vel *absolutè* ratione alicujus sanctitatis inhærentis, vel *relative* ratione destinationis ad usum sacrum: Et quidem vel à divinâ institutione, vel ab humanâ. Nulli dies sunt, quibus affingi possit qualitas aliqua sanctitatis inhærentis, cujus capaces non sunt, nec si posset illis attribui, id ab hominum operatione fieri posset, qui sanctitatem internam nulli rei possunt communicare. Relativam sanctitatem quibusdam diebus non denegamus, ratione destinationis ad usus sacros, quæ si à Deo sit, ut olim in die Sabbathi, & in festis apud Judæos constitutis, vera fuit sanctitas relativa, ratione voluntatis divinæ; si ab hominibus, nullo modo sanctitas tribui potest diebus, nisi ratione rerum quæ in illis fiunt, & propter finem, ob quem cessatio ab operibus nostris est indicta.

XII. Per festum de quo Apostolus agit 1 Cor. 5: 7. 8. non intelligit certum diem quo memoria passionis Christi celebretur, sed totum tempus 1 *Cor.* 5: 7. 8.

QUÆST. XV. inde à nostra regeneratione, non tantùm septiduum, ut Judæorum Pascha, sed totum tempus vitæ nostræ, quod patet, quia festum Paschale agitatur, quum mactato Agno, manducantur Azymi. At in Novo Testam. semel mactato Agno Dei Christo, cujus vis manet in perpetuum; Azymi nostri sinceritatis & veritatis per totum vitæ curriculum durare debent.

XIII. Si quæ sunt Ecclesiæ Reformatæ, quæ dies adhuc nonnullos festos observent, ut Conceptionis, Nativitatis, Passionis & Ascensionis Christi longè differunt à Pontificiis, quia dies illi soli Deo, non Creaturis dicantur. 2. nulla sanctitas illis affingitur, aut vis & efficacia illis inesse creditur, quasi reliquis diebus multò essent sanctiores. 3. non adstringunt fideles ad scrupulosam & strictam nimis ab omni opere servili in iis abstinentiam, quasi in illa abstinentia bonum aliquod esset morale, aut pars aliqua religionis posita, & contrà grande flagitium esset aliquid operis in illis diebus facere. 4. Ecclesia non adigitur aliquâ necessitate ad immotam observationem istorum dierum, sed ut humanâ authoritate sunt constituti, ita eâdem tolli possunt & mutari, si utilitas & necessitas Ecclesiæ id postulaverit. *Nam omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, inquiunt Jurisconsulti; Uno verbo habentur pro humanis institutis, & abest superstitio, & opinio necessitatis.

XIV. Si quidam dies apud quasdam Ecclesias insigniuntur nominibus Apostolorum aut Martyrum; non putandum, quòd in illorum cultum instituantur, aut in illorum honorem terminentur, ut faciunt Pontificii, unde *Bellarm.* lib. 3. de cultu Sancto. cap. 16. asserit *honorem dierum festorum immediate & terminative pertinere ad Sanctos*; Sed referuntur ad memoriam Sanctorum, per quos Christus Ecclesiam suam ædificavit, ad utilitatem nostram, ad cultum verò & honorem solius Dei, qui Apostolis & Martyribus contulit quicquid laude dignum habuerunt, fecerunt, aut sustinuerunt. Cæterùm nec illos invocant, nec illis suffitum faciunt, sed Deo soli quem invocant, gratias agunt propter beneficia ministerio & exemplo illorum ad nos redundantia. Unde rigidum judicium illorum probare non possumus, qui Idololatriæ reas peragunt illas Ecclesias, in quibus adhuc dies illi servantur retento Sanctorum nomine; cùm in doctrina de unius Dei cultu nobiscum conveniant, & detestentur Pontificiorum Idololatriam.

XV. Quamvis verò Ecclesiæ nostræ praxim illam simpliciter non damnent tanquam malam: Cùm tamen tristi eventu pateat illam institutionem dierum festorum in Papatu ex κακοζηλία Judæorum, vel Ethnicorum in Ecclesiam receptam, horribili idololatriæ occasionem dedisse, quæ in Papatu perdurat & augetur: Non sine gravibus causis maluerunt usum illum in reformatione sua abolere, ne quid contagionis contraherent, sed ut periculum ex eo sollicitè caverent. Nam in religione, quando vel tantillum à Dei

præ-

præscripto disceditur, & homines sibi aliquid licere volunt, aut putant, omnia tuta timenda sunt, siquidem experientiâ compertum est, à quàm exiguis initiis factus sit mirus in superstitionem & Idololatriam in Papatu progressus, circa Imaginum cultum, Sanctorum Invocationem, Purgatorium, Sacrificium Missæ, Preces pro mortuis &c. Ut satius videatur bono aliquo utili, sed minùs necessario carere, quàm ex illius usu incurrere in grave grandis alicujus mali periculum. QUÆST. XVI.

QUÆSTIO XVI.

AD PRÆCEPTUM QUINTUM.

An Filii se à Parentum potestate subducere possint, & sine eorum consensu matrimonium contrahere? Neg contra Pontificios.

I. Quæstio hæc movetur inter alias circa V. Præceptum, de honorandis Parentibus, inter Nos & Pontificios, qui non uno modo Præceptum istud labefactant, dum pertendunt Liberos invitis parentibus, non solùm matrimonium contrahere, sed etiam vitam monasticam profiteri posse. Duo ergo hic discutienda sunt. Primò, An filii invitis parentibus se ab eorum potestate quocunque modo subducere possint? Secundò, An sine eorum consensu fas sit ipsis matrimonium contrahere?

II. Ut prima Quæstio faciliùs expediatur. Quid per *honorem* à filiis Parentibus debitum intelligatur videndum est, multa quippe eô continentur. 1. *Amor*, quô prosequi illos debent, cujus privatio ἀστοργία inter vitia maximè detestanda numeratur Rom. 1. 31. Nam si proximus est diligendus, quis nobis magis proximus, quàm pater & mater, cujus nos sumus caro? Deinde si beneficia nobis collata debent conferentis amorem nobis conciliare, à quo plura vel majora beneficia accepimus, quàm à parentibus, à quibus ut instrumentis divinæ potentiæ accepimus quicquid sumus & habemus? 2. *Reverentia* quæ illis debetur, tum propter ὑπεροχὴν, quia sunt superiores, filii autem inferiores, inferiores autem superioribus debent honorem, tum propter ἐξουσίαν & potestatem in liberos, quam habent ratione generationis & educationis; quæ ut maxima est, ita honorem singularem postulat; cui ut abominanda peccata opponuntur contemptus Lev. 20. 9. Deut. 27: 16. Prov. 20: 20. irrisio & subsannatio Prov. 15: 5. & 30: 17. *Quomodo sint honorandi Parentes.*

QUÆST. XVI.

3. *obsequium* & *obedientia* Eph. 6: 1. Col. 3: 20. 1 Tim. 3: 4. Tit. 1: 6. sed illa debet esse *in Domino*, id. ita ut non violetur Dei obsequium, & Deo sua constet authoritas; nam si quid contrarium præciperent, tunc certum est non deberi obedientiam à filiis, *quia satius est obedire Deo quam hominibus* Act. 4: 19. 4. *Gratitudo* non verbalis tantùm, sed & realis, officiis ad vitæ sustentationem necessariis in omnibus quæ ab ipsis pendent, quæ ἀντιπελαργία Græcis dicitur, quia ciconiæ solent parentes senio confectos ἀντιστρέφειν, ut notat Aristot. l. 9. de Hist. Anima. c. 13. quam commendat Apost. 1 Tim. 5: 4. 16. & Christus Matth. 15: 4. 5. ut nequidem ipsos pudeat famulitio deficiente, servilia quæque officia, & obsequia illis præstare.

Status Quæstionis.

III. Quæritur, An filii subjectionem illam & obsequium Parentibus debitum excutere, & se potestati patriæ subducere possint. Hoc statuunt Pontificii, dum pertendunt filios invitis parentibus posse emisso voto vitæ monasticæ se addicere, Thom. 2. 2. q. 88. art. 9. *Post annos pubertatis possunt liberi se voto Religionis obligare absque voluntate parentum*, quod confirmat Bell. l. 2. de Mona. c. 36. Nos verò negamus.

Filios non posse se invitis, vel insciis parentibus voto adstringere. Matt. 15: 4. 5.

IV. Primò. Quia Christus hoc expressè damnat in Pharisæis, qui prætextu pietatis & voti prætendebant liberos posse justè denegare officia parentibus debita Matth. 15: 4. 5. *Quicunque*, inquiebant, *dixerit Patri aut Matri*, *Donum quodcunque à me erit*, *tibi proderit*, *etiamsi nequaquam honoraverit Patrem suum aut Matrem suam.* Quamvis enim locus iste obscurus variis interpretationibus locum dederit, omnes tamen in eo conveniunt, illos existimasse religionis & cultus Dei obtentu, posse officia parentibus debita negari; Sive hoc intelligatur de dono aliquo, quod filius Deo obtulisset in gratriam Patris, & cujus prætextu recusabat opem ferre parenti egeno, q. d. donum est quocunque à me juvari posses, id. Deo consecravi id omne quo alioqui posses à me vel ex meis bonis in hac egestate sublevari; atque ideo non possum ampliùs id in usus tuos conferre, & hoc me absolvit jure quod in me habes, & omni erga te honore ac officio debito, ut Beza & Scaliger interpretantur; Sive quod placuit Masio in c. 6. Judic. & aliis non paucis viris doctis, quodque nobis magis arridet, describatur hic formula voti & juramenti, quô filius rebellis Deo devovet quicquid posset à se profectum Patri prodesse, hoc sensu, juro me nullum beneficium tibi præstiturum, non magis quàm non licet uti rebus Deo sacris, in quarum censum repono veluti voto expresso, quicquid subsidii tibi dare possem. *Donum*, vel ut habetur Marc. 7: 11. *Corban* supple sit, id. res Deo devota & sacra, quam attingere ulteriùs fas non sit, *quodcunque à me tibi proderit*, id prodesse poterit aut posset, nam τὸ ὠφελεῖσθαι hic est verbum δυνητικὸν, quod potestatem includit; & *non amplius honoraverit patrem aut matrem suam* in posterum ullo subsidio, supple insons erit, vel *non amplius* ho-

honoret, ut ſint verba Phariſæorum interdicentium filio parenti ullam opem Quæst.
ferre, ut ſic ipſi cum filio partirentur opes, quod videtur innui Marc. 7. 11. XVI.
& *non ſinitis eum amplius aliquid facere patri.* Hunc verò genuinum eſſe loci iſtius ſenſum, patet ex Judæorum ritibus, apud quos formulæ iſtæ voti & juramenti frequentes erant, ut ſæpe in Thalmude occurrunt Tractat. de Juramentis & Votis כרבן שאני נהנה לך *Corban eſto illud omne, quò ego tibi utilis eſſe poſſem*, vel -------------- קרבן כל מה דתתהנא מני *res eſt ſancta*, quam ſcilicet attingere non licebat, *quicquid à me profectum tibi prodeſſe poſſet.* Quia verò Phariſæi rata habebant talia vota ratione habitâ oblationum ſacrarum, quas pluris faciebant mandato honorandi Parentes, Ideo dicuntur per Traditionem ſuam irritum facere Dei mandatum, ſubducendo liberos patriæ poteſtati, quo nomine graviter perſtringuntur à Chriſto, & cum iis quotquot eos ſequuntur.

V. Secundò, Quia honor parentibus præſcriptus in Lege, non poteſt conſiſtere cum hac ſententia, quæ ſubtrahit liberos à debita illis reverentiâ in re maximi momenti, putà in tali vitæ genere eligendo, quod avocat ipſos à debito illis obſequio; imò quod eximit ipſos ab officiis, quæ per naturam indiſpenſabiliter præſtare tenentur. Nec juvat dicere obedientiam Deo Patri ſpirituum debitam anteponendam eſſe obedientiæ Parentibus carnalibus debitæ; Nam licèt hoc ultro demus; Non ſequitur liberum eſſe & integrum vitæ monaſticæ ſe addicere, quia obedientia Deo debita in eo non verſatur, quin illi potiùs repugnat, quum vetat nos fieri ſervos hominum, 1 Cor. 7: 23.

VI. Tertiò, Quia filii non ſunt ſui juris; Ergo non poſſunt de ſeipſis invitis parentibus ſtatuere: Hinc Num. 30: 4. Lex vult irritum reddi votum, *Num.* 30.4.
quod Virgo in domo Patris ſui, dum adhuc eſſet in adoleſcentia ſua voverat, ſi Pater contradixiſſet. Nec valet exceptio agi tantùm de puellis, quæ annos pubertatis non attigerint, quia Lex hoc non limitat, ſed loquitur in genere de Virginibus quæ ſunt in domo Patris, & conſtat in Jure talem libertatem non dari puellis.

VII. Quartò, Quia hæc ſententia tollendo liberorum obedientiam, naturam ipſam evertit, & omnem inter homines ſocietatem deſtruit: Quis enim liberos alere & erudire ſatagat, ſi poſtquam omni impensâ & ſollicitudine id factum, alieni ſunt, non ſui? & jure quodam vel potiùs tyrannide ſaracenicâ avelluntur à parentibus, ne ſolatio & obſequio, quod ab illis expectabant maximè in ſenectâ, ubi hæc officia magis ipſis ſunt neceſſaria, frui poſſint.

VIII. Quintò, Canon 16. Concilii Gangrenſis huic impietati adverſatur. *Quicunque*, inquit, *filii à parentibus prætextu divini cultus abſcedunt, nec debitam reverentiam illis dependunt, anathema ſint.* Quod fruſtra Bellarm. vult reſtringi ad eos qui parentes indigos, & in extrema ne-

QUÆST. XVI. cessitate constitutos deserunt, iisque invitis vota emittunt de religioso aliquó vitæ ordine; quia absolutè & sine ulla limitatione loquitur Canon, nec licet obedientiam parentibus debitam ad extremam necessitatem restringere.

Fontes Solutionum. *Gen. 12. 1.* IX. Exemplum Abrahami evocati à Deo de domo & cognatione sua, Gen. 12: 1. non potest juvare vel impietatem liberorum Patriæ potestati sese sub ducentium, vel plagium Jesuitarum, qui impunè ab eorum sinu eos avellunt. Quia 1. Abrahamus jam erat conjugatus, & non ampliùs sub tutela Patris. 2. habuit speciale mandatum divinum, quod hic non obtinet. 3. secedit ab Idololatris, sed isti à parentibus Christianis. 4. non vovit cœlibatum, vel obedientiam alicui homini, quæ potestatem paternam imminueret; Imò non invito, sed consentiente & comitante Patre exivit è domo suâ.

Deut. 33:9. X. Quum Levitæ Deut: 33: 9. perhibentur *Patri suo, & matri suæ dixisse, nescio vos, & fratribus suis ignoro illos &c.* ostenditur quidem laude dignos eos esse, qui, ut obediant Deo expressè aliquid mandanti, neque cognationem, neque affinitates respiciunt, quod potest referri, vel ad legem Lev. 21: 10. 11. ubi Sacerdos vetatur interesse funeri patris & matris *&c.* ac si eos non novisset, vel ad factum Levitarum Exod. 32. ubi reos quosque citra personarum delectum interficere debuerunt; vel ad judicia quæ debebant exerceri sine personarum acceptione. Sed hoc non spectat ad eos, qui contra Dei mandatum de honorandis parentibus eos deserunt, ut se aliis hominibus mancipent.

Ps. 45: 11. XI. Si Sponsa Psal. 45: 11. jubetur oblivisci populi sui & domus paternæ, non eò pertinet, ut debitam Parentibus obedientiam deneget, sed ut intelligat ex lege conjugii à Deo ab initio sancitâ relinquendos esse parentes, ut adhæreat viro. Sic mysticè notatur officium fidelium, qui mundo, carni & veteri Adamo renunciare tenentur, ut Christo indissolubili vinculo uniantur.

Luc. 14: 26. XII. Quum Christus Luc. 14: 26. jubet odisse Parentes propter se, non vult illis denegari debita pietatis officia, quæ in natura fundantur & sunt indispensabilia; sed hoc comparatè intelligendum est, ut amor Parentum cedat amori divino, ut quum dicta Parentum cum obedientiâ Deo debitâ pugnant, ea posthabeamus Dei præceptis.

Luc. 9: 59. 60. XIII. Quamvis Christus Luc. 9: 59. 60. non permittat ei, quem jubebat se sequi, patrem sepelire, ut doceat divinam vocationem præferendam esse paternæ sepulturæ, id. officiis parentibus debitis; Non sequitur filium à Christo non vocatum, sine necessitate, invito parente, votum emittere posse, quô in perpetuum se potestati parentum subducat. Aliud est Christum vocantem sequi; Aliud vitæ genus monasticum sine vocatione & per ἐθελοθρησκείαν amplecti: Aliud parentes mortuos, inprimis, si spiritualiter etiam sint mortui, sepeliendos mortuis relinquere; Aliud parentes viventes spiritualiter & temporaliter abjicere, & se fictitiis parentibus sæpe in peccato mortuis addicere.

XIV.

XIV. Secunda Quæstio respicit *consensum Parentum* in matrimonio. An liceat liberis, invitis parentibus matrimonium contrahere. Quæ necessaria est, non modò ad coërcendam licentiam juvenilem, quæ plus justo sibi hac in parte indulget, fidem matrimonii sibi mutuò dando, imò & nonnunquam præstando, parentibus vel inconsultis, vel etiam invitis, sed & propter Pontificios, quorum sententia nimis favet huic ἀταξίᾳ, vide Sess. 24. Conci. Trid. cap. 1. de Reform. matrimonii, *Dubitandum non est clandestina matrimonia, libero consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure sunt damnandi, & Anathemate eos damnat Sancta Synodus, qui ea vera esse negant, quique affirmant matrimonia filiorum sine consensu parentum facta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse* &c. Bellarm. consensum quidem Parentum vult esse de *honestate*, sed non de *necessitate*, de matrimo. cap. 19. QUÆST. XVI. *Secunda Quæstio de consensu Parentum necessitate in matrimonio liberorum.*

XV. Orthodoxi contrà statuunt non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate esse consensum parentum in nuptiis liberorum, ut absque eo non sint legitimæ nuptiæ, & dirimi quoque possint. Ad Quæstionis statum observa 1. Hic non quæri, An patria potestas se eò usque extendat, ut invitos liberos ad matrimonium cogere possint, & sine eorum consensu de conjugibus illis providere, hoc enim utrinque negatur. 2. Non quæri de Parentibus mente captis & furiosis, vel in regione longè dissitâ captivis, qui non possunt consensum dare; sed de parentibus sanis & liberis, qui possunt uti legitimâ suâ potestate. 3. Non quæri de *filiis emancipatis*, & *majorennibus*, qui è potestate paternâ jam exierunt, quos sui juris esse nemo dubitat, sed præcipuè de *minorennibus*, qui sub patriâ potestate adhuc omnimodè sunt constituti. 4. Non quæri, An quilibet dissensus Parentum possit matrimonium impedire vel irritum reddere; fatemur enim, ubi Parentes morosi & avari, per meram pertinaciam nolunt consentire in honestas nuptias liberorum, nec sufficientes dissensus sui rationes possunt reddere post submissam liberorum petitionem, non absolutè adstringi ad eorum voluntatem, sed jus illis esse confugiendi ad superiorem Potestatem, cui judicium de dissensus justitiâ vel injustitiâ competit, ut re expensâ quid sit agendum liberis statuant, & ipsis prospiciant, supplendo hac in parte defectum consensus Parentum. Sed id potissimùm quæri, An filiis, invitis parentibus, vel inscìis, liceat matrimonium contrahere, non requisito vel expectato eorum consensu. Quod negamus. *Status Quæstionis.*

XVI. Rationes sunt 1. Ex Præcepto quinto, de honorandis Parentibus, honor enim iste præcipuè in obedientia illis debita consistit; quæ cùm reddenda sit illis *in omnibus in Domino* ex præscripto Pauli Eph. 6. 2. non potest excipi conjugium, in quo tantum momentum situm est ad totius vitæ conditionem & fortunam constituendam, & quod, ut res maximè ardua, libero- *Probatur necessitas consensus Parentum 1 ex Lege. Eph. 6. 2.*

QUÆST. XVI. berorum ætatem, captum, & judicium excedit. Quomodo possent dici in omnibus illis obsequi, qui in casu momentosissimo illis immorigeros se præbent?

XVII. 2. Ex dictis specialibus huc pertinentibus, in quibus parentibus præcepta dantur de liberis in matrimonio elocandis, Exod. 34: 16. *Non accipies uxorem filiis tuis de filiabus earum*, & Deuter. 7. 3. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Jere. 29. 6. *Date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris.* 1 Cor. 7. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, qui non jungit melius facit.* Quo modo verò ista dici possent, nisi parentum potestati subjicerentur liberi maxime in matrimoni contradictione?

Exod. 34. 16. Deut. 7. 3. Jer. 29. 6. 1 Cor. 7. 38.

3. Exod. 22. 16. 17. XVIII. 3. Expressa Lex est Exod. 22. 16. 17. de filia constuprata & seducta, quæ non collocatur, nisi Pater assenserit, *si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem*, quod repetitur Deut. 22. 29. Ne tamen hoc absolutè intelligatur sed cum conditione consensus patris, additur statim: *Si Pater virginis dare noluerit, dabit pecuniam juxta modum dotis.* Nec valet exceptio Bellarm. lib. de matrim. cap. 20. agi non de matimonio jam contracto, sed de futuro, causâ stupri præcedentis: Quia manet semper vis argumenti; si in potestate Patris relinquitur, an velit filiam constupratam stupratori id petenti elocare, utique in filiæ nuptiis consensus parentis supponitur necessarius; imò & fortiùs stringit; nam si hoc valet respectu filiæ constupratæ, cujus dedecus conjugio videtur tegendum, quantò magis respectu integræ & illibatæ? Idem probatur à pari, ut antea visum ex Num. 30: 4. Pater post irritare votum filiæ: Ergo & matrimonium; si votum, quæ promissio est facta Deo subest paternæ voluntati, quantò magis promissio hominibus facta?

Num. 30. 4.

4. Ex praxi V. & N. T. XIX. 4. Ex praxi continua, & exemplis Veteris & Novi Testamenti, Abraham pro filio suo petit Rebeccam Genes. 24. Hagar pro Ismaele Gen. 21. Jacobus à Labane uxores petit cap. 29. vide similia exempla in Calebo filiam suam pollicente Jud. 1: 12. In Samsone à parentibus uxorem petente Jud. 14: 3. In Israëlitis ad Benjaminitas se ad id obstringentibus, ut nec filios darent, nec filias ab illis acciperent cap. 21. In Thamar respondente Ammoni ex lege & consuetudine, dispositionem conjugii sui remittendo ad Patrem, *Pete me à Rege* 2 Sam. 13. 13.

5. Quia filii non sunt sui juris. XX. 5. Qui non sunt sui juris, non possunt de se statuere, filii qui sunt sub potestate patriâ, non sunt sui juris, 1. quia ponuntur inter bona parentum Job. 1. 2. 10. 12. utpote qui sunt à parentibus, & seipsos iis debent. 2. licuit parentibus liberos vendere in egestate ad serviendum Exod. 21. 7. 3. votum filiæ irritatur à parente Numer. 30. quia est sub ejus potestate. Nam si non licet de bonis paternis absque parentum consensu decernere, si distrahen-

hendæ pecuniæ, & venundandi fundi nulla filio potestas datur; quomodo liceret illi de seipso disponere? quod in bonis fundi nefarium, id in personis longè damnabilius, ut nimirum rei alienæ fiat abalienatio. Punimus fures, qui pecuniam & supellectilem eripiunt invitis Dominis, sed gravius furtum est in re longè chariore. QUÆST. XVI.

XXI. 6. Absurdis gravissimis urgetur sententia Adversariorum; Non modò quia Lex divina de honorandis Parentibus violatur, Authoritas Patrium labefactatur, honestas publica ex naturæ lege promanans proculcatur; Sed etiam Patri invito hæres adnascitur, Pax domestica turbatur, dum contra voluntatem Patris Nurus, quæ loco filiæ debet esse, introducitur, Salus liberorum, qui per ætatem sibi nondum possunt consulere, in præsentissimum discrimen adducitur, dum consilii inopes & rerum imperiti & inexperti illecebris facilè capiuntur, & miseris conjugiis irretiuntur; imò & fenestra libidinibus aperitur, quum spe matrimonii ad stupra virgines multæ facilè alliciuntur. *6. Ab absurdis.*

XXII. 7. Leges Civiles tam à Veteribus Jurisconsultis, quàm ab Imperatoribus summo consensu scriptæ, notiores sunt quàm ut ignorari, clariores, quàm ut obscurari, sanctiores quàm ut jure aboleri possint. *Hoc naturalis & civilis ratio suadet*, inquit Imperator lib. 1. Instit. de Nuptiis, *ut parentum jussus præcedere debeat.* Ne viduæ quidem, licèt emancipatæ, intra vicesimum quintum annum hoc concedit, nec militi, cui tamen hominum generi multa concessa sunt privilegia; *filiusfamilias miles matrimonium sine Patris voluntate non contrahit.* Paulus de Ritu Nupti. *Consistere posse negat, nisi consentiant omnes, tam qui coeunt, quam in quorum potestate illi sunt.* Ulpia. *Si Pater furiat, Avus sapiat, expetendam Avi sententiam esse* ait. Rationes autem sunt observandæ, quæ adduntur in Jure Civili, 1. urgetur *patria potestas*, propter quam liberi non sunt sui Juris, 2. *hæreditatis successio*, ne patri invito hæres adnascatur. 3. *Parentum affectus*, qui præsumitur optimum consilium capere pro filio, cui omnia ex voto parat, & ex cujus prole diuturnitatis memoriam sperat. 4. *infirmorum liberorum judicium* &c. *7. Ex Legibus Civilibus.*

XXIII. Nec aliter plurimi ex Canonistis inter Pontificios judicant; vide testimonia *Evaristi*, *Leonis primi*, *Pelagii*, *Urbani*, *Nicolai*, & aliorum apud *Espensæum de Clandesti. nuptiis*, qui multa ex Patribus, & ipsis Gentilibus tum Comicis, tum aliis in hanc sententiam compilavit; consulendi etiam *Zanchius*, *& Gerardus*, loc. de conjugio p. 138. *&c.* qui varia loca ex Gratiano, Cassandro, Erasmo, Vive, Groppero, Beato Rhenano huc facientia colligunt.

XXIV. Si Esavus inconsultis parentibus uxorem accepit, tantùm abest, ut inde validitas talium matrimoniorum confirmari possit, quinpotiùs eorum vanitas fortiùs evincatur, quia fuit illis amarissimum, & funestum *Fontes Solutionum.*

QUÆST. XVI. habuit exitum; Si verò Isaacus illud non irritavit, hoc tribuendum, vel paternæ indulgentiæ, quæ in liberis multa tolerat, quæ mutare nequit, vel Esavi pertinaciæ, qui ab injusto & illicito illo consortio abstrahi non potuit: Sed à facto ad jus non valet argumentum. Nec exemplis hic, sed legibus vivitur. Idem dicendum de exemplo apocrypho Tobiæ quod affertur.

XXV. Quod Deus conjunxit, homo separare non potest; sed Deus author non potest censeri ejus conjunctionis, quæ nonnisi violatis ipsius legibus facta est. Nec si benedictio Ecclesiastica intercessit, potest facere ratum matrimonium; quia vel per fraudem, vel malis artibus extorta est ab Ecclesia, vel cum ejus detrimento ab ejus ministris corruptis concessa, quæ dum sit irrita, non imminuitur, sed asseritur authoritas Ecclesiæ.

XXVI. Quod dicitur hominem relictis parentibus debere adhærere uxori suæ, non valet nisi de veris & legitimis matrimoniis, quorum tam arctum est vinculum, ut si forte parentes sint relinquendi, aut uxor, potiùs sit adhærendum uxori. At in conjunctione nefariâ, qui posset videri Dominus à patriæ potestatis jure, cujus ipse assertor est & vindex, liberos manifestè rebelles & contumaces absolvisse?

XXVII. Licèt conjugia sine consensu Parentum utpote clandestina de jure nulla sint, etiamsi accesserit Ecclesiæ benedictio & concubitus; de facto non semper rescinduntur, sed hoc fit ex indulgentia paterna, ut vitentur majora mala, non ex justitia. Aliud autem est quærere de Jure; Aliud de ἐπιεικείᾳ, sive juris remissione in aliquo casu, de qua accipienda sunt, quæcunque de matrimoniis istis clandestinis, si per copulam consummata sint, dicuntur ab Orthodoxis quibusdam Theologis & Jureconsultis. Alias si per copulam illicitam Juri patrio detraheretur, ne irrita talia conjugia facere posset, occasio præberetur stupris & libidinibus innumeris, & cuivis nebuloni porta aperiretur, virgines honesto loco natas seducendi, & Patriam potestatem conculcandi. Nec obstare potest quòd virgo amissa virginitate viro carere cogitur, & sic injuriam pati, quia id stultitiæ suæ debet imputare, quæ alias cautiores reddet, ne patiantur se corrumpi, nec de illata sibi à parente injuria debet queri, sed de miseria quam sibi ipsi accersivit.

XXVIII. Non eadem hic est omnino ratio servorum, & liberorum, quia inter herum & servum obligatio est merè civilis, At inter parentes & liberos naturalis, servi sunt Domini tantùm possessione, at filii parentum generatione. Unde non par est necessitas consensus herilis in conjugiis servorum, ac paterni in conjugio liberorum. Deinde si servi mancipia sint, ut olim, nec divinis nec civilibus legibus sine voluntate Domini nubere possunt. Unde Exod. 21. 4. Lev. 25. 44. Domino datur potestas servo uxorem dandi.

XXIX. In matrimoniis talibus licèt adsit consensus contrahentium, & in-

intentio ministri, deest tamen consensus legitimus, qui non tantùm attenditur respectu contrahentium, sed etiam respectu eorum in quorum sunt potestate. Nec si filius liber est, continuò est αὐτεξούσιος & sui juris absolutè: aliàs quomodo potuisset Pater vendere filium Exod. 21. & quomodo Pater filiæ, Maritus uxoris votum irritum facere potuissent Num. 30. Si nequidem bona parentum alienare potest, quantò minùs seipsum? QUÆST. XVII.

QUÆSTIO XVII.

AD PRÆCEPTUM SEXTUM.

An sub hoc Præcepto, Jus Belli & supplicii contineatur? An αὐτοχειρία, & duellum prohibeantur? Prius Neg. Poster. Affirm.

I. QUia varii casus occurrere possunt, in quibus Homicidium potest vel licitum esse, vel illicitum & damnandum; hinc quæstio oritur quid Præcepto sexto *Non occides* prohibeatur, quid verò non.

II. Primò κατ' ἄρσιν non prohibetur *Homicidium Judiciale*, quod exercetur publicâ Magistratus authoritate in privatos, in quos gladio, vel laqueo, aliòve supplicii genere animadvertitur, cùm Magistratus propterea gladio sit armatus, ad vindictam malorum, Rom. 13.4. 1 Pet. 2. 14. quod non pertinet tantùm ad Magistratus Ethnicos, qui tum temporis obtinebant, sed ad omnes Magistratus quà tales, sive fideles sint, sive non: imò præcipuè ad fideles spectat, qui ut custodes utriusque tabulæ prospicere debent Legis observationi, quod non fieret si sontes supplicio afficere non liceret, quia ubi pœnæ metus abest, aperitur fenestra omnibus sceleribus. Ut frustra sint Anabaptistæ & Sociniani, qui hoc respectu Magistratui Christiano suum gladium eripere conantur. *1. Non prohibetur homicidium Judiciale.*

III. Nec officium tantùm Magistratus hoc exigit, sed tranquillitas & pax publica postulat, quæ conservari nunquam poterit, si in reos gladius stringi non posset, ut Civitas à talibus sceleratis repurgaretur.

IV. Huic Juri publico non intercedit, Vel *Dei Præceptum*, quod privatos respicit, non Magistratus & Ministros Dei publicâ authoritate instructos. Vel *Charitas Christiana*, quæ potest diligere personas, & animadvertere in scelera, imò pugnaret contra legem charitatis, facinorosos in perni-

QUÆST. XVII. niciem Reip. & injuriam bonorum impunitos relinquere. Vel oraculum Isa. 11:6. de lupi morâ cum agno; quia ibi non agitur de officio Magistratus, sed fidelium, quod in eo consistit, ut qui antea crudeles & immites erant, suscepto Christi jugo, mitescant & inter se pacificè vivant. Vel verba Christi Matt. 5:39. 40. *non resistendum esse malo* &c. quia agunt tantùm de vindictâ privatâ, non publicâ, quæ nomine Dei, qui ad se vindictam pertinere asserit, exercetur, qui sensus est verborum Pauli Rom. 12:17. *Nolite reddere malum pro malo*. Vel Mat. 26. 52. *qui gladium acceperit, gladio peribit*, quia aliud est accipere gladium sine datione, ut omnes illi faciunt, qui ex vindictâ privatâ illum arripiunt, qui hic damnantur, aliud datum à Deo legitimè exercere, quod faciunt Magistratus. Vel factum Christi adulteram non damnantis Joh. 8:11. quia Christus non agebat Magistratum & Judicem in terris, sed Ministrum circumcisionis Rom. 15. 8. Vel Parabola Matt. 13:29. 30. de zizaniis non eradicandis, quia per zizania intelliguntur hypocritæ, non aperti facinorosi; nec agitur de officio Magistratus & pœna politica, sed de ministerio disciplinæ Ecclesiasticæ, in cujus exercitio non vult suos ita esse rigidos, ne cum hypocritis ipsos fideles eradicent.

Isa. 11. 6. *Matt. 5. 39. 40.* *Matt. 26. 52.* *Joh. 8. 11.* *Matt. 13. 29. 30.*

Jus Belli contra Socin. & Anabapt. asseritur.

V. Idem de *Jure belli* statuimus contra Socinianos & Anabaptistas qui sub N. T. illud abolitum censent. Unde Smaltzius contra Frantzium contr. 6. *Quod bella gerere liceat negamus, & indignum Christianâ pietate esse contendimus.* Nos contrà pertendimus Jus belli ad Magistratum pertinere, & ab eo posse exerceri legitimè, quando agitur de bello justo, & necessario; nam injusta & temeraria, quæ sine justa & necessaria causa ex ambitione merâ, vel avaritiâ ad fines imperii ampliandos suscipiuntur, tanquam mera latrocinia detestamur.

1. Ex. V.T.

VI. Rationes sunt, 1. Quia hoc licuit in V. T. Ergo licitum debet esse in Novo, cùm eadem utriusque sit hac in parte ratio. Nec valet Socini exceptio hoc licitum fuisse olim, quia Deus multis modis declaraverat se tunc temporis id non improbare: At sub N. Test. nullâ ratione, vel per Christum, vel per ejus Apostolos se hostium invadentium propulsationem cum eorum nece conjunctam approbare. Quia eo ipso quo Christus Magistratus dominationem non sustulit, sed confirmavit, eo ipso etiam jus belli gerendi approbavit, cùm ad Magistratum pertineat, subditos adversus injustam violentiam defendere, quod aliquando sine bello fieri non posse certum est. Adde quod ista non sunt legis politicæ, sed moralis & naturalis, quæ à Christo confirmata est.

2. Ex N. T. *Luc. 3. 14.*

VII. Secundò; Idem Jus in Novo Testamento non semel approbatum est. Primò à Joh. Baptista, qui viam Domini præparans militarem disciplinam legibus sancit Luc. 3:14. dum hortatur milites ipsum interrogantes, quid facere deberent ad iram futuram fugiendam, & vitam æternam con-

consequendam, non jubet ut militarem artem deponant; quod omnino faciendum fuisset, si esset per se vitiosa, & illicita, sed ut in ea manentes contenti sint stipendiis suis, & neminem concutiant. Ubi non juvat dicere Johannem loqui tantùm de modo rectè belligerandi, & de officio militari, non verò de officio candidatorum vitæ æternæ. Nam si vita militaris Deo esset exosa in N. T. Johannes regulam illius vitæ non præscripsisset, sed simpli. illam damnasset, & ad mutandum vitæ genus fuisset eos hortatus. Ita Centurionis fides à Christo Matt. 8:8. Cornelii pietas à Luca prædicatur Act. 10:1. & Angeli testimonio ornatur, nec Paulus salutem & incolumitatem suam militari præsidio tueri recusat Act. 23. QUÆST. XVII.

VIII. Tertiò, Magistratus officium hoc necessariò exigit. Quia illi datus est gladius scelerum ultor Rom. 13:4. & 1 Pet. 2:14. At si parva latrocinia jure plectuntur, quæ in paucos exercentur, quanto severiùs punienda sunt magna & publica eorum, qui Rempub. vastare & regiones prædari conantur? Quia subditorum defensionem suscipere tenetur, & tranquillitatem ac salutem publicam curare, Leges tutari adversus contumaces, & hostes apertos qui eas pessundare satagunt, quæ sine justo bello fieri nequeunt. *3. ex Magistratus officio.*

IX. Quartò, Apocalypsis varia bella piorum in N. Test. refert & probat, quæ spiritualiter non esse tantum intelligenda, sed de bello etiam externo, & vera sanguinis effusione, circumstantiæ locorum satis evincunt. Nec dici debet hic notari tantùm bella infidelium Gogi & Magogi, quæ ad Christianos non spectent; quia hæc sese mutuò consequuntur, nam si ista injusta sunt offensiva, illa justa debent esse defensiva. *4 ex Apoc.*

X. Contra Jus belli non valet quod dicitur de fidelibus N. T. Isa. 2:4. *Convertent gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Et Zach. 9:10. *Messias evertet currus ex Ephraim, & equum de Jerusalem, exterminabit arcum militarem*, quia aliud est loqui de pace spirituali & interna Regni Christi, quæ procuranda dicitur per Messiam; Aliud de pace politica & externa, quæ hic locum non habet, cùm Christus testetur *se non venisse mittere pacem, sed gladium* Matt. 10:34. sensus istorum oraculorum non alius est, quàm propagationem Regni Christi non carnalibus armis, sed solâ Evangelii prædicatione, & Spiritus S. virtute perficiendam; sed inde inferri nequit, Magistratui non licere propter justas & necessarias causas bellum gerere, quia Evangelium non abolet politias, nec Magistratum. *Fontes Solutionum. Isa. 2:4. Zach 9:10. Matth. 10:34.*

XI. Quamvis arma Apostolorum, quibus contra Satanam, mundum & carnem pugnare debebant, spiritualia & non carnalia dicantur, 2 Cor. 10:4. quia jussi erant non vi externâ, sed solo Verbi præconio mundum debellare, Matt. 28:19. & fidelium arma non alia sint, quàm preces & lachrymæ in bello spirituali; Inde non sequitur Magistratui non competere Jus gladii & armorum corporalium, ut enim vocatio Apostolorum & fidelium, non *2 Cor. 10:4.*

QUÆST. XVII. tollit officium Magistratus; sic arma spiritualia quibus fideles pugnant, non tollunt corporalia, quibus utitur Magistratus.

XII. Aliud est officium privatum fidelium, aliud publicum Magistratus; fideles debent parati esse ad proprium sanguinem fundendum potiùs, quàm alienum, quia ipsis jus gladii & belli non est concessum; sed alia ratio est officii Magistratus, quem cùm Deus armaverit ad malorum vindictam, & defensionem Reipub. & Ecclesiæ, etiam bella gerere necessaria ipsi concessit.

Mat. 5: 39. XIII. Quæ objiciuntur ex Matt. 5: 39. *&c.* & similibus locis non probant omne bellum simpliciter esse illicitum. 1. Quia nihil ibi præcipitur novi, quod non possit ostendi mandatum in V. Test. ubi tamen bellum approbatur. 2. Quæ ibi dicuntur, dicuntur privatis, quatenus affectibus & perturbationibus suis quoquo modo indulgent, non publicæ authoritati à Deo constitutæ vindici ad iram ei qui malum fecerit Rom. 13. Ita prohibetur ibi odium inimicitiæ, & vindictæ meræ, non justitiæ cura.

Jac. 4: 1. XIV. Jacobus c. 4: 1. docet quidem originem & causam bellorum esse malam, quia semper est injusta ab alterutra parte, sed non inde sequitur omne bellum malum esse ab utraque parte, quia subinde Magistratui licet illatam injuriam vi iterum propulsare & ulcisci.

11. Non vetatur homicidium defensivum. XV. 11. Non prohibetur *Homicidium defensivum*, cùm quis vitam suam defensurus contra violentum & injustum aggressorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, alium occiderit. Ut verò hoc moderamen servatum censeatur, oportet 1. ut Invasor injustè impetat & invadat, 2. ut defensor extra omnem culpam collocetur, dum ei omnis alia via elabendi moraliter loquendo vel fugiendo, vel cedendo interclusa fuerit. 3. ut in ipso congressu, non autem eo finito defensio fiat. 4. ut nihil factum sit ab eo, vel iracundiæ impetu, vel vindictæ affectu & studio, sed ex sola defensionis intentione.

XVI. Ratio patet, quia quamvis par pari referre, & seipsum ulcisci non liceat, at vim vi repellere, & seipsum defendere, juris est naturalis & perpetui, maximè ubi aggressio est simpliciter violenta, & omni publicâ authoritate destituta; etiam usque ad aggressoris occisionem, licèt non per se intentam; sed quatenus aliter vitam nostram tueri non possumus, & ab injusta ejus oppressione nos liberare. Nec tantùm Leges civiles hoc approbant, ut constat ex *Codice* ad Legem Corneliam de sicariis, & ad Legem Aquiliam, *Vim vi repellere, omnes Leges, omniaque Jura permittunt:* Sed Deus ipse *Exod. 22: 2.* in Lege non obscurè hoc innuisse colligitur, Exod. 22: 2. ubi casus privatæ defensionis proponitur, ex quo de Legis illius praxi judicium fieri potest; *Si infringens fur domum, in ipsa perfossione, vel cum instrumento perfossorio deprehensus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; si verò orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, morietur*

tur

tur & ipse; si nimirum agnoscere potuit, animo furandi tantùm, non occidendi venisse. QUÆST. XVII.

XVII. Ista autem defensio malè extenditur ad conservationem, sive recuperationem honoris sæpe imaginarii, cujus idolum, Diabolus, qui est homicida ab initio, erexit in mundo, ut illi litetur sanguine humano; tum quia honor recuperari potest, sed vita nunquam; tum quia talis cædes spectaret non ad defensionem legitimam, sed ad illicitam ultionem. Sed bene refertur 1. ad *defensionem vitæ*, sive propriæ, sive proximorum, maximè cùm aliquo strictiori vinculo nobis sunt conjuncti, ut parentum, uxorum, filiorum, amicorum & sim. nam qui non repellit injuriam ab alio quum potest, tam est in culpa quàm qui facit. Potest tamen persona invadens esse talis, qualis est v. g. Pater, aut Princeps, ut magis invasum deceat mortem ipsam pati, quàm defensione tali injuriam propulsare. 2. ad *defensionem pudicitiæ*, vel nostræ vel alienæ, ut prostant exempla cordatarum virginum, quæ tentantes violare suam pudicitiam, cùm aliter elabi non possent, occiderunt. Quomodo multæ Leges permittunt Patri vel Marito filiæ vel uxoris stupratorem ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum, impunè occidere.

XVIII. Non prohibetur inculpata tutela Rom. 12: 19. sed privata vindicta, ut verba ipsa præ se ferunt μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες. Nec qui vitam suam justè defendit, privato ausu, sed publicâ legis naturæ authoritate id facit. Dicta de diligendis inimicis, non tollunt necessariam vitæ defensionem, quia fundamentum dilectionis proximi est amor nostri. Quod Matt. 26: 52. Dominus jubet Petrum *reponere ensem in vaginam, quia qui gladium acceperit, gladio peribit*, non tollit justam sui defensionem, quia hoc non tam defensionis habebat speciem, quæ inutilis fuisset contra tantam multitudinem, quàm vindictæ, deinde non expectaverat mandatum Domini, qui tali defensore non opus habebat, sed præcipitantiùs se gesserat. *Rom. 12: 19.* *Matth. 26: 52.*

XIX. Tertiò non prohibetur *Homicidium casuale*, sive in propria persona, sive in aliena admissum, modo nulla ratione sit intentum, & dolus & culpa absint, quale describitur Deut. 19: 4. 5. Hinc constituta pro talibus azyla, & *urbes refugii*, in quas se recipere poterant homicidæ, ne Goël seu vindex sanguinis ante causam cognitam furore correptus obrueret innocentem. Sed hoc perperam extenditur in Papatu ad quosvis nebulones & homicidas voluntarios, virginum raptores & sim. quibus azylum patère volunt in locis sacris. *3. Non prohibetur homicidium casuale Deut. 19: 4 5.*

XX. Κατὰ θέσιν prohibetur *Homicidium privatum*, quod privata authoritate, & dolo malo, sive ex odio & vindictæ studio, sive ex alio aliquo malo affectu peragitur; sive id fiat vi, sive astu, sive ferro, sive veneno, sive directè per se, sive indirectè per alium; quomodo David Uriam per alios occidi curavit. Unde Abrahamus non fuisset peccaturus in istam Legem, si ad *κατὰ θέσιν prohibetur omne homicidium privatum.*

Dei

QUÆST. XVII. Dei mandatum mactasset filium suum, quia id fecisset ex authoritate supremâ illius, qui jus habet vitæ & necis in omnes.

XXI. Ratio sanctionis triplex, divina, naturalis, & civilis. *Divina*, quòd, cùm homo Dei sit imago, non possit ea labefactari, sine manifesta & sacrilega Dei archetypi, vitæque nostræ arbitri & Domini unici injuria. *Naturalis*, quia cùm omnia natura sua conservationem appetant, meritò hostes naturæ humanæ censentur, qui homini vitam eripiunt. *Civilis*, quia societas civilis, quæ flagitiis cæteris læditur, homicidii crimine prorsus perturbatur & evertitur.

Sub quo continetur αὐτοχειρία.

XXII. Sub Homicidio lege damnato includimus, 1. αὐτοχειρίαν tantopere laudatam Stoïcis, eorum qui citra voluntatem summi Imperatoris stationem hanc deserunt: Nam hoc præcepto non minùs αὐτοφονία, quàm ἑτεροφονία, scelus in se exercitum ac in alium prohibetur. Nam licèt secunda tabula videatur ad proximum terminari, non minùs tamen pertinere censenda est ad hominem respectu sui ipsius, cùm quilibet proximus sit sibi, imò cùm quis proximum diligere ut seipsum, & vitam ejus ut suam tueri teneatur, eo ipso quo interdicitur læsio vitæ proximi, longè fortiùs læsio vitæ propriæ prohibetur.

XXIII. Gravissimum verò peccatum esse αὐτοχειρίαν ex his patet 1. quia homo αὐτόχειρ peccat in *Deum*, incurrendo in ejus *authoritatem*, qui solus est Dominus vitæ; in ejus *bonitatem*, qui ipsum huc usque tam benignè in vivis conservavit; in *providentiam* cujus ordinem turbare conatur. Peccat in *seipsum*, naturalem inclinationem, qua quis seipsum diligit & carnem suam nutrit ac fovet Eph 5: 29. violando. Peccat in *Rempublicam*, illius civem perimendo. In *familiam*, ejus membrum, & fortè primarium visceribus ejus violenter eripiendo, suos omnes ignominia, dolore ac luctu implendo. In *Ecclesiam* & *Religionem*, doctrinæ Christianæ ignominiæ notam inurendo, omnibus dolorem, bonis scandalum, & hostibus insultationis occasionem præbendo. Adversatur *legi naturæ*, quæ unumquemque ad conservationem obligat; & *fiduciæ* & pietati in Deum, quæ mala omnia sibi vel immissa vel impendentia, ut à Deo excipere debet; *sapientiæ*, quia non tam consilio, quàm furore, & insano impetu ad hoc facinus devenitur, quod ne Seneca quidem negare potuit epist. 70. *Sapientem non debere commodare pænæ suæ manum*, *stultitiam esse mortis timore mori*: *Justitiæ*, quia homo non magis Dominus est suæ vitæ, quàm alienæ; servus est qui herum, miles qui Imperatorem habet; in statione collocatus est, λειποτάκτης esse non debet, nec suo arbitrio subduci, sed alieno solvi. Quod ab ipso Epicteto optimè notatum, qui jubet homines ἐνδέχεσθαι τὸν θεὸν, donec signum det, & solvat nos hoc ministerio: *Fortitudini*, quia oritur ex impatientia mali immissi, vel ex formidine immittendi, sive ut illud amoliatur, sive ut isti prævertat, unde August. bene negat lib. 1. de

C.

C.D. c. 21. ad animi magnitudinem pertinere, & majorem animum meritò dicendum esse, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere: *Consensu Sapientiorum* inter Ethnicos, tam Græcorum, quàm Romanorum, *Pythagoræ*, *Platonis*, *Aristotelis*; *Senecæ*, *Ciceronis*, & aliorum, qui hoc scelus esse fatentur. Quò pertinent exempla αὐτοχειρίας relata in Scripturis, quæ nonnisi scelestis tribuuntur, in Saule 1 Sam. 31: 4. Achitophele 2 Sam. 17. 23. Judâ Iscariote Matth. 27: 5. & Act. 1: 18. QUÆST. XVII.

XXIV. Non favet αὐτοχειρίᾳ exemplum *Simsonis* Judi. 16. qui ruinâ domus quam evertit, se non minùs quàm alios oppressit. Quia hoc singulare fuit factum, motu Spiritus Sancti extraordinario perpetratum, quod patet, tum ex Apostolo Hebr. 11: 34. qui eum hoc per fidem patrasse dicit, tum ex precibus, quas concepit ad Deum pro robore extraordinario consequendo ad hunc actum, & earum exauditione Jud. 16: 28. dum Deus robur addidit, & successum quem optabat largitus est, ut ita illustris esset typus Christi magnam morte sua hostium stragem edendo, & incumbentem cervici populi sui tyrannidem frangendo. Denique quia finis fuit, non ultio privata simpliciter, sed vindicta gloriæ Dei, religionis, & populi, utpote qui persona publica fuit, & vindex à populo Deo suscitatus. *Fontes Solutionum.* *Judi. 16.*

XXV. Nec exempla Eleazaris fratris Judæ Maccabæi 1 Macc. 6: 43. 44. 45. qui ultro subruit Elephantem, & ab eo obrutus periit. Et Raziæ suo se gladio occidentis 2 Macc. 14: 41. 42. quia è Libris Apocryphis petuntur. Nec generositas vocanda est, sed summa timiditas, si quis propter malum incertum, in totalem sui destructionem ultrò ruat. Nec huc pertinent, qui extremis periculis se pro patria sive amicis objecêre, & suá morte aliorum tranquillitatem & salutem redimere voluerunt. Quia aliud est se periculis objicere necessitate urgente, & vocatione Dei peculiari instigante, aliud sibi ipsi necem consciscere. Nec qui ponit animam pro aliquo, dum non recusat pro eo obire, statim αὐτόχειρ censeri debet; aliàs Christus pro nobis animam ponendo fuisset αὐτόχειρ, quod nemo dixerit. *1 Macc. 6: 43. & 2. c. 14: 41.*

XXVI. Factum eorum, qui se simul cum navibus incenso pulvere pyrio tollunt, ut visum nonnunquam in nautis, qui ad incitas redacti, navem suam incenderunt, ne vel ipsi tyrannidi hostili obnoxii fierent, vel instrumenta bellica, quæ in potestate habebant, in patriæ exitium hostibus cederent, & ut eâdem operâ damnum inferrent hostibus, ipsos cum navi unà tollendo; Licèt à quibusdam Theologis probetur, vel excusetur ab αὐτοχειρίᾳ, quia sui non intendebant interitum, sed hostium cædem & bonum Patriæ: Nobis tamen cum aliis pluribus haudquaquam probari potest; quia cùm hoc actu directè & voluntariè mortem sibi inferant, tanquam causa physica & moralis, non possunt evadere crimen αὐτοφόνων: Præterquam quod in eo repugnant *fiduciæ* in Deum, limitando ejus providentiam, quasi penes

QUÆST. XVII. ipsum non sint mille elabendi viæ, etiam cùm nos ferè conclamatum putamus; *Prudentiæ Christianæ*, quia certum ac præsens exitium cum incerto casu & eventu librant, & illum huic præponderare volunt; poterant enim ipsi, quamvis penè victi, superiores evadere, poterant hostes vitæ illorum parcere, poterant aliqui enatando, aut alia ratione vitæ suæ consulere; *Fortitudini*, quia fortis est, non turpiter ex desperatione victoriæ, aut salutis, stationem deserere, sed ad extremum usque pugnare; *Charitati* & mansuetudini erga miserabiles personas senes, imbelles, ægrotos, pueros, quibus ipsi hostes parcere possent, & plerunque parcere solent. Non ergo tales absolvi possunt à culpa in regulam Apostoli, mala non esse facienda ut eveniant bona, nec ullæ leges vel bellicæ, vel politicæ intercedere possunt sanctioni divinæ; Ut ut enim interdum excusari à *tanto* possint tales comparatè, *à toto* tamen excusari non possunt, sive id dicantur facere ut privati, sive ut ministri publici. Nec publica authoritas eò usque nos obstringere potest, ut intercedat authoritati divinæ. Nec ulla vel incommoda hosti, vel commoda patriæ conciliata tanti esse possunt, quæ conscientiam hic absolvant. Nec intentio hosti nocendi abstrahi hic penitus potest à certissima scientia se simul cum hoste tollendi, & indubitatam mortem sibi accersendi.

XXVII. Bonum est reddere Deo, quod ab ipso datum, sed ubi id & repetitur à nobis, & debito modo redditur; non verò ubi nec repetitur, nec debito modo redditur. Datur mortem aliquando meliorem esse vita, sed immissam ab aliis, non à nobis occupatam. Mors desiderari legitimè potest, sed non occupari, ut vita nonnisi divino arbitrio sumitur, sic nec nisi eo præeunte poni debet. Contemnere τὸ φοβερώτατον immissum à Deo, forte; Sed in id incurrere ultrò, temerarium & insanum, quod non fortitudinis, sed ignaviæ esse docet Arist. lib. 3. ad Nic. c. 8. Nec si amor patriæ, salus aliorum, desiderium immortalitatis possunt impellere ad mortem immissam fortiter ferendam, idem præstare debent ad accersendam non immissam.

XXVIII. Aliud est pati mortem, permittere sui homicidium, imò & fortiter ad illud se offerre, Deo ita vocante; Aliud seipsum occidere; Illud aliquo in casu licitum est, & fecit tale quid Christus, fecerunt Martyres, & Heroës; Sed hoc non item.

1 Cor. 13:3. XXIX. *Traditio corporis* ad vivicomburium, de qua Paulus 1 Cor. 13: 3. non est temeraria & vana, quâ quis seipsum se ultrò & sine necessitate exponit morti pro causa Dei, sed necessaria & sancta, qua ad martyrium Deo vocanti aliquis obsequitur, nec se illi vocationi subducit, vel mendacio, vel abnegatione veritatis ob amorem vel sui vel seculi, si se raptari contingat ad tribunalia Paganorum ab hostibus Evangelii.

2. *Duellum illicitum.* XXX. Secundò prohibetur *Duellum*, non quælibet monomachia, vel pugna inter duos, qualis est necessaria defensio vitæ adversus aggressorem injustum,

stum, quæ antea à nobis probata est; Non quæ fit ex publica authoritate in bonum commune, quale fuit Duellum Davidis adversus Goliathum. Sed pugna inter privatos, quæ directè & sponte suscipitur, ex condicto vel conventione, cum periculo occisionis, vel mutilationis, quam simpliciter damnandam putamus, tam in acceptante, quàm in provocante, quamvis major sit culpa provocantis; cùm directè impetat præceptum hoc non occidendi. QUÆST. XVII.

XXXI. Nulla dari potest ratio, quæ duellum honestare, & licitum reddere possit; Non *defensio honoris mundani*, & *vitatio ignominiæ*, quia honor iste vanus est, & inter homines vanos tantùm obtinens, cujus læsio nihil delibat de ipsamet vera fortitudine, quæ honori Deo debito non est anteponenda. Nec ullum potest esse veræ infamiæ periculum, quum is qui renuit duellum acceptare, causas addit prohibitionem divinam, & periculum animæ, cum quo nulla honoris jactura comparanda est: Adde quod famæ læsæ meliùs & molliùs potest prospici, quàm morte lædentis. Non *defensio bonorum*, quia vita nostra & aliena non debet cum bonis aliis temporalibus commutari. Non *veritatis manifestatio*, aut *criminis purgatio:* quia cùm nulla sit promissio Dei, quòd hoc modo testimonium præbere velit veritati, extraordinariam ejus providentiam hoc modo consulere aut appellare, nihil aliud est quàm inventione diabolicâ Deum tentare. Non *vindictæ executio*, quia vindicta denegatur privatis, qui essent sic judices in propria causa, & solis personis publicis licita est, idque viâ juris. Quàm verò arti isti diabolicæ faveant Jesuïtæ, *Lessius*, *Amicus*, *Escobar*, & alii, patet ex Excerptis Theologiæ eorum moralis *editis* an. 1666. Propos. 11. 12. 15. 16.

XXXII. Tertiò, non vetatur tantùm Homicidium externum & quæcunque eò pertinent; Sed prohibetur etiam, cùm Lex sit spiritualis, ira, odium, vindictæ studium, invidia, contumelia, & quicquid cum vera & sincera proximi dilectione, aut legitimâ sui defensione pugnat. Quæ omnia non solùm in N. T. damnantur Matt. 5:21. ut perperam volunt Sociniani, sed etiam prohibita jam leguntur & damnata in Veteri, Lev. 19: 17. 18. Zach. 8: 16. 17. Licèt enim homicidium solum effectivum & externum forensi lege capitaliter puniatur Lev. 24: 17. *affectivum* tamen & *internum* eodem loco venit apud Deum. *3. Ira & odium.*

XXXIII. Quia verò in præceptis negativis, affirmativa continentur, hac lege tenemur ad proximi defensionem, auxilium, amorem, mansuetudinem, concordiæ & pacis studium, Rom. 12: 18. Non enim satis est neminem lædere, sed suum cuique tribuendum est. Non satis est neminem occidere, sed studendum insuper vitæ proximi conservandæ quacunque fieri potest honestâ ratione. Et ut lampas duplici modo extinguitur, aut per vim exsufflando ejus lucernam, aut non infundendo oleum: Ita proximi vita destruitur, aut violenta extinctione, aut iniquâ subtractione eleemosynarum & subsidiorum, per quæ fuisset conservanda.

QUÆST. XVIII.

QUÆSTIO XVIII.

AD PRÆCEPTUM SEPTIMUM.

Quid Præcepto de non mæchando prohibeatur, & præcipiatur?

I. UT sexto Præcepto *Vita* tum Proximi, tum nostra ipsorum; Ita hoc septimo *Pudicitia*, & nostra & aliena nobis commendatur. Cujus ratio triplex assignatur; *Divina*, quia cùm Deus sit sanctus, æquum est hominem ad imaginem Dei conditum, sanctè & proinde etiam castè vitam instituere, cùm sanctitatis pars sit castitas. *Naturalis*, quia cùm ad jus naturæ pertineat maris & fœminæ conjunctio; necesse est eam ad rectæ rationis normam dirigi, ne natura ipsa effrænis maneat. Ideo nulla est in orbe natio, quæ matrimonium non probarit, & vagos concubitus non damnarit. *Civilis*, quia ut familiarum distinctione constat εὐταξία politica; sic earundem per vagas libidines perturbatio Respublicas evertit, & domos pessundat.

Sub adulterio synecdo. omnis illicitus concubitus vetatur.

II. Hoc ergo præcepto omnis impudicitia, & luxuria cujuscunque sit generis prohibetur, & sub nomine *adulterii*, quæ una est ejus species crassissima, humanæ societati maximè adversa, & in proximum contumeliosa, synecdochicè continetur. Damnatur itaque hic omnis illicitus concubitus extra honestas nuptias, sub quo includitur primò *Adulterium* propriè ita dictum, quod est *alieni thori violatio*, sive altera persona sit soluta, sive utraque conjugata, quomodo duplicatur adulterium, per duplicis thori violationem. 2. *Scortatio* quælibet & fornicatio simplex solutæ cum soluta, quæ, ut ab Ethnicis cognitione Dei destitutis plerunque pro re media, aut leviuscula culpa habita sit, ut & à Pontificiis, expressè tamen passim tanquam grave peccatum damnatur tam in Veteri quàm Novo Testamento Deut. 22: 28. & 23: 17. 18. 1 Corinth. 6. 18. Hebr. 13: 4. Apoc. 21: 8. Apostolus gravitatem ejus notat 1 Cor. 6. quia qui scortatur facit corpus suum unum cum scorto, peccat in corpus suum, profanat Templum Spiritus, & vasa gratiæ polluit. Unde colligitur quanto crimine se involvant, qui lupanaribus publicis contra jus & fas patrocinantur, ut fit in Papatu, ubi Prostibula & Lupanaria publicè tolerantur, imò & vectigalia & tributa ex iis petuntur; licèt Deus olim mercedem scorti, & pretium canis in Templum inferri vetuerit Deut. 23: 18. de quo queritur *Espensæus* lib. 3. de conti. c. 4. aliis infamem hanc causam propugnantibus, ut *Emanuele Sà*, *Toleto*, &

Scortatio.

va-

variis Casuistis ex Pontificiis: Bellarminus fatetur prostibula esse mala necessaria ad cavenda majora; sed hic obtinere debet regula Apostoli, non esse facienda mala ut eveniant bona. Nec si in V. T. fuisse dicuntur meretrices, ut tempore Patriarcharum, & Salomonis; ideo approbantur vel ad imitationem proponuntur. Exemplum Salomonis plurimis libidinibus dediti non est urgendum, ut vitiosum; sed imitandus zelus Josiæ reformantis cultum Dei, & præsertim lupanaria destruentis 2 Reg. 23: 7. & Ludovici IX. sancti dicti, qui Regno suo histriones expulit, & lupanaria destruxit. QUÆST. XVIII.

III. Tertiò *Incestus*, qui admittitur cum personis consanguinitate, vel affinitate junctis, si gradus in utroque propinquitatis genere prohibiti, ex Dei lege, non hominum placitis definiantur. 4. *Raptus*, quum puella è domo patris ad libidinem vi abstrahitur, sive renitatur puella raptui, sive assentiatur; tum enim saltem Patri vis fit, cui invito res sua eripitur. 5. *Concubinatus*, quum quis consuescit cum fœmina quam domi habet, non mariti affectu, sed consuetudinis tantùm causâ, quæ proinde dimitti potest, ut & filii legitimi non censentur nec hæredes, quia est species scortationis, imò addit aliquid gravius, scortatio enim dicit tantùm actum transeuntem, sed concubinatus addit permanentiam & statum, hinc Apost. Hebr. 13:4. immediatam facit antithesim inter conjugium & scortationem, quia omnis concubitus extra legitimum matrimonium est scortatio. Quamvis verò obtinuerit sub V. Test. inter Patriarchas, non propterea honestari potest, vel ad imitationem trahi, quia regulis non exemplis vivitur, nec defectus & nævi sanctorum, qui referuntur a sacris Scriptoribus, eo ipso probantur; nec si in Jure Canonico excusatur, continuò Jure divino excusari potest.

Incestus. *Raptus.* *Concubinatus.*

IV. 6. *Peccatum contra naturam*, & nefanda illa crimina, quæ sodomiæ & bestialitatis nomine solent exprimi, quorum fit mentio Levit. 20:13. Rom. 1:27. quæ ne inter Christianos quidem nominanda essent, licèt plus nimis hodie variis in locis in opprobrium nominis Christiani obtineant.

Peccatum contra naturam.

V. 7. *Luxuria omnis impudica*, tam quæ in corde per malas cogitationes, & concupiscentiam inhonestam locum habet, damnatam à Christo Matth. 5. 28. quàm quæ per sermones obscœnos, & gestus impudicos sese exerit. Sub qua contineri non dubitamus fucum faciei, & mollem ac lascivum corporis cultum, cùm ab animo in vestimentum, à conscientia in superficiem manat ἀσέλγεια, choreas, & saltationes petulantes, & turpes ludos scenicos ac theatrales, qui hodie sunt in usu, crapulam, ebrietatem, comessationes, & sim. quæ sunt alia hujus generis illicitæ Veneris illicia & incentiva. Hæc enim omnia sub hoc interdicto contineri certum est, quemadmodum illa non semel alibi in Scriptura damnatur, tanquam propria Gentilibus & filiis hujus seculi Rom. 13:12. 13. Eph. 4: 19. 1 Pet. 4: 3. ex 1 Joh. 2: 15. 16. quibus Christianos operam dare nefas est, qui se non conformare de-

Luxuria. *Chorea.*

QUÆST. XVIII. debent huic seculo Rom. 12. 2. sed totam vitam componere tenentur ad sobrietatem, temperantiam, modestiam, & sanctitatem Tit. 2:12. Rom. 13:13.

Eph. 5. 3. VI. Nec si Apostolus Eph. 5:3. 4. & 1 Thess. 4: 3. vult à Christianis abesse omnem impuritatem & lasciviam, sequitur hoc sub Novo Testamento tantùm prohibitum esse, & esse auctarium additum a Christo Legi morali. Quia constat sanctitatem præceptam in Lege omne genus impuritatis excludere, tam internam cordis, quàm externam corporis; sed hinc tantùm colligitur hoc officium non minùs Evangelio, quàm Lege præcipi, & in illo confirmari fortiùs quod in ista jam vetitum fuerat, quod ulteriùs ex variis locis probari posset Prov. 6:25. 26. Job. 31:1. 9. Gen. 39:7. 9. Jer. 5:8. 9.

Eccl. 12. 1. Nec si Eccl. 12:1. Sapiens videtur concedere Juveni, ut ambulet secundùm viam cordis, & lasciviam oculorum, statim approbat hoc tanquam licitum, sed ironicè loquitur, sermonem suum illico corrigendo, dum addit, propter hæc Deum eum adducturum in judicium.

8 Polygamia. VII. 8. *Polygamia*, non successiva, quæ licita, sed *simultanea* quæ peccat 1. contra *primam conjugii constitutionem* Gen. 2. ad quam Christus Judæos revocat: in qua unum virum & unam fœminam fecit & conjunxit Deus, & edicto sancivit, ut duo, non tres, aut plures essent una caro, & ut vir adhæreret uxori suæ, non uxoribus; nec separandos esse, quos Deus conjunxit Mala. 2:15. & Mat. 19: 5. 2. peccat contra *naturam amoris conjugalis*, qui ita proprius est & singularis, ut tertiam personam non possit admittere ad ejusdem rei communionem, sicut experientia docet in zelotypia conjugali. 3. contra *naturam contractus matrimonialis*, quô fit, ut conjunx non habeat ampliùs corpus in potestate sua, 1 Cor. 7: 4. Unde fit ut injustitiæ & perfidiæ reus peragatur qui alteri sese jungit Malac. 2: 14. &c. 4. contra mandatum Pauli, qui vult ut quælibet uxor τὸν ἴδιον ἄνδρα *proprium virum habeat*, unde Rom. 7: 2. 3. uxor mœcha dicitur, quæ vivente adhuc marito fit alterius uxor, quia fides matrimonialis debet esse reciproca, quod non posset locum habere, si una plures viros, vel vir unus plures uxores habere posset. 5. contra unitam illam prolis curam, quam conjugii finis requirit, quæ in polygamia dividitur. 6. contra *pacem familiæ*, quia ab ea infinitæ rixæ oriuntur Lev. 18: 18. ut visum in domo Jacobi Gen. 30. Elkanæ, 1 Sam. 1:6.

VIII. Licitam esse Polygamiam non colligitur: Vel ab *exemplo Patrum Veteris Test.* qui polygami fuerunt; & quibus permissa debuit esse polygamia. Quia legibus, non exemplis standum. 2. Si permissa fuit, hoc factum fuit, vel permissione juris ethicâ per dispensationem peculiarem propter infirmitatem, quia erant adhuc infantes, quibus multa conceduntur, quæ adultis denegantur, quæ nunc sub Novo Testamento cessat: vel quod verisimilius est *permissione facti*, id est, per meram tolerantiam non per approbationem, ut

hac ratione immunes essent à poena civili in foro soli, sed non item à poena divina in foro poli, à qua liberari debuerunt gratiâ Dei interventu poenitentiæ ipsorum, vel explicitæ, vel saltem implicitæ. Vide supra Quæst. II. Th. 29. 30. Vel ex eo quod Deuter. 21: 15. 16. Deus dat leges de hæreditatibus Polygamorum. Quia quamvis Polygamis legem det, ipsam tamen Polygamiam ideo non approbat, ut dat legem Deut. 23: 18. de non inserenda mercede scorti in domum Dei, ipsum tamen pretium non approbat; dat legem de eligendo Rege, desiderium tamen populi non approbat; 1 Sam. 8: 6. 7. Vel ex eo quod Deut. 25: 5. vir debuit fratri mortuo suscitare semen, qui potuit esse uxoratus; quia sermo est *de fratribus habitantibus unà*, id. qui ambo non sint conjugati.

IX. Quia verò vagæ libidinis, & veneris illegitimæ hoc præcepto vetitæ remedium est legitimus concubitus, qui in honesto conjugio reperitur, præcipitur conjugii à Deo instituti legitima usurpatio, in iis qui nolunt aut non possunt se continere, ut sit conjunctio legitima & individua duorum in unam carnem, per *consensum justum*, non tantùm contrahentium, sed & eorum in quorum sunt potestate, absque quo nuptiæ sunt clandestinæ, & ipso jure nullæ, *plenum*, non vi aut dolo extortum, quod ad raptum spectaret, *sincerum* non fraudulentum, utpote qui tendere debet in illam individuam conjunctionem, non corporum modò, sed etiam animorum & bonorum, quî regulariter solâ morte abrumpitur, Rom. 7: 2. 3.

X. Mandatur etiam Pudicitia, Castitas, sive in cœlibatu, sive in conjugio, modestia, sobrietas, & quælibet virtutes ad veram sanctificationem corporis & animi spectantes, quarum agmen ducit temperantia, per quam ratio libidinem, omnesque appetitus concupiscibilis impetus coërcet, & frænis parère docet.

QUÆSTIO XIX.

AD PRÆCEPTUM OCTAVUM.

Quid prohibeatur & præcipiatur Præcepto de non furando; Et An quævis usura sub eo contineatur? Neg.

I. UT duobus Præceptis præcedentibus *Personis*, & *Corporibus* proximorum cautum fuit, sive vitæ & castitati ipsorum; Hoc octavo *Bona*, sive facultates eorum in tuto collocantur. Finis est, ut quoniam abominationi Deo est injustitia, reddatur unicuique quod suum est.

II.

Quæst. XIX.

Ratio Præcepti triplex.

II. Triplex verò non minùs ac præcedentium sanctionis istius ratio; *Divina*, quia cùm Deus non minùs sit largitor bonorum, quàm conditor, quisquis ea à liberali ejus manu non expectat, sed per injuriam ea rapit, Deum ipsum magnopere offendit. 2. *Naturalis*, quia cum distinctio dominiorum, secundùm quam alii plura, alii pauciora possident, sit juris naturalis, usurpatio rei alienæ non potest non grave peccatum esse repugnans Juri naturali. 3. *Politica*, quia grassante furum & prædonum licentià, pax & tranquillitas publica, humanæ societatis vinculum labefactatur.

Furtum & varia ejus species damnantur.

III. Vetatur autem hic in genere *furtum*, quod definiri solet, *alienæ rei contrectatio*, vel *usurpatio invito domino*, sive ea fiat dolo, sive vi. Hoc verò non tantùm simplex est, sed *qualificatum*, & pro diversitate objectorum varium & multiplex; nam si sit usurpatio rei sacræ dicitur *sacrilegium*, si boni publici pertinentis ad Rempublicam, *peculatus*, si personæ quæ sit in alienâ potestate, sive sit libera, sive serva, *plagium*. Huc pertinent *latrocinium*, *concussio*, *stellionatus*, quibus singulis suæ pœnæ per leges civiles sunt assignatæ.

IV. Ad furtum reductive etiam pertinent doli, fraudes, & circumventiones omnes, in contractibus, in mercibus, ponderibus, mensuris, nummis, monopoliis, & malæ omnes artes & aucupia, quibus aliena captantur. Imò furti coram Deo rei sunt, qui desidiæ, ac otio vitioso, quod pulvinar est Diaboli, litant, quique in vocationibus, professionibus, & ministeriis suis, sunt negligentes & infideles, qui stipendia ipsis concessa injustè furantur supinè & oscitanter operi sibi imposito incumbentes.

1 Tim. 6. 9. 10.

V. Eò spectat enim *Avaritia*, malorum omnium radix 1 Tim. 6: 9. 10. quæ posita est in insatiabili habendi desiderio, & auri sacrâ fame, sive amore inordinato divitiarum, qui ἀσύςατος est cum amore, quem Deo & proximo debemus Jac. 4: 4. *Adulteri & Adulteræ, an ignoratis amorem mundi esse inimicitiam cum Deo?* hinc ab Apostolo detestando idololatriæ crimine nuncupatur Ephes. 5: 5. quia per eam fit, ut homo posthabito divino Numine, spem suam totam & fiduciam in divitiis quasi in summo suo bono collocet.

Jac. 4. 4.

Eph. 5. 5.

VI. Atque hinc patet non in Novo T. demum vitium istud esse prohibitum, ut vellent Sociniani cum Anabaptistis, quasi auctarium inde Legi per Christum additum sit, in eo quòd divitiarum possessio etiam ultra necessitatem licita fuerit sub Veteri Testamento, at sub Novo restringatur ad ea quæ necessaria sunt simpliciter ad vitæ sustentationem, ut habet *Catech. Racovi.* de Præceptis à Christo Legi additis q. 101. Quia passim in Veteri Testamento interdicitur, non modò hoc præcepto & decimo, ubi vetatur concupiscentia bonorum proximi, sed & alibi damnatur Exo. 18: 21. & 22: 25. & 23: 8. Levit. 19: 13. & 25: 46. Deut. 16: 19. Psalm. 26: 11. Isa. 5: 8. Jere. 6: 6. 7.

&

&22:17. Pf. 119:36. &c. Nec divitiarum possessio per se est illicita, modò legitimis modis acquirantur, & iis utamur ut mediis, non fruamur ut fine, ut factum à fidelibus multis, qui opibus abundasse dicuntur etiam in N. Test., qualis fuit Josephus Arimathæensis Matt. 27. Cornelius Centurio Act. 10. Tabitha Act. 9. & sim. Nec si divites dicuntur vix ingredi posse in regnum cœlorum Matth. 19:23. hoc fit propter divitias, sed ob perversum earum usum, quod patet ex Marc. 10:24. ubi confidentes in divitiis damnantur. Hinc divitiæ vocantur *mammon iniquus* Luc. 16:9. non propriè ratione sui, sed per accidens ratione possidentium, quia sæpissimè injuste acquiruntur, & malè possidentur. Et ἀπάτη illis tribuitur Matt. 13:22. non in se, sed respectu mentis à qua possidentur, quo sensu etiam tribuitur illis sollicitudo, & suffocatio Verbi, non relatè ad ipsas divitias, sed ad animum possidentis, qui sollicitudine anxius suffocat in seipso semen Verbi, nec patitur radices agere in corde. Avaritia ergo non in effectu, sed in affectu consistit, non in divitiis, sed in earum desiderio & usu illicito.

Quæst. XIX.

Matt. 19:23.

Luc. 16:9.

Matt. 13:22.

VII. Huc referenda est nobilis Quæstio de *Usuris*, quæ inter species furti à quibusdam recensentur, *An scilicet aliqua usura sit licita?* De qua paucis dicendum, ut constet quid hic ex Verbo Dei statuendum sit. *Usura* lucrum est, quod præter officium mutuationis ultra sortem exigitur, sive sit pecunia, sive frumentum, sive aliud quid; dicitur ab *usu*, quòd propter usum pecuniæ percipiatur. Græcis τόκος à τίκτω pario, quòd sit velut partus quidam mutui. Hebræi duabus vocibus solent illam exprimere, רבה à תרבית *multiplicavit*, quòd per usuram multiplicetur & crescat ipsa sors, & נשך à radice נשך *momordit*, quia instar serpentis mordet & atterit non sentientes.

An Usura sit licita.

VIII. Circa Quæstionem duæ sunt præcipuæ sententiæ. Alia negantium, Alia affirmantium. Negativam hìc tuentur, & omnem usuram simpliciter illicitam putant Canonistæ in Jure Canonico c. 14. q. 3. quibus adstipulantur Scholastici & Sententiarii in Lomb. lib. 3. dist. 37. Ad quos accedunt nonnulli ex Lutheranis, imò & ex Nostris *Zuinglius*, *Musculus*, *Aretius*, & varii ex Theologis Anglicanis, *Ivellus* in Dissert. de Usurâ, *Lancelotus Andrews*, *Vilsonus* & alii; Affirmativam amplectuntur communiter Orthodoxi, & statuunt licitam esse usuram, positis tamen certis distinctionibus.

IX. Primò distinguenda est *Usura*, Alia *mordens* & immodica seu expilatoria, quæ nullâ ratione habitâ æquitatis & charitatis Christianæ immisericorditer exigitur à quolibet mutuante etiam paupere & attenuato, vel grande aliquod detrimentum in re familiari passo, quô factum est absque suâ culpâ, ut non ampliùs sit solvendo. Alia est *modica* & *juvans*, in qua talis moderatio adhibetur, quæ utriusque & commodantis & mutuantis necessitati, commodo, & lucro, quod beneficio mutui acquiritur aut acquiri solet, conveniat, quæque æquitati Christianæ juxta modum à Magistratu

QUÆST. XIX.

præscriptum pro ratione locorum, temporum, & personarum, ista enim pro regionum & populorum diversitate variant, respondeat. Secundò, Illi qui *pecuniam dant fænori*, vel sunt Danistæ & fœneratores ex professo, qui hoc unum agunt, vel non. Vel qui mutuum fœneratitium tantùm dant, vel gratuitum etiam aliquando. Vel tales qui propriam pecuniam honestè negotiari possunt, Vel qui non possunt, sive quia viribus vel idoneitate id præstandi destituuntur, sive quia toti muneribus publicis, vel sacris, vel politicis distinentur. Tertio *qui mutuantur*, vel pauperes sunt, vel in re lautâ, vel mediocri saltem, vel in usus necessarios ad sui & familiæ suæ sustentationem pecuniam mutuò accipiunt, vel in commoda & lucra sua.

Status Quæstionis.

X. His positis dicimus, Non quæri de usura mordente, quam injustam & illicitam esse censemus; Sed de moderata, & rationali; Non de illis qui ex professo fœneratoriam artem exercent, & id unum agunt, ut censibus & usuris cum aliorum incommodo sua augeant commoda; hanc enim artem meritò pessimè audire, & tales Danistas seu Trapezitas, qui hoc vitæ genus sectantur, & & hirudinum instar pauperum sanguinem exsugunt, justissimè damnari arbitramur. Sed de iis qui cum suo commodo aliena etiam commoda attendunt, qui ita honestum censum ab iis à quibus jure exigi potest exigunt, ut parati sint gratis de suo pauperes sublevare, & reipsa id præstant; vel qui minùs sunt idonei, sive per ætatem, sive per incapacitatem, sive per alia negotia, quominus ipsi pecuniæ suæ usu censum suum augère queant. Non de pauperibus & egenis, qui in usus necessarios & si inevitabiles pecuniam aliquam mutuò sumunt, ab illis enim usuras stipulari & exigere injustum asserimus; Sed de aliis qui in re lautâ constituti, vel saltem mediocri, pecuniam mutuantur, ut rem suam augeant, & qui ex pecuniæ negotiatione commodum aliquod & lucrum percipere possunt. Ab istis usuram aliquam exigere licitum & justum esse pertendimus.

Non omnem usuram esse illicitam probatur.

Deut. 23. 20

XI. Primò, Quia licuit sub Veteri Testamento usuras capere ab extraneis Deut. 23: 20. quod fieri justè non potuisset, si haberent intrinsecam turpitudinem, nam quod in se & suâ natura malum, non potest fieri licitum in ordine ad ullum objectum. Nec dici potest, Vel intelligi tantùm septem populos internecioni devotos, quia de quibusvis alienigenis agitur contradistinctis fratribus id. Judæis; nam ut illi facultatem habebant exigendi usuras à Judæis; Ita æquum erat Israelitis eandem libertatem concedi, ut commercio inter utrosque, quod æqualitate constat, locus daretur. Vel esse permissionem tantùm facti, non juris, non ut aliquid licitum, sed ut minus malum instar libelli repudii. Quia hoc gratis supponitur, non probatur, nec facienda vel permittenda sunt sanctione expressâ mala, ut eveniant bona.

XII. Secundò, Si usuræ absolutè essent illicitæ, Christus sub illa similitudi-

tudine officium spirituale de legitimo talentorum usu non repræsentasset, Matt. 25. sine ulla insinuatione improbationis, qualem in aliis parabolis ab usu improbato desumptis solebat adhibere ut Luc. 16:8. Nec Joh. Baptista Luc. 3:13. Publicanos qui certo pretio vectigalia à Romanis conduxerant, juberet tantùm retentâ vitæ conditione, nihil ultra æquum exigere. Quæst. XIX.

XIIII. Tertiò, Usuræ omnis usus nec in Lege prohibetur, nec æquitati & honestati intercedit. Imò fundatur 1. in *necessitate & utilitate*, quia sine usuris non possunt subsistere nec exerceri commercia, quæ præcipua sunt societatis humanæ firmamenta. An verò potest injustitiæ argui res sine qua non potest stare humana societas, & quâ sublatâ cessaret omnis hominum negotiatio & mercatura? 2. in *æquitate naturali*, quia æquum est, ut qui commodum percipit ex ære alieno, ejus quoque participem faciat alium, cujus subsidio hoc commodum percipit in debitam compensationem. 3. in *justa gratitudine*, nam quod alter jure debet, id alter jure accipit; at qui compendium facit ex alieno mutuo, jure gratitudinis debet aliquod ἀντίδωρον, Jus enim naturæ exigit, ut grati simus iis, qui nobis benefaciunt, non tantùm verbis, sed & reipsâ. 4. in *charitate Christiana*, quæ requirit ut unusquisque Paterfamilias suis prospiciat 1 Tim. 5:8. 2 Cor. 12:14. parentes debent thesaurizare liberis, si quis autem nummis suis alios juvet, sua autem negligat, in æternum rem suam non augeret. 5. A *paritate aliorum contractuum*, qui locum habent in societate, & ab omnibus probantur, v. g. contractus ἐμφυτεύσεως, ἀντιχρήσεως, locationis, commodationis &c. nam si ex locatione domus & fundi, & commodatione utensilium lucrum aliquis percipit, cur non pariter ex mutatione nummorum? 6. Accedunt Imperatorum & Regum Constitutiones, quibus modus est positus fœnori legitimo Digest. lib. 22. Titulus est de usuris & fructibus Codi. Justi. lib. 4. Tit. 32.

XIV. Contra usuras non facit 1. Interdictum usurarum quod extat Exod. 22:26. 27. & Levit. 25:35. 36. Quia restringitur manifestè ad pauperes & attenuatos, ut appareat esse disparem divitum rationem, *si mutuò dederis populo meo, pauperi* id. illi qui in populo fuerit miser & egenus, nihil habens, unde se sublevet, ut clariùs exponitur Levi. 25:35. *Si attenuatus fuerit frater tuus &c. non accipies usuram ab eo* &c. Et Deut. 15:7. 8. 9. Si alibi videtur extendi ad omnes Israëlitas indiscriminatim, ut Deuter. 23:20. *Ne dato in usuram fratri tuo* &c. vel exponenda est interdictio ex locis parallelis Exodi & Lev. in quibus manifestè restringitur ad pauperes, nec obscurè hoc innuitur, quando fit mentio *usuræ cibi*, nimi. quæ acciperetur ab eo qui mutuum sumit ad sui sustentationem, ut habeat unde vivat; Vel si sine exceptione ad omnes Hebræos refertur, lex erit forensis peculiaris huic populo, ut fortiùs societas Israëlitarum hoc vinculo adstringeretur, Fontes Solutionum. *Exod.* 22. 26. *Lev.* 25. 35. *Deut.* 23. 20.

 retur,

QUÆST. XIX. retur, quales aliæ non paucæ erant de ſervis, pignoribus, agris, ſpicilegio & ſim. quæ ſub N. T. locum jam nullum habent.

Pſ. 15. 5. Ezec. 18 8. XV. 2. Nec non laudatur ut juſtus qui fœnori non dat Pſal. 15. 5. Ezech. 18: 8. Quia agitur non de uſura omnimoda, aliàs hoc repugnaret Moſi, qui aliquam uſuram permittit, ſed de mordente & improba, quâ creditor omni æquitate poſthabitâ debitorem ſuum onerat & premit, vel nimium, vel nimis rigidè eam exigendo, quam Lex proſcriptam voluit.

Luc. 6. 35. XVI. 3. Nec quod Chriſtus ait Luc. 6. 35. *Mutuum date nihil inde ſperantes*, quia ibi quidem præcipitur, quid faciendum, non quid tantùm faciendum, pauperibus nimirum & egenis & ſubveniendum, à quibus nihil ſperari poſſit. 2. Si verba Chriſti vexanda forent, ſequeretur, ne ſortem quidem ab ullo repetendam, quia jubemur δανείζειν μηδὲν ἀπελπίζοντες, adeoque non minus ſortem quàm uſuram, quod tamen injuſtum eſſe abſolutè & univerſaliter nemo negare poteſt. 3. Scopus eſt hortari ad beneficentiam erga pauperes, ut illis quoque urgente neceſſitate aliquid erogetur, etiamſi nulla ſpes appareat, vel lucri, vel ne ſortis quidem, nec ſine cauſa Chriſtus de hac ſpecie mutui loquitur, quia iſta à nobis ordinariè negligitur. Nec ideo ſubſtituendum fuit verbum δότε pro δανείζετε, cùm videatur mera eleemoſyna, non mutuum. Quia in mutuo manet ſemper in accipiente obligatio ad reddendum, licèt in dante non debeat eſſe proſecutio juris; At eleemoſynam qui accipit, non tenetur reddere; adde quod talis erogatio bene poteſt dici non tantùm δώρημα, ſed etiam δάνεισμα ob mercedem multam, quam Dominus illi pollicetur, quia qui pauperi dat Deo fœnerat. 4. Quidam ita exponunt quaſi ſcriptum fuiſſet μηδένα ἀπελπίζοντες *neminem deſperare facientes*, ut intelligatur de perſonis, non de rebus, quod petitur ex Syro interprete qui ita reddit *mutuò date, & ne præſcindatis ſpem hominis*, quod conveniret cum loco parallelo Mat. 5. 42. τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς, ne volentem à nobis mutuari averſemur, nec illi præcidamus ſpem mutui, quocunque loco illius res ſint, reſpiciendo ſcilicet ad mercedem nobis repoſitam apud Deum. Alii non malè juxta vim vocis ἀπελπίζειν, *nihil deſperantes*, quaſi beneficium veſtrum perditum ſit, vel pecunia veſtra malè collocata, quaſi nihil inde recepturi ſitis, quia merces veſtra multa ſemper erit apud Deum, ſi officium perit apud homines.

XVII. Licèt pecunia ex ſe videatur ſterilis, poteſt tamen fieri fœcunda per ejus uſum, ſicut ager & fundus non per ſe, ſed accedente humanâ induſtriâ redditur fertilis; Nec per uſuram legitimam bis idem computatur, aut gemina ſolutio exigitur, quemadmodum aliud eſt pecunia credita, aliud fructus qui inde ſperatur, ut fundus aliud quid eſt ab emolumento, quod ex fundo percipitur.

XVIII. Chriſtus in Templo numulariorum menſas evertit Mat. 21: 12. eoſ-

eosque ut & emptores & venditores inde ejecit, non tam quòd emere & vendere, ac nummos permutare sit illicitum, quàm quòd locus mercatus, ex orationis domo fieri non debeat: Quòd verò culpantur ex domo Dei fecisse speluncam latronum, non tam dicitur eorum respectu, quàm quòd suas merces in Templum inferendo, conniventibus Sacerdotibus horum rapacitati subserviebant, siquidem ex illa numularia & mercatura, sua compendia venabantur.

QUÆST. XIX.

Mat. 21: 12

XIX. Canonistarum axioma, quòd *omne mutuum debeat esse gratuitum*, non potest simpliciter admitti de mutuo propriè dicto, quia nemini suum officium debet esse damnosum. Nec magis æquum est gratis uti alterius pecunia in rem nostram, quam domo vel curru, ut nihil ipse consequatur fructus & emolumenti, & tuum περίσσευμα sit illius ὑστέρημα, ut illi sit θλί-ψις, dum tibi est ἄνεσις.

XX. Quamvis fœneratoris nomen infame redditum sit, & ars non modò sit illiberalis, sed & improba, quando quis artem profitetur usurariam, & publicam fœnoris officinam aperit, vel quum usuras immodicas exigit, civilibus Legibus damnatas; vel quum impatiens moræ jus suum nimis rigidè erga pauperem persequitur, hic enim summum jus sæpe summa est injuria, quo nomine Judæi & Longobardi dicti trapezitæ non immeritò traducuntur, qui populum & inprimis pauperes usuris gravissimis rodunt, & eorum sanguine se ingurgitant, à quibusvis promiscuè pignora accipiendo, quibus non solùm de sorte sint securi, sed etiam de immodicâ usurâ, etiam ab iis qui ostiatim panem quærunt, à servis insciis Dominis, à filiisfamilias insciis parentibus, quique artem fœneratoriam ex professo exercent, & in eum solum finem ut inde ditescant, quos optandum esset è Rebuspublicis Christianis, tanquam pestes publicas, & societatis expilatores ejici & profligari. Sed non par est ratio eorum qui bonis artibus, & sub æquis conditionibus lege civili constitutis, dant operam ne pecunia, quam domi habent, sit sibi infructuosa.

XXI. Quod injustè crimen Pontificii & Jesuitæ inprimis, ut Baylius tr. 4. q. 5. Calvino nostro impingunt, tanquam fœneratorum patrono, quia usuras absolutè non improbat, justiùs ipsis à Jansenistis objicitur, quòd usuras ferè quaslibet permittant & exerceant, easque valde improbas. Vide Literas Provinciales, & Amadeum Guimenium Tractat. de Usuris. Sed magis mirum est à Præsule Vintoniensi Lancelotto Andrew's Determinatione Theolog. de Usura, magno Dei Viro propterea conflari invidiam, eò quòd in epistola quadam, & in 18. Ezech. usuras tueatur. In quo sanè non possumus non æquitatem in tanto Viro desiderare, qui tam injusta criminatione Calvinum gravat. Nam is tam parcè & sobriè loquutus est de usuris, ut non dissimulaverit se maluisse de hac re non respondere, & tantas addit præcautiones, ut facilè quis videat quam alienus fuerit à calumniâ Adversariorum ep. 383. *Nondum tentavi*, inquit, *quid apposite responderi possit ad*

QUÆST. XIX. *quæstionem propositam, sed ex aliorum periculo didici, quanto res ea cum periculo conjuncta sit, si enim omnino usuras damnamus, induimus strictiorem laqueum conscientiis, quam Dominus ipse voluerit, si minimum concedimus, statim sub illo prætextu, multi effrænem licentiam arripient.* Cumque dixisset nullo Scripturæ testimonio usuras esse damnatas, paulò post addit, *Optandum quidem esset omnes usuras, ipsumque adeo nomen a mundo exulare* &c. Idem confirmat in c. 18. Ezech. qui plura voluerit de Usuris consulat Celeb. Voëtium p. 4. select. Disp. p. 555.

XXII. Virtutes hoc mandato præceptæ sunt 1. αὐτάρκεια seu acquiescentia in sua sorte, ut quisque vocationi suæ incumbens ex honesto labore suo vivat Gen. 3. 19. & sua sorte contentus, alienis non inhiet 1 Tim. 6. 6. Heb. 13. 5. 2. *Parsimonia* & *frugalitas*. 3. *Sinceritas* & *Justitia* in omni symbiosi, ut versemur semper ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης, & suum cuique tribuamus. 4. *Liberalitas* in pauperes & egenos, ut non tantùm bona proximi injustè non rapiamus, sed & liberaliter nostra illi largiamur, quoties necessitas & occasio tulerit.

QUÆSTIO XX.

AD PRÆCEPTUM NONUM.

An Mendacium sub ullo prætextu honestari & licitum reddi possit? Neg. contra Socinianos.

I. UT *facto* lædi non debet proximus. Ita nec *dicto* lædendus est, Quam læsionem prohibet Præceptum nonum, de *non dicendo falso testimonio contra proximum*, Ubi non vetatur simpliciter testimonium contra proximum, cùm sæpe res judiciariæ hoc postulent, & ad hoc teneamur ex zelo justitiæ; Sed tantùm prohibetur *falsum testimonium*, quo vitæ, honori, vel bonis proximi ullo modo noceatur; Et quicquid veracitati & sinceritati quæ inter homines obtinere debet repugnat, quod mendacii nomine solet exprimi.

Quid sit Mendacium II. Mendacium ab Augustino lib. de Mend. ad Consen. cap. 4. definitur *voluntaria falsi enunciatio fallendi causâ*, sed accuratiùs ab aliis *testimonium quo quis aliter pronunciat, aliter in corde sentit*, Nam licèt fallendi intentio perfectiorem constituat mendacii speciem, non semper requiritur in mendacio, modò adsit voluntas falsum enunciandi, quod Thom. 2. 2. q. 110. art. 1. bene explicat, *ratio mendacii sumitur à formali falsitate, secundùm hoc scilicet quod aliquis habet voluntatem falsum enunciandi.*

Et

Et paulò post. *Quod autem aliquis intendit falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ejus.* Ita duo semper ad mendacium requiruntur. 1. ut enunciatio sit falsa, contraria rei veritati. 2. ut adsit voluntas falsum enunciandi, & ita sermo sit contrarius cogitationi, unde *mentiri* inde dictum volunt quasi *contra mentem ire*. Fieri enim potest ut quis falsum dicat, nec tamen mentiatur, quia verum esse credit per ignorantiam, nec sermo a mente dissentit. QUÆST. XX.

III. *Mendacium* quod Præcepto Nono prohibetur, vulgò ab objecto distinguitur in *perniciosum*, quod nocendi animo profertur, & in perniciem proximi tendit, *jocosum* quod per jocum dicitur oblectandi gratiâ, & *officiosum* quod in commodum proximi vergit, & juvandi ergò pronunciatur. Et de primo quidem omnes consentiunt grave esse peccatum, sed de duobus posterioribus, & ultimo potissimùm lis movetur à Socinianis, quia ea vel levia vel nulla esse peccata pertendunt, ad quos accedunt nonnulli Casuistæ laxiores, qui ea liberant à ratione peccati. Quamvis verò discrimen observemus inter ista mendacia, ut perniciosum sit gravius, alia verò duo leviora; peccata tamen vera esse censemus Lege Dei damnata. *Triplex mendacium* *An detur ullum mendacium licitum.*

IV. Primò, Quia mendacium sine ulla exceptione passim damnatur in Scriptura, ut peccatum Deo abominabile Ps. 5. 7. Prov. 6. 17. 19. & 12. 22. Eph. 4. 25. Col. 3. 9. utpote quod provenit ab instinctu Diaboli mendacii Patre, Johan. 8. 44. quod lædit majestatem Dei, qui veritatis author, & talis amator ut nec mentiri possit, nec per ullam dispensationem fecerit unquam mentiendi potestatem, imò expressè illud vetuit, & graviter punire decrevit Prov. 19. 5. 9. & 21. 28. *1. Scriptura omne mendacium damnat.*

V. 2. Quia quod secundùm se malum est in suo genere, nullo modo potest fieri bonum & licitum; omne autem mendacium est per se malum, cadens super indebitam materiam, est enim inordinatio tum mentientis in se, quia contra ordinem naturæ oratio ejus, quæ mentis est interpres, à mente planè dissentit, tum ad proximum, quia veritatis observantiam unusquisque proximo suo debet, ex obligatione naturali & divini juris. Unde Thom. 2. 2. q. 110. artic. 3. *Voces*, inquit, *naturaliter sunt signa intellectuum, innaturale igitur est & indebitum, quod aliquis voce significet, id quod non habet in mente.* Sic Durandus lib. 3. dist. 38. q. 1. *Verba instituta sunt, non ut per ea homines se fallant, sed ut cogitationes suas aliis notificent, indebitus igitur actus est, cum quis vocibus utitur ad significandum id quod mente non tenet.* Unde Philosophus Ethic. 4. c. 7. concludit omne mendacium esse per se pravum & fugiendum. Nullum ergò mendacium ita officiosum potest dari, quod non sit inofficiosum mentienti, quippe quod & intrinsecam formalem ἀταξίαν habet, & difformitatem à natura & Lege Dei alienam. Quod verò per se & intrinsecè malum, id nullius finis etiam optimi conside- *2. Quia per se est malum.*

QUÆST. XX. ſideratione bonum reddi poteſt: bona enim bene ſunt procuranda, & finis bonus quærendus bonis mediis, nec ullæ circumſtantiæ externæ poſſunt mutare rem per ſe malam.

VI. 3. Quia ſi perniciosum mendacium tantùm eſſet peccatum, ejus *ἀνομία* peteretur tantùm à fine; quod falſum, quia in ipſa mendacii deformitate & *ἀταξίᾳ*, nempe in divortio mentis & linguæ, quæ mentis interpres eſſe debet, conſiſtit ejus *ἀνομία*. 4. Si mendacium poſſet honeſtari à fine, nimirum intentione juvandi proximum, ſic & furta poſſent honeſtari, quæ eſſent officioſa, quum aliquis vellet ex furto proximo benefacere, quod tamen nemo dixerit, quia regula Apoſtoli hîc obtinere debet, *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona* Rom. 3: 8.

VII. 5. Auguſtinus paſſim hoc inculcat Enchi. c. 18. *Peccatum eſt omne mendacium, quamvis non tantum peccet, qui conſulendi, quantum is qui nocendi voluntate mentitur*, quod reperit cap. 22. Ita cap. 15. Contra menda. *dicere aliqua mendacia eſſe juſta, eſt dicere aliqua eſſe juſta peccata, & per hoc aliqua juſta eſſe quæ injuſta ſunt*, quod exequitur fuſiùs libris duobus de *mendacio & contra mendacium*. Gregor. moral. l. 18. cap. 4. *Omne mendacium iniquitas eſt, quia ab æquitate diſcrepat, quicquid à veritate diſcordat. Nec vita cujuſlibet per mentiendi fallaciam defendatur, ne ſuæ animæ noceat, qui præſtare nititur vitam carni alienæ.*

Fontes Solutionum. Exod. 1. VIII. Quamvis Deus benedixerit obſtetricibus Ægyptiis, quæ mentitæ ſunt Pharaoni Exod. 1. non ideo remuneratus eſt mendacium ipſarum, ſed pietatem & miſericordiam erga infantes, quòd maluerint ſe exponere indignationi Regis, quàm ejus crudeli mandato obſequi. *Non eſt in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis*, ut ait Aug. de menda. c. 15. Duo enim hîc actus diſtinguendi veniunt, alius, quò obedientiam edicto tyrannico Regis detrectarunt, qui provenit ex timore Dei, & commendatur, alius mendacii, quô ſe excuſarunt & mentitæ ſunt, qui provenit potiùs ex puſillanimitate & metu ſervili Regis quàm timore Dei, qui fuit peccaminoſus. Deus ergo quà fuit benignitate, actum peccaminoſum condonando, actum bonum remunerari voluit, ut oſtenderet quàm grata illi fuerit pietas ipſarum & miſericordia, licet nævis ſuis non caruerit. Poteſt etiam dici cum quibuſdam, iſtas obſtetrices non eſſe mentitas, quia verum eſſe potuit quod dicunt, Hebræas mulieres fuiſſe vividas & vegetas, & parere antequam ad eas venirent obſtetrices.

IX. Quicquid à Viris ſanctis factum legitur, non ſtatim ad imitationem trahendum quaſi licitum, quia quamvis ſancti fuerint, conſtat tamen eos non vixiſſe abſque peccato. Hinc nec mendacium Jacobi, nec Rahabæ meretricis poteſt reddere mendacium licitum; Nec ſi Deus benedixit Jacobo
Gen. 27. 20. mentienti Geneſ. 27. 20. ſequitur mendacium ejus fuiſſe probatum, quia be-

benedictio secuta est fidem, quam præstitit Verbo Dei, quòd major serviturus esset minori Gen. 25: 23. non verò data est propter vitium & nævum fidei adhærentem. Nec fidei tribuitur ab Apostolo Heb. 11: 31. mendacium Rahabæ, sed actui benefico & honesto, quo excepit & conservavit exploratores, licèt vitioso medio usa sit ad eos conservandos; beneficium ergo quod à Deo consecuta est, non fuit merces mendacii, sed amoris erga populum Dei & fidei erga homines, quos hospitio exceperat. Ita in similibus factis distinguenda semper *virtus actionis*, *à vitio & nævo ei adhærente*, *& modo* quò fit; infirmitas hominis, & bonitas Dei, illa quæ in optimis actionibus semper aliquid vitiosi admiscet, ista quæ vitium condonando bonum gratiosè compensat: Ut ergo placuit Deo, quòd filius Mosis circumcideretur, non approbato modo agendi ex impetu, quem in eo servavit Sipphora Exod. 4: 25. Ita placuit Deo, quòd obstetrices ab infanticidio abstinuerunt, quòd Rahab hospitum suorum securitati consuluit, quòd Michal Davidis mariti sui, 1 Sam. 19: 17. Jonathan amici vitæ prospexerunt 1 Sam. 20: 6. 28. licèt modus agendi in istis bonis operibus per mendacium non caruerit vitio coram Deo.

Heb. 11:31. 1 Sam. 19: 17. & 20: 6. 28.

X. Non magis licet in gratiam proximi, quàm adversus illum falsum testimonium dicere, ut non magis licet in gratiam viduæ aut orphani jus pervertere, quàm contra illos Levitic. 19: 15. Ut oportet ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, ita tenemur semper ἀγαπᾶν ἐν ἀληθείᾳ & usque ad aras. Imò licèt nullus speciosior prætextus possit obtendi mendacio, quàm gloria Dei, & patrocinium divinæ veritatis, Deus tamen hoc rejicit, nec vult ad defensionem causæ suæ adhiberi, Job. 13: 7. *An vobis proferendum est mendacium in gratiam Dei fortis? An enuncianda fraus in ejus causa?* Deus quippe qui est ipsissima veritas non debet defendi mendacio, nec arma mutuanda illi sunt à Diabolo.

XI. Quamvis tales interdum objiciantur hominibus difficultates, ut inter sacrum & saxum constituti, malint in veritatem peccare, quàm in charitatem; licèt in eo casu à tanto excusentur, non tamen statim à toto excusari possunt, quasi omni culpâ vacarent. Quò faciunt ista Augusti. Enchi. ad Lauren. c. 22. *Non ideo nullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando alicui prodeße*, &c. non ergo si mendacium aliquibus profuit, id adscribendum naturæ mendacii, sed Dei bonitati & providentiæ, quæ peccatis hominum ad aliquod bonum frequenter abutitur.

XII. Elisæus non mentitus est militibus Syris 2 Reg. 6: 19. quia nihil ab eo prolatum, quod verum non esset quoad rei eventum. Quærentibus viam, quâ Elisæum invenirent, respondet non eam esse, siquidem ibat Samariam, nec illam civitatem, ex qua jam exiverat, pollicetur verò se eos ducturum 2 Reg. 6.19.

QUÆST. XX. ad virum quem quærebant, quod reipsa implevit ducendo eos Samariam, ubi agnoverunt Prophetam.

1 Reg. 22:15. XIII. Michæas quum suadet bellum Regi 1 Reg. 22:15. non tam loquitur affirmativè & propheticè, quàm *ironice* & μιμητικῶς, non ex suâ, sed ex Regis & Pseudoprophetarum sententiâ, non ut eos falleret, sed ut eos falli doceret; nam postea, quum adjuratus est à Rege, ut in nomine Jehovæ eloqueretur veritatem v. 16. 17. longè aliud præ se tulit, quod ipse Rex vel ex gestu, vel ex modo loquendi satis percepit. Jeremiæ etiam nullum potest tribui mendacium Jer. 38:27. in gratiam Regis, quia id retulit Principibus quod verissimum erat, nimirum Regem à se rogatum, ne denuo in carcerem pristinum in domum Jonathanis detruderetur, quod revera Jeremias à Rege contenderat, ut liquet ex Jer. 37:15. 20. & 38:15. 16. ne traderetur in manus hostium suorum. Aliud verò partem veritatis non necessariam tacere, Aliud falsum pro vero narrare, prius licitum, non posterius.

Jer. 38:27.

XIV. *Simulatio* triplex datur, 1. *fraudis* & *malitiæ*, 2. *cautelæ* & *industriæ*, 3. *instructionis* & *explorationis*, prima, quum virtus exteriùs præfertur, dum vitium intus latet; secunda, quæ in stratagematibus bellicis exercetur, & à Deo approbatur, de qua Jos. 8:5. 6. 7. tertia, quæ non ad fallendum, sed ad explorandum & docendum est comparata, qualis sæpe obtinet in hominum societate. Talis simulatio Angelorum, qui præ se ferebant voluntatem pernoctandi in platea, ad excitandum ardorem in Lotho eos sub tectum suum recipiendi. Talis in Christo Luc. 24:28. qui simulat se velle ulteriùs progredi, quia hoc non fiebat ab ipso ad fallendum discipulos, sed ad eos explorandos, an flagrarent desiderio sui retinendi. Adde quod προσποίησις ista non tam *formaliter*, quàm *materialiter* est intelligenda, quia id egit Christus, quod progressum ulteriorem simulans agere solet, qui passus aliquot ultra locum destinatum progreditur, ut proliceret preces suorum, & ardentius sui desiderium excitaret, ut parentes discessuri liberorum, amici amicorum preces provocare solent. Potest etiam dici Christum ulteriùs progredi in animo habuisse, & progressurum fuisse, nisi precibus discipulorum retentus fuisset.

Luc. 24:28.

1 Sam. 16:2. XV. Gratis supponitur Deum 1 Sam. 16:2. falsum suggessisse Samuëli, quum jubet significare Sauli se venisse Betlehemum ad sacrificium. Quamvis enim alio fine venturus esset nimirum ad ungendum Davidem, id tamen non obstabat, quominus eò tum sacrificii, tum convivii celebrandi causâ profecturus esset. Aliud verò fines omnes non exponere alicujus rei, Aliud finem falsum proponere. Prius suggestum Samuëli à Domino, non posterius; nec uno fine posito, negantur alii.

Act. 23:5. XVI. Quum Paulus negat Act. 23:5. se scivisse Ananiam fuisse summum Sacerdotem, sensus verbis ejus optimè constare potest sine ullâ mendacii notâ,

tà, sive dicatur ironicè loquutus, ut quidam vellent, quia ex modo loquendi furioso, nihil in eo Pontifice dignum videbat, nec se ut talem adversus ipsum gesserat, sive seriò hoc dixerit, ut alii meliùs quòd revera Pontifex non fuerit, sed in veri Pontificis sive Ismaëlis, sive Josephi partes sese obtrusisset, ut tanta erat tum temporis ἀναρχία, ut in dies quasi essent Pontifices, aut non essent. Vel quia diutiùs Hierosolymà abfuerat, & novus erat Pontifex ipsi adhuc ignotus; Nec ex sede hoc colligere potuit, quia non erant in Templo aut domo Pontificis, & loco Synedrii ordinario, & fortè tumultuariè & confusè sedebant. QUÆST. XX.

XVII. Perperam Parabolæ afferuntur in patrocinium mendacii, quia parabola non affertur, ut significetur id esse, quod dicitur, sed ut significetur id esse quod adumbratur per id quod dicitur. Unde non propter materiale proponitur, sed propter suum formale, & ut bene Hier. in 12. Eccl. aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur. Differt ergo multifariam à mendacio, 1. ratione *originis*, quia mendacium omne, vel à mala mente, vel à bona ad malum deviante; Parabola verò à bona mente in bono persistente. 2. ratione *formæ*, quia mendacium habet intrinsecam disconvenientiam cum mente dicentis, non parabola. 3. ratione *finis*, quia mendacium comparatum est ad fallendum, parabolá ad docendum. 4. ratione *effectus*, quia per mendacium falsa ingeneratur notio animo audientis, per parabolam verò vera. Idem de apologis dicendum, in quibus non proponitur historia, sed typus, nec aliquid repræsentatur ut factum, nec hoc quod proponitur intenditur quamvis falsum & fictum, sed aliud omnino & quidem verum.

XVIII. Concludimus cum Augustino de Menda. ad Consenti. cap. 21. *Quisquis esse aliquod genus mendacii, quod non sit peccatum putaverit, decipiet seipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitratur aliorum.* Et ad eundem contra Mendac. c. 21. *Aut ergo cavenda mendacia recte agendo, aut confitenda sunt pœnitendo, non autem cùm abundent infeliciter vivendo, augenda sunt & docendo.*

QUÆSTIO XXI.

AD PRÆCEPTUM DECIMUM.

Quænam Concupiſcentia prohibeatur Præcepto decimo, & An motus primo primi ſint peccata? Affir.

Concupiſcentia triplex, naturalis, bona, & mala.

I. DUæ ſunt facultates à Deo animæ inditæ ad fugam mali, & deſiderium boni, τὸ θυμικὸν, & τὸ ἐπιθυμητικὸν, *appetitus iraſcibilis*, & *concupiſcibilis*, quæ dum in *genere Entis* & phyſice ſpectantur, nec bonæ ſunt nec malæ, ſed mediæ & indifferentes, quæ totam bonitatem & malitiam ſuam moralem hauriunt ex qualitate objectorum circa quæ verſantur. Hinc *concupiſcentia* modò ut bona laudatur, quando circa objectum licitum & bonum occupatur, quo ſenſu *Spiritus* dicitur *concupiſcere adverſus carnem* Gal. 5: 17. & Paulus vult fideles appetere dona ſpiritualia 1 Cor. 12: 31. modò ut inordinata & vitioſa damnatur, quando objectum habet injuſtum & illicitum; modò ut media & naturalis nec in laude nec in vituperio ponitur.

Quæ vel originalis, vel actualis.

II. Concupiſcentia vitioſa & inordinata, de quâ hîc agitur, vel ſpectari poteſt quoad fontem & *habitum*, quæ concupiſcentia originalis dicitur, de qua Jacobus cap. 1: 14. 15. ut paſſim ab Auguſtino peccatum originale, concupiſcentiæ nomine indigitatur, quam Judæi per יצר הרע *figmentum malum* deſignare ſolebant; & Scholaſtici per *fomitem* vulgò exprimunt. Vel quoad *actus & motus* vitioſos, & *actualis* vocatur. Quæ rurſus vel eſt *determinata* per formalem *voluntatis conſenſum*, & *moroſam*, uti vocant *delectationem*, vel *indeterminata & titillans* in primo ſuo motu, quæ ultra velleitatem & ſuggeſtionem non procedit.

III. Cùm Præceptum non concupiſcendi ſit generale, extendi debet ad omnem concupiſcentiam vitioſam & inordinatam, tam originalem & habitualem, quàm actualem; ſive ea ſit determinata & voluntaria, ſive adhuc indeterminata & tantùm titillans; ut ita ſumma Legiſlatoris puritas & ſanctitas notetur, quæ nequidem minimam concupiſcentiæ vitioſæ labem vult pati in homine, ſed omnimodam juſtitiam & ſanctitatem poſtulat.

An concupiſcentia originalis ſub præcepto decimo contineatur.

IV. Duæ hîc quæſtiones moventur à Pontificiis. Prima de Concupiſcentia originali & habituali. Secunda de ejus motibus primo primis. Quoad primam negant concupiſcentiam ſeu fomitem à Lege prohiberi, quia cenſent non

non esse peccatum. Conc. Trident. Sess. 5. Can. 5. *Manere* quidem asserit *in baptizatis concupiscentiam seu fomitem, hanc tamen concupiscentiam, quam Apostolus aliquando peccatum appellat, non peccatum appellari, quod verè & propriè peccatum sit in renatis, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, & si quis contrarium senserit, anathema sit.* Sed Orthodoxi Concupiscentiam & propriè peccatum esse, & à Lege prohiberi censent. QUÆST. XXI.

V. Primò ex verbis Legis, quæ concupiscentiam expressè prohibent, & quidem in genere & indefinitè, ut omnis concupiscentia inordinata intelligatur, non modò in actu, sed & in habitu & radice, nostrum autem non est limitare, ubi Lex non limitat. Secundò, finis Legis hoc ipsum importat, quæ est omnimodam sanctitatem ab homine exigere, non modò quoad actum, sed & quoad habitum, ut enim utramque sanctitatem & habitualem & actualem requirit; Ita utramque concupiscentiam & actualem & habitualem prohibere debet. Tertiò, quia concupiscentia illa vitiosa est & mala, *non à Deo*, sed *à mundo*, 1 Joh. 2: 16. ideo à Lege, quæ omne vitium vetat prohiberi debuit. *Probatur contineri.*

VI. Quartò, Paulus expressè & à Lege vetari, & peccatum esse asserit, Rom. 7: 7. *Non cognovissem peccatum sine Lege, non cognovissem concupiscentiam, nisi Lex dixisset non concupisces.* Ubi non negat simpliciter sibi cognitam fuisse concupiscentiam, sed se scivisse eam esse peccatum, quod demum novit ex Lege eam vetante: Ita supponit concupiscentiam esse peccatum, quia à Lege vetatur, non tantùm actualem, sed & habitualem, quia v. 8. statim addit, *peccatum*, nimirum concupiscentiam Lege vetitam, *occasione sumpta operatum esse omnem concupiscentiam*, quod confirmat v. 9. 11. 13. 17. 20. ubi vocat itidem *peccatum*, *peccatum inhabitans & supra modum peccans*; & v. 23. *Legem membrorum quæ pugnat contra Legem mentis, & in captivitatem ducit hominem sub Legem peccati.* Quis verò crediderit Paulum toties & tam expressè peccatum illam vocaturum fuisse, si verum & propriè dictum peccatum non foret, sed tantùm quia à peccato fluit, & ad peccatum inclinat, ut perperam vult Concilium? Quis contrà non videt ejus mentem fuisse veram peccati rationem illi adscribere, quam ex sola Lege scriptà cognoverat, rationis lumine eò usque non assurgente in Ethnicis? Vide supra Lo. IX. Quæst. XI. Th. 20. & 21. *Rom. 7: 7.*

VII. Licèt Lex proximè & immediatè prohibeat tantùm actus ipsos, & enuncietur verbis actiones significantibus; Nihil obstat quominus mediatè ipsi peccatorum habitus & principia sub illis prohibeantur, quale est peccatum originis & concupiscentia habitualis. Imò & necessariò hoc innui debet, quia causa in effectu, & principia in principiatis includuntur, ut ita securis ponatur ad radicem peccati, & omnimoda sanctitas ab homine exigatur. *Fontes Solutionum.*

QUÆST. XXI. VIII. Quamvis verò peccatum originale tollatur in regenitis quoad *reatum* per justificationem, ut nulla sit in ipsis condemnatio Rom. 8. 1. Et quoad *dominium* per sanctificationem, ne ulteriùs regnet in ipsis; manet tamen in ipsis semper quamdiu in hac mortalitate versantur quoad *præsentiam* & *habitationem*, ut continuò sit ipsis crucifigendum & mortificandum.

Jac. 1. 15. IX. Quum Jacobus cap. 1. 15. ait *concupiscentiam parere peccatum*, non negat eam esse peccatum, quia non disputat hîc, quando peccatum esse, vel reputari coram Deo incipiat, sed quando in lucem emergat, & per opus consummetur; & in eo tantùm versatur, ut radicem nostri exitii in nobis esse doceat, & tantùm abest, ut hinc legitimè colligi possit concupiscentiam non esse peccatum, ut necessariâ consequentiâ hoc inde eliciatur, quia effectus respondere debet causæ, nec concupiscentia parere posset peccatum actuale, nisi & ipsa peccatum esset.

An motus primo primi sint peccata? X. Altera Quæstio respicit Concupiscentiæ motus primo primos, quos hîc prohiberi negant Pontificii, quia non sint peccaminosi. Vocant *motus primo-primos*, qui sint ex subreptione, & titillatione quadam, sed sine deliberato mentis judicio, & formali voluntatis consensu, quosque ideo προπάθειαν vocare solent, qui differant ab affectibus determinatis & deliberatis, qui sint cum consensu voluntatis, & qui ideo morosi dicantur, quia mens & voluntas illis cum delectatione immorantur. Hos verò tantùm Lege prohiberi censent, quia sint voluntarii & in nostra manu, non verò alios, qui nec sint liberi, nec in manu nostra, adeoque nec peccata; sic loquitur Tolet. in 7. ad Rom. & cum eo cæteri. Nos verò ut concupiscentiam in radice malam esse censemus & Lege vetitam, ita & quoad omnes actus & motus inde orientes, sive sequantur formalem voluntatis consensum, sive eum antecedant.

Probatur esse peccata. XI. Primò, Quia damnat eos concupiscentiæ motus, quos nonnisi per Legem scriptam homo cognoscere potuisset, ut Apostolus testatur. At motus voluntarii concupiscentiæ non ignoti fuerunt ipsis Ethnicis, ut vitiosi & inordinati. Unde illud Senecæ *latro est antequam inquinet manus*, Et Juvenalis

Nam scelus intra se tantùm qui cogitat ullum
Facti crimen habet.

2. Quia tales motus non conveniunt sanctitati & puritati, quam Deus à nobis postulat, & perfectioni requisitæ amandi Deum toto corde & omnibus viribus. Ideoque non possunt non esse vitiosi & ἄνομοι. 3. Quia alii motus jam vetiti sunt aliis præceptis, in quibus Lex ita prohibet actus externos, ut quia est spiritualis etiam damnet internos. Sic Christo adulter dicitur, qui
Matt. 5. 28. uxoris alienæ pudicitiam oculis delibat & aspiciendo concupiscit Matth. 5.
1 Joh. 3. 15. 28. Et Johanni *homicida est qui odit fratrem suum* 1 Joh. 3. 15. Si ergo tales motus tantùm vetantur, nihil novi præciperetur aut prohiberetur præcepto

cepto isto supra reliqua, quod absurdum. Quamvis enim non negemus hoc praeceptum superioribus additum esse per modum regulæ generalis, illis in foro conscientiæ expressiùs declarandis & applicandis, aliquid tamen ulteriùs designari distinctio præceptorum necessariò postulat, quod nihil aliud esse potest, quàm concupiscentiæ habitus cum primis ejus motibus; ut ita ostendatur, quantum Lex divina differat ab humanis, quæ motus tantùm externos respiciunt, nec ad fontem mali ascendunt. QUÆST. XXI.

Fontes Solutionum.

XII. Quamvis τὸ ἀκούσιον, quod est involuntarium & invitum per nolitionem positivam, non sit peccatum; non sequitur, nihil rationem peccati habere posse, quod non sit ἑκούσιον & voluntarium formaliter & strictè ex deliberato motu & consensu voluntatis: sic enim nec peccatum originale, nec peccata ignorantiæ, essent vera peccata: sed sufficit ut voluntarium dicatur latè, quia voluntatem afficit, & illi inhæret. Licèt ergo motus primo primi non sint voluntarii priori sensu, bene tamen ita vocantur posteriori, quia voluntatem afficiunt, & in ea subjectantur.

XIII. Licèt tales motus non sint in nostra potestate, non minùs tamen sunt inordinati; quia nec bonum opus quodlibet est in nostra potestate, cujus tamen omissio non minùs est vitiosa & inordinata; Lex ergo non attendit ad vires hominis, sed ad officium, non quid possit, vel non possit, sed quid teneatur præstare in moralibus.

XIV. Motus concupiscentiæ *naturales* non possunt dici nisi respectu naturæ corruptæ à qua fluunt; non verò respectu naturæ sanæ & integræ; nam si Adamus nunquam peccasset, tales motus nunquam expertus fuisset, qui vitiositate carere non possunt.

QUÆSTIO XXII.

De Usu Legis.

Quis & quotuplex sit Usus Legis Moralis juxta varios hominis status? Et An possit obligare ad obedientiam & pœnam simul? Dist.

I. Quatuor diximus circa Legem moralem potissimùm esse spectanda; *Naturam*, *Partes*, *Usum*, & *Abrogationem*; de duobus primis hactenus actum; nunc de *Usu* dicendum est, sine cujus notitia & praxi frustra esset omnis de Lege speculatio.

II.

QUÆST. XXII.

Usus Legis duplex, absolutus & respectivus. II. *Usus Legis* duplex potest statui *absolutus*, & *respectivus*. Ille spectat Legem in se, Iste relatè ad varios hominis status. *Absolutus* qui obtinet in omni hominis statu est, ut sit Norma unica, plena, & certa faciendorum & fugiendorum ab unoquoque, tam erga Deum, quàm proximum; ut nullum sit opus verè & propriè bonum & Deo acceptum, quod cum Lege non conveniat & ab ea præscribatur: Et quotquot per eam nec mandantur nec prohibentur, naturâ suâ censenda sint adiaphora, & libertati hominum permissa, nisi fortè hæc libertas lege aliquâ positivâ restricta fuerit.

Absolutus ut sit norma agendorum & fugiendorum.

Quam perfectam esse probatur 1. ex Legis æquitate. III. Hanc verò Regulam agendorum esse perfectissimam ex variis ejus attributis colligimus, 1. ex *ejus Æquitate*, quia quò Lex æquior est, eò perfectior; *Æquitas* enim est *mens Legis*. Tanta autem ejus æquitas est, ut legum omnium & scopus & regula, & terminus sit, & ut ipsæ Gentes Hebræis inimicissimæ, leges suas ab eadem depromere haud renuerint. Et hoc ulteriùs patet, quia nullâ indiget correctione, ut leges humanæ. Nullæ enim tam æquæ sunt, quæ suis non indigeant restrictionibus, aut exceptionibus in aliquibus casibus, ex infinitate casuum particularium qui occurrunt: sed nullus est casus tam singularis, nulla circunstantia tam extraordinaria, cujus non detur aliqua regula & determinatio vel generalis vel particularis in Verbo Dei. *Judicia Jehovæ sunt veritas, & pariter justa comperiuntur omnia* Ps. 19:9.

2. Ab ejus Majestate. IV. 2. Ab ejus *regali Majestate*, quæ ab ejus æquitate manat; nam quò major est æquitas Legis, eò majus est imperium. Ideo Lex naturæ, quæ fons est omnium aliarum Legum quia æquissima, ideo & augustissima. Jacobus vocat eam βασιλικὴν *regiam* cap. 2:8. 1. quia est supremi Regis & Legislatoris qui potest servare & perdere Jac. 4:12. qui potestatem habet ligandi & solvendi conscientias hominum. 2. quia superior est cæteris, quæ omnes alias Leges judicat, & à nullis judicatur.

Jac. 2:8.

3. Ab ejus Universalitate. V. 3. Ab ejus *universalitate* & latitudine, quæ colligitur tum ex *objecto*, quod omnia hominis officia complectitur, Leges humanæ officia externa præcipiunt, sed Lex Dei tam interna quàm externa, ut nulla sit virtus, quæ hic non mandetur, nullum vitium, quod non prohibeatur; tum ex *subjecto* quod informat & dirigit, quia componit & ordinat totum hominem, & omnes humanas facultates & functiones, animæ non minùs quàm corpori loquendo; tum ex *fine*, quia nihil minùs intendit, quàm efficere, ut homo Deo adhæreat & beatus vivat.

4. Ab ejus Immutabilitate. VI. 4. Ab ejus *Immutabilitate*, quia in æternum manet, nec unquam dissolvitur Psal. 119:89. Matth 5:18. Leges humanæ ob nimium rigorem vel angustias sæpe mutabiles sunt: Ideo ingeniosè dictum à Philosopho, quòd Leges Principum accommodandæ sunt temporibus, non aliter quàm soleæ pedibus; quia minima variatio circunstantiarum

aut

aut accidentium, aliquando variationem legum requirit: Sed hoc non competere potest Legi Dei, quia ipse prævidet omnes circumstantias maximè contingentes, omnesque casus qui accidere possunt, ideoque leges suas ordinat, ut omnes casus omnesque circumstantias comprehendant. QUÆST. XXIII.

VII. 5. Ab ejus *sanctitate*, quia est Dei imago limpidissima; ita enim ingenium suum Deus in Lege suâ depinxit, ut quilibet vivas & accuratas sanctitatis Dei imagines velut in speculo contemplari possit. Quod ulterius liquet, tum ex *fine* legis, qui huc tendit, ut hominum interna principia, & externas operationes sanctitatis vinculo cum Deo cohærere faciat, tum ex ejus *effectu*, quia Lex Dei a Spiritu Sancto inspirata, & cordi inscripta, sanctitatis organum efficacissimum est, unde Ps. 119: 140. Verbum Dei dicitur צרופה מאד valde repurgatum & Ps. 19: 9. *Præceptum Jehovæ* dicitur *purum*. *5. Ab ejus sanctitate.*

VIII. *Usus respectivus* multiplex est pro diversis hominis statibus. In *statu instituto innocentiæ*, fuit *Contractus fœderis operum* cum homine initi, & medium obtinendæ vitæ & felicitatis juxta promissionem Legi additam; nam licet expressè mentio non fiat promissionis obedientiæ factæ, sed tantùm pœnæ; satis tamen ex ista colligitur; quia non fit verisimile Deum minatum fuisse pœnam primo parenti, si peccaret, nec adjecisse ullam præmii promissionem, si obediret; vel minus promisisse ratione præmii, quàm fuisse comminatum ratione pœnæ: Imò arbor ipsa vitæ, obsignabat illi eam conferendam vitam æternam, quæ opponitur etiam morti æternæ, unà cum temporali denunciatæ Rom. 6: 23. ut probatum P. 1. Lo. 8. Q. 5. *Usus respectivus in statu instituto.*

IX. 2. In *statu destituto peccati*, usus Legis non potest esse justificatio, quia facta est infirma in carne, unde non dicitur data ad vitam, sed *propter transgressiones* Gal. 3: 19. Sed triplex est usus legis, 1. *Convictionis*, quum hominem ad peccati notitiam deducit, & reatus sui redarguit & convincit Rom. 3: 20. *Per Legem cognitio peccati*, & ita rationem habet *speculi*, in quo maculas nostras intuemur. 2. *Coercitionis*, quâ homines coërcet & reprimit mandatis suis & minis, ut qui nulla justi rectique cura, nisi coacti tanguntur, dum audiunt diras ejus sanctiones, coërceantur saltem pœnarum formidine, quo sensu est instar *freni*, quod continet peccatores intra cancellos externæ disciplinæ, ne mundus in latrocinium abeat; quo respectu Paulus ait *Legem justo non esse positam, sed sceleratis & ἀτάκτοις impiis & peccatoribus* &c. 1 Tim. 1: 9. Quò pertinet alius usus Legis per accidens, *irritationis* scilicet & incrementi peccati, quatenus Lex coercendo peccatum instar fræni, non modò non domat ejus rebellionem & contumaciam, sed magis auget & irritat propter malitiam peccatoris, qui nititur in vetitum; hinc dicitur data *ut abundaret peccatum* Rom. 5. & alibi Rom. 7. per eam peccatum reddi dicitur καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλόν. 3. *Condemnationis*, *In statu destituto.* *Rom. 3: 20.* *1 Tim. 1: 9.* *Rom. 5: 20.*

QUÆST. XXIII. quando peccatori convicto denunciat maledictionem divinam per horrendum carmen quod auribus intonat, *maledictus qui non permanserit* &c. Unde Ap. 2 Cor. 3: 9. vocat eam *ministerium condemnationis*, & Rom. 4. *iram* dicit *eam efficere*, & tunc se habet ad modum *flagri* torquendo & vexando conscientias peccati reas.

2 Cor. 3. 9. Rom 4. 15.

3. *In statu restituto.* X. 3. *In statu restituto* gratiæ varium usum habet respectu electorum, tum ante eorum conversionem, tum post eam. *Antecedenter* inservit homini *convincendo* & humiliando, ut agnitâ miseriâ suâ & impotentiâ, de seipso desperet, & propriæ justitiæ, & meritorum fiduciam abjiciat, ut in sola Dei misericordia requiescat. 2. homini ad *Christum adducendo*, non quidem primariò & per se, quia Lex Christum ignorat, sed per accidens gratiæ, quatenus hominem dejectum, & de viribus suis desperantem ad remedium gratiæ salutaris quærendum impellit, & sub hac σχέσει vocatur à Paulo *Pædagogus* ad Christum Gal. 3: 24. & Christus *finis Legis* dicitur Roman. 10: 4. non finis *destructionis*, & abolitionis, quia manet etiam Lex in Evangelio, ut postea dicetur, sed *perfectionis* & *complementi*, quia Christus eam implere debuit in se & in nobis, & *intentionis*, quia est scopus ad quem respicit, & propter quem data est Lex, non quidem naturâ suâ & à parte rei; nam finis Legis eò respectu fuit justificatio hominis justi, sed à *parte Dei* Legem homini peccatori ferentis, ut præpararetur ad Christum, ut perspectâ ex Lege sua ἀσθενείᾳ, necessitatem Mediatoris clariùs cognosceret, & ardentiùs etiam quæreret.

Gal. 3: 24. Rom. 10: 4.

XI. Non tantùm antecedenter præparat hominem electum ad Christum, sed *consequenter* etiam eum jam regenitum per Christum *dirigit* in viis Domini, ei inserviendo instar *Normæ* & regulæ vitæ perfectissimæ, ad quam se novit per Christum evocatum, & cui omni ope studere debet 1 Tim. 1: 5. Antea erat instrumentum Spiritus servitutis ad hominem dejiciendum & conterendum, sed postea fit organum Spiritus adoptionis, ad sanctificationem promovendam. Sic Lex ducit ad Christum, & Christus nos ad Legem reducit, ducit ad Christum, ut ad Redemptorem, & Christus ducit ad Legem, ut ad ducem & directricem vitæ. Atque ea ratione *homo integer* & justus fuisset sub *benedictione* Legis, *corruptus* ejus *maledictioni* subest; & *regenitus* illius *directioni*; de quo Legis usu agetur fusiùs Quæstione XXIV.

XII. Huc pertinet Quæstio de obligatione Legis, An obliget ad obedientiam & pœnam simul. Occasio ejus nata ex Cargii sententiâ de justitia Christi tantum passivâ nobis imputatâ, non pariter activâ, quia cùm Lex ad obedientiam non obligarit peccatores, sed ad pœnam tantùm, Christus loco nostro substitutus pœnam tantùm pro nobis debuerit; non verò obedientiam. Ad statum Quæstionis nota 1. Non quæri in genere, An Lex obliget ad obedientiam & ad pœnam; cùm enim præcipiat obedientiam sub promis-

sione præmii, & inobedientiam vetet sub comminatione pœnæ, patet ad utrumque hominem obligari, sed *de modo*, an simul, an successivè, & quo ordine obliget. 2. Non quæri, An in omni statu Lex obliget simul ad utrumque. Nam in statu integro, Lex obligavit ad obedientiam, sed non ad pœnam, quia injustum foret obligare ad pœnam eum qui non peccavit. In statu gratiæ obligat fidelem tantùm ad obedientiam, non ad pœnam, quia nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Rom. 8: 1. quorum remissæ sunt iniquitates Psal. 32: 1. Sed quæri de *statu peccati*, An in eo homo peccator teneatur ad utrumque, Quod asserimus.

QUÆST. XXIII.

XIII. Primò. Ex conditione duplici hominis peccatoris, qui & creatura est, & creatura peccatrix; Nam quà *creatura* debet Deo in æternùm obedientiam, nec unquam potest ab ea dispensari; Et quà *peccator* debet pœnam; Ad illam tenetur propter debitum præsens & futurum, Ad istam propter præteritam inobedientiam; Ad illam primò & per se, Ad istam secundariò & per accidens propter peccatum.

XIV. Secundò. Quia si Lex peccatorem non obligat ad obedientiam; Tum Deus per peccatum hominis excideret jure suo obedientiam ab homine requirendi; Et homo non obediendo non peccaret, quia ubi non est Lex, ibi non est transgressio.

Fontes Solutionum.

XV. Non eadem est ratio status integri & corrupti, Quia in illo unica tantùm σχέσις fuit hominis: nimirum quatenus creatura erat rationalis, quæ obsequium Creatori debuit, sed in isto primæ isti relationi altera accessit reatus per peccatum; Unde licet in primo statu Lex obligarit tantum ad obedientiam, ut homo præstando obedientiam immunis esset à pœnâ; Non sequitur pariter in statu peccati, reum factum pœnæ solutum esse ab obedientiâ, quia ut utraque σχέσις in peccatore locum habet, utrumque hic est conjungendum, ut subditi rebelles, pœnâ digni propter rebellionem, non desinunt ad obsequium perpetuum Magistratui obstricti manere.

XVI. Licet Lex obliget hominem peccatorem ad pœnam & ad obedientiam simul; Non sequitur hominem teneri debitum idem bis solvere; Quia Lex ad obedientiam præsentem & futuram obligat; pœna autem interrogatur tantùm pro peccato jam commisso, & actu semel violatæ obedientiæ.

XVII. Quum dicitur per pœnæ perpessionem expiari peccatum omissionis, non intelligi debet hoc sensu, quasi peccatum non fuerit commissum, & quasi homo fecerit quæcunque tenebatur præstare, quod veritati repugnaret: Sed quatenus per perpessionem pœnalem liberatur à maledictione ipsi propter peccatum incumbente, nec ulteriùs pœna talis ipsi imponi potest luenda: Remissio ergo quæ illi datur, aufert quidem reatum actualem, sed non dat ideò jus ad vitam.

QUÆST. XXIII. XVIII. Obligatio ad obedientiam, vel est *naturalis*, quam homo Deo debet, ut Creatura rationalis, quæ æterna est & indissolubilis, & in cœlo etiam manet; vel *fœderalis*, quâ quis non tantùm obligatur ad obedientiam Legi præstandam, sed ad eam implendam sub σχέσει fœderis ad merendam vitam æternam, vel pro se, vel pro alio; Christus priore obligatione pro se debuit obedientiam Deo quà homo: sed non tenebatur posteriori nisi pro nobis, quia non opus habuit per illam vitam æternam sibi promereri, quam ex vi unionis hypostaticæ obtinebat; Ut suo loco demonstrabitur, quum de Christi obedientiâ agetur.

QUÆSTIO XXIV.

DE ABROGATIONE LEGIS MORALIS.

An Lex moralis abrogata sit penitus sub N. T. An verò aliquo respectu adhuc pertineat ad Christianos? Prius Neg. Poster. Affirm. contra Antinomos.

I. EX tertio Usu Legis, quem *directivum* diximus, oritur Quæstio proposita, quæ nobis cum Antinomis intercedit, qui nullum usum Legis esse amplius pertendunt sub Novo Test. atque ideò nolunt Scripturam V. T. ad Christianos pertinere, de quo actum P. I. L. II. Q. 8.

Status Quæstionis. II. Ad Quæstionis statum ritè tenendum, Videndum quo sensu Lex abrogata dicatur, quo sensu verò non. Primò, Non quæritur de usu Legis quoad *justificationem*, An Legi adhuc teneamur ad vitam acquirendam, quia cùm hoc sit impossibile post peccatum, hoc sensu etiam abrogata dicitur Rom. 3: 20. ex *operibus Legis nulla caro justificabitur*, Et Gal. 3: 10. *Quotquot sunt sub Lege, sunt sub maledictione.* Secundò, nec quoad *maledictionem*, quia per Christum sub illa σχέσει abrogata est respectu fidelium Gal. 3: 13. *Christus nos redemit ab execratione Legis, factus pro nobis execratio.* Tertio, nec quoad *coactionem & rigorem*, qui obtinebat sub V. T. quia non sumus ampliùs sub pædagogia & dispensatione illa servili, in qua Spiritus servitutis vigebat; sed sub œconomia Evangelica, in qua Spiritus adoptionis regnat Rom. 8: 15. per quem jugum Christi fit leve Matt. 11: 30. & mandata ejus non sunt gravia, 1 Jo. 5: 3. Sed quæritur tantùm de *Usu directivo*, An jam liberati sumus à directione & observatione Legis, Quod Adversarii vellent, Nos negamus.

Probatur Legem non esse abrogatam quoad directionem. Matt. 5. 17. III. Primò, Quia *Christus non venit ad dissolvendam Legem, sed ad implendam*, Matth. 5: 17. Ergo ut per Christum non est abolita, sed im-

impleta. Ita nec ejus usus inter nos abolendus. Sic Luc. 16. 29. vult audiri Mosem & Prophetas, *Habent Mosem & Prophetas, illos audiant*, si audiendi, ergo etiam observanda eorum mandata Nec si hoc dicitur à Christo Judæis sui temporis, debet statim *exclusive* ad alios intelligi; Quia hic non datur præceptum speciale, sed generale omnibus cupientibus effugere locum tormentorum. Quæ verò in eo Judæorum, ea etiam Christianorum ratio, & quod hic proponitur ut præceptum, ejus praxis commendatur generaliter à Petro Christianis 2 Pet. 1. 19. & alibi passim.

QUÆST. XXIV. *Luc. 16. 29.*

IV. Secundò, Quia Christus & Apostoli Legem istam confirmant & commendant ut ab omnibus observandam Mat. 22. 36. 37. *&c.* & Paulus Rom. 13: 8. 9. *Nihil cuiquam debere, nisi ut vos invicem diligatis, qui enim diligit proximum, Legem implevit* &c. Charitas à Johanne vocatur vetus & novum mandatum 1 Joh. 2: 7. 8. Tertiò, Quia *fides legem non abolet, sed stabilit* Rom. 3. 31. Unde Evangelium Legis nomine sæpe designatur *Lex spiritus vitæ* Rom. 8: 2. *Lex regia libertatis*, Jac. 2: 8. 12. Gal. 2: 19. *Per Legem Legi mortuus sum ut vivam Deo*, per Legem Christi, Legi Mosis, quatenus habet rationem fœderis, quod non tantum intelligendum est μιμητικῶς relatè ad mentem Judæorum, quia Evangelium verè & perfectè dat nobis, quod falsò quærebant Judæi in Lege, puta justificationem & salutem, quo sensu etiam fides vocatur *opus Dei* Joh. 6. 29. sed etiam propriè quia Evangelium non est sine Lege, quæ suaviori quidem modo jam proponitur, sed quæ tamen ad obsequium hominem semper obligat. Quartò, Quia Lex moralis est juris naturalis & immutabilis, ut supra probatum, quæque ideo ad omnes homines ex æquo pertinet in quocunque versentur statu, ita ut ab ejus subjectione eximi nequeant.

Gal. 2. 19.

V. Denique Lex multifariam necessaria est homini Christiano 1. respectu *fœderis gratiæ*, sub quo fideles vivunt, quod non tantùm promissionem habet gratiæ & salutis à parte Dei, sed etiam obsequii stipulationem importat à parte hominis, ut quemadmodum Deus pollicetur se fore Deum nostrum amore & protectione; nos vicissim simus populus ejus cultu & obsequio Je. 31: 32. 2 Cor. 6: 16. 17. 2. ratione *Dei Patris*, qui nos in familiam suam recipit, qui σχέσιν erga nos induit Patris & Domini, cui honorem & cultum indispensabiliter debemus Mal. 1. 6. 1 Pet. 1. 15. 16. 3. ratione *Christi*, qui ut duplicem erga nos personam sustinet *Vadis* & *Sacerdotis*, qui pro nobis satisfecit Legem implendo, & *Capitis ac Regis*, qui Spiritu suo in nobis operatur & Legem implet; ita duplicem à fidelibus suis virtutem exigit, ut illi uniantur, & fiant illi conformes, *fidem*, quæ promissionem gratiæ & meritum Vadis amplectitur, & *charitatem*, quæ sanctitatem Capitis imitatur, obediendo ejus mandatis. Unde *mors* ejus non modo est λύτρον *redemptionis* nostræ, quo satisfecit pro nobis plenissimè, sed etiam *exemplar imitationis* nostræ, quod nobis

Legis necessitas probatur 1. ratione fœderis gratiæ. 2. ratione Dei Patris. 3. ratione Christi.

QUÆST. XXIV. nobis proponitur, ut *sequamur ejus vestigia* 1 Pet. 2. 21. 4. ratione *Spiritus Sancti*, qui nos sibi consecrat in Templa in quibus habitet 1 Cor. 3. & 6. qui nomen & munus habet *Consolatoris* & *Sanctificatoris*, ut quemadmodum per officium Paracleti nos solatur adversus maledictionem Legis; Ita quà Spiritus sanctificationis necessitatem obedientiæ Legi debitæ confirmat & sancit.

1 Pet. 2. 21.
4. ratione Spiritus.

5. ratione gratiæ.

VI. 5. Ratione *gratiæ*, quæ nobis hîc jam confertur, quæ obedientiam istam postulat Tit. 2. 14. tanquam *fructum* istius seminis, *gratitudinem* pro beneficiis acceptis Psalm. 116. 12. & 130. 4. Luc. 1. 74. & *scopum* ad quem respicit, ut patet in *Electione* Eph. 1. 4. In *Redemptione* Tit. 2. 14. In *Vocatione* 1 Pet. 1. 15. 1 Pet. 2. 9. In *Justificatione* Psalm. 85. 9. Gal. 2. 20. Psal. 130. 4. In *Regeneratione* 2 Cor. 5. 17. Rom. 6. 14. 6. Ratione *gloriæ* quam speramus, ad quam obedientia Legi debita se habet tanquam *medium* ad finem, sine quo ad eum non pervenitur Joh. 3. 5. Mat. 5. 8. Heb. 12. 14. *Via* ad metam Ephes. 2. 10. Philip. 3. 14. *Semen* ad messem Gal. 6. 7. 8. & primitiæ ad massam Rom. 8. 23. imò tanquam pars potissima felicitatis. Unde *necessitas* bonorum operum ad gloriam oritur non *meriti*, sed *medii*; ut nemo in cœlo glorificari possit, qui non per pietatis studium, & Legis obedientiam sanctificatus fuerit in terris.

6. ratione gloriæ.

Fontes Solutionum.

VII. Aliud est esse sub *Lege*, ut sub *fœdere* ad vitam ex ea acquirendam, ut erat Adamus, Vel ut sub pædagogo, & carcere ad hominem custodiendum usque ad adventum Christi; Aliud non esse sub Lege, ut *vitæ regula* ad mores piè & sanctè instituendos. Aliud esse sub lege quatenus opponitur Evangelio quoad rigidam & perfectam obedientiæ exactionem, & terribilem quam intentat peccatoribus maledictionem, Aliud esse sub *Lege*, quatenus illi subordinatur, quoad suavem directionem. Priori sensu Paulus dicit *nos non esse sub Lege, sed sub gratia*, Rom. 6. 14. quoad relationem fœderalem, & quoad maledictionem & rigorem, quia Christus per meritum suum nos ab illa liberavit, & per Spiritum nos eximit ab isto; Sed posteriori, illi manemus semper obstricti, licet diversum in finem, nam in primo fœdere homo *hoc facere* debebat, *ut viveret* ad vitam promerendam; sed in isto idem præstare tenetur, non ut vivat, sed *quia vivit* ad vitæ per Christum acquisitæ possessionem, & grati animi testimonium, ut Apostolus ibidem fideles ad obedientiam hortatur.

Rom. 6. 14.

Rom. 7. 2. 3.

VIII. *Lex* à Paulo Rom 7. 2. 3. confertur *marito mortuo*, non simpliciter, sed secundùm quid ratione imperii & rigorosi dominii quod in nos obtinebat, & maledictionis cui mancipabat peccatores; sed non liberationis ab officio præstando juxta eam. Sic 1 Tim. 1. 9. Lex minans, cogens, damnans, *non est posita justo*, quia ultrò ad officium impellitur, & non amplius spiritu servitutis & formidine pœnæ ducitur Rom. 8. 15. Ps. 110. 3. Sed Lex directiva & regulativa morum, semper illi ponitur, & ei subesse debet. *Qui spiritu aguntur*,

1 Tim. 1. 9.

tur non sunt amplius sub Lege Gal. 5: 18. cogente scilicet & maledicente, sed sub ea dirigente, quatenus Spiritus Legem istam inscribit in cordibus nostris 2 Cor. 3: 2. Jer. 31. quæ ideo Lex Spiritus vitæ vocatur Rom. 8: 2. Quæst. XXIV. *Gal. 5: 18.*

IX. Aliud est loqui de duratione œconomiæ Legalis, Aliud de duratione & usu doctrinæ in ea traditæ; illa mutari debuit & cessare, & revera cessavit; Ista verò non item. Priori sensu Christus loquitur Luc. 16: 16. quum ait, *Legem durasse usque ad Johannem*, sed non posteriori. Nec si œconomia tollitur, tolli debet etiam omni ex parte doctrina œconomiæ isti accommodata, sed tantum secundum rationem, secundum quam propria erat illi œconomiæ. *Luc. 16: 16.*

X. Aliud est non imponendam esse Legem Christianis, Aliud non imponendum jugum ἀβάστακτον, nimirum observationem circumcisionis & cæremoniarum legalium. Prius non removetur a Christianis, sed solum posterius Act. 15: 10. *Quid tentatis Deum, imponendo jugum cervici discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare voluimus*, patet ex occasione illorum verborum, quæ notatur v. 5. quod quidam surrexissent, qui dicebant oportere *circumcidere Christianos, & præcipere ut observent Legem Mosis*, nimirum cæremonialem; ut colligitur ex v. 20. 28. 29. quæ alibi dicitur ζυγὸς δουλείας Gal. 5: 1. vel moralem indebito fine, quasi Christianis vita esset ex ea quærenda, vel in solidum, vel ex parte saltem: sic bene vocari potest ζυγὸς ἀβάστακτος propter infirmitatem carnis, quia nemo per eam potest justificari Rom. 8: 3. Ita jugum istud potest tolli secundùm id, secundùm quod est ἀβάστακτον, nim. quoad τὸ ἀκριβοδίκαιον legis, coactionem scilicet, & maledictionem ei annexam, licet maneat quoad necessitatem obedientiæ. *Act. 15: 10.*

XI. Quod est causa per se & natura sua augmenti & multiplicationis delicti, illius usus apud Christianos retineri non debet. Sed Lex hoc sensu non auget peccatum, quia non ex positione Legis quà talis, sed tantùm ex ejus transgressione sequitur peccatum; Ideò augere dicitur peccatum per accidens Rom. 5: 20. non modo quia *declarative* illud manifestat, sed etiam *occasionaliter*, quatenus peccatum occasione sumpta per mandatum efficit cupiditatem Rom. 7: 8. eam scilicet irritando, ut ferociat magis contra mandatum coercens, instar equi sternacis, eò magis ferocientis in sessorem, quò magis constringitur arctiore lupato; unde graviorem meretur reatum notæ Legis violatio. *Rom. 5: 20.* *Rom. 7: 8.*

XII. Quando *Lex* vocatur *litera occidens, & ministerium mortis & condemnationis*, 2 Cor. 3. 6. 7. 8. 9. intelligenda est non per se & natura sua, sed per accidens ob corruptionem hominis, non absolute & simpliciter, sed secundùm quid, quando spectatur ut fœdus operum, opposité ad fœdus gratiæ; Vel ratione œconomiæ & pædagogiæ legalis præcisè in se consideratæ, seorsim a promissionibus gratiæ, & contradistinctè ad ministerium Evangelicum, *2 Cor. 3: 6. 7.*

QUÆST. XXIV. cum, quod cum eo ibi confert Apostolus; & hoc sensu bene *litera* dicitur, quia ostendit quidem officium, sed non implet, jubet, sed non juvat, imperat, sed non operatur, & dicitur καταργεῖσθαι ratione istius œconomiæ, quia pactum istud vetus debuit abrogari. Sed non potest ita vocari absolutè sub ratione regulæ, & normæ.

XIII. Libertas Christi, solvit nos à jugo Legis maledicentis, à tyrannide Diaboli, & à servitute peccati; sed non eximit à necessitate obsequii Deo præstandi, quod à qualibet creaturâ quà tali est indispensabile, & maximè à filiis redemptis: imò vinculum officii nostri eò fortiùs adstringit, quò pluribus nominibus Deo obstricti sumus: Ita libertas à peccato infert necessariò
Rom.6: 18. servitutem gratiæ, liberati à peccato, servi sumus justitiæ Rom. 6: 18. imò in eo vera libertas versatur, ut Deo subjiciamur, nam *servire Deo regnare est*. Alia ergo est *libertas spiritus*, Alia *licentia carnis*; Ista revera cum Le-
1 Pet.2: 16. ge ἀσύστατος, sed illa optimè cum ea consistit, & ab ea est inseparabilis 1 Pet. 2: 16. *Quasi liberi, sed non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed quasi servi Dei*, & Gal. 5: 13. *Vos in libertatem vocati estis, tantùm ne libertatem in occasionem detis carni.*

XIV. Quod datum fuit Judæis quà Judæis, solis Judæis usui esse potest: sed quod datum est Judæis, quà fœderatis, vel quà Dei populo simpliciter, non ad ipsos solùm spectat, sed ad omnes illos qui eandem populi Dei rationem habent. Lex non data est Judæis primo sensu omni modo, sed posteriori; nam hodieque nobis loquitur Roman. 7: 7. 1 Cor. 9: 8. Nec si per Mosem data dicitur Johan. 1: 17. sequitur sub Evangelio Christi locum non habere, quia Moses non opponitur Christo, sed subordinatur, ut servus domino, ut ille qui in domo, illi qui jus habet in domum, ut qui eam ædificavit & regit.

XV. *Moses* etiam potest spectari bifariam, vel generatim & *indefinitè*, ut *Doctor* totius Ecclesiæ, vel particulariter & *definite*, ut *Dux* populi, & Legislator Israëlis, qui ejus commodum respexit. Posteriori sensu Lex à Mose lata ad solos Judæos pertinuit, sed priori extenditur ad omnes; non minùs ac Lex naturæ, cujus est compendium. Atque ita possunt conciliari diversæ Orthodoxorum sententiæ circa Legis Mosaicæ usum & obligationem, dum alii volunt eam pertinuisse ad solos Judæos exclusivè ad alios, ut *Zanchius*, & *Musculus*. Alii verò ad omnes spectasse asserunt, ut *Pareus* & alii; isti enim Mosem & Legem sub primâ notione considerant; illi verò sub secundâ.

QUÆ-

QUÆSTIO XXV.

De Lege Cæremoniali.

Quis finis & usus fuerit Legis Cæremonialis sub V. T.?

I. Lex per Mosem lata in tres species solet distingui, In *Moralem*, quæ de moribus sive officiis perpetuis erga Deum & proximum agit; *Cæremonialem*, quæ de Cæremoniis sive Ritibus circa sacra sub V. T. observanda tractat: Et *Forensem*, quæ civilem gubernationem populi Israëlitici constituit. Prima fundamentum est, quo nititur obligatio reliquarum, Aliæ sunt appendices & determinationes ejus, Cæremonialis respectu primæ tabulæ, determinando ejus circumstantias, maximè quoad cultum externum, Forensis quoad secundam in Judicialibus; licèt statuat etiam pœnas sceleribus adversus primam tabulam admissis. *Lex Mosaica triplex, moralis, cæremonialis, forensis.*

II. Distinctionis istius veritas patet, non modò ex diversitate nominum, quibus in Scriptura designantur: Nam Lex moralis ut plurimùm per מצות *præcepta*, Cæremonialis per חקים, *statuta*, & Judicialis per משפטים Judicia exprimitur, quæ LXX. reddunt per ἐντολὰς, δικαιώματα & κρίματα Deut. 5:31. *Edicam tibi omnia præcepta, statuta, & Judicia illa quæ docebis eos.* Sic cap. 6:1. 20. & 7:11. Lev. 26:46. licèt nonnunquam voces istæ synonymæ sint, & promiscuè usurpentur Ezech. 5:6. & 20:11. 16. 18. Sed præcipuè ex naturâ rei, & Legis officio, cujus est constituere ordinem, secundùm quem homo cum Deo & proximo conjungitur. Conjungitur autem homo cum Deo, primò similitudine quadam internâ & externâ, in dilectione, justitia, sanctimonia & veritate, cujus normam tradit Lex moralis. Deinde istorum actuum cultus divini significatione & testatione externâ, adhibitis tesseris & symbolis, quorum rationem præscribit Lex cæremonialis. Denique quid homo homini ex officio debeat, Lex forensis distinctiùs Israëlitis applicata explicat. Lex moralis respicit Populum Israëliticum, quà *homines*; Cæremonialis, ut *Ecclesiam Veteris Testamenti* expectantem Messiam promissum; Forensis, ut *Populum peculiarem*, qui Rempublicam, genio ac indoli suæ convenientem, habere debuit in terra Canaan. *Distinctionis fundamentum.*

III. Hinc multiplex oritur discrimen Legis moralis ab aliis tum in *origine*, quia moralis fundatur in jure naturali, ideo naturâ nota est, sed aliæ in positivo, ideo sunt ex liberâ revelatione; tum in *duratione*, Illa immutabilis & æterna, Istæ mutabiles & temporales, tum ratione *objecti*, Illa universalis, *Discrimen Legis moralis ab aliis.*

QUÆST. XXV. quæ omnes respicit, Istæ particulares, quæ tantùm Judæos, Forensis quidem quatenus eos ut Remp. distinctam Deo dedicatam spectabat, Cæremonialis verò quæ statum eorum Ecclesiasticum, & statum minorennem & infantilem respiciebat; tum ratione *usus*, quia Moralis finis est aliarum, aliæ verò morali subserviunt. Hactenus de Morali dictum: Nunc de Cæremoniali disputandum.

Quid sit Lex cæremonialis. IV. *Lex cæremonialis*, est Systema Præceptorum Dei positivorum de cultu externo in sacris veteri Ecclesiæ præscripto, vel ordinis, vel significationis causâ. Ita dicitur ab *objecto*, circa quod versatur, nim. cæremoniis seu ritibus sacris in externo Dei cultu olim observandis; sive vox *Cæremonia* deducatur à voce Etrusca *cerus*, quæ sanctum significat, ut à sancto sanctimonia, ut vult *Joseph. Scaliger* & *Dion. Gothofredus* in notis ad Festum: vel à Cære Thusciæ oppido, quod, quia, quum Galli Romam occupassent, conservarunt æternum ignem, & Virgines Vestales, dictum sit sacrarium populi Romani & receptaculum Rom. sacrorum, & Romani remunerationis ergò sacros ritus à Cære dixerint cæremonias, ut volunt *Valer. Maxi.* lib. 1. cap. 1. *Florus* lib. 1. cap. 13. Vel quod verosimilius est ab Hebræo חרם quod rem sacram & Deo devotam significat.

V. Variis nominibus insignitur, modò per חקים, ut משפטים Judicialem notant, & מצוה moralem, modò per νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι Eph. 2: 15. quia præcepta illius sunt δεδογμένα à Dei voluntate sancita, quæ nullam habent bonitatem, quàm ab arbitrio divino, modò per ἐντολὴν σαρκικὴν Heb. 7:16. & δικαιώματα σαρκὸς Heb. 9: 10. quia in rebus externis & corruptibilibus præscribendis occupatur, quæ carnis nomine veniunt in Scriptura, modò per στοιχεῖα ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ τοῦ κόσμου, *elementa egena & infirma mundi* Gal. 4: 9. quia erant prima rudimenta & veluti alphabetum Ecclesiæ Judaicæ, in quo durante infantili ætate informari debuit, quæ nihil poterant per se vel ad justificationem, vel ad salutem.

Eph. 2: 15.

Heb. 7: 16

Origo Cæremoniarum. VI. Cæremoniæ sunt externi Ritus, & sacra cultui Dei accidentia, quæ ipsa per se cultus Dei non sunt, sed adjuncta concomitantia, & adjuvantia, significatione, exercitio, opere, & decoro. Ortus earum & fundamentum petitur à natura & conditione hominis, qui cùm sit *animal cæremoniosum*, ut loquitur Melancton, cæremoniis & ritibus externis adhæret, & afficitur; & cùm constet animâ & corpore, & in utroque Deum glorificare debeat, ritus postulat externos, quibus corporis motus ad Dei cultum componat, & à sensibilibus & terrenis evehatur ad spiritualia & cœlestia. Hinc in statu integritatis non defuerunt externa quædam symbola ritusque cæremoniales, qualis fuit arbor vitæ, præ cæteris destinata in sacramentum fœderis & promissionum, & arbor scientiæ boni & mali, quæ unica è multis in probationis symbolum separatur; qualis fuit etiam Sabbathi sanctificatio. Sed post peccatum crevit istorum rituum necessitas, non tantùm ad ἀταξίαν, & vin-

vinculum sanctæ societatis, & communionis piæ sub Deo, ad obsignationem foederis, tum quoad Dei præsentiam & beneficia, tum quoad testimonia gratitudinis nostræ, & tesseras nostri erga Deum officii; Sed præcipuè ad Mediatoris personam & officia adumbranda, sine quo nullus datur ad Deum accessus. QUÆST. XXV.

VII. Unde orta est Legis Cæremonialis institutio, cujus rationes præter Dei sapientissimam voluntatem, in qua nobis acquiescendum, plures dantur gravissimæ: 1. *Conditio Ecclesiæ*, quæ adhuc in pueritia & infantia sua constituta, propter tenue demensum Spiritus S. quod illi dabatur Gal. 4: 1. hujusmodi figuris erat instituenda, cùm majoris lucis ordinariè non esset capax. 2. *Natura populi Israelitici*, qui cùm esset populus duræ cervicis, & ad idololatriam, & cultus profanos Gentium valdè proclivis, per hujusmodi cæremonias custodiendus fuit, & veluti cancellis quibusdam cohibendus, ne ad alios cultus deficeret. 3. *Peccati certitudo & gravitas*, quæ fuit ostendenda, ut homo de eo convictus ad remedium quærendum excitaretur, quod per purificationes & sacrificia fiebat. 4. *Necessitas & efficacia gratiæ*, quæ variis typis adumbrari debuit.

VIII. *Finis* ergo non minùs ac *usus Legis cæremonialis* multiplex observari potest, 1. *generalis* scilicet εὐταξία, ut populus in illa haberet externam cultus publici, & Religionis formam, quæ Deo probaretur. 2. *specialis* rursus varius juxta diversam ejus σχέσιν, vel relate ad Legem moralem, vel ad populum Israeliticum, vel ad gratiam. Nam respectu *Legis moralis* finis ejus fuit subservire priori tabulæ, præscriptione cultus externi legitimi, & rejectione omnium cultuum peregrinorum, & ἐθελοθρησκειῶν & adjuvare Legem moralem in convincendis hominibus *impuritatis* suæ & *impotentiæ*, & *reatus*: 3. respectu *Populi* debuit inservire ad *distinguendum* illum à cæteris populis, & fortiùs illum inter se colligandum. Ideò vocatur μεσότοιχον *paries intergerinus* Eph. 2: 14. quo separabantur Israelitæ à cæteris gentibus, quæ nihil commercii cum illis propterea habebant; imò odia & inimicitias hac de causa inter se exercebant, quo fit ut ab Apostolo ibidem vocetur ἔχθρα, seu *inimicitia* id. occasio odii & dissidii quod inter eos intercedebat. Ita pædagogiæ cujusdam loco fuit, quæ abduceret populum à communione gentium, ab earum idololatria & impuritate, quæque adduceret ad Deum, & arctiùs religaret, ut Deum tanquam Deum suum peculiariter coleret, & ita sisteret in hoc operoso cultu, ut nullum tempus horave vacaret, quâ vel novos ipse cultus comminisci, vel ab aliis usurpatos assumere liceret.

Finis Legis cæremonialis generalis εὐταξία.

Specialis respectu Legis moralis.

Respectu Populi.

Eph. 2. 14.

IX. Respectu *fœderis gratiæ* usus Legis fuit, *necessitatem* per peccati & miseriæ humanæ demonstrationem ostendere; ejus *veritatem* & *præstantiam* per Christi & officiorum ac beneficiorum ejus adumbrationem demonstrare, *Gratiam* ejus multiplicem figuris suis & sacramentis *obsignare*, in ejus de-

Respectu Gratiæ.

QUÆST. siderio & expectatione per operosum illum cultum detinere, & disciplinæ suæ
XXV. severitate ad eum quærendum compellere, & *cultus spiritualis*, qui ab ipso requiritur in isto fœdere justitiam, & imaginem exhibere. Nimirum ut tria præcipuè homini sunt semper inculcanda, 1. *miseria* ejus, 2. *misericordia* Dei, 3. *officium gratitudinis*, quid sit per naturam, quid acceperit per gratiam, & quid debeat per obedientiam. Tria ista ob oculos posuit Israelitis Lex cæremonialis; Cæremoniæ quippe tres istos respectus potissimùm includebant, primum, quatenus erant Legis appendices, & duos alios, ut Evangelicæ gratiæ sacramenta, 1. erant *Confessiones peccatorum*, & *miseriæ* humanæ, & reatus per peccatum contracti, Col. 2: 14. Hebr. 10: 1. 2. 3. 2. *Symbola & umbræ misericordiæ Dei*, & gratiæ per Christum conferendæ Col. 2: 17. Heb. 9: 13. 14. 3. *Imagines & picturæ officii*, & cultus Deo exhibendi in grati animi testimonium Rom. 12: 1. miseria humilitatem eorum animis ingenerabat, misericordia solatium, & gratitudinis officium sanctificationem, quæ tria in sacrificiis expresse designabantur, nam ut erant *Chirographum* à parte Dei, Col. 2: 14. quod debitum peccato contractum repræsentabat; Ita erant *Umbræ* λύτρου à Christo persolvendi Col. 2: 17. Hebr. 10: 5. 10. & *Picturæ* λατρείας λογικῆς cultus rationalis & Evangelici à fidelibus Deo exhibendi Rom. 12: 1. 1 Pet. 2: 5.

X. Certum est tamen primam & potissimam Legis istius σχέσιν ad Christum respexisse, qui ut omnium promissionum & oraculorum fuit scopus & fundamentum 2 Cor. 1: 20. Ita omnium typorum & figurarum fuit cor-
Col. 2: 17. pus & veritas, Col. 2: 17. Ista erant σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *Umbra futurorum, Corpus autem Christi*, dicuntur *umbra*, tum *physice* prout opponitur corpori, quia ut umbra signum est corporis, sic cæremoniæ erant signa Christi exhibendi; ut corpus est causa umbræ, non contrà, sic Christus fuit causa institutionis istorum rituum; ut umbra per se nihil valet aut potest, sed corporis est virtus, ita omnis efficacia est a Christo, sed cæremoniæ per se vanæ sunt & mortuæ: tum *artificialiter* pro obscurâ & rudi rei delineatione, opposité ad εἰκόνα perfectam rei imaginem, quo sensu
Heb. 10: 1. usurpatur ab Apostolo Heb. 10. 1. Sapientissimè autem ita dispensatum à Deo, ut cùm gravissimis de causis vellet Messiæ adventum differre post multa secula, non tantùm promitteretur & prædiceretur in Oraculis, sed & repræsentaretur in Typis, tantisper dum adveniret tempus διορθώσεως, & ipse Sol justitiæ illucesceret, tum ut vetus populus his umbris & oraculis se sustentaret in spem venturi Messiæ, atque adeò sub istis imaginibus aliquod specimen haberet gratiæ cœlestis in Christo exhibendæ; tum ut fideles N. T. ex istis characteribus faciliùs & certiùs Messiam exhibitum agnoscerent, eorumque fides magis confirmaretur intuendo complementum umbrarum in Corpore, & figurarum in veritate.

XI.

XI. Atque hinc facilè colligi potest, quid statuendum sit in illa Quæstione, quæ hodie à nonnullis movetur, An Lex cæremonialis post μοσχοποιΐαν imperata habuerit usum obsignativum reatus & maledictionis fideles adhuc constringentis, adeoque ex ira in iram sit data, & ad aggravandam atque obsignandam Patrum sub reatu, iræ & execrationis servitutem? ut quidam vellent; An verò præcipuè Christum respexerit, & data sit in typum bonorum futurorum, ad erigendos fidelium animos? quod alii sentiunt. Nam ut duplex Legis istius σχέσις fuit, quæ sedulò est attendenda, Altera *Legalis*, quæ respiciebat fœdus operum, & Legem ejus violatam; Altera *Evangelica*, quâ referebatur ad fœdus gratiæ, & ejus Mediatorem: Ita diversimodè de ea juxta geminam istam σχέσιν ratiocinandum est. Nam respectu prioris dubium non est, quin usum habuerit peccatum retegendi, & ejus reatum obsignandi, & iram ac execrationem Dei propter peccatum imminentem denunciandi; quo sensu Paulus ait fuisse *chirographum* adversus nos, & in iis factam fuisse peccatorum ἀνάμνησιν. Sed quum posterior attenditur, certum est etiam in ea symbola fuisse & sigilla gratiæ Dei in Christo, quibus fideles erigerentur in spem futurorum bonorum, & adversus peccati & iræ Dei sensum confirmarentur.

QUÆST. XXV. *An Lex cæremonialis sit data ex ira in iram.*

XII. Ita autem illæ σχέσεις inter se connexæ sunt, ut si quis ritè œconomiæ Vet. Test. naturam, & Legis cæremonialis usum tenere voluerit, eas semper conjungere debeat, nec sine gravi veritatis dispendio à se invicem divelli possint. Nam ut qui solam σχέσιν Evangelicam attenderet, posthabito pædagogiæ Legalis rigore, characterem Vet. Test. qui in eo potissimum consistit, non assequeretur: Ita qui legalem nimiùm urgent, neglectâ & non satis expensâ Evangelicâ, gratiam Dei sub illa dispensatione sese exerentem non parum obscurare, & Patrum fidem & solatium nimis deprimere, & minuere videntur. Unde media hic via tutissima est, ut utramque istam σχέσιν ob oculos semper habeamus, ita tamen ut Legalis inferior sit, quæ subserviat Evangelicæ, & finem minùs principalem totius dispensationis istius respiciat; Evangelica verò primaria, utpote quæ præcipuum Dei & ultimatum in ista œconomia finem contineat.

XIII. Hinc non potest absolutè dici Legem cæremonialem ex ira in iram datam esse, ad obsignandam & aggravandam Patrum sub reatu, & execratione servitutem; Et sacrificia pro peccato non fuisse in remedium, sed in chirographum; & similia id genus, quibus rigor pædagogiæ Legalis exponitur: Licèt enim sano sensu hæc dici possint quoad σχέσιν legalem præcise in se consideratam, nec ullam litem ideo fratribus movendam censeremus, si ea est ipsorum mens: non possunt tamen absolutè & simpliciter recipi, si cæremoniæ spectentur relatè ad σχέσιν Evangelicam, à qua non debent unquam divelli. Nam si verum est, ut negari non potest, Deum

QUÆST. XXV. ſub illis adumbrare & obſignare nobis voluiſſe myſteria Evangelica, & gratiam ſalutarem Chriſti, quod toties & tam expreſsè inculcat Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, & Typorum ac Sacramentorum ratio hoc neceſſariò exigit; Quomodo Lex iſta ex ira in iram poteſt dici data, & ad obſignandum ac aggravandum Patrum reatum & ſervitutem? An quæ tam gratum & ſuavem uſum habuit, in tam durum & gravem finem cenſenda eſt data? Et ſi ſacrificia ipſam expiationem futuram Chriſti, ad liberationem jam tum efficacem obſignabant, quomodo dicuntur incumbentem Patribus reatum obſignaſſe, cum moleſtâ conſcientiis exprobratione?

Act. 15:10. XIV. Nec evinci poteſt contraria ſententia, vel ex eo quòd Lex vocatur jugum ἀβάςακτον Act. 15: 10. quia hoc intelligitur de Lege in ſe ſpectatâ oppoſitè ad Evangelium, quo ſenſu miniſterium eſt mortis & condemnationis, quod laborioſis obſervationibus onerabat conſcientias; non de ea ſubordinatè ad Evangelium, quo ſenſu fuit pædagogus ad Chriſtum Gal: 3: 24. Vel quòd *Gal. 4: 9.* per egena & infirma elementa mundi deſcribitur Gal: 4: 9. quibus tribuit Apo*Heb. 7: 18.* ſtolus Heb. 7: 18. τὸ ἀσθενὲς ϗ ἀνωφελές. Quia Paulus non loquitur de cæremoniis in legitimo ſuo uſu ex Dei inſtituto ſub V. T. ſed de illis jam abrogatis & emortuis per Chriſtum; vel in ſe conſideratis extra typicam relationem, ſeparatis ſcil. à Chriſto, prout eas reſpiciebant Judaïzantes. Vel quòd Lex dicitur habuiſſe umbram futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem *Heb. 10: 1.* Heb. 10: 1. Quia certum, Apoſtolum loqui de Lege in ſe ſpectatâ ſimpliciter, ſeorſim à Chriſto Mediatore, quo ſenſu nemo negat habuiſſe tantùm umbram futurorum, nec potuiſſe expiare peccata & ſanctificare conſcientiam: Sed hoc non obſtat quominus potuerit referri ad Chriſtum ad ejus gratiam adumbrandam, imò verba Apoſtoli eò nos manifeſtè ducunt.

Col. 2: 14. XV. Non melius colligitur ex Col. 2: 14. ubi vocatur Chirographum nobis adverſum; quod videtur notare obſignationem & exprobrationem reatus adhuc fidelibus incumbentis. Quia hoc dicitur tantùm reſpectu σχέσεως Legalis, quæ nequaquam ita debet urgeri, ut Evangelica oblitteretur, aliàs perperam dixiſſet Paulus *Circumciſionem fuiſſe ſigillum juſtitiæ fidei* Rom. 4: 11. juxta priorem bene poteſt dici fuiſſe chirographum, quia in ea fuit confeſſio peccati & reatus, non aboliti per victimas legales, ut patebat in iteratione, ſed abolendi per ſolam Chriſti mortem; ſed per poſteriorem erat figura ſubſtitutionis Mediatoris in locum noſtrum, & reatus in ipſum tranſlati, atque adeò liberationis per eum accipiendæ, quin & remiſſionis jam acceptæ in virtute ſacrificii futuri; Hinc eſt quòd Paulus non dicit ſimpliciter chirographum illud eſſe nobis ἐναντίον *contrarium*, ſed ὑπεναντίον, *ſubcontrarium*, id. quodammodo contrarium, nimirum quia ſi fuit chirographum peccati & reatus propter illud contracti, ac pœnæ commeritæ, atque ita adverſum Patribus ſub illa σχέσει legali, & quatenus erant peccatores; At quate-

tenus erant fideles, favorabilia continebant symbola & sigilla gratiæ ipsis jam tum dispensatæ juxta σχέσιν Evangelicam, quæ fuit principalis & ultimata, & per quam prior emolliebatur ad fidelium solatium, ne censerentur adhuc esse sub reatu, qui in Christum virtute sponsionis factæ, & solutionis futuræ erat translatus. QUÆST. XXV.

XVI. Porro multitudo cæremoniarum & figurarum, imperfectionis, quâ laborabant erat argumentum; simulque summam Christi perfectionem animis oculisque ingerebat, ad quam utcunque adumbrandam tantâ varietate opus erat; ut quod una tabellâ plenè repræsentari non potuit, per plures, quæ idem objectum sub variâ σχέσει consideratum redderent, exhiberetur. Idem Christus adumbratus fuit in Regibus, Prophetis, & Sacerdotibus ratione triplicis muneris sui, in Sacerdote offerente, ratione Spiritus æterni seu Divinitatis, In victimâ oblatâ, ratione naturæ humanæ, In altari holocaustorum, ratione satisfactionis, In altari suffituum, ratione intercessionis *&c.* Idem Spiritus per aquam purificationis, per oleum unctionis, per ignem sacrum, significatus fuit ratione variarum ejus operationum. Hinc fit, ut quæ divisa sunt in typis, conjungantur in antitypo, de quo non ex uno, vel altero seorsim, sed ex omnibus conjunctim spectatis judicium debet fieri, quia nullus datur typus adæquatus, qui plenè antitypum referat; sed omnes sunt partiales & inadæquati.

XVII. Ut verò idem mysterium sub variis figuris & cæremoniis sæpe repræsentatur: Ita eadem figura sæpe diversis mysteriis adumbrandis adhibetur, maxime quum mysteria ista sunt subordinata, & σχέσιν habent ad invicem. Sic *Tabernaculum* fuit typus *Christi*, Joh. 1: 14. *Ecclesiæ*, & fidelium Eph. 2: 20. & *Cæli* Apoc. 11: 1. 2. Sacrificia, figuræ sacrificii expiatorii Christi Heb. 10: 5. 6. & sacrificiorum spiritualium, & Eucharisticorum fidelium 1 Pet. 2: 5. Sacerdotes, Christum repræsentabant, qui summus est Pontifex N. T. Heb. 9. & 10. Ministros Evangelii, qui debent λειτουργεῖν Deo Rom. 15: 16. & fideles qui facti sunt *regale sacerdotium* 1 Pet. 2: 5. Apoc. 1: 6. Pascha fuit non tantùm memoriale transitus Angeli per Ægyptum, & liberationis ab Ægypto, sed symbolum redemptionis per Christum futuræ à servitute Diaboli & peccati, & figura transitus fidelium à servitute ad libertatem, à morte ad vitam 1 Cor. 5: 7.

XVIII. Atque hinc non obscurè colligitur contra Judæos, usum & finem Legis cæremonialis non fuisse justificationem & sanctificationem hominis peccatoris; Quia *Lex nihil* ἐτελείωσεν *perfecit & consummavit, sed introductio melioris spei per quam accedimus ad Deum* Heb. 7: 19. cùm occuparetur tantùm circa mandatum carnale & res terrenas & corporeas, quæ *non possunt conscientiam* τελειῶσαι Heb. 9: 9. sed non ulterius pertendebant, quàm *ad puritatem carnis*, v. 13. id. externam & cærimonialem, quod Apostolus luse demon- *Cæremoniarum impotentia expiandi peccatum. Heb. 7: 19.*

QUÆST. XXV. monstrat Heb. 10: 1. 2. 3. 4. Et facilè probatur, primò generaliter à *natura istius Legis, quæ umbram habebat rerum futurarum.* v. 1. non verò expressam rerum imaginem, ideò non poterat accedentes perficere. 2. specialiter ab imperfectione cæremoniarum, quæ *nullam proportionem* habebant, Vel cum *peccatis*, quæ, ut culpæ morales, non possunt nisi moraliter expiari & expurgari, per victimam moraliter se habentem, id. ex summa charitate, & perfectissimo obsequio sese offerentem Deo, qualis solus Christus est. Vel *cum Deo*, cui satisfieri debet, qui ut Spiritus est, spiritualem etiam & rationalem postulat victimam, quæ sibi satisfaciat. Nec sapientia aut justitia ejus patiebantur, ut sanguine bruto & materiali tollerentur peccata, sed requirebant, ut rationalis victima elueret culpam à rationali creatura admissam, & ut infinita Majestas læsa, infinito pretio & satisfactione placaretur. Vel cum *homine* pro quo expiatio fieri debuit, quia peccatum in eadem natura, in qua commissum fuit, plecti debuit. Hinc Apostolus disertè asserit, *impossibile fuisse sanguinem taurorum & hircorum tollere peccata* Heb. 10: 4. non modò ex ordinatione Dei, sed ex natura rei, cùm potiùs in sacrificiis perpetuò iteratis, fieret quotannis ἀνάμνησις peccatorum v. 2. 3.

XIX. Nec si sæpius *expiatio* tribuitur sacrificiis istis, sequitur verè & propriè expiasse, quia hoc referendum tantùm ad *expiationem typicam* & *cæremonialem*, quà tollebatur carnis impuritas, id. peccatum contra Legem illam admissum, non verò ad *expiationem realem* & *spiritualem* à reatu & macula peccati propriè dicti, quæ puritatem inferebat conscientiæ, ut loquitur Apostolus Heb. 9: 14. Duplex ergo *effectus* istius Legis attendendus est, prior *externus & carnalis*, abolitio putà impuritatis carnalis, per quam aliquis arcebatur à conventibus Ecclesiasticis, qualis contingebat per contactum rerum prohibitarum à Lege cæremoniali; posterior *sacramentalis*, significatio scilicet & obsignatio gratiæ & omnium beneficiorum à Mediatore obtinendorum, de quo vide Disput. de Satisfactione Christi P. VI. Th. 14. p. 293.

Heb. 9: 14.

Cæremoniæ spectantur, vel ratione Personarum.

XX. Cæremoniæ autem istæ distribui possunt in varias classes. 1. respectu *Personarum* à quibus peragenda fuerunt sacra. 2. respectu *Sacrorum* ipsorum, quæ fieri debuerunt. 3. respectu *Locorum* in quibus celebranda fuerunt. 4. respectu *Temporum* quibus obiri debebant. *Personæ* sacræ duûm erant generum, aliæ communiter, aliæ singulari ratione sacræ vocantur. Prioris generis sunt omnes circumcisionis sacramento initiati, quà tesserâ populus Deo dicatus, à profanis gentibus distinguebatur & internoscebatur, Ritus ejus nativæ corruptionis nostræ abolitionem, & imaginis Dei in nobis renovationem, nostrique in Christum insitionem, & fœderis divini obsignationem figurabat.

XXI. Posterioris generis sunt illæ, quarum ministerio Deus ad guber-

nationem

nationem Ecclesiæ suæ utebatur. Eruntque ministri ordinarii, & extraordinarii. Isti erant, qui vel ad condendam Ecclesiam, & ordinem in ea primò constituendum, vel ubi collapsus erat restituendum, & futura prædicenda immediate excitabantur, quales erant *Prophetæ*. Unde per visiones, somnia, & internum Spiritus S. afflatum ad prophetandum instruebantur. Ordinarii erant, qui mediatè vocati constitutum in Ecclesia ordinem curare tenebantur sacris operando, quales erant *Sacerdotes* & *Levitæ*. Illi perpetua successionis serie ex Aaronis familia orti, officium in Tabernaculo exercebant, manus populo imponebant, & invocato Dei nomine benedicebant. Inter quos summus Pontifex eminebat, cujus singularis consecratio, singularis habitus, singulare munus, peculiarem Christi typum constituebat, quem sigillatim persequi nostri nunc non est instituti. *Levitæ* speciatim dicebantur, qui loco Primogenitorum sacris adhibiti Num. 18. in vasorum sacrorum emundatione, mactatione & ablutione pecudum, appositione panum, aliisque id genus officiis, sacerdotibus serviebant. QUÆST. XXV. *Sacerdotes.* *Levitæ.*

XXII. In censum Personarum sacrarum referuntur etiam *Naziræi*, licet sacra non attingerent, quorum alii *votivi*, de quibus Num. 6. alii nati, & divinitus imperati, ut Samson, Samuel, Joh. Baptista, quorum peculiaris sanctimonia perfectam Christi puritatem, qui verus Dei נזיר fuit, antonomasticè talis, ab aliis ἀφωρισμένος adumbrare debuit, in quo verè deprehenditur & in mysterio, quod in Naziræis quoad literam occurrebat, siquidem ab omnibus sordibus abstinuit, quæ poterant sanctitatem ejus perfectissimam inficere, non communicavit operibus mortuis peccati, & vita ejus perpetuum fuit sobrietatis & temperantiæ & omnium aliarum virtutum exemplar. Et muneri suo tanto cum zelo incubuit, ut prætulerit illud omnibus affinitatis officiis. *Naziræi.* *Num.* 6.

XXIII. *Res sacræ* erant, quæ profanis usibus exemptæ, ac Verbo Dei sanctificatæ, sacris usibus destinabantur, quæ erant *Donaria* vel *Sacrificia*. Illa erant oblationes rerum inanimatarum; quæ ex terra natæ homini vel alimentum ad vitam, vel condimentum ad hilaritatem, vel medicamentum ad sanitatem subministrabant. Ex primo genere panis & vinum, ex altero oleum & sal, ex tertio thus offerebatur, quibus tum Christi in nos beneficia & Spiritus charismata designabantur, tum nostrum erga Deum officium & grati animi testificatio Mal. 1:11. *Res sacræ.* *Donaria.*

XXIV. *Sacrificia* potissimùm huc pertinent, quæ magnam partem Legis cæremonialis faciunt; Non quod antea fuerint liberæ usurpationis, quæ potuerint vel offerri vel non offerri sine debiti cultus neglectu, ut quidam vellent, præscripta enim à Deo fuisse, vel ex eo satis superque colligitur, quòd Abel *fide obtulisse* dicitur Heb. 11:4. fides autem nititur Verbo Dei, & quòd *Deus testimonium* dicitur perhibuisse istis sacrificiis, ita te- *Sacrificia.*

QUÆST. XXV. testando ea sibi grata esse: At in negotio religionis nihil ipsi placet, nisi quod ipse jussit, & omnis ἐθελοθρησκεία damnatur Col. 2: 23. Sed clariùs & solenniùs renovata est eorum institutio per Mosem. *Sacrificia* autem erant victimæ rerum animatarum, à fideli exhibitæ, & per Sacerdotem Deo oblatæ, juxta ritus ab ipso præscriptos; quarum integritas & ὁλοκληρία, ut Christum agnum immaculatum significabat, & scopum perfectionis ad quem in hac vita collineandum est; Ita oblatio earum Christi primò sacrificium pro nobis oblatum, deinde nostram etiam λογικὴν λατρείαν designabat. Eorum duæ species præcipuæ erant Alia enim erant *hylastica* seu propitiatoria pro peccatis commissis, quæ sacrificium expiatorium Christi pro nobis in cruce εἰς ὀσμὴν εὐωδίας oblatum ad expiationem peccatorum nostrorum Ephes. 5: 2. & nostri & corporis & animi consecrationem in Christo Patri factam adumbrabant Rom. 12:1. Alia *Eucharistica* pro beneficiis vel speratis vel acceptis, quæ erant typi spiritualium precum & laudum sacrificiorum Deo quotidie offerendorum, & beneficentiæ erga proximum exercendæ Hebr. 13: 15. 16.

XXV. *Sacrificium* aliquando *late* sumitur pro qualibet actione religiosa à Deo instituta, ut ei nostra offeramus ad ipsius gloriam, & sanctâ societate illi arctiùs copulemur. Et eo sensu potuit locum habere etiam ante peccatum, & finis fuit testandæ, obsignandæ, conservandæ, & augendæ communionis cum Deo, homine gratias agente, accepta omnia ferente, & sua omnia repræsentante & sistente Deo ad grati animi testimonium, & beneficiorum quibus adhuc eget consecutionem. Sed *stricte* notat oblationem & mactationem victimæ ad peccati expiationem per ejus αἱματεκχυσίαν & mortem; Et ita post peccatum tantùm locum habere potuit. Quia cùm mala culpæ & pœnæ, per peccatum invecta, amolienda essent, & bona à quibus homo exciderat procuranda, per justitiæ divinæ satisfactionem, & iræ ipsius placationem, necessariò sanguinis fusio, & mors victimæ in sacrificiis requirebatur, ad sacrificii Christi per mortem ejus maledictam & sanguinis pretiosissimi effusionem efficaciùs adumbrandam.

Loca sacra. XXVI. Tertiò, Quia Rebus sacris accedunt *Locus* & *Tempus*, Ideo ad Legem cæremonialem etiam pertinent. *Locus sacer* est, in quo Deus præsentiam suam symbolo quopiam aspectabili exhibuit, & se coli ibidem publicè præcepit, qui propterea etiam ante extructum Tabernaculum & Templum, *facies Jehovæ*, *Domus Dei*, & *Porta cœli* dicitur Genes. 16: 13. & 28: 17. Ut enim Conventus sacros Lex jubet; Ita & Conventuum loca seligenda fuerunt, in quibus commodè & opportunè peragerentur ea, quorum causâ conventus aguntur. Quæ discretio pependit non à delectu hominum, qui sæpe Divinitatem affingunt, ubi nullum datur ejus argumentum; sed à Deo, qui tum sui manifestatione, (quâ veluti fulgetro coruscante omnium

mnium in se, lucidissimus ipse, imò lux ipsissima, convertit oculos) tum voluntatis declaratione ea seligit & segregat. Quæ quidem localis adhæsio necessaria facta fuit sub Veteri Testamento, ubi cultus externus & cæremonialis certum etiam locum requirebat, cui alligaretur. Sed nunc sub Evangelio, ubi Dei cognitio diffunditur per totum orbem facta est accidentalis & indifferens, quia nulli loco cultus noster adstringitur, nec in monte Garizim, nec in Jerusalem, modò fiat in spiritu & veritate Johan. 4: 23. ubivis locorum licet manus puras ad Deum tollere 1 Tim. 2: 8. QUÆST. XXV.

XXVII. Locus iste ex Dei ordinatione Mosi patefactus fuit, primò Tabernaculum mobile, quod in eum finem extruere jussus est, quod ideo *Tabernaculum Conventus & Testimonii* vulgò dicebatur; postea tempore Salomonis in Templum fixum & immobile mutatum fuit. Figura fuit 1. *Christi*, in quo Deitatis πλήρωμα habitat σωματικῶς, Col. 2: 9. in quo solo Deus rite agnosci & coli potest, qui per humanitatem suam ἐσκήνωσεν habitavit inter nos velut in tabernaculo Joh. 1: 14. Hebr. 10: 20. Joh. 2: 19. 2. *Ecclesiæ*, extra quam nulla salus Apoc. 11: 2. quæ Tabernaculum est Dei in Spiritu Ephes. 2: 22. & domus Dei vivi 1 Tim. 3: 15. 3. *Fidelium*, qui Tabernaculum corporis terrenum circumferunt & manufactum, quod paulatim dissolvitur 2 Cor. 5: 1. 2 Pet. 1: 14. & ipsi sunt Templum Dei 1 Cor. 3: 16. & 6: 19. in quibus Christus habitat per fidem Ephes. 3: 17. 4. *Cæli & gloriæ* Apoc. 11: 19. & 21: 3. 22. *Tabernaculum: Templum.*

XXVIII. *Unitas* ejus unitatem tum Christi Capitis, tum Corporis mystici seu Ecclesiæ significat. Distinctio ejus in Sacrarium, Locum sanctum, & duplex Atrium, in *Christo* adumbrare potuit *Corpus*, quod Atrio, *Animam*, quæ Loco sancto, & *Deitatem*, quæ Sacrario respondet; In *Ecclesia* tres ejus ordines, Ecclesiam *visibilem*, in quam hypocritæ & profani possunt ingredi, quæ respondet Atrio, *invisibilem* & electorum, quæ in terris adhuc versatur, in quam soli fideles & electi instar sacerdotii legalis recipiuntur, ut λογικὴν λατρείαν Deo reddant, ubi adhuc egent luce Verbi, quâ dirigantur, cibo Sacramentorum quò nutriantur, & suffitu precum, Et *Ecclesiam beatorum*, qui in cœlum tanquam Dei sacrarium admissi intimâ Dei communione fruuntur Heb. 9: 24. vel statum naturæ, gratiæ, & gloriæ. In *Homine* tres ejus partes, *sensus externos*, qui apprehendunt τὰ αἰσθητὰ, quæ sunt in Atrio, *intellectum*, & mentem, quæ τὰ νοητὰ cognoscit, quæ in loco sancto, & *cor* seu conscientiam, quæ amplectitur τὰ πιστὰ, quæ sunt in loco sanctissimo, quæ oculus non vidit, nec auris audivit. In Dei revelatione tres gradus per *opera*, quæ respondent Atrio, quia omnibus promiscuè patent, per *Verbum*, quod loco Sancto, quia Ecclesiæ soli destinatur, & per *faciem* quæ Sacrario, & datur solis beatis.

XXIX. Tabernaculi congruens per commissuras & compages suas coagmen-

QUÆST. XXV.

mentatio, Ecclesiæ Corpus ex Christo Capite, & fidelibus ejus membris συναρμολογούμενον & συνβιβαζόμενον figurabat Eph. 4: 16. Ejus in Templum mutatio mutabilem politiæ Judaïcæ formam designabat, quæ primò mobilis & ambulatoria fuit in deserto, deinde sub Solomone nacta est quietem, quam Templum, Tabernaculo quidem partibus & instrumentis suis analogum, sed stabilitate, splendore, & majestate longè augustius designabat. Deinde rectè in Tabernaculo exhibetur imago tum veteris Ecclesiæ, tum totius vitæ humanæ status mutabilis, in Templo verò tum Ecclesiæ Christianæ, tum Ecclesiæ triumphantis. Ideo in illo soli Judæi, in isto etiam Gentiles Tyrii & Sidonii operam navarunt.

Arca Fœderis.

XXX. *Arca Fœderis*, quæ Tabernaculo & Templo continebatur, in qua Tabulæ Legis reconditæ erant, imposito operculo aureo Propitiatorio à Cherubinis tecto, significabat 1. *Christum* super quem Deus thronum gratiæ erexit Heb. 4: 16. in quo se propitium nobis exhibet, qui datus nobis est in Propitiatorium in sanguine suo Roman. 3: 25. in quo absconditi sunt thesauri sapientiæ & intelligentiæ Col. 2: 3. & Tabulæ Legis repositæ, quum Lex Dei in ejus visceribus insculpta fuit Ps. 40: 9. in quo λόγιον Dei invenitur; quia ut λόγος Patris oracula ejus fundit, & voluntatem ejus nobis revelat. Cui Angeli ministrant, & ad cujus gloriam & mysteria penitius contemplanda Cherubini παρακύπτουσι, & sese demittunt 1 Pet. 1: 12. 2. *Ecclesiam* in qua Deus thronum suum erexit, & Tabulas sacras recondi voluit, ubi præsentem se exhibet in gratia, & placatum in Christo vero propitiatorio, ubi oracula fundit per Verbum, ubi Angeli tanquam Spiritus ministratorii adstant perpetuò fidelibus, & eorum saluti invigilant, ubi *virga* disciplinæ & crucis, quâ nos exercet, conjungitur cum *manna* consolationis & vitæ, quo nos sustentat.

Rom. 3: 25. *1 Pet. 1: 12.*

Altare duplex.

XXXI. *Altare* duplex *holocausti* & *suffitus*, duas partes officii Sacerdotalis Christi repræsentavit, quæ in duplici ejus statu impleri debuerunt, *satisfactionem* in Corporis sui oblatione & sanguinis fusione in statu humilitatis, & *intercessionem* in cœlis in statu exaltationis per vivam & continuam sacrificii sui repræsentationem, quæ thuribulo aureo, quo thymiamata adolentur super Altare adumbratur Apoc. 8: 3. *Habemus Altare*, inquit Apost. 13: 10. *Ex quo potestatem edendi non habent qui serviunt Tabernaculo.* Ab uno ad aliud fiebat transitus, in Æneo primò sacrificium offerri debuit antequam thymiama offerretur, sic Satisfactio præmittenda fuit Intercessioni, quia sine satisfactione preces omnes inutiles sunt. Christus *Altare* nostrum, In *cruce* per immolationem; In *cœlo* per intercessionem; In *mensa*, per commemorationem.

Mensa. Candelabrum. Altare suffitus.

XXXII. In loco sancto Tria præcipuè observantur, *Mensa* ubi panes conspectus apponebantur; *Candelabrum*, in quo lucernæ accendebantur; & *Altare suffitus*, ubi incensum adolebatur, quibus respondent in Ecclesia *Lux*

Verbi,

Verbi, quâ nos illuminat: *Panis vitæ*, quo nos pascit, & *Cultus sacer*, quem à nobis exigit per oblationem precum & aliorum sacrificiorum spiritualium: *Lux fidei* splendet in Candelabro, *Vita spei* alitur in Mensa, & *Ignis charitatis* fovetur in Altari. QUÆST. XXV.

XXXIII. *Labrum aneum*, in quo Sacerdotes tenebantur lavare manus & pedes suos, antequam ad Altare accederent, & sacris operarentur, signum erat Purificationis singularis, quæ requiritur in iis qui ad Deum accedunt, sive peculiari vocatione ministrorum Dei sint instructi, sive communi fidelium, ut constaret neminem ad Deum colendum ritè accedere posse, nisi fide in Christum à peccatorum reatu plenè, ab ipsa verò macula saltem ex parte purgatum Joh. 13:8. Heb. 10.23. Tit. 1:15.16. *Labrum æneum.*

XXXIV. Denique *Tempora sacra* sunt, quibus Dei beneficia sive præterita, sive futura, publicè prædicantur & celebrantur. Ad quæ pertinet 1. *Juge sacrificium* quotidie mane & vesperi cum adjuncto munere offerri solitum, quod tum Christi sacrificii vim & efficaciam æternam, tum quotidianas piorum preces, & cultum per Christum Deo gratum significabat. *Tempora sacra.* *Juge sacrificium.*

XXXV. Secundò *Festa*, quæ triplicis generis, hebdomadaria, menstrua, & annua, *Hebdomadarium* erat, diei septimi festivitas Sabbathum dictum, quod tum Mundi Creationis, tum Christi nos redimentis & sanctificantis, & requiem suam in nobis inchoantis nos admonet. *Menstrua Neomeniæ* vocabantur, quæ singulorum mensium calendis celebrabantur, sine ulla tamen operum externorum intermissione, quæ omnes menses eorumque tempestates in nobis per Christum sanctificari docebant. *Festa.*

XXXVI. *Annua* erant, quæ vel quotannis recurrebant, vel tantùm post certum annorum numerum; Ex anniversariis festivitatibus, maximè solennes erant tres illæ, quibus mas omnis in conspectu Domini, non sine munere comparere jubebatur; nempe Pascha, Pentecoste, & Festum Tabernaculorum. Quamvis verò instituta essent ob recordationem beneficiorum præteritorum, ut Pascha in commemorationem liberationis ex Ægypto, Pentecoste ad recolendum beneficium datæ Legis, Et Scenopegia in memoriam divinæ Protectionis in deserto; habebant tamen conjunctam adumbrationem & promissionem spiritualium beneficiorum in Christo exhibendorum. Pascha Liberationem ex Ægypto, & Liberationem ex potestate inferni, & Christi immolationem adumbrabat 1 Cor. 5: 7. 1 Pet. 1:18.19. Pentecoste Spiritus Sancti missionem, & Legis in tabulis cordium per eundem Spiritum inscriptionem 2 Cor. 3: 2.3. Jer. 31.33. Scenopegia peregrinationem hominis pii per hoc mundi desertum ad cœlestem patriam Heb. 13:14.

XXXVII. Post certorum annorum intervalla recurrentia festa fuerunt

QUÆST. XXV.

Annus Sabbathicus, ſeptimo quoque anno rediens, in quo culturæ dabatur intermiſſio; *Jubilaum* quinquageſimo, in quo præterea erat manumiſſio ſervorum, remiſſio debitorum, & bonorum venditorum reſtitutio, ſymbolum Jubilæi Evangelici per Chriſti Evangelium promulgati, quod verè annus acceptabilis Domini Iſa. 61: 1. 2. 3. in quo debita omnia ſpiritualia nimirum peccata per Chriſtum nobis remittuntur Rom. 8: 1. Col. 2: 14. libertas à ſervitute peccati, Diaboli, & mortis nobis conceditur Luc. 1: 74. Rom. 6: 13. & bona per Adamum amiſſa reſtituuntur: Uno verbo plena ab omnibus malis liberatio, & perfecta ac ſempiterna ſub Chriſto quies conceditur.

XXXVIII. Hæc obiter & ſtrictim de Cæremoniis, & earum uſu præſertim typico & figurativo dicta ſunto. Fuſiùs enim iſta perſequi, & myſteria omnium Cæremoniarum ſigillatim expendere, non unius vel alterius pagellæ, ſed juſti tractatus argumentum eſſet, quod nunc non eſt noſtri inſtituti, & ad Didacticam potius quàm ad Elencticam Theologiam pertinet.

QUÆSTIO XXVI.

DE LEGIS CÆREMONIALIS ABROGATIONE.

An Lex Cæremonialis ſub N. Teſt. abrogata ſit, & quando ac quomodo?

Status Quæſtionis.

I. Lex cæremonialis poteſt bifariam ſpectari, vel ratione *doctrinæ* & ſignificationis, vel ratione *obligationis* & obſervantiæ. Non quæritur, An *abrogata ſit quoad doctrinam*, fatemur enim manere adhuc & multifariam utilem eſſe inter Chriſtianos, & veritatem myſticam, quæ ſub hoc cortice latebat, eandem ſemper eſſe, & perpetuæ neceſſitatis; Unde fit ut propter iſtam analogiam nomina ſemper retineantur mutato ſtatu antiquo, & Circumciſio, Sacrificia, Altaria, ſuffitus tribuantur Chriſtianis, non quòd locus debeat eſſe iſtis ritibus ſub Evangelio, ſed quia veritas iſtarum figurarum ſemper manet, in qua habemus res ſignis iſtis adumbratas. Sed *An abrogata ſit quoad obligationem & obedientiam*, & An fideles ſubjiciantur adhuc Legi cæremoniali, ut olim Judæi, & teneantur illam obſervare, ut Judæi pertendunt. Quæ non tantùm fuit Judæorum veterum, & eſt adhuc hodiernorum opinio, ſed & Pſeudo-Apoſtolorum Judaïzantium tempore Apoſtolorum, qui Cæremoniarum obſervationem, ut neceſſariam urgebant, ſic Legem cum Evangelio, Moſem cum Chriſto temerè confundentes. Nos verò cum Apoſtolis & totâ Eccleſiâ negamus.

II.

II. Rationes sunt 1. Quia œconomia Mosaica, cujus pars potissima fuit Lex cæremonialis, mutari debuit. Ergo & Lex cæremonialis abrogari. Mutari autem illam debuisse contra Judæos ex Oraculis V. T. invictè colligitur, 1. ex Gen. 49: 10. ubi non *auferendum* dicitur *sceptrum a Juda, & Legislator e medio pedum ejus, donec veniat Schilo*; ubi quemadmodum asseritur necessitas œconomiæ Legalis, quæ per sceptrum & Legislatorem designatur usque ad Messiæ adventum, qui nomine ש שילה exprimitur, quasi אשר לה cujus est regnum: Ita eo exhibito ejus abrogatio necessariò supponitur; nam si usque ad Christum manere debuit, post eum nullus illi locus esse debuit. Exceptiones Judæorum suo loco refellentur, quum de adventu Messiæ disputabitur. QUÆST. XXVI. *Legis cæremonialis abrogatio probatur ex Gen. 49: 10.*

III. 2. Ex Jer. 31: 32. ubi novum fœdus, & nova Lex promittitur novissimis diebus id. sub N. T. *Ecce dies venturi sunt, quibus pangam cum domo Israelis & cum domo Jehudæ novum fœdus, non secundum illud quod pepigi* &c. nec mutationis tantùm veritas & certitudo notatur, quia ubi novum fœdus pangendum dicitur, eo ipso prius antiquatur Heb. 8: 13. sed & *causa* mutationis indicatur, violatio scilicet prioris fœderis, & *modus* in legis inscriptione interna: Et ne quis excipiat cum Judæis novum dici ratione confirmationis & coalitionis veteris, non quoad novi institutionem, expressè asseritur *non fore secundum illud, quod pactum fuerat cum Patribus*, quod diversitatem fœderis necessariò importat, si non quoad substantiam, certè quoad œconomiam. *2. ex Jer. 31: 32.*

IV. 3. Ex Dan. 9: 27. ubi *Messias* dicitur *finem impositurus hostiæ, & sacrificio, & Prophetiam obsignaturus*, quod non potest intelligi sine abrogatione Legalis œconomiæ. Et ex Jerem. 3: 16. 17. *In diebus illis, non dicent amplius, Arca Domini, nec visitabunt eam* &c. Si Arcæ veteris, quæ veluti centrum erat veteris œconomiæ, mentio fieri amplius non debet; Ergo antiquanda fuit tota illa œconomia. Nec quod additur de Jerosolymæ gloria v. 17. & de reditu in Canaan, obstat huic sententiæ, quia hoc spiritualiter & mysticè de Ecclesia intelligendum est, non ad literam de Jerusalem terrena, quæ diruenda fuit. *3. ex Dan. 9: 27. Jer. 3: 16. 17.*

V. 4. Ex Psal. 110. ubi novus promittitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, qui non modò ex alia tribu oriundus erat, sed & alio modo munus administraturus, sine successore & vicario, non ad tempus, sed in æternùm. Unde Apostolus colligit *mutato sacerdotio, necessario mutationem Legis fieri debere* Heb. 7: 12. 13. *Nam si*, inquit, *perfectio fuisset in Sacerdotio Levitico, quid opus fuisset alium sacerdotem surgere ad modum Melchisedeci, & non Aaronis?* Idem colligitur ex locis illis omnibus, in quibus cultus Dei extendendus dicitur per totum orbem Mal. 1: 11. Isa 54: 1. & alibi, quod non potuit locum habere sub œconomia Legali. *4. ex Psal. 110: 4.*

VI.

QUÆST. XXVI.

5. Ex œconomiæ Legalis fine.

VI. 5. Ex œconomiæ istius & Cæremoniarum fine. Nam mutatis caussis & rationibus propter quas Leges feruntur, mutantur etiam Leges. 1. Quia Lex illa fuit instar *Pædagogi*, qui ad Christum deduceret, & in bonorum futurorum expectatione fideles contineret, usque ad tempus διορθώσεως seu προθεσμίας Patris, Gal. 4: 2. quò scilicet adulta fieri debuit Ecclesia & emancipari. At Christo jam exhibito, qui Pater est & Caput Ecclesiæ, & Ecclesia ipsâ ad adultam ætatem per eum perductâ, nihil opus est Pædagogo, ut Apostolus probat Gal. 4: 1. 2. 3. 2. Lex erat μεσότοιχον, quod separabat Judæos à Gentibus, sed sublato per Christum Gentium discrimine nullus est amplius parietis istius intergerini usus, & Paulus expressè testatur Christum illum diruisse Eph. 2: 14. 3. Lex fuit χειρόγραφον adversus nos, non modò detegendo peccatum, sed & reatum peccatoris & condemnationem obsignando; sed soluto per Christum debito nostro, & expiatis peccatis, Chirographum deletum est, & de medio sublatum; imò & cruci affixum, ut eleganter loquitur Apostolus Coloss. 2: 14. 4. Lex ista habuit umbram rerum futurarum Heb. 10: 1. quia omnes illius ritus, ut supra visum, hunc præcipuè finem habebant, ut Christum & ejus officia & beneficia adumbrarent; sed umbræ evanescunt præsente sole, figuris locus non est exhibitâ veritate, & candelis non opus est illucescente die: Et ita sunt ista inter se ἀσύστατα, ut umbras retinere velle sub N. T. esset Christi adventum negare, quia adhibebantur, ut signa venturi, quod quidem ante ejus adventum verè fieri potuit, sed post nonnisi falsò & perperam. 5. Lex fuit φρουρὰ sub quâ detinebatur populus, ne ad profanos gentium cultus sese averteret, & cum illis commisceretur Gal. 3: 23. per Spiritum servitutis, qui ibi obtinebat: Sed nunc fideles ad libertatem Evangelicam vocati, & Spiritu adoptionis donati tanquam populus voluntarius Ps. 110: 3. sub istâ custodiâ detineri amplius non possunt.

6. Ex mutatione rerum, Personarum, & locorum.

VII. 6. Quia Personæ, Res & Loca, quæ sub Lege cæremoniali requirebantur ad ejus accuratam observationem, mutari debuerunt, & reverà mutata sunt. Ergo & Lex ipsa abroganda fuit, ut abrogata est. Quoad *Personas* Lex lata fuit tantùm Israëlitis, nec alias gentes respexit. Sed nunc omnes populi & gentes ad œconomiam gratiæ salutaris vocantur, & populus iste rejicitur. Quò pertinent loca illa varia Prophetarum, quæ de rejectione gentis Judaicæ, & quæ de vocatione Gentium loquuntur, ut Deut. 32. Levit. 26. Hos. 2. Isa. 2: 49. 54. 60. 66. &c. Olim ad ministerium sacrum una tantùm tribus admittebatur putà Levitica: sed nunc ortum est aliud Sacerdotium juxta ordinem Melchisedeci ex tribu Juda; & Sacerdotes assumuntur non tantùm ex Judæis, sed & ex ipsis Gentibus Isa. 66: 21. 1 Pet. 2: 5. Apoc. 1: 6. olim sacrificia externa erant & carnalia, sed nunc spiritualia postulantur Rom. 12: 1. Malach. 1: & Deus profitetur non semel se vetera rejicere & aversari Isa. 1: 12. Hos. 6: 6.

Mich.

Mich. 6. Ps. 50. & 51. Isa. 58. & 66. Imò Ez. 20. 25. vocat ea *statuta non bona* secundùm quæ homo non potest vivere, nimirum tum in se quoad impossibilitatem justificationis & sanctificationis, tum relatè ad abusum Judæorum, qui cæremonias à cultu morali separabant. Olim cultus sacer certæ orbis parti, & loco uni affixus erat, extra quem sacra facere non licebat; sed nunc Templum Domini ubique patet in Ecclesia Catholica, licet ubique manus puras ad Deum attollere 1 Tim. 2: 8. & veri adoratores non amplius tenentur Jerosolymis se sistere, vel in monte Garizim, ut sacra faciant, quia ubique adorare Deum possunt in spiritu & veritate Joh. 4: 21. 23. Unde Altare dicitur erigendum in Ægypto Isa. 19: 19. quod nefas fuisset sub V. T. sub quo cultus religiosus describitur, & suffimentum in omni loco offerendum Deo prædicitur Mal. 1: 11. quæ non potuerunt fieri sub Lege. Hinc Eusebius Demonst. Evang. l. 1. c. 3. solide probat impossibilem fuisse post vocationem gentium Legis cæremonialis observationem; Nec concipi posse Deum sapientissimum Legislatorem talem Legem ferre voluisse gentibus remotis à loco delecto à Domino, Quasi Deus voluerit Indos, Europæos, & divisos toto orbe Britannos hodieque singulis annis ter Jerosolymam commeare: Quæ enim urbs, non dicam quod Templum, imò quæ regio capax esse posset illis omnibus excipiendis? Quæ altaria sufficere possent excipiendis victimis? Quæ regio sufficere posset victimas tot cultoribus?

QUÆST. XXVI.

Ez. 20: 25.

VIII. 7. Nec tantùm de Jure Lex ista cum tota œconomia Mosaïca aboleri debuit, sed & de facto abolita est, siquidem destructo Templo, & solo æquatâ Jerosolymâ, quæ sacrorum erat sedes, dispersâ & dissipatâ miserabiliter totâ gente per universum orbem, impossibile est Legem istam observari ex præscripto Dei, quia nec Altare nec Templum occurrit ubi sacra fiant, nec Sacerdotium & sacrificia dantur, nec ulla Politiæ veteris ratio, & distinctio Tribuum & familiarum, & quidem à tot seculis, quod nunquam permissura fuisset divina Providentia, siquidem illæ cæremoniæ debuissent subsistere. Nec hic regerere possunt Judæi, Hæc quidem esse irati Dei signa, quæ aliàs passi sint, ut in captivitate Babylonica & Ægyptiaca, ex quibus ut liberati sunt, ita posse etiam ab isto novissimo exilio revocari. Quia dispersio præsens Judæorum immane quantum differt ab aliis eorum captivitatibus. Harum tempus determinatum fuit; sed istius minimè, & tale jam effluxit, quod non duplo, vel quadruplo, sed decuplo superavit tempus aliis constitutum, non 70. annorum, vel unius aut alterius seculi, sed sexdecim seculorum jam elapsorum. In aliis stabat adhuc Jerusalem & Templum licèt corruptum; sed jam plane solo æquata sunt. In aliis manebat distinctio Tribuum, sed hic nulla vera dari potest, quicquid garriant recutiti. In aliis non deerant Prophetæ & Sacerdotes; sed jam plane defecerunt.

7. Ex destructione Templi.

IX. 8. Decretum Synodicum Actor. 15. hanc abrogationem apertè con-

8. Ex Decreto Synodico Actor. 15.

QUÆST. XXVI. confirmat, quum statuit nihil imponendum esse amplius Christianis præter abstinentiam a suffocato & sanguine & idolothytis v. 28. 29. ex quibus non obscurè colligitur exceptis hisce tribus; abrogari omnes alias cæremonias & observationem Legis cæremonialis, & usum circumcisionis, quam Pseudo-Apostoli urgebant, quæ fuit occasio Concilii Jerosolymitani. Qua de causa verò sanctio ista facta fuerit, & quomodo sit intelligenda, dicetur in sequentibus.

Abrogationis modus notatur. X. *Abrogationis* autem istius *modus* & *tempus* inquirendum est. *Modus* attenditur, primò *quoad jus*, quando tollitur vis Legis & fundamentum obligationis, quod factum est per *Christi mortem* in qua siquidem delevit, nec tantùm delevit, sed discerpsit penitus chirographum nobis contrarium, facta scilicet plena debitorum solutione Col. 2: 14. Secundò quoad *factum*, quando reipsa & de facto Lex cessat obligare, & abrogatur respectu hominis; Illud factum est simul & semel, Hoc verò successivè & per gradus; In illo abrogatio facta est *meritoriè* & *causaliter*, In isto *formaliter* & *effective*. *De jure.* *De facto.*

XI. Hinc tria Tempora cæremoniarum accuratè sunt distinguenda, Primum quo *viva*, secundum quo *mortua*, tertium quo *mortifera*. Primum ratione *institutionis divinæ*, quo modo fuerunt non modò licitæ, sed *utiles & necessariæ* sub V. T. quo sensu circumcisio celebratur ut sigillum justitiæ fidei Rom. 4: 11. & illi magnum privilegium tribuitur Rom. 3: 2. quod à pari aliis cæremoniis applicari potest. Secundum ratione συγκαταβάσεως & *tolerantiæ humanæ*, quo modo abrogatæ jam de jure per mortem Christi, factæ sunt mortuæ & adiaphoræ, quæ potuerunt tamen adhuc aliquandiu observari ad lucrandos Judæos infirmos, modò id fieret ex charitate tantùm, non verò ex necessitate. Tertium respectu *abusus Judæorum* & *Pseudo-Apostolorum*, à quibus urgebantur sub Evangelio, tanquam ad salutem necessariæ cum opinione meriti, quo pacto factæ sunt lethales & mortiferæ. Quoad primum celebrantur ut necessariæ ex Dei præcepto. Quoad secundum deprimuntur ut res nihili & indifferentes 1 Corinth. 7: 19. Rom. 14: 3. 4. Quoad tertium damnantur ut exitiales & noxiæ Galat. 5: 4. Primum protenditur à sanctione Legis usque ad tempus διορθώσεως & mortem Christi. Secundum à morte Christi usque ad plenam Evangelii & libertatis Christianæ manifestationem. Tertium ab Evangelii promulgatione & destructione Templi ad finem mundi. *1 Cor. 7: 19. Gal. 5: 4.*

XII. Hæc autem abrogatio, non fuit simplex *abolitio*, per quam aliquid ita desinit esse, ut nihil ipsi succedat, sed potius *consummatio* & perfectio Heb. 8: 6. quâ illi quod imperfectum est, aliquid perfectius succedit, prout auroræ lumen Solis, & infantili ætati adulta. Ita nimirum Circumcisioni ἐν γράμματι, successit Circumcisio in spiritu, Victimis brutis taurorum & hircorum, Victima cœlestis & rationalis putà Agnus Dei; Immolationi ab homine nudo factæ, eoque peccatore, Immolatio à Christo θεανθρώπῳ & sanctissimo; rebus

bus terrenis, res cœlestes; Sacerdoti mortali, immortalis & cœlestis; Sanctuario mundano & manufacto, Sacrarium cœleste & ἀχειροποίητον, puritati carnis, puritas conscientiæ; cultui carnali & externo, λατρεία λογικὴ & spiritualis Rom. 12: 1. 1 Pet. 2: 5. QUÆST. XXVI.

Fontes Solutionum.

XIII. Quod est juris divini naturalis, est immutabile, fundatum quippe in sanctitate Dei immutabili; sed non pariter quod est juris divini positivi, quod fundatur in arbitrio Legislatoris, qui ut Legem dedit suis de causis, potest etiam mutare, si libuerit. Lex cæremonialis non est juris naturalis, sed tantùm positivi, quæ non jussa est quia justa, sed justa est quia jussa.

XIV. Abrogationi Legis cæremonialis non repugnat *constantia & immutabilitas Dei*, quia non dedit eam ut maneret in perpetuum, sed tantùm ad tempus, ita ut mutata sit Lex ex immutabili Dei voluntate, qui nec incepit velle quod nolebat, nec desiit velle quod volebat, sed implevit consilium, quod ceperat Ecclesiam suam minorennem certo tempore tali Lege regendi, donec Christo exhibito succederet œconomia Evangelica, quæ adultam gubernaret.

XV. Non magis illi repugnat, quòd *circumcisio* dicatur *pactum æternum* Gen. 17: 7. & Lex duratura in perpetuum; Quia intelligitur *perpetuitas* non absoluta, sed *limitata* & *periodica*, ita designata, quia durare debuit, non per aliquot annos tantùm, sed toto œconomiæ Mosaïcæ tempore usque ad διόρθωσιν Heb. 7. quomodo alibi sæpe vox עלם sumitur pro longa duratione, sed tamen limitatâ, ut 1 Sam. 1: 22. mentio fit ministerii Levitarum, ut perpetui, quod fuit tantùm 50. annorum, & Exod. 21. servus qui sese domino suo obstringebat usque ad Jubilæum, dicebatur serviturus לעלם. Dici etiam potest, cæremonias perpetuas dici, non ratione *signorum* & in se, sed ratione *rerum significatarum*, & veritatis spiritualis quæ illis adumbratur, quæ eadem manet in æternum; unde circumcisio dicitur rata in Christo Col. 2. & Pascha verum in eo nobis datur 1 Cor. 5: 7.

Gen. 17: 7.

1 Sam 1: 22.

Exod. 21.

XVI. Non repugnant Oracula prophetica, quæ videntur polliceri restaurationem œconomiæ legalis sub Messia cum reditu in Patriam, & renovatione Hierosolymæ, & Templi, ut Deut. 30: 2. 4. & 5. Ezech. 37. 24. 25. & 40. & 41. *&c.* quia præterquam quod varia ex illis possunt ad reditum ex captivitate Babylonica referri, Unde non mirum, si de restauratione Templi, Altaris, & cæterorum eò pertinentium agitur: Si de statu Ecclesiæ sub Messia intelliguntur, ut certum est debere eo usque extendi, ut plenus eorum sensus habeatur, locutiones non sunt ad literam urgendæ, quia sunt symbolicæ, non propriæ, typicæ non literales, spiritualiter & non carnaliter exponendæ; Israël restaurandus, non secundùm carnem & literam, sed secundùm promissionem & spiritum Rom. 9. Urbs sancta, non Hierosolyma, sed Ecclesia: Cultus renovandus, non carnalis, sed spiritualis, designatus tamen pro conditione temporum, & captu gentis per carnalem,

Deut. 30: 2. 4.

Ezech. 37: 24. 25. & 40. & 41.

QUÆST. XXVI. cui potissimùm affixi erant Judæi. Quomodo Prophetæ Preces vocant suffitum, Conversionem gentium ascensum Hierosolymam, Adorationem Oblationem thymiamatis, Cognitionem Dei Visiones & somnia *&c.* Quotiescunque ergo Prophetæ loquuntur de reditu Populi in patriam, & ejus restitutione, hoc potest intelligi partim ad literam, pro reditu ex captivitate, partim mysticè & symbolicè de Ecclesiæ N. T. constitutione, quæ per terminos legales describitur. Nam quod ad literam non possint simpliciter intelligi, ex eo satis patet, quòd hæc nec impleta sint hactenus, nec impleri possint, destructô semel Templò, vastatâ Hierosolymâ, & dissipatâ gente.

XVII. Si Apostoli cæremonias observarunt post Christi mortem & resurrectionem, non fecerunt ex necessitate, sed ex charitate, ut se accommodarent infirmitati Judæorum, partim ut ostenderent se Legi Mosis non adversari, ut malevoli Paulum improbè calumniabantur, partim ut Judæos Christo lucrifacerent 1 Cor. 9: 20 partim ut Synagogam honorificè sepelirent: quod vel ex eo luculenter constat, quòd licet agendo cum fratribus infirmis voluerint uti adhuc ad tempus cæremoniis; eas tamen quando illis res fuit cum Pseudo-Apostolis & Adversariis pertinacibus constanter repudiarint. Paulus qui,
Act. 16: 3. Timotheum voluit circumcidi Act. 16: 3. noluit tamen disputans contra fal-
Gal. 2. 3. 4. sos fratres, qui insidiabantur libertati ipsius, Titum circumcidere Gal. 2. 3. 4.
ne daret illis cavillandi ansam, & Petrum ideo severè reprehendit, quòd judai-
Act. 18: 18. zaret, vid. Aug. ad Hier. Ep. 19.

XVIII. *Votum Pauli* de tondendo capite Act. 18: 18. non fuit *actus Religionis*, quasi aliquid Deo promisisset ex Lege tanquam partem cultus necessarii; sed *charitatis*, quo se accommodaret infirmis, ostendens se non esse Legis contemptorem; sed *factum esse omnibus omnia* 1 Cor. 9. *Non omnia hominum mala fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent, misericordiis medicinæ diligentiam procurando*, ut ait Augustinus.

XIX. Aliud est dari externos aliquos ritus in Ecclesia, Aliud verò retinere Legem cæremonialem; Ritus externi sunt necessarii in Ecclesia boni ordinis causâ, quia omnia honestè & decenter in ea fieri debent 1 Cor. 14: 40. Sed longè differunt à Lege cæremoniali, quia ista significabat Christum venturum; Isti nequaquam. Illa fuit pars cultus divini necessaria; Isti sunt tantùm adminicula & adjuncta cultus. In quibus cautiones istæ semper observandæ. 1. Ne ritus ulli præscribantur cum opinione necessitatis & meriti. 2. Ne parem obligationem conscientiæ habeant cum legibus divinis, quasi reatus damnabilis incurratur ex illorum quacunque violatione, licet id accidat absque contemptu præcipientis, & scandalo aliorum. 3. Ne sic multiplicentur ritus isti, ut inde servilii jugo premantur Christiani, & quasi in servitutem Judaicam reducantur.

XX. Constitutio Apostolica Act. 15:20. de abstinentia à suffocato & sanguine non fuit juris perpetui, sed temporarii: probatur 1. à *fine & scopo*, qui fuit causa institutionis, qui fuit temporarius, pax nim. Ecclesiæ, per tolerantiam infirmorum ex Judæis, qui cæremoniis assueti, paulatim debuerunt ab iis avocari, 2. *ex modo decisionis*, quo & Gentibus gratificantur, absolvendo eas à cæremoniis Legis, & Judæis satisfacere student, quasdam cæremonias Gentibus imperantes, ut concordiæ causâ aliquid illis indulgerent, donec plenius innotesceret Christiana libertas, maximè quia Judæi eo potissimùm se à Gentibus aversos profitebantur. 3. quia discrimen omne ciborum sub Novo Testamento planè abrogatum est, ut patet ex locis Rom. 14:14. 1 Cor. 8:8. & 10:27. Col. 2:21. 1 Tim. 4:3. Atque eò fortius stringit argumentum 1. quòd Paulus ipse, qui Synodo interfuit, mentemque ejus optimè tenuit & explicavit, ista scripsit post Synodum. Quomodo verò Apostolus tam clare & expressè tale discrimen sine ulla exceptione tollere potuit, si sanctio Apostolica ab ipso existimata fuisset juris perpetui? Imò cùm Lex posterior deroget priori, dubitare non debemus Legem istam ab ipso spectatam fuisse, ut abrogatam, vel ut abrogandam. Cujus sanctio si renovatur Act. 21:25. post scriptam epistolam ad Corinthios, non aliter intelligenda est, quàm ex instituto & ordinatione Apostolica pro certo tempore, non in perpetuum. 4. Judicium & authoritas Ecclesiæ, quæ libertate Christianâ plenius retectâ, Legem illam sensim mutavit & abrogavit, de quo vide Aug. lib. 32. cont. Faustum c. 13. QUÆST. XXVI. Act 15:20.

XXI. Constitutionis istius perpetuitatem non evincit 1. Quod *autoritate Apostolicâ* facta sit; Quia etiam ea quæ ad εὐταξίαν pertinent ab iis sancita sunt 1 Cor. 14:33. 2. Quòd sub titulo *necessitatis* sancitur, Quia non est necessitas absoluta & simplex, sed secundùm quid & ex hypothesi, pro temporis ratione, & scandali vitandi gratià. 3. Quod conjungatur cum scortationis prohibitione, quæ omninò juris est perpetui; Quia potest intelligi non ipsa scortatio, sed cibus meretricius, seu pretium scorti, ut vox ἀλισγήματος sit repetenda ἀπὸ κοινοῦ, quæ notat pollutionem cibi & potus ex Dan. 1:8. Et si ad scortationem ipsam referatur, non statim sequitur ejusdem esse generis, quia sæpe disparia conjunguntur & moralia cum cæremonialibus ut Ezech. 18:6. Luc. 1:6. 1 Tim. 3:2. & hic agitur de *Idolothytis*, quorum abstinentia non ejusdem est necessitatis cum scortatione, quia idolothytis aliquando vesci licet, sed scortari nunquam licet; Possunt ergo moralia cum positivis conjungi, maximè cùm talia ejusdem generis esse ex sensu hominum existimantur, quomodo scortatio à Paganis ferè pro re adiaphora habebatur vel saltem pro levissima culpa, præsertim apud Græcos, apud quos scortari, ut ait Comicus, flagitium non erat. 4. Quòd Lex ista ante Mosem lata fuit Gen. 9:4. Quia multa cæremonialia ante Mosem jam obtinebant,

QUÆST. XXVI. bant, ut sacrificia, & circumcisio. 5. Quòd ratio Legis sit moralis & perpetua, ne homines assuescentes sanguini humano crudeliores forent; Quia ratio moralis non semper arguit Legem moralem, ut septimi diei observatio, rationem habet moralem ex quiete Dei, non tamen est moralis; adde quod ratio illa habuit aliquid forense accommodatum duritiei & ferociæ gentis Judaïcæ, & pro ratione illius temporis, quô ante diluvium immaniter grassati erant cædibus & latrociniis Gen. 6.

XXII. 6. Nec denique quòd confirmata est per Synodum Gangrensem c. 2. & Constantinopolitanam secundam c. 67. & à Leone Imperatore in quinto seculo, & diu observata in Ecclesia Christiana, unde Tertull. in Apolog. c. 9. inter tentamenta Christianorum refert *solitos fuisse admoveri ipsis botulos cruore distentos*. Ut hodie Armeni Legem illam observant; Nec desunt ex Protestantibus qui eam retinendam censent. Quia authoritas humana non debet præponderare divinæ, qua destituuntur Veteres: diuturnior usus Legis istius est ex perversa loci istius expositione, & acceptus ferendus eorum inscitiæ & κακοζηλίᾳ, qui res propter aliud & κατά τι institutas, distinguere nesciverunt, vel noluerunt ab illis, quæ simpliciter & propter se sunt servandæ.

QUÆSTIO XXVII.

An Lex forensis sit abrogata in Novo Test.? D.

Legis forensis fines. I. LEx *forensis* seu Judicialis fuit de Gubernatione civili populi Dei in V. T. & continuit Systema præceptorum de forma istius regiminis politici. Hujus fines varii fuerunt 1. εὐταξία & legitima constitutio Politiæ Judaïcæ quæ debuit esse vera θεοκρατία, ut eam vocat Josephus. 2. discretio istius Reip. & gentis ab omnibus aliis populis & Rebuspublicis, & ut Politia illa esset sedes Ecclesiæ, & locus patefactionum Dei. 3. vindicatio Legis moralis & cæremonialis à contemptu, adeoque obsequii erga utramque & obligationis adstrictio. 4. adumbratio Regni spiritualis Christi.

De ejus abrogatione tres sententiæ. II. Circa abrogationem ejus tres sunt sententiæ. Prima in defectu *Anabaptistarum*, & *Antinomorum*, qui eam absolutè & simpl. quoad omnia abrogatam censent, Ideo quæcunque adversus ipsos ex Vet. Testamento rationes petuntur pro jure Magistratus, & belli, pro hæreditatum divisionibus & simil. hac unâ responsione solent solvere, forensia ista esse, & ad populum Israëliticum & V. Test. pertinere; sed nunc sub Novo abrogata esse. Secunda in excessu, eorum qui Legem istam adhuc vigere, & retinendam censent, & Resp. Christianas ad normam Judaïcæ regendas esse, quæ fuit *Carolstadii*, & *Castalionis* sententia, ad quos *Brochmannus* Lutheranus accedit. Utraque

que à vero aberrat. Prior, quia sic multa moralia abrogata essent, quæ legibus forensibus continentur. Posterior, quia sic multa typica observanda essent, & quæ à temporum nostrorum ratione sunt alienissima. Tertia *Orthodoxorum*, qui medium tenentes distinctione rem expediunt, & secundùm quid abrogatam esse, secundùm quid verò adhuc retentam. QUÆST. XXVII.

III. In Lege ista varii fines distinguendi sunt. Nam quatenus fuit *distinctio Reipublicæ Judaicæ* à Gentibus, & *typus Regni Christi*, simpliciter abrogata est, quia non datur amplius discrimen Judæorum & Gentium in Christo Galat. 3: 28. Eph. 2: 14. ut Respublica & Politia Judaïca destructa est; Ita nec opus est typo ad regnum futurum Christi adumbrandum, quum jam est exhibitum. Sed quoad ἀνταξίαν seu *formam regiminis* Israelitici populi non potest dici abrogata, nisi secundum quid: Nimirum distinguenda sunt accuratè ea, quæ in Lege fuerunt *juris particularis*, quod peculiariter Judæos spectabat pro conditione loci, temporis, & gentis Judaïcæ; qualis fuit Lex de Leviratu, de libello repudii, de spicilegio, *&c.* ab iis quæ fuerunt *juris communis & universalis*, quæ fundantur in Lege naturæ omnibus communi, quales sunt Leges de judiciis & pœnis scelerum, de viduis, orphanis, peregrinis, & sim. quæ sunt juris moralis & communis. Quoad illa bene abrogata dicitur, quia sublatâ politiâ Judaïcâ, cessasse etiam necesse est, quotquot eam peculiariter respiciebant: sed quoad ista manet adhuc, quia ingreditur naturam Legis moralis & perpetuæ, & præscripta est Judæis, non quà Judæis simpli. sed quà hominibus Legi naturæ cum cæteris subjectis. Ad distinguenda verò ea quæ sunt juris communis, & particularis triplex potest adhiberi criterium, 1. ut quæ non tantùm inter Judæos, sed etiam inter Gentes rectæ rationis lumen sequentes, obtinent, sint juris communis: Sic Græci, Romani, alii suas leges habuerunt, in quibus multa sunt legibus divinis consentanea, quod vel sola collatio Juris Mosaïci & Romani à variis instituta docet. 2. quæ præceptis Decalogi conformia deprehenduntur, & illi explicando & confirmando inserviunt, quod facilè colligitur, si vel objectum & materia Legum, vel causæ eas sanciendi attendantur. 3. quæ in N. T. ita repetuntur, ut eorum observatio Christianis commendetur.

IV. In Legibus quæ fundantur in Jure communi, seu Lege naturæ, distinguenda est substantia præcepti ab ejus circumstantiis. Quædam, & quoad substantiam, & quoad circumstantias, sunt Juris communis, Aliæ verò sunt quoad substantiam Juris communis, sed quoad circumstantias juris particularis. Illæ sunt perpetuæ omni ex parte, Istæ verò tantùm secundùm quid. Sic in Legibus de pœnis scelerum juris naturalis est pœnæ substantia, sed modus & gradus pœnæ Juris est particularis, atque ideo mutabilis. *Fontes Solutionum.*

V. Quæcunque Leges forenses typis sunt permixtæ, suâ naturâ sunt muta-

QUÆST. XXVII. mutabiles, adeoque de jure abrogatæ sunt, quia earum causæ & fundamenta sunt temporaria non perpetua. Tales sunt Leges de Jure primogenitorum Deut. 21: 17. de Azylis Deut. 19: 3. de Jubilæo, de agro diversis seminum speciebus non conserendo, & veste ex lana & lino non ferenda & sim. quæ licet finem politicum etiam possent habere, tamen quia typicæ fuerunt, cessant eo ipso obligare.

IV. Leges forenses, quæ ad politiæ Judaïcæ genium & rationem erant accommodatæ, non modò factæ sunt inutiles Christianis sub alia politia viventibus, sed observari ulterius nec possunt nec debent, qualis erat Lex Leviratus, Lex de potu Zelotypiæ, Lex de vendendo filio Exod. 21. Lex de Sabbathismo agrorum, Lex de dividenda terra Canaan inter Tribus, & similes, quæ peculiarem σχέσιν habent ad populum Israeliticum & ejus regimen, quô sublatô, nullum usum amplius habere possunt.

VII. Abolitâ Politiâ, necesse est aboleri Leges, quibus illa Politia nititur, quæ sunt juris positivi, & quæ simpliciter Remp. Judaïcam spectant, sed non statim alias quæ fundatæ sunt in jure naturali & sunt appendices Decalogi. Lex ergo forensis quoad generales determinationes, quæ nituntur Lege morali, non est abrogata, sed quoad specialia, quæ Remp. Judæorum spectabant.

VIII. Lex forensis consideratur, vel *formaliter*, quà lata fuit Judæis, & sic abrogata est, vel *materialiter* quatenus convenit cum Lege naturali, & in ea fundatur; Et sic adhuc manet.

IX. Quamvis Leges à Deo sancitæ sint optimæ & sapientissimæ quoad statum populi illius; Non sequitur ideò perpetuas esse debere, quia Deus ex jure positivo & libero certo tempore dare illas potuit, & certis de causis alicui genti, quod non valeret respectu aliarum; quod bonum est uni, non statim alteri.

X. Quod potius est aliis omni modo, & in abstracto & in concreto, & in thesi & in hypothesi, aliis præferendum est; Sed Lex forensis potior est aliis Legibus, non in thesi, sed in hypothesi, quia determinata est ad certas circumstantias, quæ jam non obtinent. Deinde potior est Legibus humanis, quà humanis simpliciter, sed non quatenus fundantur in Lege naturali, quæ est à Deo. Quum ergo Leges Romanæ præferuntur Mosaicis, non præferuntur quà ab hominibus latæ simpliciter, sed quà ex jure naturali & communi petitæ convenientiores possunt esse locis, temporibus, & personis.

LOCUS DUODECIMUS
DE
FOEDERE GRATIÆ
ET
DUPLICI EJUS OECONOMIA
in Veteri & Novo Testamento.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam sit origo, & sensus Vocum ברית, διαθήκης, *Fœderis,* ἐπαγγελίας *& Evangelii, quæ hîc usurpantur.*

I. EXPLICATA naturâ & usu Legis, quæ se antecedenter habet ad Fœdus gratiæ, Jam de ipso *Fœdere* agendum est, quòd cùm maximi sit in Theologia momenti, utpote quod sit veluti centrum ac vinculum totius Religionis, quæ communione Dei cum homine constat, & omnia Dei in hominem beneficia, & hominis erga Deum officia ambitu suo complectitur, in eo ritè cognoscendo & servando, rei summa vertitur. Unde disquisitio ejus peculiarem ἀκρίβειαν exigit, ut Veritas adversus quosvis errores, quibus Satan ab omni fere ævo doctrinam istam salutarem obscurare & corrumpere conatus est, confirmetur. *Necessitas Tractationis de Fœdere.*

II. Ut verò facilius Fœderis natura cognoscatur, pauca de origine & sensu Vocum, quibus designari solet in Scriptura, & quibus vulgò utuntur Theologi, præmittenda sunt, ex quarum putà enucleatione non exigua lux potest inferri variis, quæ hic occurrunt, difficultatibus. Hebræis *fœdus* nomine ברית exprimitur, cujus etymon incertum. Sunt qui derivant à radice ברה, vel quà *comedere* significat, quia in fœderum pactione *Etymon vocis* ברית.

QUÆST. I. convivia agitari solebant; vel potius quà notat *eligere*, quia eliguntur Personæ, res, & conditiones sub quibus fœdus initur; unde Judæi dicuntur *filii fœderis* Act. 3:25. *populus Dei* γένος ἐκλεκτὸν 1 Pet. 2:9. mutua enim hic datur electio, tum a parte Dei homines eligentis in populum, tum à parte hominum Deum eligentium in Deum, ut exprimitur Jos. 24:22..25. Alii à ברר *purificavit* & *declaravit*, quia per fœdus confirmatur & declaratur fides & amicitia sincera & pura partium contrahentium. Alii convenientiùs deducunt à radice ברא, quod in Pihel significat *dissecuit*, vel à radice בתר dissecuit, per metathesim literarum ת & ר, quâ voce utitur Scriptura, quum fœderum confirmatorum meminit Gen. 15:10. & Jer. 34:18. quia in fœdere pangendo dissectione pecorum utebantur, & transitu per medias partes victimarum cæsarum, significantes dissecandos pariter qui fœdus violarent, ut liquet ex Gen. 15:10. 17. apud Arabes אקסם, quod significat dividere in partes & *dissecare*, significat etiam *jurare*, quia fœdera sanciebantur dissectis victimis, ut Cyrill. Alex. lib. 10. in Juli. hunc morem adscribit Chaldæis. Hinc *ferire* & *scindere fœdus* Hebræi dicunt כרת ברית; quod non malè quadrat in fœdus Evangelicum, quod in Christo mortuo fundatur, ut dicitur Gal. 3:17. διαθήκη κεκυρωμένη εἰς χριστὸν fœdus initum in Christo læso & percusso, ac proinde diviso agno illo immaculato, in quo Deus erat mundum sibi reconcilians 2 Cor. 5:19. & per quem quasi transiens fœdus illud confirmatum & ratum fecit.

Quid significet διαθήκη

III. Apud Græcos vox fœderis solet vulgò exprimi per διαθήκην; quæ ad omne fœdus & pactum referri quidem potest; ut non semel hoc sensu sumitur, Luc. 1:72. Act. 3:25. & 7. 8. Roman. 9:4. Gal. 3:15. & 4:24. Eph. 2:12. Heb. 8:6. 8. 9. *&c.* Sed peculialiter cum fœderali pactione *Testamentariam dispositionem* notat, quo significatu sumitur Matth. 26:28. 1 Cor. 11:25. & præcipuè Heb. 9:15. 16. ubi dicit Paulus *Christum factum fuisse Mediatorem N. Test. ut, morte intercedente ad expiationem peccatorum præcedentium sub primo Testamento, vocati accipiant promissionem hæreditatis.* Non sine Numine autem factum, ut LXX. quos hic sequitur Apost. vocem ברית per διαθήκην potius, quàm per συνθήκην reddiderint, quæ simplicem pactionem notat; quia fœdus gratiæ habet aliquid mixtum ex *Testamento* & *Fœdere*; Unde non malè vocatur *Testamento fœdus*, *Fœdus Testamentarium*, *& Testamentum fœderale*. *Fœdus* est, quia ad modum fœderis conventio fit inter partes, & conditiones utrinque ponuntur, & à parte Dei, & à parte hominum, & Mediator datur, qui partes dissidentes conciliet; Sed *Testamentum* etiam est, 1. Quia agitur de fœdere, quo promittitur hæreditas, quæ necessario mortem Testatoris antecedentem postulat; Is quippe demum censetur hæres, cui bona obtingunt interveniente disponentis voluntate. Cùm igitur διαθήκη sit ejusmodi ἐπαγγελία, cujus vi hæreditas cernitur, necesse est

est ut sit Testamentaria. Ideo subjicit Apostolus, *Ubi enim διαθήκη*, nimirum quia hæreditas promittitur id. *Testamentum, mors Testatoris intercedat, necesse est.* 2. Quia in commodum nostrum tantùm fœdus istud percussum est, ut in Testamento, non Testatoris, sed hæredum commodum attenditur; nec Deus de mutuis beneficiis, sed de suis tantùm pascitur. 3. Quia licet utrinque conditiones proponantur, unius tantùm partis nimirum Dei virtute & fidelitate executioni mandantur. Unde solâ Dei gratiâ nititur, nulla verò hominis dispositione & merito, ut suo loco fusiùs probabitur. QUÆST. I.

An Vox διαθήκης tantùm notet Testamentum in N. T. An non innuat etiam fœdus?

IV. Atque hinc facilè colligitur, quid statuendum sit in Quæstione, quæ hîc à nonnullis movetur de usu vocis διαθήκης. An ex usu N. Test. & speciatim Pauli significet tantùm Testamentum, non verò etiam συνθήκην seu fœdus & pactionem. Cùm enim promiscua sit apud Authores profanos & sacros διαθήκης significatio, tam pro Testamento, quàm pro fœdere, ratio nulla solida afferri potest, cur sola ratio Testamenti apud Paulum locum habere debeat, exclusâ ratione fœderis. Henri. Steph. διατίθεμαι exponit per *Testari*, & per *pacisci*. Cum quo facit Budæus, qui διαθήκην pro Testamento, & pro fœdere usurpari promiscuè asserit διατίθεμαι ἀντὶ τοῦ συντίθεμαι *paciscor*. Hesychius διαθήκην explicat per συνωμοσίαν, quæ in pactione fœderis solet esse in usu. LXX. Interpretes vocem ברית explicant per διαθήκην, ubi nulla alia quàm pacti & fœderis potest obtinere significatio 1 Sam. 11: 1. Gen. 31: 44.

V. Si sedulò expendantur loca N. Test. ubi vox διαθήκης occurrit, significationem συνθήκης non modò non excludunt, sed & non rarò postulant necessariò, Luc. 1: 72. Act. 3: 25. mentio fit διαθήκης, quæ facta est cum Patribus in Abrahamo, quam rationem habuisse fœderis negari non potest ex Genes. 17: 10. 11. unde fœdus illo sacramento obsignatum vocatur διαθήκη περιτομῆς Act. 7: 8. Roman. 9: 4. Judæorum dicuntur esse διαθῆκαι, non utique Testamenta, quæ plura non fuerunt, sed fœdera, quæ sæpius renovata sunt. Gal. 4: 24. illæ sunt διαθῆκαι, duo fœdera, legale scil. & Evangelium, de quibus agi postea probabitur. Et quoties Christus vocatur Mediator διαθήκης apud Hebr. cap. 8: 9. & sanguis ejus sanguis διαθήκης, licet ratio Testamenti connotetur, non potest nec debet excludi σχέσις fœderalis, quia Testamentorum propriè non dantur Sponsores, sed inter partes adversas mediator constituitur ad eas reconciliandas, & per fœdus inter se uniendas.

VI. Fatendum quidem notionem Testamentariam hic præcipuè urgeri ab Apostolo, Hebr. 9: 15. ut necessitas mortis & satisfactionis Christi tanquam Testatoris clariùs designetur, & gratiæ efficacia, cui in solidum omnia accepta ferenda sunt in fœdere gratiæ, fortiùs asseratur. Sed non exclusivè hoc intelligi potest ad relationem fœderalem, quæ fidem & obedientiam à parte hominis postulat. Quod cùm per se clarum sit, nec negetur à fratribus, fru- *Heb. 9: 15.*

QUÆST. I. strà videtur de eo moveri controversia, quæ per se evanescit, si utraque hic σχέσις testamentaria & fœderalis attendatur, illa quidem ut præcipua & primaria, ista verò ut secundaria priori subserviens.

Fœdus unde dicatur. VII. Latinis *fœdus* variam originationem sortitur; Quidam ut Festus à *feriendo* dictum volunt, quia in paciscendo hostia feriebatur, & cædebatur, tale exitium illi imprecantes, qui primus fœdus violasset, cujus modum Livius exequitur lib. 1. formulam fœderis initi inter Regem P. R. & Albanorum Dictatorem recensendo; Et Virgil. 8. Æneid.

Et cæsâ jungebant fœdera porcâ.

Alii commodius a *fide* dictum putant, ut vult Isido. lib. 8. Origi. quia in fœdere interponebatur fides; unde *Ennius* ut est apud Varronem dixit *fidus* pro *fœdus*. Ut sanè fœdus non alia de causâ initur, quàm ut inter partes fides constet.

Ejus homonymia. VIII. Fœderis autem Dei non una est significatio in Scriptura. *Propriè* notat pactum & conventionem inter Deum & hominem initam, quæ constat partim *stipulatione officii*, seu rei præstandæ, partim *promissione præmii*, quo sensu sumitur Genes. 17: 2. ubi dicitur Deus fœdus velle stabilire cum Abrahamo. *Impropriè* modò sumitur pro simplici promissione, ut Gen. 9: 9. promissio de non perdendo mundo per diluvium vocatur fœdus; modò meton. pro *symbolis* & sacramentis fœderis, ut circumcisio vocatur fœdus Gen. 17. Et Luc. 22: 20. *Calix* Eucharisticus dicitur *esse N. T. in sanguine Christi* id. signum & sigillum ejus; modò pro *tabulis fœderis*, quæ in Arca recondebantur 1 Reg. 8: 21. modò pro *ipsis fœderatis*, quomodo populus Dei vocatur *sanctum fœdus* Dan. 11: 28. 30. modò pro Messia, fœderis illius fundamento, in quo nobiscum initum est Isa 49: 8. *dedi te in fœdus populi* &c. Sed nos missis impropriis significationibus, propriam hic spectamus, quando de foedere disputamus.

IX. Vocatur autem Foedus istud *fœdus gratiæ*, tum *causaliter*, quia est ex gratiâ strictè dictâ, qualis locum habet erga peccatorem Luc. 1: 54. 55. 72. 74. Eph. 1: 6. Tit. 3: 4. tum *materialiter*, quia omnia in hoc foedere sunt gratuita, ipsæque adeo conditiones Jer. 31. Ezech. 36. tum *finaliter* quia per illud divitias suæ gratiæ Deus voluit manifestare Eph. 2: 7. Dicitur etiam *Evangelicum*, quia doctrinæ Evangelii est objectum Rom. 1: 16. 17. *Novum*, non modò quia veteri foederi operum successit, & quia illustriori longè modo renovatum est in Christo sub N. T. sed etiam quia æternum est, & immutabile, & nunquam abrogandum Heb. 8. Jer. 31: 32.

Cur fœdus Promissio dicatur? X. Præter has voces, occurrunt etiam sæpe voces ἐπαγγελίας, & εὐαγγελίϰ, quibus foedus gratiæ designatur. Primò ἐπαγγελία dicitur seu *promissio*, & quidem κατ᾽ ἐξοχὴν, non tantùm quia est Dei, non hominum, sed etiam quia est omnium præstantissima, utpote sola salutaris; Ita distinguitur

à

à Promissione data Abrahæ de semine corporali in Isaaco, Rom. 9: 9. & Gal. 4: 23. & de hæreditate terræ Canaan, quæ ideo *terra promissionis* vocatur Heb. 11: 9. & ab aliis promissionibus omnibus terrenis datis populo Israelitico; Imò & à promissione Legi additâ de vitâ dandâ facienti, quæ Lege semel violatâ facta est irrita vitio hominis; Et peculiariter notat promissionem Evangelicam de Messia & de bonis spiritualibus & æternis per eum conferendis Rom. 4: 13. 14. *Non per Legem data est promissio hæreditatis mundi* &c. & Gal. 3: 16. 17. 18. *Si ex Lege hæreditas, non ergo ex promissione*, puta Evangelicâ. Unde fideles ad quos pertinent ista bona ipsis in Christo promissa, vocantur *filii promissionis* Rom. 9: 8. & Spiritus Sanctus, qui nobis ex ista promissione datur, & qui eam obsignat in cordibus nostris, dicitur *Spiritus promissionis* Eph. 1: 13. imò & *promissio Patris* Act. 1: 4. Nec tantum in singulari Scriptura loquitur de Promissione, sed in plurali de *Promissionibus* Gal. 3: 16. 21. sive ad denotandam ejus excellentiam, sive quia semel facta, sæpius iterata fuit Patribus. QUÆST. I.

XI. Non sine ratione autem Spiritus Sanctus nomine *promissionis* designare voluit foedus gratiæ, quia totum quantum quantum est nititur promissione divinâ. In quo mirum quantum differt, non modò à foederibus omnibus humanis, quæ mutuâ constant partium obligatione & stipulatione; sed à foedere operum, quod licet haberet etiam suam promissionem à parte Dei facientibus; & sic niteretur Dei bonitate; obsequium tamen requirebat à parte hominis, ut executioni mandaretur: Sed hic Deus à promissione sua pendere voluit totum hoc foedus, non modò ratione præmii à Deo promissi, sed etiam ratione officii à nobis postulati; ut Deus hic exequatur non modò quod suarum erat partium, sed etiam quod ad nos spectabat; & si foedus datur tantùm ad unius partis felicitatem; unius tantùm partis fidelitate custoditur & impletur. Unde non modò Dei beneficia cadunt sub promissum, sed etiam hominis officia, non modò finis, sed etiam media & conditiones, quæ ad eum nos ducunt, ut suo loco docebitur.

XII. Εὐαγγέλιον Græcis, quod Hebræis בשרה טובה *bonum & lætum nuncium* quodcunque dicitur, sed κατ' ἐξοχὴν felici de adventu Christi in mundum, & foedere gratiæ in eo inito, & salute per eum partâ, nuncio, quo gratius dari non potest; tribuitur in Scriptura. Non unâ autem ratione usurpatur; Aliquando latè & in genere notat *fœdus gratuitum* in Christo contractum, quo sensu Roman. 10: 16. Paulus de veteri populo loquens, dicit *omnes non ausculta sse Evangelio*, & 1 Pet. 4: 6. *Mortuis* dicitur *evangelizatum*, aliquando strictè & in specie ponitur, vel pro promissione & doctrina de Christo venturo, quo sensu Gal. 3: 8. Paulus ait *praevangelizatum fuisse Abrahamo, quum promissiones illi datæ sunt*, vel magis propriè pro doctrina Christi exhibiti & complemento promissionum om- *Cur Evangelium?*

QUÆST. I. omnium, quo sensu passim usurpatur in N. T. pro doctrina missionis Christi, seu Evangelio completo, opponitur τῇ ἐπαγγελίᾳ, quæ notat simpli. doctrinam promissionis Christi in V. T. Et dicitur Evangelium promissum Rom. 1: 1. 2. quanquam discrimen hoc non sit perpetuum: Nam ut doctrina V.T. tam dicitur Evangelium, quàm doctrina N. T. ut jam dictum; Ita doctrina N. T. non minus ἐπαγγελία sive *promissio* vocatur ac illa Galat. 3: 14. 2 Timoth. 1: 1.

XIII. Aliæ sunt non paucæ voces synonymæ valde emphaticæ, quibus fœdus illud solet exprimi, ut *Juramentum* Luc. 1:73. quia Deus juramentum suum in hoc fœdere interposuit ad ejus immutabilitatem denotandam, quod in priori fœdere factum non fuerat Heb. 6: 17. & 7: 21. *fideles miserationes promissæ Davidi* Isa. 55: 3. quia merâ Dei misericordiâ & gratiâ, nullo autem hominum merito nititur; *Lex fidei* Roman. 3: 27. quia in eo fides tanquam conditio fœderis nobis præscribitur; *Spiritus vivificans & ministerium justitiæ* 2 Cor. 3. 6. 8. quia in eo justitia seculorum in Christo nobis promittitur ad justificationem, & Spiritus vivificus Christi ad sanctificationem.

QUÆSTIO II.

DE NATURA FOEDERIS GRATIÆ.

Quænam sint partes contrahentes, Quis Mediator, Quænam clausulæ Fœderis, tum à parte Dei, tum à parte hominum?

I. UT Deus ab omni ævo Ecclesiam habere voluit cum qua habitaret, & quæ cum ipso communionem coleret ad felicitatis fruitionem; Ita non aliter communionem illam instituere illi placuit, quàm per viam *fœderis*, in quo mutuus datur Partium contrahentium ad se invicem accessus, & arcta ac familiaris consociatio, quod à parte Dei miram συγκατάβασιν ejus arguit, per quam ex incomprehensibili Majestatis splendore sese demittere voluit ad miserrimum creaturarum statum, & à parte hominum eximiam dignitatem ad quam Dei gratia eos evehit, ut ex profundissimâ miseriarum abysso, ad Dei in secula benedicti communionem & gloriam admittantur.

II. Quamvis verò propriè & strictè loquendo non possit dari fœdus inter Deum & hominem, quia non datur locus contractui, qui inter partes initur, nec ulla Dei obligatio, sed spontanea sui communicatio, ut proba-

batum est P. I. L. VIII. Q. III. Deus tamen singulari gratiâ voluit cum homine fœdus inire, quod locum habeat *quasi contractus*, ut in jure loquuntur. QUÆST. II.

III. Tale autem duplex cum hominibus iniit *fœdus*, primum *Legale* seu *operum* cum homine integro. Alterum *fidei* & *Evangelicum* cum lapso & peccatore, Illo vitam æternam pollicebatur Deus homini perfectè legem implenti, & mortem peccanti interminabatur, juxta clausulam *Hoc fac & vives*, *Et maledictus qui non perstiterit* &c. Isto salutem in Christo & propter Christum credenti pollicetur. Illud pactum fuit cum Adamo ante lapsum, & in eo cum omnibus hominibus, de quo P. I. Loc. VIII. Q. III. Istud in Christo post lapsum initum cum electis.

IV. Rupto quidem primo illo fœdere per Hominis lapsum, potuisset Deus, si stricto jure cum primis parentibus agere voluisset, statim à peccato homines morti mancipare, & nemo jure cum Deo propterea expostulare potuisset, sed non libuit Deo uti summo isto Jure adversus universum humanum Genus; Sed misericordiâ commotus, remedium ipse tantæ miseriæ invenit & constituit, fœdus novum in Christo gratiosè sanciendo, in quo rationem habemus, non modò ex istâ miseria emergendi, sed & perfectissimam beatitatem assequendi. Remedium hoc seu rationem *Justitia* requisivit, *Sapientia* invenit, & *Misericordia* ac *Potentia* præstitit in Jesu Christo unigenito Dei Filio, Mediatore nostro fœderis istius fundamento.

V. *Fœdus* hoc *gratiæ* est pactum gratuitum inter Deum offensum & hominem offendentem in Christo initum, in quo Deus homini gratis propter Christum remissionem peccatorum & salutem pollicetur; homo verò eadem gratiâ fretus pollicetur fidem & obedientiam. Vel est conventio gratuita inter Deum offensum, & hominem offendentem de gratia & gloria in Christo homini peccatori sub conditione fidei conferenda. Circa quod duo attendenda sunt 1. *natura.* 2. *proprietates.* Ad naturæ cognitionem expendenda sunt potissimùm quatuor. 1. Quis sit *Author* fœderis. 2. Quænam *Partes contrahentes.* 3. Quis *Mediator*, & quænam hic sint ejus partes. 4. Quænam sint *res pactæ* seu clausulæ fœderis, tum *à parte Dei* per promissionem, tum *à parte hominis* per officii stipulationem. *Quid sit Fœdus gratiæ.*

VI. 1. *Author* & efficiens principalis istius fœderis *Deus* est, solâ bonitate & *εὐδοκίᾳ* gratuitâ ad illud cum homine pangendum adductus. Unde in Scriptura passim *fœdus Dei*, nunquam verò fœdus hominis vocatur; quia solus de eo cogitavit, homine non modò de eo non cogitante, sed alia omnia intendente, utpote Dei inimico in mente & operibus: solus potestatem habuit tanquam summus Dominus & Princeps contrahendi cum creatura, & dispensandi de summo illo Jure, quo ex fœdere operum peccatorem ipsum plectere poterat sine ulla veniæ spe; solus potuit hominem lapsum erigere & perditum servare, fœdus novum in locum prioris substituen- *Author fœderis Deus sola εὐδοκίᾳ motus.*

QUÆST. II.

tuendo. Ita autem ejus est author, ut ipsi soli de eo gloria in solidum accepta ferenda sit, nec ullâ causâ impulsivâ extra se ad illud instituendum motus sit. Nec hominis *merito*, nec *miseriâ*, nam si homo innocens nihil mereri apud Deum potuit, quanto minus peccator & reus? & si miseria Angelorum lapsorum Deum non impulit ad eos servandos, cur miseria hominum lapsorum eum potius ad redemtionem eorum impulisset: Ergo sola hic εὐδοκία misericors Dei, & amor gratuitus causa fuit προηγουμένη istius fœderis, quam vocat Zacharias in Cantico Luc. 1:78. σπλάγχνα ἐλέους, *viscera miserationum*, Et Paulus Eph. 2:7. ὑπερβάλλοντα πλοῦτον χάριτος.

VII. Ut verò hoc opus est externum, toti Trinitati est commune & indivisum, cum ea tamen distinctione, ut quæque Persona proprium & peculiarem modum operandi hic obtineat œconomiæ isti salutari convenientem 1 Pet. 1:2. *Deus Pater* ad id concurrit, quia hanc rationem sese communicandi primò instituit, & Filium suum ex illa constitutione dedit Johan. 3:16. & ad illius communionem per Prophetas primùm, dein per Filium, denique per Apostolos & ministros invitat, & Spiritum S. foederis applicatorem mittit. Gal. 4. *Deus filius*, *tum ut causa* & *fundamentum* fœderis per suum sanguinem Mat. 26:28. Eph. 1:3.4. tum ut illius materia, quia in hoc fœdere promissus, & ejusdem *Angelus* Malach. 3:1. sive internuncius & executor, adeoque quà Mediator inter Deum & homines, 1 Timoth. 2:5. Heb. 9:15. & Sponsor pro hominibus Heb. 7:22. *Deus Spiritus* tanquam *causa* unà cum Patre & Filio, & *materia*, quia promissus Gal. 3:14. & *testis* Rom. 8:16. & *arrhabo* hæreditatis cœlestis Eph. 1:14. 2 Cor. 1:22.

VIII. Causæ instrumentales sunt, tum *Verbum* & *Sacramenta*, tum utriusque Ministri. *Verbum* quidem, non *Legis moralis*, scilicet directè & per se, quia est ministerium mortis, & litera occidens peccatori 2 Cor. 3:6. sed *Evangelii*, quod inde etiam nomen habet, quia in illo revelatur, tum gratia Dei, tum justitia Christi, Rom. 1:16. 17. *Sacramenta* verò, quia se habent ex parte Dei tanquam *signa*, quæ repræsentant fœderis substantiam, & *sigilla*, quæ eandem obsignant, Rom. 4. & ut *instrumenta moralia* per quæ nobis illa applicatur. Ex parte nostra verò tanquam restipulationes, quibus Deo nos obligamus 1 Pet. 3:21. & *notæ externæ* seu symbola *confœderationis*. *Ministri* se habent tanquam internuntii & *servi*, per quos Deus nos alloquitur, & ad foedus invitat Matth. 23:3. Heb. 1:1. & tanquam *legati* per quos nobiscum cum authoritate stipulatur 2 Cor. 5:20.

Partes contrahentes: Deus offensus.

IX. II. *Partes contrahentes* seu subjectum foederis tres sunt, *Deus* offensus, *Homo* offendens, & *Christus* Mediator hominem offendentem Deo offenso & irato reconcilians. *Deus* hic agit, non ut in foedere na-

naturæ quatenus *Creator* & Dominus, quia peccatum abolevit naturalem illam communionem, quæ Creaturam cum Creatore conjungebat. Nec quatenus excelsam & infinitam super res creatas ὑπεροχὴν obtinet; quia tantam Majestatem homo peccati reus, & ejus sensu perculsus ferre non potuisset, multò minus ac Angeli, qui facies suas coram ea tegere coguntur Is.6:2. Nec tanquam *Legislator* & rigidus perfectionis moralis ab illo exactor; quia talis à creatura corrupta non potuit expectari; nec ullus peccatori patet ad Deum justissimum & sanctissimum accessus: Sed quatenus *misericors Pater & Redemptor*, ut offensus quidem, sed ut placandus, qui amore benevolentiæ sibi voluit homines offendentes conciliare Rom. 5:8. Eph. 2:4. QUÆST. II.

X. *Homo* non hîc spectatur ut *Creatura* simpli. vel ut Creatura integra & justa, ut in primo fœdere.; Sed ut *Creatura peccatrix offendens*, ut homo in peccatis mortuus, impotens, filius iræ, à Deo ejusque vitâ abalienatus; & quidem quatenus miseriæ suæ sibi conscius, illius sensu perculsus, adeoque legaliter *contritus* Matt. 11:28. ut hic σχέσις peccatoris non sit simpliciter attendenda, licet sit prævia conditio requisita in objecto, aliàs fœdus hoc deberet ex æquo ad omnes & singulos peccatores extendi, quod dici non posse res ipsa clamat, & decretum reprobationis satis evincit: sed conjungenda sit necessariò cum σχέσει peccatoris contriti, & credituri ex liberâ Dei electione. *Homo offendens.*

XI. Tertiò, *Mediator* hîc intercedit Christus, hominem offendentem Deo offenso reconcilians. In fœdere primo, quia nullum adhuc dissidium fuit inter Deum & hominem, nullo etiam opus fuit Mediatore; Sed in posteriori ita necessarius fuit propter peccati interventum, ut absque eo nullum dari potuisset fœdus inter Deum & hominem, Deo propter justitiam suam hominem reum non ferente, & homine propter injustitiam suam ad Deum accedere non valente. Atque in eo se prodit admirabilis Dei erga hominem misericordia, per quam non tantùm de fœdere ineundo cogitare voluit, sed Mediatorem etiam dedit, sine quo contrahi non potuit. Mediator autem iste Deus & Homo esse debuit, & ex utroque medius. *Homo* quidem, ut pati posset & mori, quia nonnisi per passionem & mortem cruentam peccatum potuit expiari, & peccator in gratiam restitui Col. 1:20.22. Heb. 2:14.15. Deus verò, ut mors ipsius haberet valorem infinitum, qui creaturæ modum excederet, & ut morte superatâ in æternum cum suis viveret. Et ex utroque medius, ut in natura prius faceret, quod in gratia postea efficere debebat. *Mediator.*

XII. Atque hic superfluum videtur quærere, An fœdus hoc contractum fuerit cum Christo, tanquam alterâ parte contrahente, & in ipso cum toto ejus Semine, ut primum fœdus cum Adamo pactum fuerat, & in Adamo cum tota ejus posteritate, quod non paucis placet, quia pro-

 missio-

QUÆST. II. missiones ipsi dicuntur factæ Gal. 3: 16. & quia, ut Caput & Princeps populi sui in omnibus primas tenet, ut nihil nisi in ipso & ab ipso obtineri possit: An verò fœdus contractum sit in Christo cum toto Semine, ut non tam habeat rationem Partis contrahentis, quàm Partis mediæ, quæ inter dissidentes stat ad eos reconciliandos, ut aliis satius videtur. Superfluum, inquam, est de eo disceptare, quia res eodem redit; Et certum est *duplex* hic *pactum* necessariò attendendum esse, vel unius ejusdemque pacti duas partes & gradus. Prius Pactum est, quod *inter Patrem & Filium* intercedit, ad opus Redemtionis exequendum. Posterius est, quod Deus *cum Electis* in Christo contrahit, de illis per & propter Christum salvandis sub conditione fidei & resipiscentiæ. Prius fit cum Sponsore & Capite ad salutem Membrorum; Posterius fit cum Membris in Capite & Sponsore.

Pactum inter Patrem & Filium probatur. XIII. Pactum Patris & Filii continet voluntatem Patris Filium dantis ut λυτρωτὴν Redemptorem & Caput Corporis sui mystici, Et voluntatem Filii se ut Sponsorem pro Membris suis sistentis ad ἀπολύτρωσιν istam peragendam. Sic enim Scriptura repræsentat nobis Patrem in œconomia salutis, ut stipulantem obedientiam Filii sui ad mortem usque, & pro ea ipsi repromittentem nomen supra omne nomen, ut Caput Electorum sit in gloria. Filium verò, ut se sistentem ad faciendam voluntatem Patris, & promittentem fidelem & constantem officii sibi demandati executionem, restipulantem denique regnum & gloriam sibi promissam. Quæ omnia ex Scriptura non obscurè colliguntur.

Luc.22:29. Is.42: 1.2. 6.7. XIV. De hoc pacto expressa fit mentio Luc. 22: 29. *Ego dispono vobis Regnum, sicut disposuit illud mihi Pater*; Et Is. 42: 1. 2. 6. 7. In eo Pater proponitur ut vocans Filium, & opus salutis nostræ illi committens. *Hic est servus meus, ego protegam eum, Electus meus in quo anima mea sibi complacuit* &c. *Ego Jehova te vocavi in justitia, & tenebo manum tuam,*
49: 8. *& retinebo te, & dabo te in fœdus populi, & lucem gentium.* Et cap. 49: 8. *Ego te dedi in fœdus populi, & ut sis salus mea usque ad extremitates terræ*, quæ vocatio extenditur ad tres partes Muneris Mediatorii, ad Sacerdotium Ps. 110: 4. Propheriam Isa. 61: 2. Regnum Ps. 2: 8. Lex fœderis à Patre ponitur, ut sit fœdus populi & Lux gentium, ut ponat animam pro ovibus Joh. 10: 18. *hoc præceptum accepi à Patre meo.* Illi Legi promissio à Patre additur, non modò protectionis & auxilii in executione muneris Is. 42: 6. 7. & felicis operis successus per Dei acceptationem Isa. 49: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. sed & mercedis & præmii in semine spirituali, & exaltatione ipsi concessa Isa. 53: 10. *Postquam anima ejus se posuerit sacrificium pro reatu, videbit semen, & beneplacitum Jehovæ in ejus manu prosperabitur.* Acceptatio à parte Filii in hoc posita est; Quòd huic Patris voluntati & Legi fœderis sponte se submiserit pro nobis spondendo Hebr. 10: 5. *Corpus aptasti*

mihi

mihi, id est, me in servum tuum addixisti, Corpus per Incarnationem mihi aptando, *Tunc dixi, Ecce venio facere voluntatem tuam, Deus mi, voluptas mihi est, & Lex tua est in medio viscerum meorum.* Nec modò Filius hoc in se recepit, sed & reipsa præstitit factus ex muliere, & sub Lege Gal. 4:4. Joh. 15:10. *Ego servavi Præcepta Patris mei, & maneo in ejus amore*, & restipulatur gloriam sui ipsius, & salutem Corporis sui Joh. 17:4.5. *Glorificavi te in terra, consummavi opus quod mihi faciendum dederas; Et nunc glorifica me, Pater, apud te ipsum, eâ gloriâ, quam apud te habebam, priusquam mundus extaret.* Et v. 16.17. *Serva eos in nomine tuo, quos mihi dedisti, sanctifica eos in veritate tua, Verbum tuum est veritas.* QUÆST. II.

XV. Fœdus autem illud potest attendi in tribus momentis, 1. Ratione *destinationis*, quando ab æterno in sanctissimæ Trinitatis consilio Sponsor & Mediator Ecclesiæ datus est; Quò respiciunt ista summæ Sapientiæ Prov. 8:23. quæ de se ipsa loquendo, *ab æterno uncta sum*, inquit, id. meâ Patrisque voluntate, quæ una est, destinata ad officium Mediatoris in tempore peragendum. Et ista Petri primæ cap. 1:20. quum Christum dicit *præcognitum fuisse ante jacta mundi fundamenta.* Et Psal. 2:8. *Narrabo decretum, Jehova mihi dixit, Tu es filius meus, ego hodie genui te, postula à me & dabo tibi gentes in hæreditatem.* Ubi Christus describit destinationem æternam, quæ facta est in Dei decreto, sui, qui sit Filius Dei ab æterno genitus, ideoque solus par tanto muneri ferendo, in Regem totius Ecclesiæ. 2. Ratione *promissionis*, dum mox post lapsum hominis Deo per peccatum jam offenso, se obtulit ad ea actu præstanda, quæ ab æterno spoponderat, atque ita actu Mediator constitutus, & talis declaratus fuit in Verbo, & juxta illam sponsionem, multa cœpit agere quæ ad Mediatoris officium pertinebant, sive ratione Prophetiæ, voluntatis divinæ interpretem agendo, tum per se immediatè se Patribus patefaciendo, ut Angelum fœderis, sive mediatè per Ministros suos, quos Spiritu suo agebat 1 Pet. 1:10.11. & 3:19. sive ratione Regni, se ductorem & Principem populi gerendo 1 Cor. 10. & Josu. 5:13. sive ratione Sacerdotii, intercedendo pro Electis vi solutionis futuræ Job 33:24. 3. Ratione *executionis* in Incarnatione, per quam carnem nostram assumpsit, ut in ea opus salutis nostræ perageret. Quò spectant ista Heb. 10:5. quibus antithesim instituit inter sacrificia legalia & unicum sacrificium perfectissimum Christi, *quapropter ingrediens in mundum, dixit, sacrificium & oblationem noluisti. Tun dixi, Ecce venio ut faciam voluntatem tuam.*

Tres periodi fœderis istius.

1. in destinatione.

Prov. 8:23.

Ps. 2:8.

2. in promissione.

3. in executione.

XVI. Ut verò Mediator medius fuit inter partes dissidentes, debuit cum utraque agere, *A parte hominum* cum Deo per Sponsionem eorum omnium, quæ ab hominibus debebantur; Et à *parte Dei* cum hominibus, per Sponsionem eorum omnium, quæ à Deo promittuntur, fore ut cer-

QUÆST. II.

tissimè implenda sint. Cum *Deo offenso* agere debuit pro hominibus *satisfaciendo* pro peccatis ipsorum, & *intercedendo* pro ipsis apud Patrem ad obtinendum Spiritum cum ejus donis, spondendo *quoad præteritum* perfectam solutionem omnium debitorum, & reipsa λύτρον illud obedientiâ suâ & morte exhibendo, & quoad *futurum* sinceram & constantem fœderis observationem in posterum, in ipsis per Spiritus virtutem perficiendam. Cum *hominibus* verò *offendentibus* à parte Dei tanquam Legatus Patris, bonam ejus voluntatem circa eorum salutem declarando, missionem suam ad opus Redemtionis significando, fidem promissionibus & obedientiam mandatis tanquam officia & conditiones fœderis postulando, & vicissim promittendo omnia beneficia fœderis, & spondendo ea omnia certissimè collatum iri, non modò Verbo Evangelii, & Sacramentis, sed præcipuè effusione sanguinis sui, quo obsignavit novum hoc fœdus coram Deo, & efficaciâ Spiritus S. quâ illud in nobis ratum facit. Ita duplex obstaculum fœderis removeri debuit, A *parte Dei*, *Inimicitia ejus* propter peccatum hominis, & *à parte hominis inimicitia hominis* propter justitiam Dei; Deus fuit reconciliandus homini, & Homo Deo. Christus prius fecit per meritum sanguinis, quo pro nobis satisfecit, & Deum nobis reconciliavit; posterius per efficaciam Spiritus, quâ nos sanctificat & convertit, & convertendo Deo reconciliat. Atque ita perfectè implevit, quæ vel ex parte Dei apud homines erant peragenda, vel ex parte hominum apud Deum, ad plenam fœderis gratiæ consummationem.

Res pactæ à parte Dei, quòd futurus sit Deus noster.

XVII. III. *Res* hoc fœdere *pactæ*, vel sunt à parte Dei, vel à parte hominum; *A parte Dei* beneficia promissa, à parte hominum officia ipsis præscripta. Utraque vel *in genere*, vel *in specie* proponuntur. *In genere* continentur in formula fœderis, quâ Deus pollicetur *se fore Deum nostrum*, & exigit, ut simus ejus populus, quæ absolvitur quidem paucissimis verbis, sed ponderosissimis, quæ complectuntur quicquid à Deo homini promittitur, vel ab homine exigitur, ut paulò distinctiùs formulam istam expendenti facilè patebit, tàm quoad promissionem beneficii, & testificationem amoris, quàm quoad cultus & obsequii exactionem, quæ duo hîc includuntur. Et ad *Promissionem* quidem quod attinet; talis est & tanta, ut meritò anima & substantia fœderis dicatur, fundamentum & compendium cæterarum omnium promissionum, quæ fidelibus dantur in Scripturâ, quâ nihil sublimius, nihil plenius, nihil suavius, nihil firmius dari potest. Ideò non unâ vel alterâ vice tantùm proposita est, sed sæpissimè, quoties vel fœdus primò institutum, vel renovatum est tam sub V. quàm N. T. Primò facta fuit Abrahamo Gen. 17:7.8. *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, confirmata populo Israëlitico Exod. 20:2. & 29:45. Deut. 5:2.3.6. repetita Judæis in captivitate Babylonica Jerem. 24:7. & 30:22. Ezec. 11:20. iterata post captivitatem

tatem Zach. 13:9. renovata sub N. T. ex oraculo Jeremiæ 31:33. 2 Cor. 6:16. & Heb. 8:10. quæ in gloria cœlesti etiam implenda est Apoc. 21:3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum iis, & ipsi erunt illi in populum, & Deus erit cum ipsis Deus ipsorum.* Atque ita summa est omnium beneficiorum Dei in fideles tam in gratia quàm in gloria. Unde non immeritò Psaltes *beatam gentem* prædicat *cujus Deus est Deus* Ps. 33:12. QUÆST. II.

Quid importet quòd Deus sit noster Deus.

XVIII. Verùm ut genuinus sensus istius promissionis habeatur, non *latè* sumenda est, quatenus authoritatem, curam & dominium Dei significat, quia sic Deus est non tantùm fidelium, sed & hominum in genere, imò & omnium creaturarum, ratione creationis & gubernationis, & nihil singulare & eximium pollicer etur populo, supra cæteras gentes: Sed *strictè* prout importat relationem fœderalem, & gratiosam illam communionem, quâ Deus se homini peccatori communicat ad ipsum vitâ immortali & felici donandum, prout illa formula solet passim explicari. Ita si Deus est omnium per Providentiam, Deus est fidelium per gratiam, si Deus est Creaturarum in mundo per authoritatem & potentiam, Deus est populi sui in Ecclesia per benevolentiam & amorem, & per beneficia quæ illi impertitur.

Hic includuntur omnia beneficia salutaria, sed quatuor præcipuè.

XIX. Quamvis verò sint innumera, possunt tamen ad quatuor ista præcipua referri. 1. *Reconciliationem & communionem* cum Deo, per quam non tantùm nobis placatur, sed & seipsum nobis dat, ut deinceps sit noster, tam οὐσιωδῶς quoad naturam & attributa, quàm ὑποστατικῶς, quoad Personas, & operationes personales. 2 *Communionem bonorum*, ut nostra sint omnia Dei bona, & quæcunque ad ipsum pertinent. 3. *Conformitatem cum Deo*, per naturæ divinæ participationem, & transformationem in ejus imaginem. 4. *Constantiam* & *æternitatem* amoris Dei & unionis nostræ cum ipso, quæ quia magni sunt in hoc argumento momenti, paulò fusiùs deducere non pigebit.

1. Reconciliatio & unio cum Deo.

Ut Deus sit noster in natura & proprietatibus.

XX. Dico notari primò *Reconciliationem* & communionem cum Deo, quia non potest dici noster, nisi ut placatus, & ex Judice irato, Pater misericors factus, qui non modò bona sua nobis liberaliter impertiri dignatur, sed seipsum nobis donat, ut deinceps in ipso ut Deo nostro & portione nostrâ gloriari possimus, Psal. 16:5. & 73:26. & 119:57. Hos. 2:23. Se nobis dat in *Maritum*, qui nos sibi desponsavit in miserationibus æternis Hos. 2:19. Cantic. 2:16. in *Patrem*, qui nos sibi adoptat in filios 2 Cor. 6:18. in *Principem & Regem*, qui nos in populum περιούσιον seligit, cum quo fœdus offensivum & defensivum contrahit, ut nos protegat umbone suo adversus quævis hostium molimina. Ita autem se nobis donat *Deus*, ut *noster* sit quoad *omnia attributa*, quæ in commodum & salutem nostram cedunt, & nostra benè dicuntur fruitione & usu, quia effecta eorum salutaria ad nos dimanant; Nostra est Dei Sapientia ad directionem,

QUÆST. II. Potentia ad protectionem, Misericordia ad peccatorum remissionem, Gratia ad sanctificationem & consolationem, Justitia ad hostium vindictam, Fidelitas ad promissionum executionem, Sufficientia ad felicitatis omnimodæ communicationem. Et ut peccatum innumera in nos mala accersivit; Invenimus remedium adversus omnia in propritatibus divinis, Sapientia medetur ignorantiæ & cæcitati, Gratia reatui, Potentia infirmitati, Misericordia miseriæ, Bonitas malitiæ, Justitia iniquitati, Sufficientia & Plenitudo Dei paupertati & indigentiæ, Fidelitas inconstantiæ & levitati, Sanctitas impuritati, & Vita morti.

In Personis. XXI. *Deus noster* est *Personaliter*, quatenus singulæ Personæ nostræ sunt, & se dant nobis ad opus Redemptionis procurandum, Pater eligendo, Filius redimendo, Spiritus S. sanctificando, *Pater* noster fit per adoptionem, quum nos in familiam suam recipit, & ut filios respicit, fovet, & amat 1 Joh. 3: 1. *Filius* noster fit per sponsionem, quum in Vadem sistit se pro nobis ad satisfaciendum, & in Caput ad nos regendos & vivificandos; Noster fit *Propheta*, qui salutem revelet lumine doctrinæ, noster *Sacerdos*, qui eam meriti pretio acquirat, Et noster *Rex*, qui eam acquisitam efficaciâ Spiritus applicet. *Spiritus S.* noster fit, quando ad nos mittitur, & se nobis dat in Sanctificatorem & Consolatorem, ut habitet in nobis tanquam in Templis suis, & nos donis suis locupletet, lumine, robore, gaudio, libertate, sanctitate, & felicitate. Ita Communio nostra est cum Patre & Filio, & cum Spiritu S. 1 Joh. 1: 3. 2 Cor. 13: 13. unde Baptismus, qui est sigillum fœderis in eorum Nomen administratur, ut sic consecremur in Filios Dei Patris, in Membra Filii, & in Templa Spiritus S. & fruamur bonis à singulis Personis orientibus, misericordiâ Patris, gratiâ Filii, & virtute Spiritus S.

1 Joan. 1. 3.
2 Cor. 13. 13

2. Communicatio bonorum. XXII. 2. Deus noster est ratione *communicationis bonorum*, non potest enim Deus noster esse, quin nostra sint quæcunque Dei sunt, & ut Dei sunt omnia, nostra etiam sunt omnia quæcunque sunt in cœlo & in terra, *Omnia vestra sunt*, inquit Paulus 1 Cor. 3: 21 *vos Christi, Christus Dei*; Nostræ sunt Creaturæ Dei in terra ut nobis serviant, Angeli in cœlo, ut nos custodiant, Cœlum ut patria nostra, Terra, ut locus peregrinationis, Mundus, ut hæreditas, quæ nobis datur cum Abrahamo Rom. 4: 13. Ita nostræ sunt Promissiones omnes Dei tam vitæ præsentis, quàm futuræ, & bona Dei, tam gratiæ, quàm gloriæ, *Deus nobis est Sol & Clypeus, dat gratiam & gloriam, & nihil denegat iis qui in integritate ambulant*, Ps. 84: 12. Sol benedictionis omnigenæ ad bonorum communicationem, Clypeus protectionis invictæ ad malorum depulsionem, ut rectè cum Paulo colligere liceat, nihil nobis nociturum, quia pro nobis est Deus, *Si Deus pro nobis, quis contra nos* Rom. 8: 31. Et cum Davide nihil defuturum, quia Deus est Pastor noster Psal. 23: 1. *Deus est Pastor meus nihil mihi deerit*, quia ni-

1 Cor. 3. 21.
Ps. 84. 12.
Rom. 8. 31.

nihil denegat se timentibus, sed omnia liberaliter concedit, & nobis benedicit QUÆST.
omni benedictione spirituali Eph. 1: 3. *Christus est omnia in omnibus* in gratia II.
Col. 3: 11. & *Deus futurus est omnia in omnibus* in gloria 1 Cor. 15: 28. *Qui vicerit hæreditabit omnia, & ero illi in Deum, & ille mihi in filium* Ap. 21: 7.

XXIII. 3. Deus noster est *ratione conformitatis*. Quippe non satis est illi effecta proprietatum salutaria in nos diffundere, sed ulteriùs vult earum characterem & similitudinem in nobis imprimere, quantum ferre potest creaturæ finitæ ratio, ut *participes simus naturæ divinæ* 2 Pet. 1: 4. & illi similes fiamus, qui perfectissimus est communionis modus: Ut sol radios immittens in crystallum vel corpus aliquod diaphanum, lucidum illud reddit, ut instàr solis fulgeat; Ita Pater luminum nos irradiat luce suâ, non modò ut tenebras erroris, vitii, & miseriæ discutiat, sed etiam ut lucem suam nobis communicet, & velut totidem Soles lucidos reddat, unde *justi* dicuntur *fulsuri instar Solis in regno Patris* Matth. 13: 43. quò pertinent ista Pauli 2 Cor. 3: 18. quum ait nos *contemplantes in speculo* Evangelii *gloriam Domini facie retectâ, transformari in eandem imaginem de gloria in gloriam*, & illa 1 Joh. 3: 2. *Nos similes fore ipsi, quia visuri sumus ipsum sicuti est*, scilicet nulla communio potest cum Deo haberi, nisi positâ ejus conformitate, quæ duplex tum in *sanctitate* & virtutibus moralibus, ut simus sancti, justi, patientes, misericordes & perfecti quemadmodum Deus est Matth. 5: 48. 1 Pet. 1: 15. tum in *vita & felicitate*, ut immortalitate & gloriâ ejus fruamur; *Quia ego vivo; vos etiam vivetis* Joh. 14: 19. & Psal. 102: 28. *Tu idem semper manes & anni tui non deficiunt, progenies tua in æternum stabilietur in conspectu tuo.* Quò pertinet invictum Christi argumentum, dum contra Sadducæos animorum immortalitatem & corporum resurrectionem ex formula fœderis demonstravit, quia vocatur *Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi*, etiam post ipsorum mortem, *Deus autem non sit Deus mortuorum, sed viventium*: Ubi duo necessariò supponuntur, Primò formulam istam fœderis importare communicationem vitæ, & immortalitatis, ut quotquot ad ejus communionem recipiuntur, similes illi hac in parte fiant, quia Deus vivens in secula non potest cum mortuis communionem colere, unde necesse erat Patriarchas aliquà sui parte semper vivere, cùm Deus eorum Deum se vocet etiam post mortem. Secundò fœdus non cum alterâ hominis parte tantùm, sed cum Homine toto contractum fuisse, ut beneficia fœderis ad totum hominem pertinere debeant. Unde sequitur necessitas resurrectionis corporum, ut fideles animô & corpore vitæ & beatitatis fiant compotes.

3. Conformitas cum Deo.

2 Cor. 3: 18.

1 Joh. 3: 2.

Matt. 22: 32.

XXIV. Quia verò bona ista licet eximia perfectè beare nos non possent, nisi tantis muneribus adderetur perpetuitas; hac ipsa promissione constantiam amoris sui Deus, & *bonorum æternitatem* commendare voluit: Cùm enim

4. Bonorum æternitas.

Je-

QUÆST. II. Jehova in conceptu suo æternitatem dicat, dum Deum nostrum se fore pollicetur, eo ipso innuit se in æternùm nostrum futurum, ut quandiu Deus futurus est Deus, futurus est autem in æternum, futurus etiam sit Deus noster, ut in æternùm ejus communione & beatitate fruamur, quod Ps. 48: 15. innuitur *Deus est Deus noster in æternum.* Quod maximum est proculdubio consolationis & fiduciæ fidelibus adversus omnes tentationes argumentum, & inviolabile spei fulcrum: Nam si Deus noster in æternùm futurus est, quid ulterius vel mali timere possemus; vel boni sperare, cùm in eo æternùm simus victuri?

XXV. Porrò præter istam promissionem generalem, quæ formulâ fœderis continetur, aliæ multæ speciales includuntur, quæ in ea fundantur & ab ea promanant qualis est *Spiritus Sancti collatio* Ezech. 36. 27. *Peccatorum remissio* Jer. 31 34. *Regeneratio*, quæ per Legis inscriptionem designatur ibidem v. 33. *Adoptio* 2 Cor. 6. 18. *Cordis lapidei ablatio, & carnei* ac novi *impressio* Ezech 36. 26. *Perseverantia* Jer. 32. 40. quæ peculiare est istius fœderis beneficium, quia debet esse inviolabile & æternum. *Benedictiones omnes spirituales* gratiæ & gloriæ Gen. 12. 3. Gal. 3. 8. 9. 14. Act. 3. 26. Eph. 1. 3. Quæ omnes nomine *salutis* solent designari, quæ non tantùm possessionem vitæ importat, quæ in primo fœdere locum habebat, sed etiam liberationem à morte, quæ per peccatum accersita fuerat, & quæ quatuor partibus absolvitur, quæ opponuntur totidem partibus mortis, cui obnoxii facti fuimus per peccatum. 1. *Justificatione*, quæ nos à maledictione incumbente liberat. 2. *Sanctificatione*, quæ maculam & corruptionem, in qua mortui jacebamus, tollit. 3. *Consolatione* & *pace conscientiæ*, quæ adversus afflictiones vitæ & conscientiæ terrores, quæ in Scriptura mortis nomine veniunt, nos sustinet. 4. *Glorificatione æterna*, quæ à morte æterna nos immunes præstat, & ad felicitatis complementum adducit.

Officia ab homine requisita in fœdere.

XXVI. Ut verò formula ista fœderis mutua est, quæ cum *beneficiis*, quæ Deus fœderatis promittit, includit etiam *officia*, quæ ab hominibus exigit. Videndum est jam quænam ista sint: Exprimuntur verò in *genere* & in *specie* in Scriptura; In *genere* quum Deus vult, ut quemadmodum se Deum nostrum fore pollicetur; Ita vicissim *simus ejus populus*, Jer. 31. 33. *Ero illis in Deum & illi mihi erunt in populum*, ubi relatio inter Deum & nos designatur, quæ importat mutuam beneficiorum & officiorum commutationem, ut si Deus Maritus est noster, simus ejus Uxor casta & fidelis, si est Pater, simus Filii, si Rex & Redemptor, simus Populus peculii, qui vivamus ut redempti Jehovæ. Ut autem omnia erga nos Dei beneficia unica illa promissione continentur: Ita omnia hominum erga Deum officia in hac una conditione præscribuntur, quæ simul & semel & quid *esse* debeant, & quid *facere* teneantur innuit.

XXVII. Esse *populum Dei*, non est tantùm ejus dominio subjici, & ab ipso pendere, & gubernari; sic enim omnes homines in universum ejus sunt populus: sed illi per cultum & obsequium adhærere, ita ut nihil *simus*, nihil *habeamus*, nihil *possimus*, & nihil *faciamus*, quod non *sit Dei* id. ad ejus gloriam referatur. Ita designatur primò *separatio à mundo*, & *consecratio Deo*, ut quemadmodum non sumus nostri juris, sed illius qui nos creavit & redemit, & qui se nobis dedit: Ita non nobis vivamus amplius, non Satanæ, non peccato, non mundo, sed illi soli: Ut ab eo sumus quicquid sumus, Ita ad ipsum, quicquid sumus & possumus referatur. Ut Deus cæteris hominibus relictis nos selegit, cum quibus contraheret, & in populum nos asciscceret: Ita nos cæteris omnibus missis illum solum in Deum nostrum eligere tenemur, ut illum solum colamus & sequamur, Quod toties urget Spiritus S. Deut. 7: 6. 7. & 26: 17. 18. 1 Cor. 6: 19. 20. & 2 Cor. 5: 14. 15. & 6: 17. 18. Rom 14: 7. 8 9. Talis autem debet esse consecratio, ut totos nos & animâ & copore Deo dicemus in Templa & hostias spirituales Rom. 12: 1. 1 Cor. 3: 16. 17. ut *mens* nostra sit *Dei* ad eum cognoscendum, *voluntas* ad colendum, *affectus* ad amandum, *oculi* ad contemplanda ejus mirabilia, *aures* ad audiendam ejus vocem, *os* ad celebrandum ejus gloriam, *manus* ad ejus opus peragendum, & membra singula ut sint instrumenta justitiæ Deo ad eum glorificandum Rom. 6: 13. Ita quicquid *habemus* vel boni, vel honoris, vel sapientiæ, vel virtutis ad Dei gloriam & cultum impendi debet.

Quæst. II. Quid sit esse populum Dei. Ejus officia. Separatio à mundo & Consecratio Deo.

XXVIII. 2. *Cultus & obsequium*, ut de eo religiosè & unicè colendo simus solliciti, ut quicquid possumus vel ad propagandum ejus Regnum, vel ad promulgandam ejus Veritatem, vel ad tuendam bonam causam, vel ad mandata ejus implenda id sedulò præstemus, ut ita respondeamus vocationi ipsius, & gratos nos præstemus, pro ejus beneficiis. Hæc enim ita inter se sunt connexa indivulso vinculo, ut separari nec possint nec debeant. Frustra speramus Deum fore nostrum, nisi vicissim simus ejus populus; & Patris amorem testaturum, nisi Filiorum obedientiam illi præstemus; & ipsum beneficia quæ promisit collaturum, nisi officia quæ à nobis exigit impleamus.

2. Cultus & obsequium.

XXIX. Officia autem duo sunt præcipua, quæ exiguntur, *fides*, & *resipiscentia*, Illa quæ promissiones amplectitur, Ista quæ mandata implet; Illa promissioni gratiæ respondet, *Crede & servaberis*, Ista Lege Evangelicâ imperatur, Gen. 17: 1. *Ambula coram me, & esto integer*. Ut enim duo sunt præcipua à parte Dei foederis beneficia, peccatorum remissio, & Legis in cordibus inscriptio, Ita à parte hominis duo officia illis respondere debent, fides, quæ remissionem peccatorum sibi applicat, & poenitentia seu sanctificationis studium, quæ Legem cordibus inscriptam ad praxin revocat ambulando in ejus statutis, quod Christus innuit Marc. 1: 15. *Resipiscite & credite Evangelio.*

In fide & resipiscentia.

QUÆST. II. XXX. Licèt autem duo ista officia præcipiantur à Deo, ut opera ab homine debita; tamen promittuntur etiam ab ipso, ut dona Dei, ut hic spectanda sint simul, & ut hominis officia, & ut Dei beneficia, Ezech. 36:27. *Ponam Spiritum meum in medio vestri, & faciam ut ambuletis in statutis meis* &c. Quod singulare est istius fœderis privilegium supra fœdus naturæ, ut conditiones ipsæ pendeant à Dei gratiâ, & transeant in promissiones. Unde fit ut irritum reddi non possit prout primum fœdus, quod nitebatur hominis viribus, sed efficax & æternum maneat, quia totum quantum quantum est pendet à Deo, & omnia in hoc fœdere sunt gratuita, ipsæque adeo conditiones. Quales verò sint istæ conditiones, & quomodo se hic habeant sequens Quæstio docebit.

Ezech. 36:27.

QUÆSTIO III.

An Fœdus Gratiæ sit conditionatum, Et quænam conditiones hîc locum habeant?

Occasio Quæstionis.

I. QUæstio mota fuit superiori seculo occasione Controversiæ Justificationis adversus Pontificios inter ipsos Evangelicos, quorum alii negabant Promissiones Evangelii, seu Fœderis gratiæ esse conditionales; Alii verò affirmabant. Illi quidem ne confunderetur Lex cum Evangelio, & promissiones utriusque. Isti verò ne fidei & sanctitatis necessitas relaxaretur, & Libertinismus introduceretur: sed facile est sanam utrorumque mentem conciliare, distinctionibus quibusdam positis.

Status Quæstionis.

II. I. *Conditio* sumitur, vel *antecedenter* & *à priori*, pro eâ quæ habet vim causæ meritoriæ & impulsivæ ad obtinenda beneficia fœderis, quæ præstita homini jus dat ad præmium, vel *concomitanter & consequenter à posteriori*, pro eâ quæ habet rationem *medii & dispositionis in subjecto*, quæ requiritur in fœderatis. II. *Conditio* vel est *naturalis* fluens ex propriis naturæ viribus, vel *supernaturalis* & divina, à gratia pendens. III. Promissio fœderalis est duplex vel de *fine*, vel de *mediis*, id. vel de salute, vel de fide & resipiscentia, quia utraque est donum Dei. IV. Fœdus potest spectari, vel ratione *institutionis* à Deo, vel ratione *primæ applicationis* in fideli, vel ratione perfectæ *consummationis*.

III. His positis, Dicimus Primò, Si conditio sumatur antecedenter & à priori pro causa meritoria & impulsiva, & pro conditione naturali, rectè negari Fœdus gratiæ esse conditionatum, quia est merè gratuitum, quod à sola

sola Dei εὐδοκίᾳ pendet, à nullo verò hominis merito, nec jus ad vitam potest fundari in ulla actione nostra, sed in sola justitia Christi. Sed si sumatur consequenter & à posteriori pro causa instrumentali, fœderis promissionum receptivâ, & dispositione subjecti, quod in societatem fœderis admittitur, quæ ab ipsa gratia manat, non potest negari fœdus esse conditionatum. 1. Quia cum conditione expressa proponitur Johan. 3: 16. 36. Rom. 10: 9. Act. 8: 37. Marc. 16: 16. & alibi passim. 2. Quia nisi esset conditionatum, comminationibus non foret locus in Evangelio, quæ non possunt denuntiari, nisi adversus eos qui conditionem præscriptam neglexerint; Neglectus enim fidei & obedientiæ non potest esse culpabilis, si non exigitur. 3. Quia aliàs sequeretur Deum in hoc fœdere obstrictum esse homini, non autem hominem Deo, quod absurdissimum, & contrarium naturæ omnium fœderum, in quibus datur conventio mutua, & reciproca obligatio, quâ utrinque tenentur partes contrahentes, ut inter Virum & Uxorem, Regem & Subditos, *&c.* QUÆST. III.

IV. Secundò, Si *promissiones* fœderis intelligantur *de fine*, nemo negare potest esse conditionales, quia fiunt semper sub conditione fidei & pœnitentiæ; Sed si sumantur pro promissionibus de *mediis* nimirum de fide & regeneratione seu pœnitentiâ, certum est non posse esse conditionatas, sed simplices esse & absolutas, quia aliàs daretur processus in infinitum, & conditio conditionis semper postularetur, quod absurdum.

V. Tertiò, Si fœdus spectetur ratione *sanctionis* primæ in Christo, nullam habet conditionem præviam, sed solâ gratiâ Dei & Christi meritó nititur. Sed si attendatur ratione *acceptationis & applicationis* in fideli, conditionem habet fidem, quæ hominem nuit Christo, & sic in communionem fœderis mittit; si verò ratione *consummationis*, cum fide, obedientia & sanctitatis studium habet rationem conditionis & medii, quia sine illa nemo videbit Deum.

VI. Quamvis conditionatum statuatur fœdus gratiæ, non propterea confunduntur promissiones Legis & Evangelii, manet semper multiplex discrimen. 1. in *materia*, quia conditio Legalis est integra & perfecta Legis obedientia Rom. 10: 5. sed Evangelica est *fides* Rom. 10: 9. Joh. 3: 16. non perfecta, & expres omnis nævi, sed viva & sincera 1 Tim. 1: 5. Jac. 2: 14. 2. In *origine*, quia conditio legalis debebat esse naturalis, fluens scilicet à propriis naturæ viribus; sed Evangelica est supernaturalis pendens à gratia: Illa præcipiebatur tantùm, sed non dabatur, vel promittebatur; sed ista & præcipitur & promittitur ac datur Jer. 31: 33. Joh. 6. 45. Eph. 2: 8. 3. *In fine*, conditio Legalis habet rationem causæ meritoriæ saltem ex congruo & impropriè, rei promissæ, nimirum vitæ, *Fac hoc & vives*, ut detur illi vita, quia fecit & propter obedientiam propriam; sed Evangelica non potest *Fontes Solutionum.*

QUÆST. III. dici propriè causa salutis multò minus meritum, quia est merum Dei χάρισμα Rom. 6:23. sed tantùm organum, quo apprehenditur res promissa Act. 26:18. Rom. 5:17. & sine quo obtineri nequit Heb. 11:6.

VII. Si fœdus gratiæ diceretur pendere à conditione humana instabili, ejus efficacia & immutabilitas everteretur, sed quia conditio est supernaturalis & divina, quæ ab efficacia omnipotenti gratiæ producitur; tantùm abest ut per eam labefactetur, ut contra magis magisque firmetur ex Paulo Rom. 4:16. Rom. 4:16. *Ex fide est, ut sit per gratiam, ut promissio sit firma toti semini*, quia foedus non nititur conditione quæ sit in nobis, sed merà Dei gratià, & inviolabili ejus fidelitate, & infinito Christi merito.

VIII. Quum Christus Juveni sciscitanti quid faciendo vitam posset consequi, respondet *serva mandata* Matt. 19:17. non vult innuere eandem obedientiam eodem modo in utroque foedere exigi, quia respondens ad hominem non agit interpretem foederis gratiæ, sed Legis Mosaicæ, ut leguleium illum turgidum ex Lege servari volentem propriæ impotentiæ convinceret, & sic ad Mediatorem adduceret. *Mat. 19:17*

IX. Licèt foedus gratiæ sub notione Testamenti proponatur, quod à nulla suspensum est conditione; cujus respectu fit, ut omnia officia hominis, quæ σχέσιν conditionem induunt sint beneficia Dei, quæ cadunt sub promissiones ejus: Non obstat hoc tamen, quin habeat etiam rationem foederalem juxta quam dicitur *Testamento-fœdus* ut antea dictum, & conditiones a parte hominis continet.

II. Quæstio quænam conditiones sint in fœdere gratiæ.

X. Secundò, Quæritur hîc, Quænam conditiones in hoc foedere locum habeant, & sub quâ σχέσει. An fides sola dicenda sit conditio foederis gratiæ; An cum ea resipiscentia & obedientia novæ vitæ. Et ad *fidem* quidem quod attinet. Non quæritur; An sit conditio istius foederis, Scripturà tam clarè hoc asserente Joh. 3:16. Rom. 1:16. 17. & 10:9. Sed 1. quomodo se hic habeat; 2. An sola has partes obeat.

Quomodo fides sit conditio fœderis.

XI. Quoad prius, Quum fidem dicimus conditionem istius foederis, intelligimus eam non absolutè, & secundùm suam naturam & essentiam, quia sic continetur sub obedientia, utpote quæ Lege præcipitur, perinde ut aliæ virtutes, adeoque illi nequit contradistingui. Unde non posset acceptari pro justitia vel obedientia Legis, quia tale judicium Dei non foret secundùm veritatem, siquidem fides est tantùm minima pars illius justitiæ; Sed spectanda est *relativè*, & *instrumentaliter*, quatenus Christum amplectitur, & sibi ad justitiam applicat, & per illum jus vitæ æternæ adipiscitur. Primò, quia contradistinguitur operibus Legis, quod nequit fieri si sumitur absolutè, quia sic est opus legis. Secundò, quia fides nonnisi instrumentaliter sumpta potest consistere 1. cum *Dei gratia*, ad quam scilicet nihil requiritur nisi receptio, quæ est propria fidei actio Rom. 5:17. Joh. 1:12. unde Paulus, *est*

ex

ex fide ut sit per gratiam, aliæ enim omnes virtutes aliquid dare videntur Deo, ista verò sola in recipiendo occupatur, *salvati estis* per *gratiam*, *per fidem* Eph. 2: 8. gloriatio excluditur per Legem fidei Rom. 3: 27. 2. cum *hominis peccatoris conditione*, quia in primo momento justificationis nihil est in eo præter fidem, quæ possit Deo placere. 3. cum *Mediatoris satisfactione & justitia*, quia illam sibi applicat. 4. cum *vita æterna* tanquam dono & hæreditate Dei, quia fides illam apprehendit in Evangelio Rom. 3: 24. 25. 1 Cor. 1: 30. Eph. 1: 3. 4. & 2: 8. 5. cum *Evangelii promissionibus*, quod proponit vitam homini, non tanquam acquirendam, ut Lex, sed tanquam acquisitam. Tertiò, Quia Christus est justitia nostra, 1 Cor. 1: 30. 2 Cor. 5: 21. in quo habemus redemtionem & vitam. Ergo non potest tribui fidei *materialiter* quatenus est opus, sed *instrumentaliter* quatenus se habet ut manus apprehendens.

QUÆST. III.

XII. Fides autem in isto foedere opponitur ipsi justitiæ seu obedientiæ, non ideo, quòd nequeant simul subsistere, cùm ea demum sit vera fides, quæ per charitatem sive obedientiam est efficax: Sed quòd nequeant simul se habere *causaliter*, cùm utriusque causalitas totâ specie distinguatur, una meritoria & principalis, altera organica tantùm & instrumentalis. Justitia dat, Fides accipit; Justitia est in mutuo amore Dei, Fides in persuasione de Amore Dei. Unde quod uni adimitur, tribuitur alteri, non ratione ejusdem causalitatis, sed ratione effectus, quia fides in foedere gratiæ nobis est loco operum, id. obtinet nobis, licet in diverso causæ genere, quod opera debuissent facere in foedere naturæ.

XIII. Ut verò ulterius cognoscatur, Quomodo fides rationem conditionis habeat in hoc foedere; Sciendum fidem hoc non præstare nisi relatè ad Christum, quatenus est medium & instrumentum nostræ unionis cum Christo, quod nobis eum conciliat, *ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum*, Joh. 20: 17. Ita non possumus recipi in foedus Dei, nisi quatenus unimur Christo, qui fundamentum est foederis, & vinculum nostræ communionis cum Deo. Quia verò plurimùm interest nosse, An fides nostra sit verè *fides unionis*; hoc non tam à priori, quàm à posteriori ex ejus operationibus percipi potest, Si nim. *amorem* ferventem Christi id nobis excitat Cant. 5: 10. 16. Phil. 3: 8. Joh. 1: 14. & 21. 15. & *desiderium* ardens eo fruendi Ps. 42: 1. & 84: 1. 2. Phil. 1: 23. & *separationem* à rebus omnibus terrenis & carnalibus, quæ unionem nostram cum Christo impediunt, qualis est *amor peccati* & *mundi*, Hos. 4: 8. Rom. 6: 2. Mat. 10: 37. 1 Joh. 2: 15. 16. Jac. 4: 4. unde Mercator Evangelicus omnia vendit pro unione isto preciosissimo, Mat. 13: 46. Moses thesauris & honoribus Ægyptiacis præfert opprobrium Christi Hebr. 11: 25. 26. Discipuli omnia relinquunt, ut Christum sequantur Matth. 19: 27.

QUÆST. III. *Præsumptio* propriæ justitiæ, quia *sani non opus habent medico*, sed ægri, & Christus *non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*, Matth. 9: 12. 13. *Incredulitas, impœnitentia*, & alia id genus peccata & opera carnis quæ ἀσύςατα sunt cum Christo Rom. 8: 1. 10. Præcipuè si duos actus unionem illam immediatè & necessariò consequentes producat, hinc à parte Christi *sensum* amoris ejus per *consolationem* Spiritus S., qui obsignando adoptionem nostram in cordibus nostris, nobis persuadet nos esse Filios Dei, hæredes Dei, & cohæredes Christi, Christum habitare in nobis, & factum esse nostrum Rom. 8: 15. 16. 1 Johan. 3: 24. à parte nostri verò *consensum* mutuum amoris nostri, per sanctificationis studium, quo ut Christus nos amat, amamus eum vicissim, ut se dat nobis, nos totos illi damus, ut non amplius vivamus nobis, sed in fide Filii Dei qui nos dilexit, & seipsum dedit pro nobis Gal. 2: 20. 2 Cor. 5: 15. quod Sponsa patheticè describit Cant. 2: 16. *Amicus meus est meus, & ego sum ipsius.*

XIV. Ut autem *consensus* iste sit verus, non debet esse consensus *de futuro*, qualis est eorum qui conversionem suam quotidie differunt, sed de *præsenti*, ut si hodie vocem Christi audiamus, non induremus cor nostrum, sed gratiam oblatam recipiamus; Non *distinguens* Christum Redemptorem & Dominum, Vadem & Caput, beneficia & officia, ut fit ab iis qui Christi meritum libenter amplectuntur, sed nollent ipsius dominio subjici, vellent frui beneficiis, sed ad officia non teneri; Sed *conjungens* Christum totum cum suis officiis & beneficiis, ut illum non modò pro Vade, sed & pro Capite, non modò pro justitia, sed & pro sanctificatione, pro Salvatore qui redimat, sed & pro Domino qui regat, & cui obsequi in omnibus teneamur. Non *exceptivus* & *conditionalis*, qualis est eorum qui consentiunt Christo & ejus Evangelio, sed usque ad crucem & persecutionem, quà accedente recedunt & scandalizantur; Sed *totalis* & *absolutus*, ut sine ulla limitatione Christum sequamur in omni statu, non modò triumphantem & gloriosum in Cœlis, sed & patientem & cruci affixum in Terris, quocunque nos duxerit, ut parati simus & vivere & mori cum ipso. Ita communio nostra cum Christo vera & salutis futura est, & cum bonis omnibus Christi, communio in *eundem Spiritum* Rom. 8: 9. 1 Cor. 6: 17. *In eandem vitam* Gal. 2: 20. *In eandem justitiam* 2 Cor. 5: 21. Jer. 23: 6. *In eandem gloriam & hæreditatem* Joh. 17: 21. 24. Rom. 6: 8. & 8: 17. Et ut bona Christi recipimus in ejus communione; Ita vicissim Christus expectat à nobis *amorem* Joh. 21: 17. 1 Pet. 1: 8. & *subjectionem* Eph. 5: 24 Matth. 11: 29. Ps. 2: 11. & 110: 3. sinceram, plenam, & constantem.

XV. Sic demonstratum fuit quomodo fides conditio sit in isto fœdere; Nunc videndum, An sola id muneris obtineat, An verò aliæ virtutes cum ea, & præcipuè resipiscentia; De quo disceptatur inter ipsos Orthodoxos, a-

aliis negantibus, affirmantibus aliis. Nos distinctione rem facilè posse componi putamus, si diversum conditionis sensum capiamus. Potest enim, vel *late* & *improprie* sumi, pro iis omnibus quæ homo in fœdere gratiæ tenetur præstare, vel *stricte* & *proprie* pro illa, quæ habet causalitatem aliquam ad vitam, & à qua non tantum *antecedenter*, sed & *causaliter* suo modo pendet vita æterna. Si posteriori sensu, fides est sola conditio fœderis, quia sub hujus solius conditione remissio peccatorum & salus ac vita æterna promittitur Joh. 3: 16. 36. Rom. 10: 9. nec ulla datur alia quæ munus istud obire possit, quia nulla alia datur, quæ sit receptiva Christi & applicativa justitiæ ipsius. Sed priori nihil obstat pœnitentiam & novæ vitæ obedientiam conditionem dici, quia inter officia fœderis continentur Joh. 13: 17. 2 Cor. 5: 17. Rom 8: 13.

XVI. Secundò, *Conditio*, vel est *antecedens* acceptationem fœderis, quæ habet rationem causæ, ut in illud recipiamur, vel *subsequens*, quæ habet rationem medii & viæ, per quam tendimus ad ejus consummationem. Priori sensu fides sola est conditio fœderis, quia sola amplectitur Christum cum suis beneficiis; Sed posteriori sanctitas & obedientia rationem possunt habere conditionis, quia sunt medium & via per quam tendimus ad plenam possessionem bonorum fœderis; Et si non habent causalitatem sive respectu justificationis, sive respectu vitæ æternæ, quæ ab illa resultat; aliis tamen respectibus ad hoc fœdus pertinent, tum ut *fidei* veræ & sinceræ *comites inseparabiles*, quia *fides debet esse per charitatem efficax* Gal. 5. tum ut *qualitates salvandorum* Matt. 5: 8. & 25: 35. 36. Hebr. 12: 14. tum ut *fructus Spiritus* in Christo Rom. 8: 2. 9. 10. & *nota conformitatis* nostræ cum Christo Rom. 6: 4. 5. Col. 3: 1. Eph. 2: 4. 5. tum ut *documenta gratitudinis* nostræ erga Deum Tit. 2: 14. tum ut *testimonia nostræ filiationis* Johan. 3: 3. Rom. 8: 15. tum *ut officia Deo debita* à creatura rationali Luc. 17: 10.

XVII. Non eadem est ratio per omnia *Justificationis* & *Fœderis*; ad illam sola fides concurrit, sed ad hujus observationem præter fidem aliæ etiam virtutes requiruntur, quæ faciunt non tantùm ad acceptandum fœdus, sed etiam ad illud observandum. Duo enim hæc conjungi semper debent, acceptatio fœderis, & acceptati observatio; fides acceptat per receptionem promissionum, obedientia observat per impletionem mandatorum, *sancti estote, quia sanctus sum.* Nec tamen hac ratione confunditur obedientia Legalis & Evangelica, quia Legalis præscribitur ad merendam vitam, Evangelica verò tantùm ad eam possidendam; illa præcedit ut causa vitæ, *fac hoc & vives*, ista sequitur ut ejus fructus, non ut vivas, sed *quia vivis*; Illa non admittitur nisi perfecta & absoluta omnibus numeris, Ista admittitur etiam imperfecta, modò sit sincera; Illa tantùm jubetur ut officium hominis, ista etiam promittitur & datur ut donum Dei.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quomodo conveniant & differant inter se Fœdus Operum, & Gratiæ?

Fœdus operum & gratiæ conveniunt. I. FOedus operum, & gratiæ in variis conveniunt, 1. in *Authore*, qui utrobique Deus est, cui soli jus competit foedus cum Creatura sanciendi. 2. in *partibus contrahentibus*, quæ sunt Deus & homo. 3. in *fine generali*, Dei gloriâ. 4. in *forma extrinseca*, quia utrique annexa est restipulatio. 5. in *promissione*, quæ est vita & felicitas coelestis & æterna.

Et differunt 1. Authore. II. Sed in multò pluribus differunt. 1. Ratione *Authoris*, quamvis enim Deus sit utriusque foederis author, sub diversa tamen σχέσει spectandus est; in primo quà Creator & Dominus, in secundo quà Redemptor & Pater: ad primum impulsus fuit amore & benevolentiâ erga Creaturam integram, ad posterius misericordiâ & gratiâ speciali erga Creaturam miseram.

2. Partibus contrahentibus. III. 2. Ratione *Partium contrahentium*, inter quas initum est foedus: nam in primo duæ tantùm fuerunt Deus & homo, nec ullo opus fuit Mediatore, quia nullum adhuc dissidium fuit inter eas, in altero, quod post lapsum sancitum est, requirebatur necessariò Mediator, qui pacem faceret, & homines Deo, Deum hominibus reconciliaret; Ideo illud *fœdus amicitiæ* vocatur, Istud verò *fœdus reconciliationis*, quod supponit dissidium præcedens quod componi debuit.

3. Fundamento. IV. 3. Ratione *fundamenti*, prius nitebatur propriâ hominis obedientiâ, & naturæ seu liberi arbitrii viribus, homo quippe positus fuit in manu consilii sui; Sed posterius nititur Christo & ejus obedientiâ. Unde vocatur ipse *fœdus populi* Isa. 49: 8. nec homo amplius est in manu consilii sui, in qua positus statim lapsus est, sed in manu Dei, cujus virtute efficacissimè in æternùm custoditur 1 Pet. 1: 5.

4. Promissione. V. 4. Ratione *Promissionis*, non in eo, quod prius promitteret tantùm perpetuam felicitatem, sed in Paradiso fruendam, ut nonnulli vellent non satis naturam foederis istius perspicientes, nam felicitas & vita coelestis non minus in primo foedere, ac in secundo promissa fuit, ut probatum fuit P. I. Lo. VIII. Q. VI. Sed in eo discrimen positum est, quod in primo promittebatur tantùm *vita* id. status omnium bonorum aggregatione perfectus, sed in hoc *salus*, quæ cum vita importat liberationem à peccato & morte. Primum promittebat vitam ut mercedem debitam Rom. 4: 4. Alterum verò ut donum Dei Rom. 6: 23.

VI. 5. Ratione *conditionis* præscriptæ, In illo Opera, *Fac hoc & vives*, In secundo Fides, *Crede & servaberis*; Illa sita erat in dandâ perfectâ justitiâ hominis; Ista in recipiendâ infinitâ justitiâ Dei; Illa exigebatur in foro justitiæ, in quo vel sententia absolutionis ferebatur justo, vel condemnationis peccatori, quia nulla dabatur spes veniæ; Ista in foro misericordiæ, ubi sententia absolutionis peccatoribus, sed credentibus & pœnitentibus pronunciatur. QUÆST. IV. 5. Conditione.

VII. Nec opponi hic potest fidem etiam in primo fœdere requisitam fuisse, & in secundo opera non excludi, ut suprà dictum. Quia alia longè est utriusque ratio; Nam fides in primo fœdere exigebatur, ut opus & pars justitiæ inhærentis, cui vita promittebatur. Sed in secundo exigitur, non ut opus propter quod vita detur, sed ut merum instrumentum apprehendens justitiam Christi, propter quam solam salus nobis conceditur. In illo fides fuit virtus Theologica ex viribus naturæ, quæ in Deum Creatorem ferebatur; In isto fuit conditio Evangelica per modum supernaturalis gratiæ, quæ fertur in Deum Redemptorem. Et ad opera quod attinet, requirebantur in primo, ut conditio antecedens per modum causæ ad vitam acquirendam, sed in secundo se habent tantùm ut conditio subsequens per modum fructus & effectus vitæ jam acquisitæ. In primo præcedere debebant justificandum, in secundo sequuntur justificatum.

VIII. 6. Ratione *finis*, nam finis primi fuit declaratio justitiæ, sed secundi manifestatio misericordiæ, & immensæ charitatis Dei. In illo obtinebat τὸ ἀκριβοδίκαιον Legislatoris & Judicis, per quod ut nullus datur locus pœnitentiæ, Ita nec veniæ; Sed in isto obtinet ἐπιείκεια Patris, qui aperit viam ad gratiam & salutem peccatoris. 6. Fine.

IX. 7. Ratione *manifestationis*, nam ut prius fuit in statu naturæ pactum; Ita naturâ notum fuit, & conscientiis hominum impressum, in quibus opus Legis est inscriptum Rom. 2: 14. 15. Sed secundum mysterium est planè absconditum, quod ratio assequi non potest, nisi supernaturali revelatione nobis innotescat, quia à solâ Dei εὐδοκίᾳ & consilio ejus liberrimo pendet; quod proinde nemini, nisi Deo ipso aperiente, innotescere potuit; hinc Christus Matt. 16. carnem & sanguinem istud revelare non posse testatur, sed solum Patrem qui est in cœlis, & 1 Cor. 2: 9. mysteria Evangelii dicuntur esse *talia, quæ oculus non vidit* &c. 7. Manifestatione.

X. 8. Ratione *ordinis*, Fœdus operum præcedit, & Fœdus gratiæ sequitur, ab illo ad hoc datur provocatio, à throno justitiæ ad thronum misericordiæ. Unde violanti fœdus naturæ datur remedium in fœdere gratiæ, sed violanti fœdus gratiæ, nullum suppetit amplius remedium vel spes veniæ; quia nullum datur aliud fœdus in quo reconciliari possit cum Deo. Ideo peccatum in Spiritum S. est irremissibile, quia contra fœdus gratiæ perpetratum. 8. Ordine.

XI. 9. Ratione *extensionis*, quia primum fuit *universale* cum omnibus 9. Extensione.

QUÆST. IV. hominibus in Adamo pactum; Unde nemo mortalium est, qui naturâ non sit sub fœdere operum, utpote qui gerunt singuli opus Legis, quæ contractus est istius fœderis, scriptum in conscientia sua Rom. 2: 14. sed posterius est *particulare*, cum solis electis & salvandis in Christo contractum, ut postea probabitur.

10. *Effectis.* XII. 10. Ratione *effectorum*, Primum materiam gloriandi dabat homini quum observabatur; sed istud omnem hominis gloriationem excludit, quia solâ Dei gratiâ nititur Rom. 3: 27. *Gloriatio est exclusa, non per Legem operum, sed per Legem fidei*, Primum post lapsum factum est terribile, quod horrorem incutit conscientiis; Sed posterius gratiosum est & salutare; Primum generat ad servitutem, Alterum ad libertatem; In primo Deus ex monte Hebal maledictiones detonat in peccatores, In secundo verò velut ex monte Gerizim benedictiones promulgantur; Primum fugat homines à Deo, quia nemo potest per illud ad Deum accedere; Sed posterius revocat homines ad Deum, & aperit thronum misericordiæ, ad quem cum fiducia accedentes possumus auxilium invenire tempore opportuno.

QUÆSTIO V.

DE UNITATE FOEDERIS GRATIÆ.

An unum & idem Fœdus Gratiæ quoad substantiam fuerit in utroque Testamento? Affir. cont. Socin. Anab. & Remonstr.

I. CONtroversia hæc gravissima nobis intercedit cum Pelagianis veteribus & recentioribus, Socinianis putà, Remonstrantibus, Anabaptistis, & aliis, qui negant identitatem fœderis gratuiti, & nolunt Patres V. T. salvatos esse ex gratuitâ Dei misericordiâ in Christo Mediatore θεανθρώπῳ per fidem ipsius venturi.

Sententia Socinianorum. II. Sociniani mentem suam exprimunt *Catechef. Rakovi.* c. 5. ubi profitentur Lege Christi duo promissa contineri, nimirum Vitæ æternæ, & Spiritus Sancti, quæ Lege Mosis non continebantur, *Nusquam*, inquit, *in Lege Mosis reperies, vel vitam æternam, aut donum Spiritus S. obedientibus præceptis Legis promissum, quemadmodum in Lege per Christum data promissa esse constat:* quod Socinus de Officio Christi clariùs confirmat, *Dicimus igitur novum fœdus apertissimè vitæ æternæ promissionem nobis attulisse, præterea promissum remissionis peccatorum* &c. *denique promissum*

om-

omnibus fidelibus consequendum, Spiritus Sancti. Quibus omnibus cùm vetus fœdus illud careat & caruerit, & terrenam felicitatem proposuerit, facile est novi fœderis præstantiam hac in parte agnoscere. Idem probare satagit *Volkelius* variis argumentis, lib. 3. de Relig. cap. 11. & *Smalcius* de Divin. Christi c. 2. & 7. Non negant tamen Patres V. T. salvatos, vel salvandos beatitudine æternâ fuisse, *Ne quid dissimulemus*, inquit Smalc. c. 7. *firmiter statuimus, etiamsi promissio nulla aperta extet in Vet. Fœdere vitæ æternæ; eam tamen aliquando datam iri omnibus illis, quicunque Deo unquam confisi sunt, & eidem obediverunt*, cum quo facit Volkel. pariter c. 11. Nec negant Deum remisisse illis peccata, quamvis hoc non promiserit, vel significârit se facturum, Soc. de Serv. p. 3. c. 2. & de Justif. c. 8. & Patres notitiam & spem vitæ æternæ aliquam habuisse, utcunque ipsis non promissæ *Smalc.* de Div. Chr. c. 7. Christum & gratiam ac salutem in Christo prædictam olim in V. T. fuisse. Socin. prælect. *Certum est autem, non tantum Christum fuisse revera & esse Servatorem nostrum, sed etiam id prædictum per Prophetas fuisse, ut inter alia loca fidem faciunt* c. 23. & 33. Jerem. *&c.* Sed non propterea volunt, vel Veteres ad Christum respexisse, vel in spe illius venturi servatos fuisse. Idem Epist. 2. ad Radecium Biblioth. Socin. p. 377. *In eo abs te dissentio, quod videris concedere, viros pios qui sub V. T. fuerunt, ad Christum in cæremoniis illis & sacrificiis in quibus adumbratur, respexisse, & in spe illius venturi servatos fuisse, id quod ego mihi persuadere nulla ratione queo* &c. Hinc distinguunt fidem illorum temporum & nostram, ut illa fides fuerit in Deum simpliciter, hæc verò fides etiam in Christum. *Smalc.* contra Frantz. Disput. ultimâ, *Nec fides illa fuit fides Jesu Christi, sed fides Deo & promissis illius adhibita*, & Volkel. l. 4. c. 3. vult differre in tribus fidem Veterum & nostram, & inprimis, *quòd hodie tam in Christum, quàm in Deum credere jubeamur, olim verò nequaquam talem fidem extitisse, vel ex eo patet, quòd Christus tunc nequaquam adhuc extiterit.* QUÆST. V.

III. Remonstrantes non alieni sunt à Socinianis. *Arminius* quidem Disp. de Legis & Evangelii comparatione, convenientiam utriusque Testamenti bene collocat in una eademque utriusque materia, fidei scilicet obedientiâ utrobique requisitâ, & vitæ æternæ hæreditate promissâ per justitiæ fidei imputationem, & gratiosam in Christo adoptionem; Unum objectum esse Christum: Differentiam autem esse in accidentalibus nonnullis, quæ nihil derogant unitati substantiali. Sed qui secuti eum sunt, aliter loquuntur, Apologistæ c. 7. vocant *quæstionem de fide in I. Christum, An & quomodo ea sub V. T. locum habuerit, inconcinnam, ambiguam & inutilem, & certum esse locum nullum esse unde appareat fidem istam sub V. Testam. præceptam fuisse, aut viguisse.* Tandem revelationis modum distinguunt clarum, Remonstrantium.

 vel

QUÆST. V.

vel obscurum, & ajunt fidem in Jesum Christum nec apertè, nec directè, sed tamen indirectè & obscurè in Veteri Testamento præscriptam fuisse, nempe sub fide generalis Dei favoris & gratiæ comprehensam & involutam. Idem tradunt de promisso vitæ æternæ cap. 15. quod confirmat *Episcop.* lib. 3. S. 4. *Ex his facile colligere est, quid statuendum sit de quæstione illa famosâ, An vitæ æternæ promissio in V. Fœdere locum habuerit, vel potius in fœdere ipso comprehensa fuerit. Si enim speciales promissiones in fœdere ipso Veteri expressæ videantur, fatendum est, nullam vitæ æternæ disertam promissionem in illis reperiri, si quis contra sentiat, ejus est locum dare, ubi illa extet, quod puto illi impossibile esse; Sed verò si promissiones generales videantur, fatendum ex altera parte est, eas tales esse, ut promissio vitæ æternæ non subesse tantùm videatur, sed & Dei intentione eam eis subfuisse etiam credi debeat.*

Anabaptistarum. IV. *Anabaptistæ* non pauci eundem errant errorem, ut constat ex Collo. Franco. art. 15. 16. ubi non aliter de Israëlitico populo loquuntur, quàm de aliquo porcorum grege, utpote quem nugantur à Domino in hac terra saginatum citra spem ullam cœlestis immortalitatis, bona tantùm temporalia, & promissiones terrenas illis datas asserentes, quæ fuit etiam Serveti impietas, contra quam solidè disputat Calvi. Insti. li. 2. c. 10.

Status Quæstionis. V. Ex quibus non obscurè colligi potest Quæstionis Status. Non quæritur 1. An foedus gratiæ varium fuerit quoad accidentalia, & diversos dispensationis & patefactionis modos & gradus. Fatemur enim sub hac σχέσει multiplex esse discrimen inter Vet. & N. Test. seu veterem & novam oeconomiam; ut suo loco probabitur. Sed, An idem fuerit quoad *substantiam* & partes essentiales foederis, id. tum quoad foederatos ipsos, tum quoad pactionem foederalem mutuâ partium obligatione constantem. An idem utrobique Mediator Christus, eadem in Christum fides, eorundem beneficiorum spiritualium & coelestium promissiones, eadem reconciliationis & salutis via, variante tantùm foederis oeconomiâ & administratione? Quod Adversarii negant. Nos affirmamus.

VI. Non quæritur, An Patres V. T. salvati sint, & An illis remissa fuerint peccata, An spem aliquam vitæ æternæ habuerint? An Christus ipsis prædictus fuerit? Hoc enim negare non sustinent plerique ex Adversariis. Sed, An ad Christum respexerint, & in spe illius venturi servati sint? An promissiones non tantùm temporales, sed etiam spirituales & coelestes de vitâ æternâ, & Spiritu Sancto ipsis datæ fuerint? Et, An idem quod nobiscum in Christo initum est foedus, cum ipsis jam contractum fuerit, licèt obscurius & tectius? Quod negant, Nos asserimus, statuentes Christum non tantùm Patribus prædictum, sed & promissum fuisse, & per gratiam ejus non minus salvatos fuisse in Vet. Test. quàm nos salvamur in Novo; nec aliud nomen da-

datum esse sub cœlo jam à principio, ex quo salus sperari possit Act. 4:12. idque juxta fœderis gratuiti inviolabilem promissionem. QUÆST. V.

VII. Rationes sunt 1. in genere, Quia Scriptura fœdus gratiæ, quod nobiscum Deus contraxit in N. T. idem esse docet cum fœdere jam olim cum Abrahamo inito. Hinc Zacharias in Cantico suo Luc. 1:68. 70. 72. 73. ait *Deum visitasse & redemisse populum suum, juxta id quod promiserat per os sanctorum Prophetarum, qui fuerunt ab omni ævo, ad faciendum misericordiam erga Patres, & recordandum sancti fœderis juxta jusjurandum factum Abrahamo*: Et Petrus Act. 3. 25. Judæos alloquens de diebus Christi, qui ab omnibus Prophetis prædicti fuerant, ait, *Vos estis Filii Prophetarum & fœderis facti cum Patribus, dicendo Abrahamo, In semine tuo benedicentur omnes gentes* &c. Et Paulus promissionem Evangelii nomine insignit Gal. 3:8. *Prævidens Scriptura, quod ex fide justificat Gentes Deus, praeuangelizavit Abrahamo, dicens, In te benedicentur omnes gentes.* Unde justificationem Abrahæ per fidem in exemplum nostræ affert Rom. 4:3. & ipsum ut *Patrem credentium*, tàm Judæis quàm Gentibus proponit, quod non potuisset fieri nisi per identitatem fœderis, quod ex eo confirmatur, quod Gal. 3:17. promissionem datam Abrahæ vocat διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, *fœdus primo ratificatum à Deo in Christo.*

Identitas fœderis gratiæ probatur 1 ex Scriptura.

VIII. 2. In specie ex partibus omnibus foederis gratiæ, quæ utrobique eædem fuerunt. Quales sunt, *Clausula fœderis* quòd Deus futurus sit Deus noster, & seminis nostri, nam ut jam proposita fuit Abrahamo Gen. 17. & renovata Mosi Exod. 3. in visione & passim in legislatione, confirmata in captivitate, & post eam Ezech. 36. Ita non alia proposita fuit in foedere gratiæ ut fundamentum omnium beneficiorum tam spiritualium quàm coelestium Matt. 22: 2 Cor. 6:16. Apoc. 21:3.

2. Ex Identitate clausula fœderis gratia.

IX. 3. *Identitas Mediatoris*, qui datus est in V. & N. Test. qui foederis est fundamentum, Semen scilicet mulieris benedictum, quod debuit conterere caput serpentis Gen. 3:15. colla. cum Hebr. 2:14. & Rom. 16:20. Semen Abrahami in quo benedicendæ fuerunt omnes gentes terræ Gen. 22:18. Christus sc. Gal. 3:16. qui in V. T. *Angelus faciei* Jehovæ Is. 63:9. *Angelus fœderis* Mal. 3:1. *fœdus populi & gentium* id. ejus Mediator Isa. 42:6. & 49:8. qui morbos populi tulit & propter ejus peccata attritus fuit Isa. 53:5. 6. & in N. T. Mediator inter Deum & Homines 1 Tim. 2:5. Mediator Novi Test. & melioris pacti Heb. 8:6. & 9:15. qui *idem est heri, hodie, & in secula* Heb. 13:8. per cujus gratiam Patres non minus servati sunt, quàm nos Act. 15:10. 11. cui Testimonium reddunt omnes Prophetæ Act. 10. 43. unicum nomen datum sub coelo, per quod salvari nos oportet Act. 4:12. via, veritas & vita, ita ut nemo possit venire ad Patrem nisi per ipsum Joh. 14:6.

3. Ex Identitate Mediatoris.

QUÆST. V.

Heb. 13:8. X. Frustra excipitur ad Heb. 13:8. ubi *Christus dicitur, heri, hodie, & in secula idem.* Vel agi de doctrinâ, non de Personâ & foedere in ea sancito. Quia si doctrina est æterna, ergo & Persona, quæ eam tradit, & foedus quod in ea proponitur. Vel *heri* notare tantùm dies carnis ante ascensionem, & *hodie* tempus post ascensionem. Quia hoc repugnat scopo Pauli, qui est hortari ad fidei constantiam, argumento petito ab identitate & perpetuitate doctrinæ Evangelicæ, cujus Christus Mediator objectum est. Vel per *heri & hodie* notari rem nuperam & recentem, quæ non ita pridem initium habuerit, quomodo homines dicuntur hesterni apud Jobum 8:9. & ἐφήμεροι *hodierni* apud Græcos propter ætatis brevitatem. Quia locutiones planè sunt dissimiles, esse תמול ab *heri* & *nudiustertius* facit ad depressionem naturæ humanæ; Sed hic Christus dicitur jam heri fuisse, & hodie esse, ac in æternum per omnes temporis differentias ad ejus gloriam & æternitatem designandam; nec tantùm dicitur heri, hodie, & in secula, sed *idem*, id. non alius & alius, vel nunc, vel tum, vel postea, sed semper & ubique idem Jesus Christus, quod dici non posset, nisi Christus jam a principio Mediator fuisset foederis gratiæ, & Propheta ac Doctor Ecclesiæ.

Act. 15:11. XI. Locus Act. 15:11. non potest intelligi de Apostolis collatis cum fidelibus gentilibus conversis, non verò cum Patribus Vet. Test. ut vellent. Quia proximè de Patribus locutus fuerat Petrus, atque ita commodè ad Patres referuntur sequentia, *Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus servari* κατ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι *quemadmodum & illi.* 2. Scopus Petri hoc exigit, qui vult probare, jugum Legis cæremonialis non esse imponendum cervicibus Gentium, eò quod ipsi Patres non potuerint illud portare, sed servati sint per eandem Christi gratiam nobiscum. 3. Si Apostoli voluissent se cum Gentilibus jungere in modo salutis, non dixissent, Nos credimus salvari sicut & illi, sed potius vice versa, illi, quemadmodum nos, Apostolorum enim non fuit Gentiles sequi, & hos sibi in modo salutis proponere in exemplum, sed contrà. 4. Nec absurdum est Petrum differentem de modo, quo gentes salutem consequi debebant, desinere in argumentum ex Patribus desumptum, quia una est salutis omnium ratio, Et si Patribus jugum Legis fuit ἀβάστακτον, rectè colligitur gentes jugo illo non esse urgendas.

Act. 4:12. XII. Falsò etiam pertenditur verba Act. 4:12. *Nullum nomen datum esse præter nomen Jesu ad salutem*, intelligi tantùm de tempore, quo Christus patefactus est, non verò ad præteritum posse extendi. Verba enim ipsa vanitatem glossæ confutant, quæ non asserunt nunc nullum nomen dari hominibus in quo salventur, sed nullum nomen datum esse ἐν ἀνθρώποις id. *inter homines* omni tempore: Et res ipsa hoc postulat, cùm enim nulla salus homini peccatori dari possit sine Mediatore, & nullus sit Mediator præter

ter Christum, sequitur vel nullam salutem habuisse Patres, vel per Christum salvatos fuisse: Nec si verba enunciantur in præsenti, continuò negantur de præterito, ut nec de futuro, sed hoc fit, ut veritas mediationis Christi omni tempore asseratur. QUÆST V.

XIII. Verba ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Apoc. 13:8. non sunt separanda ab iis, quæ immediatè præcedunt *agni mactati*, & conjungenda cum *libro vitæ* per trajectionem, ut fit Apoc. 17:8. 1. Quia nulla necessitas istius trajectionis, quæ vim affert seriei sermonis, qui longè commodiùs fluit, quum ita legimus, *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni mactati ab origine mundi*, quàm ex mente Adversariorum; quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro vitæ agni mactati; Ut enim liber vitæ dicitur *liber vitæ agni* Apoc. 21:27. non debet divelli à verbis ἀρνίου ἐσφαγμένου. 2. nusquam ponitur nudè *agnus mactatus*, sed semper mentio fit, vel temporis à quo, vel personarum pro quibus, vel quibus de causis mactatus fuerit. 3. optimè dicitur *mactatus ab origine mundi*, non in se, sed *intentionaliter* in decreto Dei, *objectivè* in promissionibus Verbi, & fide Patrum, *typice* in Sacramentis & Sacrificiis. 4. dato non concesso verba ita esse exponenda, non perit vis argumenti, quia nemo potest scribi in libro vitæ, nisi in Christo mactato seu morte ejus. *Apoc. 13.8.*

XIV. Quartò, Quia eadem est utrobique *Conditio* foederis, scil. *fides*, per quam salutem obtinuerunt; patet in Abrahamo, cujus fides ad justitiam dicitur imputata Gen. 15:6. & quæ nobis in exemplum proponitur Rom. 4:11. & Gal. 3:6. 7. 8. in Davide Ps. 116:10. colla. cum 2 Cor. 4:13. in Veteribus, quorum fides celebratur Heb. 11. per totum. Eò pertinet quod Habac. 2:4. dicitur Justus ex fide vivere, ubi non tantùm fit mentio fidei, sed & justificationis à fide suspensæ Rom. 1:17. Unde Petrus testatur Prophetas Christo testimonium perhibere, quòd *remissionem peccatorum accepturus sit, quisquis in ipsum crediderit* Act. 10:43. Nec excipi potest fidem Veterum esse generalem in Deum, non specialem in Christum servatorem, quia contrarium patet ex variis. 1. fides nulla potest esse salutaris, nisi nitatur Christo. 2. de fide agitur, quâ Deum respexerunt ut Deum suum Heb. 11. & coelum ut patriam. At hoc non potest fieri sine Christo. 3. de fide quâ Christum ipsum spectarunt, & opprobrium ejus omnibus thesauris prætulerunt v. 26. 4. mandatum fidei in Christum non modò generale, sed & speciale habetur in Vet. Test. Ex. 23:20. 21. Deut. 18:18. 19. Ps. 2:12. Is. 53:1. 5. si non esset eadem fides Veterum cum nostra, malè nobis imitanda proponeretur Heb. 12:1:2. Rom. 4:12. nec satis solidè Paulus argumentari posset à fide Patris credentium & ejus justificatione ad nostram Gal. 3. & Rom. 4. *4. Ex Identitate Conditionis.*

XV. Quintò, Quia eædem datæ sunt nobiscum *promissiones* spirituales, quanquam sæpè sub velo & cortice temporalium: patet 1. in *genere* quoad *5. Ab Identitate promissionum.*

QUÆST. V.

quoad promissiones ex Act. 13. 32. *vobis evangelizamus*, inquit Paulus, *promissionem factam Patribus*, unde patet Evangelium à Paulo prædicatum non aliud fuisse à promissionibus Patribus factis, eoque magis quòd Paulus promissionum præco fidelissimus nihil docuit extra ea quæ Moses & Prophetæ docuerunt Act. 26. In *specie* benedictiones spirituales quædam fidelibus conferuntur in N. T. quæ jam promissæ fuerunt & datæ Abrahamo Act. 3. 25. 26. & Gal. 3. 8. 9. ut *Spiritus S.* donum Gal. 3. 14. Ezech. 36. 26. 27. justificatio & *remissio peccatorum* Gen. 15. 6. Ps. 32. 1. Is. 43. 25. Jer. 31. 33. Act. 10. 43. *Sanctificatio* Deut. 30. 6. Ezech. 36. 26. Ps. 51. 12. *Vita æterna*, tum ex *promissione fœderali*, in qua includi vitam æternam & resurrectionem invictè docuit Christus Matt. 22. tum ex *hæreditate* quæ Abrahamo & semini ejus data est, quæ non alia est à vita æterna Gal. 3. 18. Heb. 9. 15. ex *civitate quæ habet fundamenta*, & patria cœlesti quam expectarunt Patres Heb. 11. 10. Ex vita quæ promittitur credentibus Isa. 55. 3. hinc Job. 19. 25. scit Redemptorem suum vivere, David de resurrectione sua & vita persuasus est Psal. 16. 10. & 22. 27. Dan. 12. 1. 2. resurrectionem ad vitam æternam expectat.

XVI. Non potest excipi 1. Quoad promissiones de Christo in V. T. datas quidem fuisse Patribus, sed non pro Patribus, sed pro fidelibus N. Test. ut promissiones Vocationis Gentium dabantur Veteribus, sed pro temporibus tantùm N. Test. Quia absurdum est Prophetas tales promissiones dedisse fidelibus, & fideles eas audivisse, & sibi non applicasse, cùm iisdem malis, quibus alii pro quibus supponuntur factæ, premerentur, & eodem perinde egerent remedio. Cùm enim ad populum veterem mitterentur, ut eos in spem venturi Messiæ & salutis per eum acquirendæ sustinerent, quis non videt tales promissiones Patribus propositas fuisse ad ipsorum solatium? 2. Eodem modo promissiones ad ipsos pertinuerunt, quomodo, adoptio, gloria, fœdera, legislatio, & cultus Rom. 9. 4. At ista propriè ad Veteres pertinebant. 3. Si promissiones ad ipsos non pertinuissent, non potuissent nec debuissent eas sibi applicare, ut factum ab Abrahamo Gen. 15. 6. qui etiam hac ratione justificatus est Rom. 4. à Jacobo Gen. 49. 18. a Davide Ps. 16. & 23. & 40. & 110. & 118. & passim alibi, ab Isa. c. 9. 5. *Puer natus est nobis*, *Filius datus est nobis*, & totâ Ecclesiâ Israëliticâ Isa. 53. per totum, à Jeremia c. 23. Mich. 5. 2. Non posset dicere Petrus Act. 10. 43. omnes Prophetas testari remissionem peccatorum accepturum quemvis qui in eum crediderit, nemine excepto tam ex fidelibus V. quàm N. Test. Nec Paulus Christum factum esse Mediatorem ad expiationem peccatorum factorum sub Vet. Testam. ut vocati ad æternam hæreditatem promissionem consequerentur. 4. Alia ratio est Vocationis Gentium, quæ nihil planè conferebat ad salutem Judæorum, alia adventus Messiæ & gratiæ in Christo, sine quo nulla potuit ipsis affulgere spes salutis.

XVII.

XVII. II. Non melius regeritur Oraculum à Christo allatum Matt. 22. obscurius fuisse, quam ut à fidelibus percipi potuerit; Vel quod generalis non sit futuræ vitæ promissio, sed specialis quæ Abrahamum, Isaacum & Jacobum nominatim spectarit, ui loquitur *Volkel.* l. 3. c. 11. Quia licet obscuriùs proponatur promissio vitæ æternæ in isto oraculo, præ claritate promissionum Novi Testamenti; Non sequitur propterea non potuisse percipi à Patribus, quantùm facere poterat ad eorum solatium; Imò nisi evidens & aperta fuisset probatio, ad eam Sadducæi non obmutuissent, quod non fecerunt propter authoritatem loquentis, sed evidentiâ rationis. Nec gratia specialis facta Patriarchis potest dici, quia extenditur ad eorum semen Gen. 17:7 aliàs nec Christi probatio adversus Sadducæos satis esset firma, nec Psaltes posset beatam vocare gentem cujus Jehova Deus est Ps. 33:12. QUÆST. V. *Matth.* 22.

XVIII. III. Perperam additur dici Patres exspectasse civitatem habentem fundamenta Heb 11:16. non quòd iis promissa esset, sed quòd eorum votis esset accommodata, & factis consentanea, & quòd credibile esset Deum eam cultoribus suis daturum, ut idem *Volkel.* ait, & *Catech. Rako.* de Prophetico Christi munere. Nam quænam potest esse spes, quæ nullo verbo nititur? Imò cùm proponatur ut actus fidei, promissionem necessariò respicit & supponit; Unde dicuntur *secundum fidem mortui* v. 13. & 14. 16. *patriam quærere & desiderare.* Quomodò verò quæri & desiderari potest, quod non cognoscitur, cùm ignoti nulla sit cupido? Nec confundenda est opinio evanida, & dubia, quam Etnici spem non habentes Eph. 2:12. potuerunt concipere immortalitatis, cum spe firmâ & infallibili vitæ æternæ, quam Veteres ex Verbo habuerunt. *Heb.* 11:16.

XIX. IV. Frustra dicitur Job. 19:25. agi de liberatione temporali ex ærumnis quibus vir Dei conflictabatur, & de visione, seu cognitione clariore potentiæ, sapientiæ, & providentiæ Dei ut c. 42:5. *nunc oculus meus videt te*, Quamvis ea sit mens Judæorum, & nonnullorum etiam ex Christianis. Multa quippe probant Jobum longiùs respicere, & se solari fiduciâ resurrectionis & vitæ æternæ adversus calamitates suas & præpostera hominum de se judicia. 1. quia hoc beneficium expectat à גאל *Redemptore suo*, גאל autem non alius est præter Christum. 2. expectat id tempore ultimi judicii; dicit enim se nosse Redemptorem suum vivere, & novissimum super terram surrecturum. 3. expectat id demum post mortem suam, post corpus suum consumptum & corrosum à vermibus, siquidem post pellem suam depositam, & corpus à vermibus consumptum sit restituendus in integrum, & carne suâ Deum visurus. 4. non potest hæc visio simpliciter referri ad cognitionem potentiæ & providentiæ Dei, de qua loquitur c. 42:5. ubi Jobus audit Deum se immediatè alloquentem, & experitur ejus præsentiam propius quàm antea, quæ in eo seriam compunctionem excitat; quia hoc parum faciebat *Job.* 19:25.

QUÆST. V. ad ejus solatium; nec certò ei persuadere poterat sui restitutionem, nec si persuasisset, poterat tantum gaudium & fidei πληροφορίαν in eo gignere. Ergo de visione beatifica rectius intelligitur, cujus spe se solabatur in ærumnis, & per quam securus salutis æternæ resurrectionem suam certissimè expectabat.

Dan. 12: 2. XX. Non veriùs contenditur Daniel 12: 2. non agi de resurrectione universali mortuorum, quia ad *multos* tantùm refertur, sed de restitutione populi Judaïci ex ingenti calamitate, quam sub Antiocho passurus erat, quæ notetur per *illud tempus*, scil. de quo hucusque sermo fuerat, quod fuit tempus Antiochi. Quia verba ipsa contrarium evincunt, quippe quæ agunt de resurrectione propriè dicta ex pulvere terræ, & de tali quæ sit, vel ad vitam æternam, vel ad opprobrium æternum; Sed liberatio temporalis non potest dici ad vitam æternam, cùm fideles adhuc sint morti obnoxii, nec ad opprobrium æternum, cùm homines resipiscere possint. 2. Non necesse est ut tempus illud de quo agitur v. 1. intelligatur de tempore, quo Antiochus Ecclesiam gravissimè erat persecuturus, quia phrasis illa sæpe sumitur sine ullo ad præcedentia respectu ut Mat. 3: 1. & 4: 1. & τὸ ב potest valere *post*, ut Jos. 5: 5. ut sit sensus, Post illam populi liberationem per Antiochi mortem, alia multò illustrior succedet per Michaelem id. Christum, ita tamen ut calamitates gravissimæ præcedant, quas deinde resurrectio beata excipiet. Tempus ergo illud, quod subsecutum est mortem Antiochi, fuit tempus Evangelii, quo Christus opus Redemptionis Ecclesiæ debuit exequi; & quia duobus Christi adventibus continetur, primo, & secundo, totum hic à Spiritu Sancto comprehenditur, quia non persequitur perpetuam rerum & temporum seriem, sed tantùm notat insignes Ecclesiæ status conversiones. Designatur igitur hic, 1. Tempus primi adventus Christi, & quid facturus esset in gratiam Ecclesiæ, 2. Tempus secundi adventus in resurrectione seu felicitatis complimento v. 2. Mirum autem videri non debet, si transitus hic fiat à primo adventu Christi ad secundum, & conjungantur tempora valdè disjuncta ob eorum similitudinem, ut Matth. 24. eversio Templi & Mundi conjungitur. Ita salus Ecclesiæ optimè conjungitur cum resurrectione ultimâ, quia in Mundo omnia sunt confusa, nec uspiam occurrit materia salutis, nisi mentes eò attollamus. Porro *multi* hic proponuntur pro *omnibus*, ut non raro alibi.

5. Ex Identitate Sacramentorum. XXI. Quintò, Quia Sacramenta quæ sunt sigilla fœderis, eadem fuerunt in utroque Testamento quoad substantiam, quæ Christum & ejus beneficia significarunt & obsignarunt. Patet, tum respectu ordinariorum, putà Circumcisionis, quæ vocatur sigillum justitiæ fidei Rom. 4: 11. & Paschatis quod in Christo impletur 1 Cor. 5: 7. tum extraordinariorum, Transitus maris, & Aquarum diluvii, quæ Baptismo nostro 1 Cor. 10: 1. 2. & 1 Pet. 3: 20. Mannæ & Aquæ ex Petra, quæ Eucharistiæ respondent 1 Cor. 10: 3. 4. Atque hic oritur per-

permutatio nominum, quæ hîc sæpè obtinet, per quam Sacramentis V. Test. dantur nomina N. & vice versa Sacramenta nova Veterum vocabulis exprimuntur. Patribus tribuitur *Baptismus*, & *Epulum*, 1 Cor. 10. nobis tribuitur *Circumcisio* Col. 2: 11. 12. *Pascha* 1 Cor. 5: 7. *Sacrificia* Hebr. 9. Non posset autem talis fieri ἐναλλαγὴ, nisi daretur identitas quædam; Non potest autem esse respectu *signi*, quia signa sunt diversa, Ergo debet esse respectu *rei significatæ*, quæ in omnibus Sacramentis eadem semper fuit, nim. Christus cum suis beneficiis; in quo Typi & Sacramenta non minus ac promissiones sunt Etiam & Amen id. veritatem suam & complementum obtinent. QUÆST. V.

XXII. Nec admittenda Exceptio Adversariorum, Veteres eandem escam comedisse inter se, non verò nobiscum. Quia hoc repugnat scopo Pauli, qui est conferre Veteres cum Christianis, & ex exemplis tum Sacramentorum & beneficiorum ipsis collatorum, tum peccatorum & pœnarum Israëlitarum argumentari ad paritatem poenarum, si paritatem haberent peccatorum. At hoc argumentum nullius esset ponderis, si Israëlitæ tantùm inter se, & non nobiscum conferrentur. 2. repugnat verbis ipsis Pauli, quibus docet Christum jam tum Veteribus innotuisse, quum ait Petram, quæ eos sequebatur, fuisse Christum, & ipsos Christum tentasse in deserto v. 9. 3. frustra Apostolus loqueretur de *Baptismo*, si verum non esset Sacramenta V. & N. T. saltem analogicè & quoad substantiam fuisse eadem. 1 Cor. 10: 4.

XXIII. Sextò, Quia Lex ipsa Mosis sub qua Patres fuerunt de foedere gratiæ eos erudivit, & ad illud amplectendum præparavit & stimulavit, quod non potuisset fieri, nisi foedus gratiæ jam locum habuisset. Ideo *Lex* dicitur *pædagogus ad Christum* Gal. 3: 24. & Christus finis Legis Rom. 10: 4. quod ex tribus ejus partibus facilè demonstratur. 1. ex *morali*, quia Patres convincendo peccatorum in Legem admissorum Rom. 3: 20. & Gal. 3: 19. & propter ea subjiciendo eos maledictioni divinæ Gal. 3: 10. excitabat & stimulabat eos ad quærendam & amplectendam expiationem & veniam peccatorum in Christo Gal. 3: 24. 2. ex *forensi*, quatenus constituebat politiam populi Israëlitici usque ad Christum Gen. 49: 10. & gentem ex qua oriundus erat Messias veluti impressâ notâ signabat. 3. ex *cæremoniali*, quia cæremoniæ Legis erant typi & figuræ Jesu Christi venturi, adumbrantes sacrificium ejus pro peccatis, & de fructu illius confirmantes fidelium mentes Col. 2: 17. Heb. 9. & 10. capitibus. *6. ex usu Legis.* *Gal. 3: 24. Rom 10: 4.*

XXIV. *Evangelium* ut sonat doctrinam gratiæ Dei in Christo bifariam usurpatur, vel pro *Evangelio promisso*, seu ἐπαγγελίᾳ, vel pro εὐαγγελίσμῷ seu *Evangelio completo & exhibito*; Priori sensu fuit in Veteri Testamento, Posteriori tantùm in Novo, & hoc respectu dicitur fuisse *tacitum* præcedentibus ætatibus Rom. 16: 25. non absolutè & simpliciter, siquidem ibidem dicitur promissum & patefactum per Scripturas propheticas Rom. 1: 2. Sed *Fontes Solutionum.* *Rom 16. 25.*

QUÆST. V. secundùm quid. 1. respectu *cognitionis naturalis*, quia caro & sanguis hoc non revelat. 2. resp. *promulgationis* inter gentes, quia Deus eas sivit ire viis suis, & nihil de Christo ipsis pate fecit. 3. resp. *complementi* inter Judæos, quia non ipsorum temporibus, sed nostris ejus complementum reservavit. Non vult ergo Apostolus Evangelium planè fuisse ignotum in V. T. sed *comparate*, cum luce N. T. quâ multò clariùs & pluribus etiam innotuit Eph. 3:5.

Marc. 1:1. XXV. Aliud est *principium Evangelii*, quatenus notat historiam Evangelicam de ministerio Joh. Bapt. & Christi nativitate &c. quo sensu Marc. 1:1. loquitur de eo. Aliud principium doctrinæ de gratia Dei in Christo; Quo sensu non cœpit demum in N. T. sed in V. T. à Mose & Prophetis declaratum est, ut ibidem Marc. 1:2. 3. testimoniis Propheticis confirmatur.

Mat. 11:13. XXVI. *Lex & Prophetæ durasse* dicuntur *usque ad Johannem* Matt. 11:13. quoad *modum dispensationis*, non quoad *substantiam fœderalem*, quasi in Veteri Testamento fuerit tantùm fœdus Legale; nam Lex & Prophetæ cum promulgatione Legis habebant semper promissiones gratiæ; Sed agitur tantùm de ministerio Legali & Prophetico, opposite ad Evangelicum, potissimùm quoad claritatem patefactionis. Non opponuntur Personæ ministrantes, vel res administratæ, sed modi duntaxat diversi, quibus res eædem sunt administratæ, prius per προφητείαν seu modum docendi obscuriorem, symbolicum puta & ænigmaticum, postea per εὐαγγελισμὸν modum docendi clarum & apertum; Non debent ergo hic confundi τὸ ὂν καὶ τὸ ποῖον *res*, & *modus rei*.

Jer. 31. XXVII. Aliud est fœdus gratiæ renovari, & illustriori modo proponi; Aliud de novo fieri, cùm antea non esset, prius dicitur Jer. 31. non posterius, quia clausula fœderis eadem jam posita fuit in fœdere Abrahamico, nec insolitum est in stylo Scripturæ dicere rem aliquam fieri, quando clariùs & efficaciùs manifestatur; quomodo *mandatum dilectionis* dicitur *novum* Joan. *Jo.* 13:34. 13:34. & 1 Joan. 2:8. non absolutè, quia jam propositum fuit in Lege, sed secundùm quid, quia de novo inculcatum, novis promissis subnixum, & novo exemplo sancitum. Sic *virtus Dei perfici* dicitur *in infirmitate* 2 Cor. 2 *Cor.* 12:9. 12. id. demonstrari perfecta, & amicus nasci in rebus adversis, & stellæ oriri sole occidente id. patefieri.

XXVIII. Aliud est Christum exhibitum in carne non videre, Aliud beneficia & fructus ejus Mediationis non percipere. Prius negatum fuisse Patribus *1 Pet.* 1:12. Petrus ait 1. c. 1:12. quum ait revelatum fuisse ipsis, eos non sibi, sed nobis mysteria ista administrasse, quia nostris temporibus demum, non suis Christus manifestandus fuit; Sed non propterea ipsis denegatum fuit posterius, quia virtus mortis Christi, quantumvis futuræ efficaciam suam exerere potuit erga ipsos ad expiationem peccatorum & pacem conscientiæ obtinendam, quomodo causæ morales solent agere antequam sint.

XXIX. Etsi Deus melius quid providit pro nobis præ Patribus Veteris Testamenti Heb. 11:39. quoad complementum promissionum, & manifestationem Messiæ: quo sensu beati dicuntur oculi discipulorum, qui videbant ea quæ Reges optaverant videre, & non viderant Luc. 10:23. Non sequitur non habuisse eandem nobiscum fœderis substantiam, quandoquidem Deus ipsorum non minus ac noster esse voluit: Dicuntur ergò *non consummati sine nobis* χωρὶς ἡμῶν id. *seorsim à nobis*, quia eodem merito, eadem justitiâ & gratiâ Christi servati sunt, sed potuerunt consummari *ante nos*, ratione ordinis & temporis. QUÆST. V. Heb. 11:39.

XXX. Quamvis Christus vitam & immortalitatem per Evangelium produxerit in lucem 2 Tim. 1:10. Non sequitur cognitam non fuisse absolutè sub Veteri Testamento; Quia Paulus non loquitur de absolutâ & simplici manifestatione inter omnes, sed *inter gentes*. Unde statim addit; Ideo se præconem institutum fuisse inter gentes. 2. gratiam illam non fuisse novam docuit v. 9. quando dixit datam fuisse πρὸ χρόνων αἰωνίων tum destinatione æternâ, tum promissione temporariâ. 3. non agitur propriè de vitæ æternæ promissione, sed de illius procuratione per meritum actuale Christi, quod fuit proprium N. T. 2 Tim. 1:10

XXXI. Quum Apostolus ait Heb. 7:19. Legem nihil consummasse, non sumit Legem latè pro œconomiâ Mosaicâ, quasi Veteres non fuerint consummati sub Veteri Testamento, quoad gratiæ & gloriæ possessionem; Sed Legem spectat strictè & oppositè ad Evangelium, quia Lex moralis nec potuit justificare, nec sanctificare, cùm fuerit infirma in carne, & multò minus cæremonialis. Heb. 7:19.

XXXII. Si idem asserit Hebr. 9:8. *Viam ad Sacrarium non fuisse patefactam primo Tabernaculo stante*, non negare vult Patres sub Veteri Testamento in cœlum receptos fuisse, quod exemplum Enochi, & ratiocinatio Christi Matth. 22. invictè probat: Sed duo innuere vult 1. Cæremonias quatenus tales, quæ per Taberculum prius designantur, per se non potuisse aditum in cœlum facere propter imbecillitatem & inefficaciam suam; 2. quandiu cæremoniæ illæ subsistebant ingressum illum in cœlum, seu rationem illius & modum se obscuriùs habuisse, nec ita clarè fuisse propositum, prout factum fuit Christo exhibito, & cæremoniis remotis. At à negatione modi ad negationem rei non valet consequentia. Aliud est non esse ullo modo patefactam, aliud non esse clarè & plenè revelatam. Apostolus hoc, non illud ait, nam τὸ πεφανερῶσθαι plenam rei manifestationem indicat, quod Veteri T. negatum fuit. Hebr. 9: 8.

XXXIII. *Fœdus vetus* bifariam sumitur, vel pro *Fœdere operum* seu Legali strictè sumpto, quod cum primis parentibus ante lapsum initum, & postea in deserto renovatum. Vel pro *fœdere secundo gratiæ*

QUÆST. V. cum primis parentibus post lapsum sancito, & in œconomia Mosaïca confirmato. *Novum* verò vel sumitur in genere pro fœdere gratiæ, vel pro fœdere gratiæ in N. T. illustrato. Unde gemina est oppositio V. & N. foederis probè distinguenda; una ratione *substantiæ*, si primo modo sumantur, altera quoad *accidentia* seu accidentarium dispensationis modum, si secundo sensu spectentur. Quamvis enim quoad corticem literæ foedus Mosaicum videretur Legale, quia nonnisi sub conditione propriæ obedientiæ, & quidem perfectæ, sine ulla ἐπιεικείᾳ vitam pollicebatur, tamen quoad intentionem Legislatoris, & quoad finem Legis denuò promulgatæ ad venturum Messiam ducebat; atque adeò ad foedus gratiæ rectè dicitur pertinere. Hoc sensu vetus foedus dicitur antiquatum duntaxat quoad modum administrationis, non quoad rem administratam, quoad accidentia foederis, non quoad substantiam; quoad observationem externam appendicum foederi annexarum, non quoad internam ipsius foederis formam.

Heb. 8. 6. XXXIV. *Promissa novi fœderis* dicuntur *præstantiora* Hebr. 8. 6. secundùm quid, non simpliciter, non ratione substantiæ promissorum, sed ratione modi, & ea clariùs proponendi, & uberiùs dilatandi, & efficacius imprimendi, & latius ad gentes quoque extendendi. Ergo ὑπεροχὴ illa N. T. tota modi est, non rei, & spectat τὰ ἐπεισιώδη foederis, non οὐσιώδη: Nam præstantiora promissa quoad rem dari non possunt, quam quæ Abrahamo, Isaaco, & aliis Patribus sunt facta.

Rom. 3. 21. XXXV. Aliud est *Justitiam fidei nunc*, id est sub oeconomia Evangelica esse φανερωθεῖσαν ἁπλῶς, Aliud esse φανερωθεῖσαν χωρὶς νόμου id. per aliud verbum, quàm Legis, nimirum verbum Evangelii. Prius non asseritur à Paulo Rom. 3. 21. sed posterius; quia dicit justitiam illam esse μαρτυρουμένην per Legem & Prophetas; Nec dici potest esse μαρτυρούμενην ut futuram, non ut præsentem, ut destinatam fidelibus N. T., non verò Patribus. Quia sic sequeretur, vel neminem ex Patribus fuisse justificatum, quod exempla Abrahami, Davidis & aliorum falsum esse probant, vel justificatos fuisse alio modo, quàm per justitiam fidei, ut Paulus asserit Rom. 4.

XXXVI. Quamvis Moses fuerit Mediator Veteris Foederis, non excluditur Christus ab hoc officio etiam in Veteri Testamento, quia Moses fuit tantùm Mediator typicus, & merus internuncius inter Deum & populum, sed Christus verus & realis εἰρηνοποιὸς, qui nobis conciliat Patrem merito suo, qui idem est heri, hodie, & in secula in V. quidem T. ἄσαρκος, sed in N. ἔνσαρκος.

Act. 19. 4. 5. XXXVII. Fides Patrum non fuit tantùm *credere Christum venturum*, sed *credere in Christum qui venturus erat* Act. 19. 4. 5. non potuerunt autem credere in eum, nisi qualis promittebatur nim. ut in Messiam & Salvatorem unicum, extra quem nulla potest esse salus. Licèt autem Christus nondum fue-

fuerit physicè ut Incarnatus, fuit tamen ab initio moraliter ratione destinationis, & promissionis ut incarnandus, quique ideo per efficaciam Divinitatis potuit jam beneficia sua fidelibus conferre; Fides, quæ revelanda fuit sub N. T. Gal. 3. 23. fuit *fides objectiva* quæ creditur ratione clarioris manifestationis, non *subjectiva qua creditur*. QUÆST. V. *Gal.* 3. 23.

XXXVIII. Ut Fides & Verbum sunt relata, talis debuit esse fides in Christum, quale fuit Verbum V. T. de Christo. At Verbum V. T. docet Christum & testatur de ipso Joh. 5. 39. sed obscuriùs, propter promissiones, & typos illius, qui jam erat futurus, fides ergo eorum erat etiam in eum, sed obscurior, & minùs illustris. *Res* ergo eadem semper nota fuit, & in objectum fidei proposita, sed *modus* minùs clarè compertus est ante adventum Christi, quam post eum; Ut omnium futurorum cognitio minùs evidens est notitiâ præteritorum, & intuitu præsentium; sed gradu majore lucis negato, non negantur statim majores.

XXXIX. Modus Redemptionis per mortem Messiæ non potuit planè incognitus esse Patribus, cùm & oraculis verbalibus, & typis tum realibus, tum personalibus toties indicatus sit. Consulantur loca Ps. 22. & 69. Isa. 53. & 63. Dan. 9. 27. Zach. 12. 10. Christus ipse ex V. Test. docet se pati debuisse, & sic intrare in gloriam suam Luc. 24. Idem cernebatur in Agno Paschali, in utroque hirco Lev. 16. & passim in sacrificiis, quæ omnia, vel sine fide Patres excepisse necesse est, & credidisse sanguine taurorum expiari potuisse peccata, quo modo inferior fuisset ipsorum fides Paganorum ipsorum luminibus, qui tale quid non credebant; vel statuendum eos in talibus spiritualem significationem animo percepisse, & ad Messiam omnia retulisse.

XL. Si duo discipuli Emauntici adhuc fascinati opinione regni mundani à Christo erigendi in terris Luc. 24. 21. nec cogitarunt de cruce à Christo subeunda; Non sequitur idem sensisse omnes fideles, vel nihil de morte Christi Patribus fuisse revelatum, quia fuit vitium subjecti, non defectus objecti. Nam hoc satis clarè in V. T. prædictum, & à Christo propositum, si ad id voluissent attendere. Fides ergò ipsorum potuit esse vera quoad objectum, sed cum errore adhuc mixta, hausto, non ex Scriptura, ex qua redarguitur Luc. 24. 27. sed ex erronea Judæorum persuasione de regno Christi terreno Matth. 20. 21. *Luc.* 24. 21.

XLI. Si Apostoli interdum terrenum & carnale regnum Christi sibi imaginati sunt, non tam fuit ignorantiæ, quàm ἀβλεψίας & προπετείας, per quam factum, ut vel non semper cogitarint de hoc mysterio, vel affectibus variis carnalibus in transversum fuerint abrepti, & præcipiti quodam impetu fecerint, vel dixerint quandoque, quæ aliena erant ab iis quæ satis habebant comperta, ut in multis aliis, eadem de causa sæpe impegêre, quæ nove-

QUÆST. V. verant aliena esse à suo officio, ut dum homines Christi opem poscentes semotos volunt, & ignem è coelo in Samaritanos immissum, dum volunt ut Jerosolymam ascendat & similia.

Matt. 16. 22. XLII. Si Petrus reprehendit Christum loquentem de cruce Matth. 16: 22. causa istius ἐπιτιμήσεως non fuit ignorantia absoluta mysterii redemptionis, vel mortis ejus, siquidem audiverat Johannem testantem esse agnum Dei tollentem peccata mundi, & Christum ipsum disertissimè destructionem Templi corporis sui, & moram suam triduanam in sepulchro prædicentem Joh. 2: 19. & Matt. 12: 39. 40. præter ipsa Prophetarum oracula; Sed fuit προπέτεια & θερμότης Petro ordinaria, quæ hominem sæpe abripit transversum, ut aliena ab iis etiam proferat, quæ maximè comperta habet, quia eo momento illa non revocat ad animum.

XLIII. Discipulorum stupor & consternatio non præjudicat vel revelationi, vel fidei & intelligentiæ aliorum, non intellexerunt illi, quod intelligere potuerunt & debuerunt, quodque pii ante ipsos & juxta ipsos pro mensurâ fidei probè intellexerunt Matth. 26: 12. Et si mysterium tunc nullo modo potuisset intelligi, non peccassent Discipuli id non intelligendo, quia nemo obligatur ad tale impossibile, quod fecerunt tamen, unde non semel tam severè à Christo fuerunt propterea objurgati, Matt. 16: 23. Luc. 24. 25. 26. Nec opus fuit fidelibus ad mysteria ista cognoscenda, aliis oculis quàm fidei, quibus in umbris corpus, in vaticiniis nucleum & veritatem viderent.

XLIV. Quamvis Deus corporalia bona per Mosem in V. T. polliceatur, non fit tamen exclusivè ad spiritualia, quæ sæpe promittuntur Exod 34. 6. 7. Lev. 26: 12. 41. 42. 44. Deut. 18. 15. & seq. & 30. 2. 3. 6. 11. 12. Imò apertè satis in formula foederis continentur. Quin ipsa bona corporalia documenta & symbola fuerunt spiritualium Rom. 4. 12. &c. 1 Cor. 10. 1. 2. 3. Heb. 11, 8. 9. 10. Et expressa fit mentio vitæ æternæ Is. 45. 17. Dan. 12. 2. Ps. 16. 11. licèt nec tam clarè revelata sit, nec tam multis atque nunc.

XLV. Spiritus S. donum promittitur sub N. T. non simpl. quasi defuerit absolutè veteri Ecclesiæ contra fidem locorum Ps. 51. 13. & 143. 10. Isa. 44. 3. & 59. 21. Ezech. 36. 27. & 39. 29. Hag. 2. 5. sed secundùm quid, quatenus tum parciùs, tum paucioribus dispensatum fuit, ac veluti guttatim. Nunc verò magnâ copiâ, & instar *fluminis* inundat totam Ecclesiam Joh. 7. 39. quod die Pentecostes inchoatum visibiliter Act. 2. 17. 18. continuari debet invisibiliter sub regno Christi usque ad consummationem seculi.

QUÆ-

Quæst. VI.

QUÆSTIO VI.

De Foederis Gratiæ Amplitudine.

An Fœdus Gratiæ unquam universale fuerit, vel quoad oblationem, vel quoad acceptationem? Neg.

I. Quæstio hæc versatur circa *Objectum* Fœderis Gratiæ, Quæ nobis movetur à Patronis Gratiæ universalis, licet dispari modo & fine. Ut enim possint θέσιν suam διαφυλάττειν de universalitate Gratiæ, tenentur Fœderis, quô Gratia dispensatur, universalitatem tueri, ut nemo sit mortalium, qui fœderi isti suo modo non subsit, & cum quo non sit initum. Et rationem petunt ab universalitate mortis Christi, quam fundamenti loco substernunt Fœderi Gratiæ; Ideo enim putant Christum mortuum esse pro omnibus, ut Deo acquireretur potestas novum Fœdus cum Genere humano contrahendi. *Occasio Quæstionis.*

II. *Remonstrantes* in declaratione sententiæ suæ circa Artic. 2. de Morte Christi pag. 28. sententiam suam sic exponunt, *Christus merito mortis suæ Deum Patrem universo Generi humano hactenus reconciliavit, ut Pater propter ipsius meritum, salva justitia & veritate suâ, novum gratiæ Fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxiis hominibus inire ac sancire potuerit & voluerit.* Fœdus autem istud novum, ita pactum cum universo Genere humano fuisse pertendunt, ut nulla gens, imò nec persona sit, quæ ab eo exclusa dici debeat. *Corvinus* contra Tilen. c. 3. *Gentes sub V. T. viventes, licet ipsis ista ratione, quâ Judæis fœdus non fuit revelatum, non tamen proinde ex fœdere absolutè exclusæ judicari debent, quæ aliquo saltem modo vocantur ut Deum quærant: imo verò ipsis æquè ac Judæis spiritualia dona fœderis fuerant exposita, si modo conditiones fœderis implerent, ut sese ad Deum Israelis converterent.* Et postea. *Licet multæ nationes ordinario Evangelii præconio destituantur, & destituerentur quidem voluntate Dei, tales tamen à gratiâ ipsa Evangelii non sunt præcisè exclusæ* &c. Et contra Molinæ. c. 28. *Ultrò largimur, neminem quoad se nasci absolutè alienum à fœdere.* *Sententia Remonstrantium.*

III. Ad quos hic accedunt, non modò Lutherani, sed & ex nostris, qui Gratiam Universalem volunt. *Testard.* Ireni. Th. 112. *Fœdus illud*, inquit, *primum pepigit Deus post lapsum cum Adamo, in eoque cum universo Genere humano propagando, deinde post diluvium cum Noacho, & in eo cum* *Et Universalistarum.*

QUÆST. VI.

eodem Genere humano restituendo renovavit, mox sinens gentes ambulare in viis suis, cum Abrahamo & ejus familia usque ad Christi regnum, quo tempore, sublato Judæi & Græci discrimine, tertiò cum universo genere humano restituit. Ideo Th. 111. dixerat *Deum nec ullam gentem, nec ullum quidem hominem celasse omnino gratiam novi fœderis.* Et in sequentibus addit Th. 113. Tres esse Vocationis species, Primam *realem* per Opera, de qua Psal. 19: 1. & Matth. 5: 45. & Act. 14. 17. & 17: 26. Secundum *verbalem* per Evangelium, Tertiam *internam* per Spiritum. Non aliter *Amyrald.* Disp. de tribus Fœderibus th. 34. *Amoris aut misericordiæ gradus, quô Deus inductus est, ut tale fœdus cum hominibus peccatoribus pacisceretur, eos omnes ex æquo spectat. Consequens igitur est, ut cum omnibus hominibus pactum esse censeatur.*

IV. Quia verò foedus istud considerari potest bifariam, vel ratione *promulgationis* seu oblationis externæ in *gratia objectiva*, vel ratione *collationis* seu receptionis internæ in *gratia subjectivâ*; Hinc fit, ut quidam foedus istud universale statuant ratione utriusque, quatenus pertendunt gratiam objectivam & subjectivam sufficientem dari omnibus & singulis, ut servari possint si velint, ut Sociniani & Remonstrantes, & alii qui Pelagianismo militant. Alii verò universalitatem foederis extendant tantùm ad gratiam objectivam, non verò subjectivam; quales sunt illi ex nostris, qui Gratiam universalem amplectuntur.

Sententia communis Reformatorum.

V. Sed alia est communis & recepta apud Reformatos sententia, qui Foederis non minus ac Gratiæ salutaris particularitatem tuentur. Ut licet generale possit dici, quod ad plures extenditur, maximè sub Novo Testamento, sublato gentium discrimine, nunquam tamen universale fuerit cum omnibus & singulis; Sed particulare tantùm cum Electis veris Christi Membris. Foedus porro istud bifariam spectari posse censent, vel secundum *essentiam internam*, vel quoad *externam dispensationem.* Illud vocationi internæ, & Ecclesiæ invisibili Electorum, quæ per eam constituitur, respondet. Hoc verò vocationi externæ & Ecclesiæ visibili Vocatorum. Posteriori respectu foedus attenditur tantùm quoad *promulgationem* & *oblationem*, quæ fit per vocationem externam, & quoad beneficia externa, quæ ex illa oblatione fluunt, in prædicatione Verbi, administratione Sacramentorum, & communione Sacrorum, quorum participes fiunt, quotquot in populo vel Ecclesia eandem professionem retinent; Et ita ad multos etiam reprobos extenditur, qui in Ecclesia visibili manent. Priori verò ulteriùs extenditur ad acceptationem, & collationem & receptionem beneficiorum omnium foederalium, & communionem internam cum Christo per fidem, quò sensu non ad alios pertinet, quam ad electos, qui reipsa fiunt foederis participes ex Dei intentione, in quibus puta conditiones ipsas foederis implet, & quibus non offert tantùm,

sed

ſed confert actu foederis beneficia. Quocunque verò modo ſpectetur foedus istud, univerſale fuiſſe negant, non modò quoad acceptationem & collationem, ſed nec quoad promulgationem aut oblationem, quæ licet latior aliquando fuerit & generalior, nunquam tamen abſolutè univerſalis fuerit, vel dici poſſit. QUÆST. VI.

VI. Unde non obſcurè Status Quæſtionis colligitur. I. Non quæritur de *Eventu* & ſalutari foederis fructu; An omnes vi foederis gratiæ ſerventur? fatentur enim illi cum quibus agimus innumeros perire, & beneficiis foederis privari. Sed de *conſilio & intentione Dei* in Foederis gratiæ ſanctione: An reſpexerit omnes & ſingulos, ut illi velient, An quoſdam tantùm? quod ſtatuimus. II. Non quæritur, An vocatio ad foedus, quæ fit per Verbum univerſalis fuerit, Particularem enim fuiſſe ſaltem ſub Veteri Teſtamento, diffiteri non poſſunt οἱ ἐξ ἐναντίας. Sed An detur vocatio realis per Opera naturæ, quâ ad foedus gratiæ omnes evocentur? Quod illi aſſerunt, Nos negamus. III. Non quæritur, An ſine Chriſto homines vel ſervati ſint unquam, vel potuerint ſervari? Agnoſcunt enim nullum aliud eſſe ſalutis medium; Sed An ſine cognitione Chriſti adulti potuerint ſalutem conſequi? Quod negamus, Illi affirmant. IV. Denique nòn quæritur, An varia beneficia Deus ſingulis hominibus quotidie largiatur, quibus bonitatem ſuam & gratiam miſeris peccatoribus teſtatur? Hoc enim apud omnes eſt in confeſſo. Sed An, iſta beneficia ſint ſalutaria, quæ fluant ex fœdere gratiæ, & merito Chriſti, & diſpenſentur à Deo, ut Patre & Redemptore ex intentione ſalutis? Quod aſſerunt illi; Nos negamus. Ut Quæſtio eò redeat, An foedus gratiæ, quod in Chriſto Deus cum hominibus contraxit, ſit univerſale, & cum omnibus & ſingulis primò in Adamo, deinde in Noacho, & poſtremò in Chriſto initum, ſi non quoad eventum rei, ſaltem quoad deſtinationem & intentionem Dei, ſi non quoad receptionem & uſum gratiæ objectivæ, & ſubjectivæ, ſaltem quoad ejus oblationem. Illi affirmant, Nos negamus. *Status Quæſtionis.*

VII. Fœdus Gratiæ particulare eſſe ex variis patet. I. Ex ejus *deſtinatione.* Quia nullum datur in Deo propoſitum & voluntas univerſalis miſerendi totius Generis humani, ſed conſilium particulare ex communi maſſa corrupta certum numerum eligendi & ad ſalutem deſtinandi, ut fusè probatum fuit P. I. Loc. IV. Q. XVII. Ut ergo ab æterno nullum tale foedus in conſilio Dei deſtinatum eſt, Ita nec in tempore contrahitur. *Fœderis gratia particularitas aſſtruitur. 1. Ex ejus deſtinatione.*

VIII. Secundò, Ex ejus *procuratione:* Quia ſatisfactio Chriſti, quæ procurat nobis hoc foedus, & quâ ut fundamento nititur, particularis fuit, præſtita demum pro iis in quorum locum ex ordine Dei debuit ſe ſubſtituere ut Vadem; qui ipſi dati ſunt à Patre redimendi tanquam Semen, Populus, & Corpus ipſius, Filii promiſſionis, quibus datus eſt à Deo, ut Mediator & Caput ad redemptionem illis obtinendam, & quibus ex ordine Dei, non *2. Ex ejus procuratione.*

 tan-

QUÆST. VI. tantùm meritus est salutem & gloriam, sed etiam gratiam Spiritus, & regenerationem ac fidem, ut suo loco probabitur.

3. A promissionibus fœderis. IX. Tertiò, A *Promissionibus Fœderis*. Quia ad eos tantùm fœdus gratiæ pertinet, ad quos pertinent promissiones in illo expressæ. At non ad omnes & singulos, sed tantùm ad electos & fideles pertinent, quibus bona promissionibus illis comprehensa conferuntur, quia promissiones istæ sunt absolutæ, non conditionatæ, quæ à solâ Dei gratiâ oriuntur, non ab ulla conditione quæ sit in homine, suspenduntur: quod non modò notio Testamenti, quæ Fœderi isti datur, indicat; sed & natura promissionum, quæ non tantùm sunt de fine, sed & de mediis ipsis & conditionibus, quæ proinde omnem conditionem excludunt. Licèt verò promissio fœderis singularibus personis conditionatè proponatur & applicetur; non sequitur ipsam promissionem pendere à voluntate hominis, adeoque absolutam non esse; quia propositio illa conditionata est consectarium promissionis absolutæ; & ita imperatur tanquam officium hominis, ut producatur simul & semel in electis ut Dei donum.

X. Nequicquam hîc obtenditur, Fœdus Evangelicum considerari debere, vel ut absolutum præstitâ conditione, vel ut conditionatum, hoc est, ut spectat ad eos à quibus conditio exigitur nondum præstita. Quia gratis supponitur fœdus gratiæ cum illis etiam initum esse, à quibus Deus conditionem illi annexam exigere tantùm vult, non verò in illis efficere; quod fœderis gratiæ naturæ repugnat, quod in eo differt à Legali, quòd istud vitam promittat sub conditione, quam exigit ab homine, non efficit: Illud verò salutem sub conditione fidei, quam & exigit ab homine, & efficit in ipso; ut vel ex solo Jer. 31:31.32.33. loco liquidò constat, ubi remissio peccatorum & regeneratio seu inscriptio Legis in cordibus recensentur ut beneficia fœderis. Quamvis verò conditionatum dici possit quodam sensu, quatenus conditionem habet sibi subordinatam, etsi à Deo absolutè efficiendam, cujus interventu res promissa detur, absolutum tamen propriè est, tum à priori, quia nullam causam habet præter liberrimam Dei voluntatem, tum à posteriori, quia Deo constitutum est ipsam conditionem sine alia conditione certò & infallibiliter omnibus fœderatis dare; quod ad eos extendi posse, quos Deus ab æterno odit, & quos præterire decrevit, nec Verbum nec Fidem, quæ duo sunt salutis media, indulgendo, nemo nisi absurdè dixerit.

4. A promulgatione fœderis. XI. Quartò, A *Promulgatione fœderis*. Quia illa nunquam fuit universalis, ut esse debuit, si fœdus universale fuisset; Quomodo enim fœdus cum illis initum potest dici, ad quos fœderis notitia nunquam pervenit, & quibus nunquam revelatum est? Innumeras autem non modò personas, sed & gentes eâ notitiâ caruisse, tam sub Veteri quàm sub Novo Test. luce me-

meridianâ clariùs liquet, cùm destitutæ sint Verbo, quod unicum est fœderis gratiæ præconium. Et quod ad Vetus Test. attinet, quis nescit Deum fœdus hoc ad solam familiam Abrahami & populum Israëliticum restrinxisse, exclusis aliis omnibus mundi populis? qui propterea dicuntur *Lohammi non populus* Hos. 1. Rom. 9. *extranei a fœderibus* Eph. 2: 12. quibus non dedit statuta sua ut Jacobo Ps. 147: 19. 20. sed quos *sivit propriis viis incedere* Act. 14. Quis verò dixerit ad tales pertinuisse fœdus gratiæ, quod proprium peculium fuit populi Israëlitici? Vel Deum derelicturum fuisse per tot secula Gentes omnes, uno excepto populo, in crassissimis illis quibus jacebant tenebris, sine ullo Verbi præconio, quod unicum est fidei objectum, & salutis medium; si sub fœdere gratiæ eas includi voluisset? Annon contrà hæc dispensatio clamat fœdus hoc ita particulare fuisse Populo Dei, ut ab eo cæteræ gentes exclusæ fuerint? Et quoad N. T. tempora, licet non diffiteamur longe majorem esse amplitudinem istius fœderis, quod indiscriminatim ad omnes populos extenditur tàm Gentiles quàm Judæos: Certum est tamen nunquam universalem fuisse, ita ut omnes nemine excepto ad fœdus gratiæ vocati sint, cùm innumeri adhuc hodie supersint & homines & populi, qui in tenebris Paganismi jacent, qui nihil unquam de Christo & fœdere gratiæ inaudiverunt. *Quomodo autem invocabunt eum in quem non crediderunt, & quomodo credent in eum, qui ipsis prædicatus non fuit?* Rom. 10. QUÆST. VI.

XII. Frustra excipitur ad Psalm. 147: 19. 20. Verba intelligenda esse, non *absolute*, quasi Gentes omni revelatione Dei privatæ fuerint, cùm non se siverit ἀμάρτυρον respectu ipsarum Act. 14: 17. Sed *comparate*, quia non talis ac tanta fuit, qualis indulta fuit Judæis, ut collatio & antithesis sit potius respectu *modi*, quàm *rei*, Vel quia Judæis data est revelatio, quæ vim Spiritus comitem habuit, quæ gentibus est denegata. Nam 1. qualiscunque sit revelatio naturæ, non gradu tantùm, sed specie differt à revelatione Verbi, utpote quæ ducit ad Creatorem, sed non ad Redemptorem, & testatur de existentiâ, potentiâ, sapientiâ, & providentiâ, ac beneficentiâ Dei circa τὰ βιωτικά; sed non de gratiâ salutari, & beneplacito Dei in Christo, quod est mysterium omnibus retro ætatibus absconditum. 2. gratis supponitur conferri revelationem quæ spiritum comitem habuit, cum eâ quæ illo caruit: Quia agitur de externa revelatione Statutorum Dei factâ Israëli, & negatâ absolutè aliis gentibus, ut discrimen non sit in negatione vel collatione Spiritus interni, sed in collatione vel negatione revelationis externæ, & gratiæ objectivæ. *Ps.* 147: 19. 20.

XIII. Non solidiùs dicitur Paulum Eph. 2: 12. loqui de Gentilibus non absolutè, sed comparatè ad Judæos; nec tàm spectare eos, quales ii naturâ erant, unius primi, sive naturalis fœderis violati rei, sed quales sunt post impœnitentiam, contemptæ, indignissimeque rejectæ benignitatis *Eph.* 2: 12.

QUÆST. VI. rei. Quia clarum est scopum Apostoli non esse conferre eos cum Judæis, sed exprimere tantùm quales essent absolutè & in se considerati ante præconium Evangelii; aliàs comparatè etiam intelligendum esset, quod dicitur initio capitis, eos mortuos esse in peccatis, quod nemo dixerit. Gratis etiam supponitur ante auditum Evangelium, alterius fœderis violati, quàm naturalis reatum contraxisse, quia quotquot non sunt sub gratia, sunt sub Lege, adeoque sub fœdere operum.

XIV. 3. Nec juvat quod additur, Si Evangelium ubique non est prædicatum, id factum negligentiâ hominum, qui defuerunt officio suo, vel justo Dei judicio, hoc pacto punientis incredulitatem parentum, qui eo se indignos olim reddiderunt, quum illis oblatum fuit. Nam undecunque defectus oriatur, certum est Evangelium innumeris nunquam prædicatum fuisse, qui proinde nec Christi, nec fœderis gratiæ ullam habuerunt notitiam. At si Deus seriò intendit eorum salutem, si fœdus gratiæ ad eos extendere voluit, cur noluit illis revelari? & cur negligentiam hominum, quam proculdubio prævidit, non correxit? Rursus quum dicitur Deum privare luce Evangelicâ populos, quia eâ indignos propter incredulitatem suam parentes se reddiderunt, duo supponuntur quæ probanda sunt. Primò Evangelium jam omnibus populis sine exceptione oblatum fuisse, quod de incolis novi Orbis nemo facilè dixerit. Secundò Deum in liberis parentum istam incredulitatem eo modo punire velle, quod minus admitti potest ab iis, qui peccati imputationem negant.

5. A Cognitione Christi.

XV. Quintò, A *Cognitione Christi.* Quia fœdus gratiæ ad eos non potest extendi, ad quos nunquam pervenit cognitio Christi Mediatoris, in quo contractum est, quales sunt illi omnes, qui Verbo Evangelii destituuntur, qui proinde fidem in Christum, quæ ex solo Verbi auditu concipitur Rom. 10. 17. habere nequeunt. Nec regeri potest, Neminem quidem servari posse sine Christo; Sed non statim necessariam esse omnibus ad salutem cognitionem Christi, saltem distinctam. Quia hæc duo ita sunt connexa, ut separari non possint respectu adultorum; Christus enim non servat nisi cognitus & per fidem apprehensus Is. 53. 11. Joh. 6. 29. 40. & 17. 3. aliàs quid opus esset Evangelio, si sine cognitione Christi posset nobis obtingere salus? Nec crudum hoc dogma confirmat, Vel exemplum infantium, qui servantur per Christum sine ejus cognitione, Cùm palam sit eos per ætatem ejus capaces non esse, quod de adultis dici nequit; Vel fidelium Veteris Testamenti, qui sine cognitione Christi saltem distinctâ servati sunt. Quia, præterquam quod gratis supponitur eos cognitione Christi caruisse, cujus contrarium superiori Quæstione probatum est, Non diffitentur Viri Docti cum quibus agimus, saltem sub N. T. distinctam Christi notitiam ad salutem necessariam esse, quâ cùm careant adhuc hodie innu-

numeri dici non potest eos sub fœdere gratiæ, quod Christo nititur, includi. QUÆST. VI.

XVI. Sextò, Ab *obsignatione fœderis*, quæ particularis est, sive *externa* respiciatur per Sacramenta, quæ sunt peculium Ecclesiæ, sive *interna* per Spiritum Eph. 1: 13. qui datur tantùm Christi membris. Nec inde bene colliges, Ergo etiam ad vocatos, qui sunt in Ecclesia, pertinere fœdus, & non tantùm ad electos. Nam aliud est oblatio obsignationis, aliud realis applicatio; Illa communis est omnibus vocatis; Hæc verò specialis credentibus, incredulis enim tantùm abest, ut obsignetur fœdus ad salutem, ut contrà obsignetur propria condemnatio, quia edunt sibi judicium.

6. Ab obsignatione fœderis.

XVII. Septimò, Si vocatione universali omnes & singuli ad fœdus invitantur, Natura cum Gratia confunditur, τὸ γνωστὸν cum τῷ πιστῷ, & adscribendum erit libro Naturæ ac Creaturarum voci, Præconium misericordiæ divinæ in solo Christo ex Scripturis patefactæ. Et cùm vana sit & illusoria Gratia universalis objectiva sine subjectiva; Vel dicendum est vires sufficientes omnibus & singulis restitui, per quas possint, si velint, Deo obsequi, & in fœdus cooptari, quod nihil aliud est, quàm liberi arbitrii idolo litare, & gratiam discriminantem contra Paulum penitus abolere, quasi aliquid sit vel esse possit in nobis, quod sit ex nobis juxta Pelagium, & non ex indebita Dei gratia, 1 Cor. 4: 7. Vel Deum aliquid intendere sub conditione impossibili, quam nec homo habere ex se potest, nec Deus illi vult largiri, qui solus potest.

7. Ab absurdo, quia confunditur natura cum gratia.

XVIII. Tantùm abest, ut prima Promissio Evangelica Gen. 3: 15. fuerit universalis, ut ex variis particularem fuisse non obscurè colligatur. 1. Quia agitur de *Semine mulieris*, non simpliciter & in tota sua latitudine, quo sensu homines notat quà tales, sed comparatè & contradistinctè ad semen Serpentis, tali scilicet, cui intercedere debeat inimicitia cum Serpente & ejus semine, quod contriturum sit caput Serpentis id. quod destructurum esset regnum & opera Diaboli, & liberaturum nos ab ejus potestate, cujus calcaneum tantùm lædit Serpens. At illud tantùm ad *Christum*, & eos *qui sunt Christi* pertinet Heb. 2: 14. 15. ad Semen scilicet *individualiter* & antonomasticè sumptum, cui primariò hoc competit, & secundariò ad illud *collectivè* sumptum pro Corpore illius mystico, seu fidelibus, *pro quibus*, *in quibus*, & *à quibus* caput Serpentis & post caput semen illius virtute, vel contritum est, vel conterendum. 2. Quia in Novo Testamento hoc explicatur de fidelibus exclusivè ad alios Rom. 16: 20. 1 Joh. 2: 14. & 5: 4. 18. 2 Cor. 2. 14. Hebr. 2: 14. 15. Apoc. 12: 11. 3. Quia impii per semen Serpentis designantur: Ergo non possunt sub semine mulieris contineri; unde passim Scriptura eos vocat υἱοὺς πονηροῦ Joh. 8: 44. 1 Joh. 3: 8. Act. 13: 10. *progenies viperarum* Matt. 3. non quidem propriè & physicè, quod nequidem in dæmo-

Fontes Solutionum.

QUÆST. VI. dæmonas ipsos cadit, qui non habent semen, sed figuratè & *moraliter*, ratione *similitudinis*, & *imitationis*, quia Diaboli opera faciunt, & illi obediunt, in quibus potenter & efficaciter agit Eph. 2: 3. similes sibi efficiendo tum malitiæ & impietatis instillatione, tum exitii hæreditate: Quis verò dixerit Semen mulieris esse, quibus perpetua intercedit inimicitia cum eo, qui ejus calcaneum observant & lædunt, & qui non modò caput Serpentis non conterunt, sed in quibus serpens, & caput & venenum exerit?

XIX. Nec hic reponendum est, 1. Vel omnes homines esse Semen mulieris: Quia licet hoc posset dici lato sensu & physicè, non tamen moraliter & strictè contradistinctè ad semen serpentis; prout hic sumitur. 2. Vel impios dici non posse semen serpentis, seu filios diaboli, quia ex serpentibus nonnisi serpentes procreantur. Nam hoc figuratè tantùm & moraliter intelligendum est, ut hic non *speciei*, sed *malitiæ*, & maledictionis attendenda sit conformitas. 3. Vel alienum esse à mandato Christi & officio Christianorum inimicitias exercere cum hominibus. Quia hoc non in personas eorum fertur, sed in venenum; atque adeò tantùm abest, ut ab ingenio verorum Christianorum, & Christi mandato abhorreat, ut nemo nomen fidelis tueri possit, & ad mandata Christi se componere, quin odio habeat malum in impiis, & illos in quibus est reduplicativè, quà in iis est, & quà tales sunt. 4. Vel victoriam quidem à Christo paratam fuisse omnibus, sed per hominum incredulitatem stare, quominus fructum illius consequantur; licere scilicet omnibus Christo agglutinari, & ejus victoriâ frui, si fidem Deo potius, quàm hosti habeant. Quia absurdum est illis victoriam paratam dicere, qui nec de victore, nec de victoria, nec de ejus fructu, nec de modo ejus potiundi quicquam audivêre, imò ne audire quidem per ætatem potuerunt. Deinde quid est victoriam paratam esse illis sub conditione si credant, id. si jam vincant, cùm fides sit victoria nostra 1 Joh. 5: 4. Tertiò victoria non potest dici parata illis qui ejus fructum non percipiunt, cùm eò respiciat, non tantùm, ut Christus *pro illis* caput serpentis conterat, sed etiam *in illis*, id. ut fidem in illis ad vincendum diabolum operetur. Quartò non potest dici licuisse iis victoriâ frui, si credidissent, quia quicquid futurum erat, pendebat ex antecedente decreto Dei, juxta quod alios elegerat ex amore indebito, alios justo odio reprobaverat; unde non se fecerunt semen serpentis per incredulitatem; sed cùm jam ad semen serpentis pertinerent ex peccato & reprobationis decreto, se tales amplius præstiterunt suis peccatis actualibus.

XX. Licèt promissio facta Noacho, seu fœdus cum ipso initum Gen. *Gen.* 6: 18. 6: 18. quoad præservationem mundi à diluvio fuerit universale, quod ad bruta etiam extenditur Gen. 9: 10. 11. Non sequitur fœdus gratiæ cum ipso renovatum quoad salutem æternam fuisse ejusdem latitudinis, cùm *Gen.* 9: 26. expresse restringatur ad Semum Genes. 9: 26. cui tandem consociandus

sit

sit Japhet sive posteritas ejus; Chamo & Canaane exclusis ab eo & maledictioni addictis v. 25. Imò Gentes ex filiis & nepotibus Noachi oriundæ, sic ab invicem separantur, ut pleræque etiam discedant ab Ecclesia cap. 10: 11. 12. Nec si Fœdus Gratiæ in promissione illa generali inclusum & adumbratum fuit, statim debet esse universale; Cùm nihil frequentius sit, quàm aliquid particulare per universale adumbrari, v. g. aquæ diluvii sunt figura Baptismi 1 Pet. 3: 20. Creatio prima typus secundæ. QUÆST. VI.

XXI. Omnes homines venientes in mundum illuminantur à Christo ratione Divinitatis, quatenus est Verbum & Filius Dei, lumine naturæ, per *κοινὰς ἐννοίας* & *προλήψεις*, quæ illis imprimuntur; sed non potest idem dici de Christo *œconomice* spectato, quatenus est Mediator & *θεάνθρωπος*, quasi lumine gratiæ omnes illuminaret; Cùm hoc privilegium sit fidelium, qui sunt in Ecclesia, qui Verbi & Spiritus luce gaudent. Joh. 1: 9. agitur de priori *σχέσει*, non de posteriori. *Joh. 1: 9.*

XXII. Illud semper verum est, quod potest affirmari, sive de facto affirmetur, sive non, sed eo demum sensu, quo posset affirmari; sed quod non posset affirmari, nisi aliquâ conditione positâ, eâ negatâ verum non est, v. g. Posset quidem affirmari, Paganos juberi & teneri credere Evangelio, si illis annunciaretur; sed verum non est illos juberi & teneri credere Evangelio, etsi non annuncietur ipsis. Posset quidem affirmari Christum pro illis esse mortuum, si ipsis annunciaretur Evangelium, & si audito Evangelio resipiscerent & crederent, quia tunc pertinerent ad electos & fœderatos. Sed non posset affirmari, nec verum est, Christum pro illis esse mortuum, etsi nec credant nec resipiscant, nec quicquam audiant de Evangelio, quia tunc ducitur argumentum à conditionato ad absolutum.

XXIII. Quamvis varia testimonia bonitatis, & patientiæ suæ dederit Paganis, quibus excitari debebant ad Creatorem suum jugiter glorificandum, & gratias agendas ipsi pro tot beneficiis quibus afficiebantur; Non sequitur revelatam ipsis fuisse misericordiam & placabilitatem Dei; Vel, si aliqua potuit haberi *generica & confusa placabilitatis divinæ notitia*; statim inde colligendum non est *distinctam* & *specificam* ibi haberi, in qua mens peccatoris queat erigi in certam & veram fiduciam remissionis peccatorum suorum, & salutis æternæ, quia extra Christum & ejus Satisfactionem, quæ lumine naturæ cognosci nequit, haberi non potest. Adde quod fœdus Gratiæ non consistit tantùm in revelatione *placabilitatis*, sed *actualis καταλλαγῆς reconciliationis* sive præstitæ, sive præstandæ. Nec sufficit ad salutem, scire Deum esse placabilem, nisi sciamus eum reipsa, vel jam esse placatum, vel certò placandum.

XXIV. Licèt Deus non se reliquerit apud Gentes sine omni testimonio suæ existentiæ, providentiæ, & beneficentiæ, per beneficia temporalia quæ illis largiebatur Act. 14: 17. non potest hinc legitimè concludi

QUÆST. VI. gratiæ salutaris cognitionem ipsis indultam esse, nisi velimus Naturam cum Gratia confundere, & pluvias ac tempestates frugiferas facere præcones Evangeiii, contra testante Apostolo, *Deum eas sivisse vias suas incedere*, nimir privando eas luce verbi, & salutari cognitione Christi. Aliud verò est beneficentiam suam & ἀνοχὴν testari erga homines per bonorum corporalium concessionem, vel per poenarum debitarum suspensionem & dilationem; quod oritur ex bonitate & sapientia Dei Creatoris & Gubernatoris in ordine naturæ. Aliud misericordiam exhibere in remissione peccatorum & bonorum spiritualium & æternorum communicatione, quod sine Christo fieri nequit. Prius concessum fuit Gentibus, non posterius. Quod eximiè *Calvinus* noster in h. l. docet, *Videndum*, inquit, *quomodo hæc duo inter se conveniant. Nam si de se testatus est Deus, non passus est quantum in se est mundum errare. Respondeo genus hoc testimonii, cujus sit mentio, tale fuisse, quod homines excusatione privaret, non autem sufficeret ad salutem: Verum enim est illud Apostoli, fide intelligi aptata fuisse verbo Dei secula; atqui fides non ex nudo cæli & terræ intuitu concipitur, sed ex Verbi auditu: Unde sequitur non posse, nisi Verbi directione ad salvificam Dei notitiam homines adduci. Neque tamen hoc obstat, quominus etiam absque Verbo reddantur inexcusabiles, qui tametsi naturaliter luce privati, propria tamen malitiâ cæcutiant*, ut docet Paulus Rom. 1.

Act. 14.16. 17.

Act. 17: 26. 27. XXV. Quum Paulus ait Act. 17: 26. 27. *Deum fecisse genus humanum ex uno sanguine &c. ut quærerent Deum, si forte palpent eum & inveniant* &c. Innuit quidem Deum ita se patefecisse in natura per Creationem & Providentiam, & per varia beneficia, quæ hominibus subinde indulget, ut debuerint assurgere ad quærendum id. cognoscendum & colendum authorem suum. Sed non potest concludi eo consilio & fine Deum hoc præstare, ut homines ipsum quærant salutariter, id est ad eum confugiant, & gratiam ejus expetant. 1. Quia inquisitio ista supponit fidem in requirente, Heb. 11: 6. quæ non datur extra Verbum Rom. 10: 17. 2. Agitur hic de tali inquisitione, quæ fieri potest *quasi palpando* id. in mediis tenebris, quod non potest dici de ea, quæ fit, vel invocatione & precibus, vel studio sanctè recteque vivendi, quæ fit sub luce fidei & Verbi divini. 3. Paulus accommodat sermonem suum iis quos alloquitur, Philosophis scilicet Gentilibus, Stoicis, & Epicuræis, quorum quæstiones ut plurimum erant de Dei existentia, & providentia, nec ultrà procedebant. Ostendit ergo tot extare documenta existentiæ & providentiæ Dei, ut palpari à cæcis quoque possit; nec amplius illis vel fato, vel fortunæ hærendum esse, sed ad Deum solum respiciendum
Vers. 30. Creatorem & Conservatorem Mundi. 4. Apostolus vocat v. 30. illam dispensationem resp. Gentilium, *tempus ignorantiæ*, quod opponit externæ revelationi Verbi, quæ fit in Novo Testamento, quâ denunciat omnibus ut re-

resipiscant, quod dici non potuisset, si sufficientem revelationem ad salutem ipsis exhibuisset. Nec si dicit, *Deum nunc omnibus denunciare ut ubique resipiscant*, sequitur Vocationem sub Novo Testamento esse universalem respectu omnium & singulorum; non magis quàm Col. 1:23. quum Paulus ait *Evangelium prædicatum fuisse omni creaturæ sub cælo*, potest colligi, jam tum omnibus & singulis Evangelium tempore Pauli fuisse prædicatum. Sic ergo notatur tantùm generalitas Vocationis ad omnes populos & personas indiscriminatim, oppositè ad Vetus Testamentum, sub quo ad unicam gentem restringebatur. QUÆST. VI.

XXVI. Loca Pauli Rom. 1:19.20. & cap. 2:4. quæ hic urgentur, excussa sunt P. I. Lo. I. Q. IV. Vid. etiam Lo. IV. de Prædest. Q. XVII. ubi variæ objectiones huc pertinentes solutæ sunt.

XXVII. Fœdus Gratiæ non tam latè patere debet, quàm fœdus Naturæ, licet beneficia sint amplianda. Quia Gratia cum lapsu debet conferri, non in *extensione*, quasi æqualis forent latitudinis, quo sensu omnes servarentur per Christum, quotquot perierunt per Adamum, sed in *intensione* & efficacia, & sic verum est, quod ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia, quia plus est unum servare, quàm mille perdere.

XXVIII. Si Adam in fœdere naturæ & in lapsu omnes repræsentavit, non sequitur id fieri pariter in restitutione & fœdere gratiæ. Quia vis repræsentationis cessavit in lapsu, dum seipsum & suos posteros in exitium præcipitavit. Unde non sustinet amplius personam publicam, sed privatam, & ita initum est fœdus cum ipso, & posteris ejus, non omnibus, sed iis qui sunt Christi, & qui includuntur sub Semine mulieris.

XXIX. *Promissiones* fœderis gratiæ non sunt *absolutè* & *simpliciter universales*, quia nec in Vet. Test. omnibus fuerunt promulgatæ Deut. 7:7. 8. & Psal. 147:19.20. Act. 14:16. & 17:30. Nec promulgantur in Novo Test. cùm constet Evangelium successivè prædicatum fuisse, & superesse adhuc Gentes plurimas, quibus illud præconium nec olim, nec hodie contigit; Sed tantùm *secundum quid*, & *limitatè*, ex divinæ dispensationis duplici modo, alio externo quoad *oblationem*, quæ ad *genera singulorum* extenditur indiscriminatim, licet non ad singula generum, alio interno quoad *applicationem* & fructum, respectu *omnium & singulorum credentium*, citra discrimen gentis, sexus, aut ætatis & conditionis; unde sæpius universalitas ista restringitur ad credentes ex Judæis & Gentibus Rom. 3:22. 23. & 10:12. Act. 10:43. & 13:43. Johan. 3:16. Et natura promissionum hoc postulat, quæ fide tantùm accipi possunt Galat. 3:14 Rom. 4:13. At fides non est omnium 2 Thess. 3:2. sed tantùm electorum Tit. 1:1.2. Atque isti sunt verum & proprium illarum objectum, qui *Filii promissiones* propterea dicuntur Rom. 9:6.7. *&c.*

QUÆST. VI.

XXX. Nec dici potest Promissiones quidem universales esse per se, & ex intentione Dei, quatenus Deus vult seriò omnes servari & ad agnitionem veritatis venire; Sed quòd non omnes eas obtineant, id fieri per accidens, propter malitiam & incredulitatem hominum, qui contumaciter resistunt Spiritui S. & ejus operationem impediunt. Quia falsò supponitur Deum seriò intendere omnium salutem, quod dici nequit de iis quos ab æterno reprobavit, & quibus nec Evangelium, nec fidem vult indulgere, sine quibus nec promissio potest cognosci, nec recipi. 2. Licèt verum sit homines resistere Spiritui Sancto, & ejus opus impedire; Non minùs verum est, quòd non omnibus Deus præstet illam gratiam, quâ resistentia cordis tollatur, & hoc esse donum speciale Dei Matt. 13. 11. Rom. 11. 7. quod proinde promissionis universalitatem tollit.

XXXI. Quamvis promissiones fœderales non sint absolutè universales, non evertitur propterea fundamentum consolationis, & salutis certitudo, eo quòd à particulari nulla sit firma collectio. Quia suam universalitatem semper habent respectu omnium credentium; quo respectu solo potest argumentum duci ad consolationem credentium per syllogismum practicum, cujus major fundatur in Scriptura, minor nititur testimonio Cordis credentis, hoc pacto, Promissiones Evangelii ad omnes & singulos credentes pertinent. At ego credo. Ergo ad me etiam pertinent. 2. Tantùm abest, ut per promissionum absolutam universalitatem, consolatio firmetur, ut potius enervetur & labefactetur. Quia cùm ex illa hypothesi promissiones pertineant ad fideles & infideles promiscuè, salvandos, & damnandos, nulla consolationis soliditas, & salutis certitudo hic esse potest. Quodnam enim consolationis fundamentum esse potest in eo, quod servandis & damnandis est commune?

XXXII. Calvini non aliam à communi & recepta sententia mentem fuisse, clarissimè ex variis ejus scriptis colligitur, ut contra Pighi. p. 707. *Nunc jactet Pighius Deum velle omnes salvos fieri, cùm ne externa quidem doctrinæ prædicatio, quæ Spiritus illuminatione longè inferior est, omnibus sit communis.* Et pag. 706. *Si omnibus notam esse voluerit suam voluntatem, cur Legem suam non publicavit gentibus, cur inclusam tenuit in angustiis vitæ lucem?* Et pag. 719. *Dum omnibus reconciliationem offerri dico, non ita accipio, quasi ad omnes gratia illa pervenerit, quâ mundum sibi reconciliet Deus &c.* Et paulò post. *Cur non omnibus indifferenter prædicari Evangelium ab initio mundi voluit? Cur tot seculis tam multas gentes errare in mortis tenebris passus est?* Quod confirmat resp. ad artic. 1. Castali. *Quomodo Deus vult omnes salvos fieri, non anxiè disputandum, quia hæc duo inter se cohærent, salus, & cognitio veritatis: nunc responde, Si voluit Deus suam veritatem omnibus innotescere; Cur ad tot gentes ex quo promulgari cœpit Evangelium, nunquam pervenerit pura ejus veritas?*

Dein-

Deinde cur non omnium oculos peræquè aperuerit, quando interior Spiritus illuminatio, qua nonnisi paucos dignatur, ad fidem necessaria est? vide Inst. l. 3. c. 22. s. 11. & c. 24. s. 15. & in 1 Tim. 2. QUÆST. VII.

QUÆSTIO VII.

DE DUPLICI OECONOMIA FOEDERIS GRATIÆ.

Cur Deus unicum Fœdus Gratiæ diversimodè dispensare voluerit; Et quotuplex, & qualis fuerit ejus Oeconomia?

I. ANtea *unitas substantialis* Fœderis Gratiæ asserta est, Nunc *diversitas* ejus *œconomica* venit expendenda. Nam ut πολυποίκιλος Dei sapientia in Operibus Naturæ, earumque multiplici varietate, dispositione, & diversa gubernatione mirum in modum elucet; Non minus imò luculentiùs conspicua est in Operibus Gratiæ, atque inprimis in varia Fœderis novi dispensatione, quod varias formas & quasi facies habuit, ob variam mysterii Christi, qui ejus est fundamentum, œconomiam, quod Deus ita administrare voluit, ut primò obscuriùs, deinde clariùs illud proponeret, primò in *promissione*, deinde in *complemento*. Unde duplex ejus œconomia instituta fuit, altera *Vetus*, quæ V. T. nomine solet appellari, quæ Christum venturum promisit & prædixit; altera *nova*, quæ *N. Test.* dicitur, quæ Christum exhibitum & incarnatum & mortuum nunciat. In illa Deus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως multis vicibus & modis Patres allocutus est. In ista verò nos allocutus est per Filium Heb. 1. 2.

II. Si Quæratur, Cur talem instituere voluerit Fœderis dispensationem Deus? Sola hîc Dei voluntas abundè sufficere posset ad frænandam curiositatem; Interim non desunt variæ sapientissimi istius consilii rationes. 1. *Modus agendi Dei* hoc videbatur exigere, qui res magnas non simul & semel perficit, quod facillimè tamen posset, sed successivè & per varios gradus, ut eò clariùs ejus sapientia & potentia percipiantur. Ita Fœdus Gratiæ, quod maximum meritò vocatur opus Dei & summâ admiratione dignum, voluit paulatim perficere & promulgare, ut sua haberet initia & incrementa, antequam plena ejus succederet consummatio: Nec sapientiæ Dei conveniebat, ut tanta Lux, quanta est in Evangelio, simul & semel, & uno quasi impetu

Cur Deus diversimodè fœdus gratiæ dispensarit? 1. Hoc exigebat modus agendi Dei.

 ef-

QUÆST. VII.

effunderetur, sed paulatim & per stricturas, ad modum Solis, qui non uno momento, sed per gradus ascendit ad meridiem, quod Apostolus paucis, sed eximiis verbis docet Heb. 1: 1. quum ait *Deum* πολυτρόπως & πολυμερῶς *locutum esse Patribus olim*, prius notat *modos* varios *revelationis*, qui obtinebant in V.T. posterius verò ejus diversos *gradus* per quos se Veteribus patefecit.

2. Conditio Ecclesiæ.

III. 2. Hoc postulabat *Ecclesiæ conditio*, Ut enim per varias ætates eam deducere voluit: Ita diversimodè cum ea agere constituit. Dum ergo in infantia fuit, nec ad maturam ætatem pervenerat, tanquam infans tractanda fuit, Gal. 4: 1. ideo cum ea quasi balbutiens Deus minimam revelationis mensuram illi indulsit, & sub primis elementis & rudibus figuris eam detinuit, quæ postea locum facere debuerunt pleniori revelationi, quum provectior fuit, & ad adultam ætatem pervenit.

Gal. 4. 1.

3 Messiæ dignitas.

IV. 3. *Messiæ dignitas*, & *præstantia Operis* ab illo peragendi: Nam ut ille non statim ab initio gravissimis de causis, sed in plenitudine demum temporis exhiberi debuit; Conveniens fuit imaginem ejus prius proponere, desiderium excitare, & in illius desiderio & expectatione mentes detinere, ne longiori morâ fatiscerent. Æquum etiam erat apertam tanti mysterii declarationem Christo summo Prophetæ reservare, ut clariùs pateret quodnam esset discrimen inter Mosem famulum, & Christum Dominum, Inter Doctorem symbolicum prima elementa docentem, & Doctorem cœlestem omnia arcana revelantem. Deinde præcedere debuit convictio hominis impotentiæ, ut eò clariùs cognosceretur necessitas gratiæ, & ardentius Salvatoris, per quem afferenda fuit, desiderium excitaretur.

4 Natura rerum.

V. 4. *Natura rerum*, Cùm enim futuræ essent adhuc, & vaticinia ante complementum soleant esse obscuriora, saltem quoad complementi rationem, mirum non est si primò obscuriùs, deinde clariùs fuerint proposita, quò propiùs accedebatur ad tempus complementi; Sic lux magis magisque aucta est, Progressus fit revelationis, Propheta Prophetæ tradit & arripit lampadem Evangelii, quâ illuminetur Ecclesia, & novum gradum lucis addit. Eædem promissiones repetuntur & illustrantur; & quò magis instat tempus complementi, eò clariores sunt & pleniores. Ante Legem datam per Mosem obscurior fuit Promissio, Lege datâ usque ad tempora Prophetarum minus obscura, à Prophetarum temporibus usque ad J. Baptistam clarior, post Johannis prædicationem aperta, clarissima post adventum Christi. Ita Messias ab initio tantùm ut Semen mulieris Gen. 3. 15. promissus est, postea ut Filius Abrahami, Gen. 12. ut oriundus ex Juda, Gen. 49. & in tribu Juda ex familia Davidis 2 Sam. 7. Exinde additæ sunt circumstantiæ variæ de conditione Matris, quòd futura esset virgo Isa. 7. de loco nativitatis Mich. 5. 2. de tempore Dan. 9. de statu ejus duplici passionum & gloriæ Isa. 53. de Præcursore Mal. 3: 1. & aliis adjunctis, quæ promissionem magis magisque illustrarunt.

VI. Nec sine gravi causa factum, ut mysterium hoc eò obscuriùs fuerit propositum, quò tempora ab adventu Christi longiùs abfuerunt. 1. Quia consentaneum fuit, ut tempora, quò longiùs ab exortu Solis justitiæ apparuerunt, eò obscuriora essent. 2. Quò propiùs instabat adventus Christi, eò acriùs excitari debuerunt hominum animi in ejus expectatione. 3. Ecclesia quò fuit propior initiis suis, eò rudior fuit, proindeque eò rudiori formâ instituenda.

Vet. Test. protenditur ab Adamo ad Christum.

VII. Porrò diversitas istius œconomiæ duabus partibus solet comprehendi, quæ *Vet. & N. Test.* nomine designari solent, ut antea dictum; Illud quod ab Adamo usque ad Christum protenditur; Istud à Christo ad finem seculi. Quicquid in dispensatione istius fœderis typicum fuit & connotans imperfectionem, & confessionem nondum soluti λύτρȣ, id ad Vet. Test. pertinet. Quicquid redemtionem actu præstitam per Christum, id N. Test. proprium est. Scio τριχοτομίαν nonnullis magis arridere, ut consideretur Fœderis gratiæ administratio. 1. *Sub Promissione* ante Legem, à Protevangelio usque ad Mosem, quam promissionem meræ gratiæ & libertatis fuisse contendunt, sine ullo jugo ac Legis accusantis onere. 2. *Sub Lege*, à Mose ad Christum, ubi volunt demum incipere Vetus Testamentum, cujus hæreditas sit terra Canaan. 3. *Sub Evangelio*, ubi incipit Novum. Sed non putamus tamen recedendum esse à receptâ sententiâ, quæ διχοτομίαν retinet, & primam œconomiam ante Christum Veteris Testamenti notione designare solet. Quia ex usu Scripturæ *Promissio*, non tantùm refertur ad tempus ante Legem, sed extenditur ad omnia secula sequentia sub Lege usque ad Christum, ut colligitur ex locis Act. 2: 39. & 7: 17. & 13: 32. Luc. 1: 72. Rom. 9: 4. Eph. 2: 12. Et *Veteris Testamenti* nomenclatio non restringitur ad œconomiam Mosaïcam, sed extenditur ad totam dispensationem, quæ Christum antecessit ab ipso hominis lapsu & promissione illi datâ 2 Cor. 3: 14. Unde Christus Heb. 9: 15. dicitur Mediator *constitutus ad expiationem transgressionum quæ facta fuerunt sub priori Test.* non utique tantùm sub Lege, sed jam ab initio mundi, & c. 8: 13. V. T. vocatur quicquid antiquandum est, non modò Cæremoniæ à Mose primò latæ, sed Sacrificia & Circumcisio, quæ ante Legem scriptam jam obtinebant.

VIII. Nec si œconomiæ Mosaïcæ peculiari ratione pactio Veteris Testamenti attribuitur aliquando, sequitur Vetus Testamentum tunc demum inchoatum fuisse; siquidem eadem Religio utrobique obtinuit, & ante & post Legem, Sacrificia, Circumcisio, & alia multa, quæ Vetus Testamentum constituunt: Sed hoc fit ratione illustrioris confirmationis, quia tunc confirmatio priscorum simul & novorum rituum in certam Sacrorum formam accessit, & periodus illa solenni fœderis renovatione, & multis additamentis ita fuit locupletata, ut perfectior longè fuerit, & antegressas

sas

QUÆST. VII. sas omnes absorbere quasi videretur, quo sensu Circumcisio à Mose data dicitur Joh. 7: 22. quæ longè ante Mosem fuit; Sic sæpe id fieri dicitur in Scriptura, quod renovatur & illustriori modo proponitur, ut antea de novo Fœdere novissimis diebus pangendo dictum. Et hinc facilè explicantur loca Deut. 5: 2. 3. Jer. 31: 32. Gal. 4: 24. in quibus fœderis seu Testamenti veteris initium videtur duci à Mose, & fœdere ab ipso pacto cum Israëlitis in Horeb. Quia ibi non agitur de re ipsa, sed tantùm de modo rei, non ut negetur Deum fœdus pepigisse cum Patribus, quod toties asseritur alibi, imò quicquid Deus fecit Israëli, fecit ex virtute fœderis cum Patribus initi Exod. 2: 24. Sed tantùm ut innuatur eo modo & formâ nondum factum fuisse, & cum tali apparatu, alloquendo eos è medio tonitruum & fulgetrorum, dando ipsis Legem propriâ manu suâ exaratam, cum additamento tot rituum.

Deut. 5: 2. 3.

Heb. 9: 18. 20.

IX. Quum Paulus ait Heb. 9: 18. 20. Vet. Test. *initiatum esse cum sanguine*, non vult statim originem ejus referri demum ad αἱματεκχυσίαν de qua Exod. 24: 6. quasi recens adhuc fuerit. Quia, præterquam quod illa consecratio potuit jam fieri per αἱματεκχυσίαν in sacrificiis Patriarcharum factam; si ad Exod. 24. referatur, notabit solennem tantùm dedicationem, non primam institutionem, quomodo id quoque dici potest ἐγκαινίζεσθαι, quod denuò solenniter dedicatur, licet res ipsa longè antè jam extiterit. Ἐγκαίνια ergò possunt de quavis dedicatione, sive prima, sive instaurata intelligi 1 Macch. 6. & 4: 43. Joh. 10: 22. & Heb. 10: 20.

X. Si à Theologis fœdus gratiæ, quod sub promissione nudâ Adamo factâ continebatur, accepisse dicitur χέσιν magis fœderalem tempore Abrahami, & Mosis tempore characterem perfectiorem Testamentariæ dispositionis, Non ideo fit, ut Patres ante legem excludantur à Veteris Testamenti complexu, vel ut V. T. restringatur tantùm ad typicam promissionem terræ Canaan; Sed ut progressus revelationis fœderis Gratiæ notetur, & œconomiæ istius infantia & rudimenta, quæ fuerunt ante Legem, distinguantur ab ejus perfectiori constitutione. Licèt verò sub Vet. Test. in quadam ejus periodo hæreditas terræ Canaan data sit Israëli; hoc non absolvit integram V. T. naturam, quod complectitur quicquid Typicum & Cæremoniale fuit in dispensatione illa jam ab ipso mundi exordio.

Prima ætas Ecclesiæ ab Adamo ad Abrahamum.

XI. Ut autem de duplici ista œconomia dicamus distinctè, Prior, quæ est Veteris Test. sub tribus Periodis seu Curriculis spectari potest. Ab Adamo ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Mosem, à Mose ad Christum. Primum curriculum fluxit ab Adamo ad Abrahamum, quo tempore Fœderis Gratiæ summa, brevissimis quidem, sed tamen luculentissimis Protevangelii seu *Promissionis primæ* verbis continebatur Genes. 3: 15. *Semen mulieris conteret caput Serpentis*, quibus primorum Parentum fides alebatur, cujus Oraculi

Gen. 3: 15.

hæc

hæc fuit substantia: Exoriturum quandoque aliquem, qui ex perditione eriperet eos, quibuscum fœdus inire constituerat Deus, idque contrito eo, cujus fraude in hanc calamitatem inciderant. In quo mirabilis Dei misericordia elucet, quòd voluerit Adamo remedium gratiæ statim proponere ad vulnus à Satana acceptum sanandum, ut ubi venenum peccati crevit, ibi occurrat ἀλεξιφάρμακον gratiæ, quod in Natura sæpè observari notant Physici, maximè in Thora & Anthora ejus antidoto juxta se positis. Quæst. VII.

XII. Hoc Oraculum ad Christum respexisse res ipsa clamat. Nec hic moramur quòd V. Versio pro *ipsum* reposuit *ipsa* ad B. Virginem manifestà corruptelà referatur, quasi pro הוא legendum esset היא, ut dolo malo Guido Fabricius Boderianus in Bibliis Regiis interlinearibus Antverpianis locum corrumpere conatus est; cùm Pontificii ipsi saniores vi veritatis adacti id agnoverint, ut *Pagninus*, *Arias Montanus*, *Vatablus*, *Isidorus Clarius*, *Lucas Brugensis*, & alii innumeri; Et constet hoc esse contra Codicum omnium probatorum fidem, contra antiquissimas Versiones Chaldæi Paraphrastis, & LXX. Contra analogiam grammaticam, quæ non potest pati, ut relativum fœmininum tribuatur nomini masculino זרע, & verbo תשופנו ejusdem generis; Contra rei naturam, quæ huic subjecto tribuitur, quæ talis est, ut vires humanas simpliciter superet, contritio scilicet Serpentis, id. destructio imperii Satanici, quæ Christo in Scriptura passim vindicatur.

XIII. Per *Semen* ergo *mulieris* antonomasticè & principaliter Christum intelligendum esse colligitur. 1. Quia huic non opponitur aliud Semen ut antea, sed Antagonista singularis nim. Serpens, cujus caput erat conterendum ab isto Semine, ut innuatur singularis quædam monomachia. 2. Quia pugnæ & victoriæ modus talis est, ut nemini nisi Deo competere possit, victoria scilicet Diaboli, qui nec ab homine jam victo, nec ab Angelo æquali, sed à solo Deo vinci potuit. 3. Scriptura eandem promissionem Seminis benedicti Abrahamo factam ad Christum refert Galat. 3:16. non dicit *seminibus*, *quasi essent plura*, *sed Semini*, *quod est Christus*. 4. Oraculi istius impletio in N. T. passim Christo vindicatur Joh. 12: 31. & 14:30. Luc. 10:18. Col. 2: 15. Heb. 2: 14. 15. Rom. 16: 20. 1 Joh. 3:8. Apoc. 12:8. 9.

XIV. Christus autem contriturus dicitur *Caput Serpentis*, quatenus abolere debuit tyrannidem & potestatem omnem Diaboli illi per peccatum datam, quæ per Caput Serpentis designatur, ut venenum serpentis est potissimum in capite, quo læso ac contrito nocere amplius non potest. Cujus contritionis symbolum erat vis illa mirifica Christi discipulis concessa, de qua Luc. 10: 19. *Ecce do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici, & nihil vos lædet*; & quod piis tribuitur Ps. 91:13. *Super aspidem & basiliscum ambulabis* &c. Hoc verò non simul & semel, sed variis

QUÆST. VII. gradibus exequitur. Primò *in se* pro nobis. Deinde *in nobis*, & per nos suâ virtute. In se 1. Per *Incarnationem & mortem*, per quam ita satisfecit justitiæ Dei plenissimè, & peccata nostra expiavit, ut omne jus accusandi deinceps homines Satanæ abstulerit, *Per mortem destruxit eum qui habebat imperium mortis* Heb. 2: 14. 15. *Principatus & potestates in cruce publice in triumphum egit* Col. 2: 15. 2. Per *Resurrectionem & Ascensionem*, in qua victor mortis & sepulchri *captivam duxit captivitatem* Eph. 4:8. 3. Per *Prædicationem Evangelii*, de qua dicit Luc. 10:18. 19. *Vidi Satanam cadentem è cælo instar fulguris* &c. 4. Per *ultimum adventum*, quando Satan & falsus Propheta projiciendi sunt in stagnum ignis & sulphuris Apoc. 20: 10. *In nobis* per operationem Spiritus, per quam fideles dicuntur *vincere malignum* 1 Joh. 2: 14. Apoc. 12: 11. 1. In *Vocatione* per quam a Satana ad Deum, à potestate tenebrarum ad regnum lucis convertuntur Act. 26: 17. 18. Col. 1: 13. 2. In *Justificatione* & *Sanctificatione*, quæ liberat nos à reatu & dominio peccati, per quod Satan tyrannidem suam in nos exercebat Rom. 8:1. 31. 32. 1 Joh. 5: 18. 3. In *Resurrectione ultima* & judicio novissimo, quo conteretur Satan sub pedibus nostris Rom 16: 20. & in æternum ignem præceps agetur 1 Cor. 15: 54. 55. Apoc. 20: 10. 14. Mat. 25.

XV. Victoria autem ista a Christo de Satana reportanda, non debuit esse incruenta & sine certamine, nam conterendus illi fuit à Serpente calcaneus, *Conteres ei calcaneum*; Utrinque debuit esse pugna, sed valdè dissimilis; Christus caput Serpentis petit, & conterit, scil. regnum Satanæ evertit. Sed Serpens tantùm calcaneum potest attingere & mordere, id humanitatem & carnem Christi, quâ terram calcavit, per tentationes, persecutiones, & mortem affligere; non tamen cum exitio, quia mox resurrexit & victor evasit, ut hic passiones cum gloriâ secutura necessariò conjungendæ sint. Idem etiam in fidelibus cernitur, permittit quidem Deus serpentem istum antiquum mordere calcaneum fidelium, id. eos vexare in corpore & bonis corporis per tentationes, quando eos cribrat Luc. 22: 31. per afflictiones & cruces Apoc. 2: 10. & 12: 13. 14. 15. & per mortem, ut est homicida à principio; sed cor & caput non potest ferire, quia in animam & salutem nullam potestatem habet.

XVI. Quamvis verò dubitari non possit, quin *Christus* primariò & κατ' ἐξοχὴν per *Semen mulieris* hic sit intelligendus; cùm tamen nomen Seminis sit collectivum, quod non unum individuum, sed plura solet complecti, & ita debeat sumi, quando agitur de *Semine Serpentis:* Non rejicienda est eorum sententia, qui vocem istam collectivè sumendam esse pertendunt, ut extendatur ad omnes fideles, qui sunt Christi, & qui partem habent in illa promissione; Sed ita tamen, ut in illa collatione unus aliquis emineat, qui tanti operis author sit. Ita tota Ecclesia hic includitur, Caput cum Membris, sed cum isto discrimine, ut Christo tribuatur primariò

&

& principaliter, Cæteris secundariò & dependenter; Illi primitivè & eminenter, Cæteris participativè & in gradu inferiori; Illi, ut Victori & Duci, cujus virtute omnia peraguntur, Cæteris ut militibus, qui sub ejus vexillo militant, & quos ad fructum victoriæ percipiendum vocat. Quæ fuit sententia Calvini nostri cum aliis multis, qui iniquissimè ideo traducitur à Lutheranis, quasi hâc in parte Judaïzaret & primam istam promissionem Evangelicam everteret, quia Semen mulieris, non individualiter, sed collectivè sumit; cùm expressè innuat ad *unum Caput venire necesse esse*, *ut reperiamus ad quos pertineat victoria*, quod in lib. Insti. non semel confirmat lib. 1. c. 14. s. 18. & lib. 2. c. 13. s. 2. QUÆST. VII.

XVII. Ex quibus facilè colligitur primævam illam promissionem datam Protoplastis, licèt obscuriùs, præcipuas partes Fœderis gratiæ & Evangelii velut in compendio continuisse. Licèt verò in verbis illis expressè non proponatur responsio vel restipulatio Credentium; inest tamen manifestatio obligationis cultus & obsequii ab ipsis Deo præstandi, quod & præstitum fuisse liquet, quando invocatum dicitur nomen Domini Gen. 4: 26. Adde quod promissio à parte Dei, necessariò postulet fidem à parte hominis, unde fides Abelis, Enochi, Noachi, à Paulo celebratur Heb. 11: 4. 5. 6. Nec aliò spectarunt sacrificia ἱλαστικὰ primis illis temporibus Deo oblata à piis non sine Dei mandato, oblata quippe per fidem, quæ nititur Dei Verbo, quàm ut se sustentarent in spe futuræ Redemptionis.

XVIII. *Secunda ætas* ab Abrahamo protenditur usque ad Mosem Populi liberatorem, & Legis promulgatorem, in qua cùm promissionis divinæ memoria in hominum animis ferè obsolevisset, & idololatriæ contagio, etiam sanctum genus Semi & Thare familiam contaminasset, Jos. 24: 2. Deus selecto evocatoque inde Abrahamo, fœdus cum ipso & semine ejus renovavit; Messiam ex ipsius posteris nasciturum spondens, & fidem ac obsequium vicissim ab eo postulans Gen. 13: 18. & 17: 1. 2. *Secunda Ætas ab Abrahamo ad Mosem.*

XIX. Promissio fuit non solùm de beneficiis temporalibus & terrenis, de multiplicatione Seminis, & illustratione Nominis, & possessione terræ Canaan; sed præcipuè de spiritualibus & cœlestibus, quæ includuntur in benedictione Abrahamo data, *In te benedicentur omnes familiæ terræ*, Gen. 12: 3. *In te*, id. *in semine tuo*, ut explicatur c. 22: 18. & 26: 4. *benedictio* autem ista omne genus bonorum salutarium complectitur Eph. 1: 3. ut *maledictio* illi opposita, omne genus malorum includebat, quam Evangelicam esse, & rei ipsius natura evincit, & vox Apostoli docet, quum eam refert 1. ad justificationem Gal. 3: 7. 8. *Scriptura*, inquit, *prævidens, quod Deus justificat Gentes ex fide, prævangelizavit Abrahamo, dicens, In te benedicentur omnes gentes*, & v. 13. 14. *Christus nos redemit ab execratione Legis, factus pro nobis maledictio, ut benedictio Abrahamo veniret in* Gen. 12: 3. & 22: 18. Eph. 1: 3. Gal. 3: 7. 8.

QUÆST. VII. *omnes credentes per Christum.* 2. ad adoptionem Gal. 3:29. *si sumus Christi, sumus Abrahæ & secundum promissionem hæredes*, & cap. 4:28. *Nos sumus ad instar Isaaci filii promissionis.* 3. ad conversionem Act. 3:25. *Vos estis Filii Prophetarum, & fœderis, quod Deus inivit cum Patribus dicens Abrahamo, In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ; Vobis primum Christum suscitatum misit Deus, qui vobis benediceret, convertendo & revocando unumquemque a peccatis suis.* 4. ad promissionem Spiritus Gal. 3:14. 5. ad glorificationem; hinc gentes dicuntur accubituræ cum Abrahamo in regno cœlorum Mat. 8:11. Luc 16:23. & electi *benedicti* vocantur *Patris* Mat. 25.

XX. *Semen* in quo benedictio ista debet conferri, non est naturale tantùm, sed mysticum & benedictum, nim. *Christus*, interprete Apostolo Gal. 3:16. *Promissiones dictæ sunt Abrahamo & Semini ejus, non dicit seminibus, quasi essent multa, sed tanquam ex uno, Semini tuo, quod est Christus.* Et res ipsa hoc necessariò postulat, quia tale est Semen in quo benedicendæ essent omnes familiæ terræ, & Abraham Pater multarum gentium fieret, quod de Isaaco dici nequit, sed tantùm de Christo. Tale Semen, cujus *fides debuit imputari ad justitiam* Gen. 15:6. id. justificationem conferre, quod in Christo tantùm impletur, *in quo promissiones omnes sunt etiam & amen* 2 Cor. 1:20. In Christo ergo benedicendæ fuerunt gentes, id est, tum *per & propter ipsum*, qui acquisivit istam benedictionem merito suo, tum *in ipso & cum ipso* id. vi unionis mysticæ, quam habent fideles cum ipso, ut unitas seminis notetur, non præcisè personæ, sed Corporis alicujus mystici, uniti per fidem sub Capite Christo, à quo cætera Membra denominantur.

Gal. 3:16.

XXI. Denique *promissio* fœderalis, in qua cæteræ omnes continentur, est quòd *Deus futurus esset Deus ipsius, & seminis ipsius post ipsum* Gen. 17. de cujus sensu & latitudine suprà dictum. Porrò Deus promissionem istam non contentus fuit verbis exprimere, sed voluit insuper eam multifariam confirmare, ut ejus immutabilitas denotaretur Gal. 3:15. 17. Triplex autem fuit κύρωσις. Prima per solennes fœdus ineuntium ritus Gen. 15. in dissectione animalium, & transitu per medium ipsorum, quem morem in fœderibus pangendis usitatum esse docet Jer. 34:18. Secunda per sacramentum Circumcisionis promissioni additum Gen. 17. Tertia per jusjurandum Gen. 22. & Heb. 6:17. 18. *In quo Deus volens ulterius ostendere hæredibus promissionis immutabilitatem consilii sui, juramento intervenit* &c.

Gal. 3:15. 17.

XXII. *Conditiones* etiam fœderis proponuntur. Primò *fides* per quam *credidisse Deo* dicitur Gen. 15:6. Secundò *conversio* & *sanctificationis studium* Gen. 17:1. *Ambula coram me & esto integer* quod utrumque in Sacramento Circumcisionis obsignatur & præcipitur, utraque autem sese in Patre credentium mirificè exeruit 1. *fides*, quum amplexus est promissionem de Semine Gen. 12:4. 5. 6. expectavit ab eo bona omnia, non tantùm

tùm temporalia, ſed præcipuè ſpiritualia & æterna, quæ ideo juſtificans QUÆST.
fuit. Virtus ejus augetur ex circumſtantiis, quòd crediderit res tam arduas VIII.
& planè incredibiles, terræ poſſeſſionem poſſeſſæ à potentiſſima gente, cùm ipſe ſolus eſſet, prolem ipſo & Sarà jam effœtis, benedictionem omnium gentium in Semine ſuo, at nunquam à ſe viſo, cujus fidei firmitatem Paulus graphicè deſcribit Rom. 4: 18. 19. 20. 21. *Obedientia* etiam illuſtris fuit in duobus 1. In *exitu è domo* patris & patriâ ſuâ incertus quò iret Heb. 11: 8. quæ ſumma obſequii gloria eſt Deum vocantem & ducentem ſequi, atque ire quò neſcias, & ubi ignores, an bene, an malè tibi futurum ſit. 2. In *oblatione filii* Heb. 11: 17. Gen. 22: 2. quæ maxima omnium & duriſſima fuit tentatio, filium innocentem, dilectum, unicum non tantùm amittere, ſed occidere & propriis manibus mactare, ut qui *pater* fuerat ad vitam dandam, eſſet *homicida* ad eam auferendam: Et illud promptè & ſine mora, ducto per ſingula membra ferro, ſacrificii in morem dilaniare, & in holocauſtum offerre, ut totus conſumeretur, idque præmeditatò, toto triduo inter iſtas cogitationes exacto, quod ſacrilegium potius quàm ſacrum videbatur, contra jus omne divinum & humanum, contra naturæ ipſius lumen & motum, contra promiſſionem datam de Semine benedicto & benedicente, adeoque contra Abrahami & omnium fœderatorum æternam fidem & ſalutem. Et tamen obedivit, & paratus fuit ex fide reſurrectionis mortuorum etiam talem filium offerre Heb. 11: 19. quæ ſingularis obedientia illi nomen *amici Dei* obtinuit Iſa. 41: 8. Jac. 2: 23.

Rom. 4: 18. 19.

Gen. 22: 2.

XXIII. Inter hujus ætatis, & præcedentis œconomiam multiplex fuit diſcrimen. Illa *promiſſionis*, Iſta *fœderis* nomine magis propriè appellatur, quia hìc perſpicuè & expreſsè proponitur conditio obſequii, quæ illic nonniſi implicitè continebatur. Illa ſacrificiorum quidem ritus habuit; ſed iſta Circumciſionis ſacramento tanquam peculiari ſigillo fuit obſignata. Illa communiter & indefinitè generi humano proponebatur. Iſta ſingulariter ad Abrahamum & ejus poſteros reſtringebatur. In illa tam claræ non extant promiſſiones, nec ita perſpicua vocationis gentium facta mentio, nec propoſitus aliquis tanquam fœderatorum Pater, qui propterea hæres dicitur mundi Rom. 4: 15. 17. quia mundum id. gentes omnes, ad quas perventura erat benedictio, tanquam filios ſuos habuit.

XXIV. *Tertia ætas* Eccleſiæ & œconomiæ Veteris Teſtamenti à Moſe ad Chriſtum ſeu à promulgatione Legis in deſerto uſque ad Meſſiæ exhibitionem extenditur. Quo temporis intervallo, alia longè rerum facies fuit. Tunc facta eſt Reip. Iſraeliticæ per Moſem erectio, cujus beneficio fœdus gratiæ non modò rationem promiſſionis, & fœderis habuit, ſed formam perfectiorem & magis teſtamentariam, quod ſancitum fuit in ſanguine victimarum Exod. 24. in ſymbolum ſanguinis Chriſti Matth. 26. Antea fœdus ad

Tertia Ætas à Moſe ad Chriſtum.

QUÆST. VII. certas tantùm personas & familias restrictum fuerat; At per Mosem tum objectivè fuit ampliatum, utpote cum integrâ & numerosâ gente sancitum, tum subjectivè à parte ipsius fœderis per multas solennitates stabiliti, aucti, non tantum Paschate aliisve Sacramentis, sed quamplurimis aliis, præsertim Sacrificiis, mortis Christi figuris, accedentibus subinde novis Vaticiniis de Christo suo tempore revelando. Ita postquam Semen Abrahami in integram gentem excrevit; Deus se illi liberatione Ægyptiacâ clarissimè patefecit, non modò ut אל שדי Gen. 17: 1. id. omnipotentem & sibi sufficientissimum, ne quis de promissionum complemento dubitaret; sed etiam ut יהוה Exod. 6: 2. qui cum æternitate & immutabilitate essentiæ, haberet constantiam & fidelitatem in promisso implendo de liberatione populi a captivitate Ægyptiacâ, quod cum ipso complemento subsistebat.

Legis promulgationis Author. XXV. In hoc intervallo facta fuit *Legis promulgatio*, cujus Author Deus fuit, unicus ille Legislator, qui servare potest & perdere Jac. 4: 12. Qui Jus Imperii in conscientias habet, & qui Israëlem sibi in populum assumendo, singulari ratione se illius Deum esse demonstrabat. Et quidem tota S. Trinitas, cujus in una Deitate parem majestatem & gloriam agnoscere & colere tenemur. Sed Filius peculiari ratione, ut Dux & Rector populi. Idem enim Angelus, qui Mosi in rubo apparuit, postea Mosi Legem dedit Act. 7: 38. quem non fuisse Angelum creatum ex eo solidè colligitur, quòd loquitur in persona Jehovæ, quod nulli Angelo vel Delegato competit, quum dicit se Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi, & talia ipsi tribuuntur, quæ de Angelo creato dici nequeunt, ut quod non irritandus sit, quia non sit condonaturus, siquidem nomen Dei sit in ipso Exod. 23: 20. 21. Unde dicitur alibi *Angelus faciei* κατ' ἐξοχὴν Isa. 63: 9. & *fœderis* Mal. 3: 1. & hac de causa Israelitæ dicuntur tentasse Christum 1 Cor. 10: 9. nim. Angelum illum in columna nubis & ignis.

Act. 7: 38.

Ministri Angeli. XXVI. Causæ minus principales seu instrumentales fuerunt, tum *Angeli* creati, ut *stipulatores*, qui adstabant supremo Legislatori ad majorem ejus gloriam; ut *testes* eorum omnium quæ gerebantur, & ut *ministri*, quorum interventu, non modò tonitrua & fulmina & terribilia illa signa, quæ Legis promulgationem comitabantur, producta sunt, sed & vox Dei loquentis intelligibiliter formata. Quo sensu Heb. 2: 2. Lex vocatur λόγος λαληθεὶς δι' Ἀγγέλων, *sermo per Angelos dictus*. Et Gal. 3: 19. dicitur διαταγεὶς δι' Ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, id. imperata, digesta, lata, & promulgata ministerio Angelorum. Quò spectant verba Stephani Act. 7: 53. ubi asserit Israelitas accepisse Legem εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων, *in dispositionibus Angelorum*, sive per διαταγὰς intelligantur cum nonnullis turmæ ordine militari dispositæ Angelorum stipantium Imperatorem suum, quod videtur innui Deut. 33. 2. quum dicitur

Gal. 3. 19.

Act. 7. 53.

Je-

Jehovam prodiisse e Sinai, venisse ex myriadibus Sanctorum &c. sive, ut alii volunt, διαταγὴ hic ponatur pro *mandato*, *ordinatione*, & *sanctione*, ut Rom. 13:2. ut sensus sit Legem acceptam esse ad ordinationes Angelorum, quibus eam promulgandam dederat Filius Dei, tanquam Ministris & Praeconibus. His verò Minister externus & visibilis additus est *Moses*, qui quoad externam dispensationem Mediatoris rationem potuit sustinere, sed talis qui tantùm esset typicus, ut typicus fuit λυτρωτὴς Act. 7. 35. ut famulus in domo Dei Heb. 3:2.3. & internuncius merus inter Deum & populum Deut. 5:31. QUÆST. VII. *Moses.*

XXVII. *Modus Legislationis* fuit augustus & terribilis, non modò propter terminos circa montem positos, ne cuiquam liber accessus daretur, pœnâ mortis denunciatâ illi, qui in montem ascendere, vel partem ejus tangere sustineret Exod. 19:13. sed etiam ex signis & prodigiis horribilibus, quae praesentiam Dei in monte comitabantur Exod. 19. & Heb. 12. quibus non populus duntaxat, sed Moses ipse totus contremuit, & apertè professus est se esse ἔκφοβον καὶ ἔντρομον Heb. 12:21. quae non aliò pertinebant, quàm ad indicandam tremendam Legislatoris Majestatem, & designandam Legis naturam, per quam nullus dari potest peccatori ad Deum accessus, imò nihil aliud est ex se, quàm ministerium mortis & condemnationis. *Modus Legislationis.*

XXVIII. Atque hinc non obscurè colligitur, Quid statuendum sit circa Quaestionem, quae hic movetur à nonnullis. An Decalogus in monte Sinai promulgatus, nihil nisi foedus gratiae continuerit, & puram ejus stipulationem? Cum enim ex iis quae jamjam dicta sunt, constet νομοθεσίας istius modum fuisse terrificum, qui metum incuteret conscientiis, easque minarum rigore removeret a Dei conspectu, nemo non videt hoc non esse σχῆμα vel genium foederis gratiae, quod Deum placatum nobis exhibet, & peccatores ad ipsum revocat suavitate promissionum. Adde quod Lex, quae Decalogo continetur, juris est naturalis, fundata in Dei justitia. At foedus gratiae juris positivi & liberi, fundatum in ejus εὐδοκίᾳ & misericordiâ. Illud Sponsorem exhibet, & remissionem peccatorum & salutem in ejus satisfactione pollicetur, nec obedientiam tantùm exigit, sed & efficit. Sed in Decalogo nulla vel Sponsoris mentio, vel salutis dandae peccatoribus promissio occurrit; sed mera promissio vitae facientibus, & transgressoribus interminatio mortis. Unde Lex operum, quae in Decalogo habetur, Legi fidei, & Promissioni gratiae apud Paulum passim contradistinguitur Rom. 3:27. Gal. 3:17. 18. quia ut Lex non est ex fide Gal. 3:12. Ita nec fides ex Lege, & tanta est inter ista duo media contrarietas, ut planè sint ἀσύςατα. *An Decalogus sit foedus gratiae.*

XXIX. Quod non ideo dicimus, quasi vel negare velimus, Foedus gratiae cum Israelitis tunc pactum fuisse, quod expressè docetur Deut. 5:2. & facilè colligitur, tum ex ejus sanctione, quae refertur Exod. 19:5. tum ex ejus solenni confirmatione & ratificatione, quae habetur Exod. 24. ubi mentio

QUÆST. VIII. tio fit aspersionis sanguinis victimarum, & accessus Seniorum ad Deum. Vel quasi arbitremur Decalogum nihil commune habuisse cum foedere gratiæ, & nihil aliud fuisse, quàm ipsum foedus operum, in eum finem renovatum, ut populum ad illud revocaret, ut ex illo vitam quæreret. Cùm enim Lex facta sit infirma in carne post peccatum Rom. 8: 3. impossibilis & invia penitus homini per eam facta est ad vitam via. Unde Paulus testatur, Legem non datam esse, quæ posset vivificare Gal. 3: 21. vel ut abrogaretur promissio primitus data v. 17. sed *propter transgressiones*, ut retecto per eam peccato, clariùs pateret gratiæ necessitas.

XXX. Ita rectè dicitur Decalogum ad Foedus gratiæ pertinuisse, imò ex ipso quadantenus fluxisse, quatenus ex Dei consilio promulgatus fuit, ut illi inserviret, tum antecedenter instar pædagogi, per peccati convictionem homines metu mortis perculsos & de se desperantes de illud deducendo, tum consequenter instar normæ, obedientiæ & sanctitatis regulam, quæ à Deo in foedere gratiæ exigebatur, præscribendo. Atque hinc etiam factum, ut varias stricturas foederis gratiæ in Decalogo Deus esse voluerit, quæ ad illud populum revocarent, ne ex impotentiæ suæ cognitione, & terribili mortis denunciatione, de gratia Dei planè desperaret; quod vel præfatio illi præfixa, ubi se profitetur *Deum populi sui*, qui illum eduxit è servitute Ægyptiacâ, & promissiones secundo & quinto præcepto annexæ, satis apertè docent.

XXXI. Interim, quia Foedus gratiæ in hac ætate sub rigidâ oeconomiâ legali administrare Deo placuit, tum propter conditionem Populi adhuc infantis, tum propter dilationem adventus Christi, & satisfactionis per ipsum præstandæ; Duplex σχέσις in hac dispensatione semper obtinere debuit. *Una legalis* severior, per quam novâ Legis & foederis operum promulgatione, cum intolerando cæremoniarum jugo exprimere voluit quid homines deberent, & quid ipsis ob officium non præstitum esset expectandum; quo respectu Lex vocatur Litera occidens 2 Cor. 3: 6. & Chirographum nobis contrarium Col. 2: 14. quia per illud homines se debendi reos, & mortis filios, declaratione scriptâ ex proprio sanguine in Circumcisione, & sanguine victimarum, profitebantur. Altera *Evangelica* suavior, quatenus *Lex erat pædagogus ad Christum*, Gal. 3: 24. & continebat *umbram rerum futurarum* Heb. 10: 1. cujus corpus & expressa imago est in Christo. Unde quantùm molestiæ & vexationis afferebat illa oeconomia per suam priorem σχέσιν, tantùm posteriori conferebat solaminis & gaudii hominibus piis ad illam attendentibus, & quærentibus sub illo cortice & velo veritatem spiritualem & Evangelicam, quam Spiritus Sanctus eos docebat, per revelationem subinde clariorem, Deo plura & majora pro tempore subsidia subministrante, non modò per promissiones & Oracula identidem repetita, sed & per de-

delineatores typos, umbras & figuras perfectiores, in quibus habebant exactio- QUÆST.
rem rei ipsius delineationem, & accuratius Christi ob oculos quasi in typis VII.
crucifixi προγραμμα.

XXXII. Juxta duplicem istam σχέσιν administratio ista potest spectari, vel quoad *externam œconomiam* pædagogiæ legalis, vel quoad *internam veritatem* promissionis Evangelicæ sub illa latentem. *Materia* externæ istius œconomiæ fuit Lex triplex, moralis, cæremonialis, & forensis: Illa fundamentalis est, Istæ illius appendices, *Forma* fuit pactio illi externæ dispensationi addita, quæ ex parte Dei fuit promissio terræ Canaan, & quietis ac felicitatis in illa, & sub utriusque imagine cœli & σαββατισμȣ in illo Heb. 4:3.9. seu vitæ æternæ juxta clausulam *fac hoc & vives*. Ex parte populi fuit stipulatio obedientiæ erga totam Legem, sive *justitia* tum *perfecta* Deut. 27. Gal. 3. tum *personalis*, & per illam justificatio Rom. 2. Sed hæc stipulatio in fœdere Israelitico fuit tantùm accidentaria, utpote quæ ideo fuerit tantùm addita, ut per illius ἀδυναμίαν homo ad suæ justitiæ abdicationem, & alienæ, quæ sub Lege latebat, amplexum deduceretur.

Duplex œconomia fœderis sub V. Test.

1. Externa, cujus Materia.

Forma.

XXXIII. *Finis* illius œconomiæ κατ' ἄρσιν, non fuit *justificatio* hominis, quod ratione Legis moralis facilè poterant cognoscere ex suis *peccatis*, quibus erant obnoxii Rom 3:20. ex *irritatione* suarum cupiditatum Rom. 7. ex *impossibilitate* legem moralem implendi Rom. 8:3. ex *maledictione* legis, quam denunciabat minimæ transgressioni Gal. 3: 10: ratione Legis cæremonialis, ex *natura Cæremoniarum*, quæ tota erat mundana & carnalis, quæ nihil commune habebat cum conscientia. 2. ex istarum *repetitione* & iteratione, qualem justificatio, quæ consistit in non recordatione peccatorum Heb. 8. non admittit. 3. ex istarum *conditione*, tum quia erant *mutabiles*, quod locum non habuisset, si per illas homo peccator perfici potuisset, tum quia se habebant tanquam figuræ, & ὑποδείγματα futurorum bonorum Heb. 10: 1. Col. 2: 17. Sed κατὰ θέσιν fuit per se 1. ut per illum populus haberet externam formam Religionis, quæ Deo probaretur. 2. ut illa famularetur fœderi gratiæ, & Moses Christo Rom. 10: 5.6. ut per illam œconomiam repræsentaretur œconomia spiritualis, quæ in Novo Test. solitariè debebat locum habere, Deo hic agente ad modum præstantium artificum, qui antequam manum operi admoveant, ejus ideam animo conceptam, rudi prius penicillo ὡς ἐν τύπῳ per σκιαγραφίαν delineare solent. 3. ut Evangelium sive jugum Christi redderet suavius sua onerositate Matt. 11: 28. 29.

Finis.

XXXIV. *Characteres* & *effecta* illius *œconomiæ* externæ fuerunt 1. *Promissio Messiæ* venturi, & dilatio Satisfactionis pro nobis præstandæ. Licet enim Christus promitteretur subinde in Oraculis & in Typis variis graphicè adumbraretur: tamen nec incarnandus fuit toto illo tempore, nec λύτρον, quod ad redemptionem nostram requirebatur, debuit solvi,

Characteres & effecta

1. Promissio Messiæ venturi.

QUÆST. VII. quo sensu Petrus 1ᵃ c. 1. 10. 11. dicit revelatum fuisse Prophetis eos, non sibi, sed nobis ea administrare, quæ annunciata sunt nobis de Christi passionibus & gloriâ secuturâ. Atque hinc fit, ut rectè dicatur, nondum adductam fuisse justitiam seculorum Dan. 9: 24. & peccata mansisse sine verâ expiatione, donec per Christi satisfactionem delerentur. Non quòd incumberent adhuc fidelibus, à quibus in Christum Sponsorem translata erant: Sed quia existebant in rationibus Sponsoris, cui incumbebant luenda, nec expuncta fuerunt, nisi solutione præstitâ.

1 Pet. 1:10. 11.

2. Obscuritas. XXXV. 2. *Obscuritas*, quia nondum exorto sole justitiæ, dabatur tantùm Sermo propheticus instar lucernæ splendentis in loco obscuro 1 Pet. 1: 19. Et Tempus Vet. Test. erat tempus noctis, tempus verò Novi dies, qui nobis illuxit. Hinc Cæremoniæ erant instar veli, quô tegebantur mysteria, quod velamine faciei Mosis adumbratum fuisse docet Apostolus 2 Cor. 3: 13. quia Moses ibi allegoricè totam œconomiam Vet. Test. notat. Quò faciebat etiam velum Tabernaculi & Templi Israëlitas ab introitu & intuitu Sacrarii arcens.

2 Cor. 3:13.

3. Servitus. XXXVI. 3. *Servitus*, sive servilis conditio, per quam vetus Ecclesia Legi, quæ pactum erat servorum Gal. 4. fuit subdita, quæ quidem respectu illorum, qui in Lege salutem quærebant, erat absoluta & *totalis*, illorum verò, qui in illa ad Christum respiciebant, tantùm *secundum quid*, ut in Ægypto Israëlitæ, qui de liberatione non cogitabant, totaliter erant servi; illi verò, qui per fidem illam acceptabant, corpore quidem erant servi, sed non animo. Unde Paulus dicit Galat. 4: 1. *Infantem non differre à servo*, & Christus Matth. 11: 28. vocat eos πεφορτισμένους καὶ κοπιῶντας, quæ voces laborem & jugum servile innuunt, quale olim fuit Israëlitarum in Ægypto. Et hæc servitus eò molestior erat, tum quòd, non secus ac Commissarii Pharaonis, exigebat impletionem, nec tamen vires implendi suppeditabat, tum quod minimæ transgressioni minitabatur pœnas, ipsamque adeo maledictionem divinam. Hæc verò servitus confirmabatur per στοιχεῖα τοῦ κόσμου *elementa mundi* id. cæremonias sic dictas propter earum ruditatem & imperfectionem, sub quibus detinebantur, & quæ propter immensam illam rituum multitudinem, quibus defungi debebant cum severâ interminatione, suos cultores gravabant, quô respectu vocantur Gal. 5: 1. *jugum servitutis*, & onus ἀβάστακτον Act. 15: 10.

Gal. 4: 1.

& Spiritus servitutis. Rom. 8: 15. XXXVII. Hanc servitutem comitabatur *Spiritus servitutis* œconomiæ servili attemperatus, Rom. 8: 15. qui *timorem servilem* Dei judicis, & metum poenæ, atque ex eo continuam quasi anxietatem & sollicitudinem communiter magis operabatur per Legem, ejusque minas quotidie auribus insonantes, quam alacritatem, per doctrinam gratiæ parciùs & obscuriùs prædicatam: Non quòd absolutè destituerentur fideles Spiritu adoptionis, ut po-

postea dicetur, sed quia motus excitabat convenientes illi conditioni, quâ hæres infans non multum distabat à servo. QUÆST. VII.

XXXVIII. Hinc 4. *Rigor* & *severitas* oriebatur ob crebrò intercurrentes conciones legales, & rarius obscuriusque repetitas promissiones gratiæ; Et *coactio* quâ metu pœnæ potius, quàm Dei & justitiæ amore ad officium impellebantur, Mose continuò instar duri Domini obedientiam virgâ suâ non tam suadente, quàm extorquente. Quò pertinet apparatus terribilis, sub quo Lex est lata, quô non populus tantùm, sed ipse Moses quoque dicitur territus Hebr. 12: 21. Nec abs re rigor ille & terror erat; vix enim aliter edomari poterat Israelis protervia, cui toties duram cervicem & cor adamantinum Moses & cæteri Prophetæ exprobrarunt. *4 Rigor & severitas.*

XXXIX. 5. Ad istam oeconomiam pertinebat *puritas externa Carnis*, sive immunitas à reatu carnali, quâ ex Legis instituto purgati, liberè poterant interesse Coetibus publicis, & simul cum aliis cultum publicum peragere, qualis habebatur per cæremoniarum observationem, Heb. 9: 13. cui contradistinguitur *puritas conscientiæ*, & immunitas à reatu spirituali peccati. Huc accedit *immunitas à pœnis temporalibus in foro soli*, quæ quoad peccata non commissa elatâ manu, concedebatur per Sacrificia, quæ citra respectum vel resipiscentiæ, vel fidei, homines restituebant suo ordini, & immunes ab omni poenâ forensi præstabant. Nam quod ad *pœnam spiritualem in foro poli*, ejus immunitas non potuit haberi ex sacrificii bestiarum *quà talibus*, quia sic inter culpam, quæ moralis erat, & satisfactionem, nulla fuisset proportio, sed tantùm ex illis quà figuris & typis. *5. Puritas carnis.* *Heb. 9. 13.*

XL. Denique *Adjuncta* varia fuerunt. 1. *Infirmitas* & *imperfectio*, quia, ut hæc oeconomia non habuit verum λύτρον pro peccato, sed tantùm ejus typum, nec vim Spiritus comitem, quâ carnem edomaret, & vires implendi Legem præstaret: Ita per eam quatenus talem, *causaliter* nemo potuit servari, id est vel justificari Act. 13. Heb. 10: 1. 2. vel sanctificari Heb. 9: 14. 15. vel vitam consequi, quia erat ministerium condemnationis & mortis 2 Cor. 3: 6. 7. Heb. 7: 18. Quo nomine Paulus testatur hanc oeconomiam non fuisse ἄμεμπτον Heb. 8: 7. scilicet διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *propter ejus infirmitatem & inutilitatem* Heb. 7: 18. *Adjuncta 1. Infirmitas.*

XLI. Secundò *Mutabilitas* & *abrogatio*, quia complectebatur res terrenas, carnales & caducas, & suâ naturâ corruptibiles, quæ consistebant tantùm in cibo, & potu & diversis ablutionibus, & δικαιώμασι σαρκὸς, institutis carnalibus, quæ non poterant conscientiam sanctificare, nec in perpetuum debuerunt vigere; sed μέχρι καιροῦ διορθώσεως erant posita Heb. 9: 9. 10. Unde fieri debuit ἀθέτησις *abrogatio* propter ejus imperfectionem Heb. 7: 19. succedente potissimùm perfectiori oeconomiâ, ut accedente lu- *2. Mutabilitas.*

 mi-

QUÆST. VII. mine solari non potest amplius locus esse candelis, vel facibus accensis.

3. Gloria & splendor. XLII. Tertiò *Gloria* & *Splendor*, cum quo hæc œconomia instituta fuit, qui maximè emicuit in apparatu magnifico, & illustribus miraculis, quæ Deus Legis promulgationem comitari voluit: Unde Paulus vocat hoc
2 Cor. 3:7 9. *ministerium gloriosum* 2 Cor. 3:7.9. Sed gloria ista tum *terrifica* fuit, quæ metum incussit, non modò populo, sed & Mosi ipsi, qui dicitur ideo ἔντρομος fuisse Heb. 12:21. tum *mutabilis* & transiens, utpote καταργουμένη
v. 11. & antiquanda 2 Cor. 3:11. quod apparuit in splendore faciei Mosis qui evanescere debuit v. 7.

Interna dispensatio. Continuit Christum. XLIII. Talis fuit externa dispensatio Vet. Test. *Interna* verò quæ sub illa latebat, ad substantiam fœderis gratiæ & promissionis Evangelicæ pertinet. Quæ diversimodè etiam, & per varios gradus administrata fuit. Continebat ex parte Dei, Tum *Christum* ipsum fœderis fundamentum promissum in Oraculis, & latentem sub typis cæremoniarum, ejusque passiones, crucifixionem, mortem, & gloriam, obscuriùs quidem & tectiùs, unde Evangelium dicitur fuisse olim mysterium absconditum Rom. 16:25. quia obscurè propositum sub variis figurarum velis; Sed tamen ita, ut per
Et Promissiones temporales & spirituales. illas potuerit transpici, ut à Mose factum Heb. 11:26. Tum *promissiones*, tam temporales, quàm spirituales, quas in se includit formula fœderis, *Ego sum Deus tuus* &c. Temporales quidem, quales erant hæreditas terræ Canaan, & benedictiones terrenæ, quæ prolixè referuntur Deut. 28. quæ in ea fidelibus Dei cultoribus promittebantur, minus principaliter & secundariò propter ingenium populi Israëlitici adhuc infantis, & carnalibus magis affixi, quàm spiritualibus; Sed spirituales primariò & principaliter, ut absolutè necessarias ad salutem.

XLIV. Quamvis verò *revelatio* ista gratiæ obscurior fuerit & parcior quoad *modum*, utpote quæ tota *ænigmatica* erat & *specularis*, & talis quâ Christus nonnisi sub velo poterat conspici, ut olim Moses 2 Cor. 3:7. fuit tamen sufficiens quoad *substantiam*. Unde cognitio Veterum, & eorum fides illâ nitebatur, ut ut diversa fuerit quoad circumstantias, & modum, & implicita hoc sensu & confusa dici possit, per quam res quidem cognoscitur, sed non ita ut secundùm omnia, quibus ab aliis rebus distinguitur, etiam cognoscatur. Quod intellectum volumus de *statu* Ecclesiæ. V. T. non verò de *his* vel *illis individuis*, Abrahamo, Mose, Davide, & aliis, qui uberiori mysteriorum divinorum cognitione fuerunt præditi. Non fuit tamen diversa quoad substantiam, & non minus servavit illos, quàm fides sub Novo Test. nos servat; quia Christus servat, non quâ perfectè
Quales erant 1. remissio peccatorum. cognitus, & secundùm omnes circumstantias, sed ut verè ac seriò apprehensus.

XLV. Ad istas promissiones spirituales pertinent, 1. *remissio peccatorum*

&

& *justificatio*; quæ, ut derogatur Legi causaliter, & in se consideratæ; ita fidei in Christum tribuitur Act. 13: 39. Rom. 4: 7. & Patribus vendicatur, ut Abrahamo, Davidi, & aliis Ps. 32. Rom. 4. licèt minus sentiretur ob nubem legis interpositam & solutionem nondum actu præstitam. 2. *Adoptio*, quæ tribuitur Israëlitis, non tantùm *externa* Rom. 9: 4. sed etiam *interna*, sine quâ illa inutilis foret Gal. 4: 2. quamvis conjuncta esset cum servili conditione propter statum minorennem filiorum; filii erant, qui poterant & debebant Deum ut Patrem invocare Job. 34: 36. Isa. 63: 16. sed filii minorennes à Patre Pædagogorum ferulæ & virgis subjecti Gal. 4: 2. 3. qui non admittebantur ad tantam familiaritatem Patris, ut intima consilii ejus penetrarent. 3. *Sanctificatio*, quæ passim præcipitur & promittitur sub V. Test. Lev. 26. Is. 1. &c. *Donum Spiritus* qui includebatur in promissione factâ Abrahamo 4. Gal. 3: 13. 14. & alibi non semel promissus legitur Isa. 44. Ezech. 36. Zach. 12: 10. qui tamen non se habuit eodem modo, quo sub N. Test. communiter loquendo de statu totius Ecclesiæ, sive *intensive* quoad *gradum*, sive *extensive* quoad *dona*, vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*, quæ respectu Ecclesiæ sunt N. Test. propria, quia effusio Spiritus debebatur gloriæ Christi ingressi in cœlum Joh. 7: 39. Talis nim. fuit Spiritus, qualis ratio fœderis; *Spiritus* scilicet *illuminationis*, sed non ita claræ & distinctæ, ut in N. T., adeoque cum ignorantia variarum circumstantiarum, & modi conjunctæ, ut in fidelibus & ipsis Apostolis apparet tempore Christi ante effusionem Spiritus Sancti. 2. *Spiritus adoptionis* vel *filiationis*, (quia aliàs fideles V. Test. non potuissent infallibiliter scire se esse filios Dei, quod sciebant tamen, quum Deum ut Patrem suum invocabant Isa. 63.) Sed quæ non purè talis erat, sed cum servitute permixta, adeoque non plenariæ emancipationis, qui ideo dicitur Paulo 8: 15. *Spiritus servitutis*, non absolutè, sed secundùm quid, quatenus per illum fideles adoptionis suæ certi reddebantur, sed non plenè quoad sensum, & usum. 3. *Spiritus consolationis* & *spei*, sed eodem modo, quatenus utraque cum aliquo metu & terrore mortis & maledictionis, quam lex intentabat, erat conjuncta. 5. *Resurrectio mortuorum*, quam Christus ex formula fœderis deducit. 6. *Vita æterna*, quæ in ista formula inclusa etiam fuit, ut eam ex illa colligit Apostolus Heb. 11: 10. ne varia Oracula prophetica, quibus illa promittitur referam, de quibus suprà, Quæstione de Unitate Foederis.

QUÆST. VII. | 2. *Adoptio.* | 3. *Sanctificatio.* | 4. *Donum Spiritus.* | *Ezech.* 36. *Jer.* 31. *Isa.* 43. | 5. *Resurrectio.* | 6. *Vita æterna.*

XLVI. Hactenus Vetus dispensatio: Nova succedit, quæ est administratio foederis sine Lege & Cæremoniis post Christum exhibitum. *Nova* dicitur, non quoad substantiam foederis, quæ eadem est utrobique; Sed 1. quoad circumstantias & modum, utpote quæ absque *velamine* & *Lege* manifestata, quomodo foedus istud tanquam novum apparuit, sive renovatum, item quòd Christum non exhibendum, sed exhibitum

Qualis sit Nova dispensatio.

 pro-

QUÆST. VII.

proponat, quomodo & *intensivè* quoad gradum luminis, & *extensivè* quoad amplitudinem, quæ se indiscriminatim extendit ad omnes Gentes *novum* dici potest. 2. quoad præstantiam & gloriam hujus dispensationis, quæ longè major est veteri 2 Cor. 3. ut alibi novum pro eximio & præstanti sumitur Apoc. 5. Ps. 33: 3. quoad *durationem* perpetuam, per quam fit, ut sit semper quasi nova, cùm ea, quæ debent desinere, dicantur vetera.

Consistit 1. In Incarnatione Messiæ. 2. In abrogatione Legis caremonialis. 3. In effusione Spiritus.

XLVII. Consistit autem 1. *in adventu Messiæ*, & manifestatione ejus in carne, & per illum totius Legis impletione, nimirum illius cæremoniarum, vaticiniorum, adeoque totius justitiæ à Deo in Lege præscriptæ. 2. in abrogatione omnium cæremoniarum, & totius dispensationis legalis, à quâ fœdus gratiæ velabatur. 3. in *effusione Spiritus Sancti*, tum *visibili* quoad dona extraordinaria, tum *invisibili* & perpetua, quoad dona ordinaria unicuique fideli ad salutem necessaria, quæ proponitur ut proprium Novi Testam. beneficium Joel. 2. primò respectu extraordinariæ, quæ quamvis in certis personis in V. Test. locum habuerit, tamen ut perpaucæ fuerunt, non pertinuit ad Ecclesiam, tum respectu ordinariæ, quæ & *intensive* major est quoad gradum luminis, fiduciæ, consolationis, & *extensive* quoad *partes*, quia omnia docet Johan. 16: 13. 1 Joh. 2: 20. tum quoad *objectum*, quia omnes docet à maximo ad minimum Heb. 8: 11.

XLVIII. 4. In *Vocatione omnium Gentium*, quæ est propria Novi Test. quoad *plenam cognitionem* circumstantiarum, & modi, qui non animadversus à Veteribus, qui putarunt accessuras Gentes ad dispensationem veterem; tum quoad *actualem executionem*, quæ non poterat fieri stante priori cultu. 5. in *adoptione*, quæ in Novo Testam. non tantùm quoad *rem* talis est, qualis est in V. Test. sed etiam quoad *modum*, *conditionem*, & *effecta*, quia in N. Test. proponitur tanquam acquisita per Christum Joh. 1: 12. 2. est *purè talis* absque pædagogiâ, servitute & metu, ideoque non infantiæ, sed adultæ ætatis & emancipationis, conjuncta cum summâ παῤῥησίᾳ & fiducia Rom. 8: 15. 6. In *libertate*, non tantùm *spirituali*, quæ etiam fuit in Vet. Test. sed etiam *externâ*, per quam liberi sumus à Cæremoniis Legalibus Col. 2: 20. 21. 22. adeoque solius Christi, non autem hominum simus servi Gal. 5: 1. 7. In *sanctificatione*, quæ major est in N. Test. quoad majorem *illuminationem* intellectus, quoad *modum*, qui non est externus & ceremonialis, qui etiam hypocritis est communis, sed internus quoad efficaciam, quæ major est ob majorem mensuram & virtutem spiritus, & quoad motiva quæ longè sunt fortiora, petita scil. ab exemplo Christi. 8. In *vita æterna*, quæ N. T. competit 1. quoad *actualem acquisitionem* per sanguinem Christi factam, quæ in Veteri se habebat tantùm *moraliter* 2. quoad *actualem ingressum Christi*, quà hominis *in cælum*, ut verum Sanctuarium, in quod ingressus est ut præcursor, non pro se tantùm, sed & pro nobis Heb. 6: 20.

3. quoad

3. quoad *patefactionem* longè illustriorem 2 Tim. 1. 10. quæ in V. obscurior erat Heb. 9: 8. Unde fiducia & spes longè major fuit omni metu mortis detracto jam intra velum penetrans Heb. 6. 19. 4. quoad *promissa crebriora*, quæ unicè spectant vitam æternam, remotis illis, quæ ad hanc vitam, & ejus longævitatem spectant, quæ erant longè frequentiora in V. T. QUÆST. VIII.

XLIX. Adjuncta istius dispensationis sunt 1 *posterioritas temporis*, non quidem quoad substantiam, quæ eadem fuit ab initio, sed quoad circumstantias & modum. 2. *dignitas & perfectio*, per quam comparatè ad veterem longè est dignior & perfectior, & talis qualis decet virilem ætatem. 3. *perpetuitas*, quia hæc œconomia est novissima usque ad ultimum Christi adventum, in quo mutabitur in immediatam & directam Dei communicationem, per quam Deus futurus est omnia in omnibus. *Adjuncta sunt 1. posterioritas temporis. 2 Dignitas & perfectio. 3. Perpetuitas.*

QUÆSTIO VIII.

DE DISCRIMINE V. & N. FOEDERIS.

Quomodo differant inter se V. & N. Fœdus, An essentialiter, & quoad substantiam doctrinæ; An accidentaliter, quoad dispensationis modum? Dist.

I. UT multiplex est V. & N. T. significatio: Ita diversimodè ad Quæstionem propositam responderi debet; & variantes hic utrinque etiam Orthodoxorum sententiæ conciliari possunt.

II. Aliquando V. & N. T. spectantur ratione scriptionis, & hoc nomine designantur scripta Prophetica & Apostolica, quæ à Viris Dei, vel ante vel post Christum exhibitum Ecclesiæ tradita sunt 2 Cor. 3: 14. quo sensu *N. T.* dicitur *in V. velatum, & Vetus in Novo revelatum.* Sed de illis sub illa σχέσει nunc non agitur, sed ratione *doctrinæ* traditæ.

III. Hoc sensu *Vetus Fœdus* sumitur potissimùm bifariam, vel latè vel strictè. *Latè* notat in genere totam dispensationem, sub qua vixerunt Patres ab initio mundi usque ad Christum, quæ doctrinam gratiæ Veteribus traditam continebat, quæ populo salutem & vitam promittebat, palàm quidem sub conditione perfectæ obedientiæ Legi morali præstandæ, & interminatione mortis transgressoribus, unà cum onere intolerabili cæremoniarum, & jugo arctissimæ politiæ Mosaïcæ, tectè verò sub conditione pœnitentiæ *Quomodo sumatur Vetus Fœdus. Latè.*

&

QUÆST. VIII. & fidei in Messiam venturum. Quo respectu Vet. Test. tria potissimùm complectitur. 1. veterem doctrinam, quæ partim erat legalis, partim Evangelica. 2. veterem cultus & ministerii Ecclesiastici formam servilem, laboriosam, & umbratilem. 3. veterem politiæ externæ rationem, uni populo & loco alligatam.

Strictè.

IV. *Stricte* verò designat Fœdus Operum seu Legem Moralem per Mosem datam, addito onere ἀβαςάκτῳ cæremoniarum legalium, præcisè & seorsim à Promissione gratiæ: Prior significatus est proprius & per se, si scopus & intentio Legislatoris spectetur, quia in prima illa oeconomia tria ista conjunxit, vetus foedus seu legalem dispensationem dando, non ad abolendam promissionem, sed ad deducendum ad Christum. Posterior est accessorius & accidentalis, natus ex ignoratione finis veri, & fictione falsi. Verus finis fuit Christus ad justitiam omni credenti Rom. 10:4. sed hunc finem non assequuti sunt Judæi justitiarii, quia sub velamine proponebatur 2 Cor. 3: 14. id. sub involucero typorum, & figurarum, sive quia promissio gratiæ propter Christum vestiebatur ritibus Legalibus. Unde finem falsum commenti sunt, statuendo Legem latam, ut per ejus observationem justificarentur coram Deo & salvi fierent, Rom. 10:3.4.5. contra quem errorem passim disputat Apostolus, ex illa hypothesi Legem stricte sumendo & promissioni opponendo.

Novum Fœdus vel latè sumitur, vel strictè.

V. *Novum Fœdus* etiam duplici modo sumitur. Vel *latè*, quatenus ponitur pro foedere gratiæ in genere cum peccatoribus inito, quod locum habuit tam sub Veteri Testamento ante Christum exhibitum, quàm sub Novo post eum jam manifestatum. Vel *strictè*, pro foedere gratiæ post manifestationem Christi in carne promulgato, quod ad finem seculi durare debet.

VI. Qui ex nostris ut *Rollocus*, *Piscator*, *Trecaltius* & alii, duo foedera faciunt substantiâ diversa, stricte accipiunt vetus foedus, promissionem gratiæ non modò separando ab eo, sed etiam ei opponendo, quo sensu Paulus videtur illud sumere non semel ut 2 Cor. 3. Gal. 4. ut foedus vetus sit foedus Operum, novum verò foedus Evangelicum & fidei. Qui verò unum solùm statuunt, ut *Calvinus*, *Martyr*, *Ursinus*, sumunt vocem foederis latiùs, ut gratiæ quoque promissionem, licet obscuriùs complectitur; Et quia promissio illa diversimodè dispensata fuit ante & post Christum, distinguunt in duo, vetus & novum, distributione non generis in species, ut priores, sed subjecti secundùm accidentia, quod alii non negant; ut dissensus sit tantùm in diversa terminorum usurpatione, sed non in reipsa, ut observat Calvi. lo. 2. Inst. c. 7. §. 2.

Sententia Lutheranorum de discrimine V. & N. Fœderis.

VII. Lutherani in assignando V. & N. Test. discrimine à Nostris etiam dissident, & mota ab ipsis circa hoc caput Quæstio occasione Controversiæ Sacramentariæ, dum pertendunt duo illa foedera non modò distingui substan-

ſtantiâ, ſed etiam à V. Fœdere prorſus excludi promiſſionem gratiæ; Et accuſant Noſtros, quòd in declarandâ Vet. Fœderis naturâ errarint, *Brochmannus* in Syſtem. Loco de Vet. & N. Teſt. c. 2. q. 4. *Uno ore*, inquit, *docent Theologi Lutherani nomine Veteris Teſtamenti proprie & phraſi Scripturæ ſignificari fœdus iſtud Legale, quod Deus cum Iſraelitis inivit miniſterio Moſis.* Addit ſecundò & hoc quæri inter nos, *An fœdus illud gratuitum in primo lapſus tempore cum fidelibus Patribus initum, ſubſtantiâ ipsâ idem ſit cum Teſtamento Novo?* Quod à nobis aſſeri, ab ipſis verò negari ait. QUÆST. VII.

VIII. Ut verò facilè largimur ipſis V. Teſt. & Fœdus Moſaïcum *ſtricte* ſumptum, & præcise quoad σχέσιν legalem, totâ ſubſtantia à Novo differre, unde Lex Gratiæ, & Moſes Chriſto opponuntur à Johanne 1: 17. & à Paulo Litera & Spiritus, Miniſterium Condemnationis & Juſtitiæ 2 Cor. 3: 6. 7. Ita pertendimus *late* ſumptum & cum altera σχέσει Evangelica, veſtitum puta circumſtantiis ſuis pædagogicis œconomiæ Moſaïcæ, non diverſum fuiſſe quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad diſpenſationis modum.

IX. Gratis verò ſupponunt Vet. Fœdus Moſaïcum ita reſtringi ad Legem moralem & ejus cæremonias & politiam, ut promiſſio gratiæ nec apertè nec tectè ſub eo contineatur. Cum contrarium conſtet ex variis 1. ex *Authore ipſius fœderis*, qui fuit Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, id eſt, ut conjunctus jam cum populo per fœdus Abrahamicum, & quidem agens ex gratuitâ adoptione & dilectione populi Deuter. 4: 6. 7. 8. & 7: 6. 7. 8. quæ non eſt fœderis legalis, ſed Evangelici. 2. ex *materia triplici*, tum *genere doctrinæ*, quod ita fuit Legale in præceptis morum, ut fuerit etiam Evangelicum in promiſſionibus de Chriſto & gratiæ ipſius, tum *forma cultus*, qui totus umbratilis fuit & typicus relatus ad Chriſtum, tum *modo politiæ*, quæ & doctrinæ & cultui fuit ſubordinata, quatenus diſtinguere debuit populum, ex quo Chriſtus erat oriundus, & apud quem prædicaturus & paſſurus erat. 3. à *forma ejus duplici*, *Externâ*, quæ fuit legalis obligatio, tum populi ad ſervandam Legem, tum Dei ad vitam dandam ſi Lex ſervaretur. Et *Internâ*, in gratuitâ promiſſione, ex quâ Deus populus futurus erat in Deum, & populus viciſſim futurus erat ipſi in populum Lev. 26: 11. 12. 2 Cor. 6: 16. 4. ab *effectu*, quæ tria ſunt. 1. Præparatio peccatoris ad quærendum Chriſtum per Legem moralem Rom. 10: 4. Gal. 3: 24. ejus monſtratio per cæremonialem Heb. 10: 12. Col. 2: 16. 17. & ejuſdem oblatio per promiſſionem gratiæ utrique conjunctam.

X. Nec ipſi hoc negare poſſunt, ſi ſibi conſtare volunt, quia ut Brochmannus ibidem fatetur, agnoſcunt ante exhibitum Chriſtum in carne, viguiſſe jam in Eccleſia Dei doctrinam de Chriſto, & gratuitâ per Chriſtum reconciliatione, nec Patres Veteris Teſtam. aliâ viâ, quam gratiâ ſolius

QUÆST. VIII. Christi servatos esse; Non negant etiam utrumque fœdus sub V. & N. egisse de Christo θεανθρώπῳ; Sed volunt dispari modo de eo egisse. Hoc verò posito, quis non videt discrimen esse tantùm in modo dispensationis, non in ipsa doctrinæ substantia?

XI. Frustrà verò addit Author ibidem, *Tantam esse differentiam inter priscum fœdus Gratiæ, & N. T, quanta est inter promissionem, & promissi præstationem, inter significationem & exhibitionem, inter figuram & ipsum Corpus, inter imaginem & rem imagine designatam; Vetus scilicet nonnisi in promissione & typis variis exhibuisse Christum; At Novum Corpus ipsum, & rem Patribus promissam, & typis adumbratam exhibere.* Quia licèt concedamus hoc locum habere respectu complementi promissionis, quæ respiciebat exhibitionem Christi in carne, & actualem expiationem peccati, & acquisitionem salutis, quæ debuit tantùm fieri sub N.T.; Negamus dici posse respectu applicationis salutis & participationis beneficiorum Christi, & fructus mortis & satisfactionis ejus, quæ Patribus non sunt denegata; quo sensu rectè dicuntur habuisse rem significatam & promissam, & corpus ipsum ac vivam imaginem umbrarum legalium, non vi Legis, sed Promissionis. Quod ultrò agnoscit ipse dicendo, *Patres non hæsisse in istis signis, sed cor levasse in rem signis adumbratam, ut Abraham qui vidit diem Christi* Joh. 8: 56. & *Moses qui prætulit opprobrium Christi divitiis Ægypti* Heb. 11: 26.

XII. Aliud est Vetus Fœdus strictè sumptum differre essentialiter à Novo, quod Apostolus intendit Gal. 4: 24. in allegoria Saræ & Agaris, illius generantis ad libertatem, istius ad servitutem, ubi disputat contra Pseudapostolos confundentes Legem & Evangelium, quod respicit etiam 2 Cor. 3: 6. 7. in antithesi *Literæ & Spiritus, Ministerii Condemnationis & Justitiæ.* Aliud verò latè spectatum quoad œconomiam, esse oppositum quoad substantiam, quod negamus.

Fontes Solutionum.

XIII. Id quod est antiquandum, non statim differt essentialiter quod ab eo permanet, si antiquatio fiat tantùm quoad modum & circumstantias dispensationis, non quoad rem ipsam. Vetus Testamentum etiam latè sumptum fuit antiquandum quoad σχέσιν Evangelicam, non respectu ejus, quod ipsi fuit essentiale, cùm *Christus* idem sit *heri, hodie, & in secula* Heb. 13: 8. Sed respectu circumstantiarum, & modi dispensationis, qui obscurior & durior fuit propter infantilem Ecclesiæ ætatem. Ad quem etiam pertinet cultus carnalis, qui obtinuit in V. T. qui abrogandus fuit.

XIV. Quod sancitum fuit tantùm sanguine pecudum, differt essentialiter ab eo, quod sancitum est sanguine Christi. Sed quamvis Vet. T. dicatur sancitum sanguine pecudum Exod. 24: 3. 4. &c. & Heb. 9: 18. 19. hoc intelligendum tantùm quoad literam; nam quoad sensum mysticum sanguine Christi etiam sancitum fuit, siquidem sanguine illo typico verus sanguis

Christi

Christi adumbratus fuit Matt. 26:28. cujus solius efficaciâ & merito Veteres potuerunt servari.

XV. Non eadem per omnia est oppositio inter V. & N. T. quæ est inter Legem & Evangelium. Nam *oppositio Legis & Evangelii* quatenus propriè & strictè sumuntur pro fœdere Operum & Gratiæ, & spectantur in esse suo absoluto est *contraria*, quia opponuntur ut Litera occidens, & Spiritus vivificans, ut Agar gignens ad servitutem, & ut Sara generans ad libertatem, licet Lex latiùs sumpta & in esse suo relativo Evangelio subordinetur: Sed oppositio V. & N. Test. latè spectati est *relativa*, quatenus Vetus continebat umbram rerum futurarum Heb. 10:1. Novum verò τὴν εἰκόνα.

XVI. Illa non conveniunt substantiâ, quorum Sacramenta alia sunt significativa & exhibitiva simul, alia verò tantum significativa, Sed in V. T. Sacramenta non fuerunt tantùm significativa; sed suo modo etiam exhibitiva rei significatæ; Quo sensu *circumcisio* dicitur *sigillum justitiæ fidei* Abrahamo Rom. 4:13. & Patres dicuntur bibisse Christum 1 Cor. 10:4. Nec obstat quòd Christus nondum esset incarnatus, ac proinde non potuerit exhiberi; Quia licet non fuerit *physice* per incarnationem, fuit tamen *moraliter* in promissione per fidei receptionem, quæ est τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασις.

XVII. Moses & Christus possunt inter se conferri trifariam. 1. *relativè* ut typus & prototypus, quia Christum in variis Moses figuravit, quem ideo Prophetam fore sibi similem prædicit Deut. 18:15. 2. *comparate* ut minor confertur majori, & servus Domino Heb. 3:4. 5. 6. 3. *disparate* & opposite, quatenus per Mosem Lex data fuit, & gratia & veritas per Jesum Christum Joh. 1:17. *Gratia* opponitur Legis moralis maledictioni, & *Veritas* Legis cæremonialis umbris & figuris, vel *Gratia vera* dicitur, ut typicis & carnalibus figuris non obvelata.

Sententia Reformatorum de discrimine V. & N. Fœderis.

XVIII. Orthodoxi discrimen inter V. & N. T. latè spectatum statuunt tantùm accidentale, non essentiale, quoad circumstantias & modum & gradum rei, non quoad rem ipsam, quæ utrobique eadem fuit, quod jam supra probatum, ulterius ostenditur 1. Ratione *Temporis* quia vetus præcessit Christum, Novum verò eum sequitur; Illud respexit Christum exhibendum & venturum, Istud verò Christum jam exhibitum & manifestatum. Unde beatos pronunciat oculos Apostolorum Christus, quòd videant ea quæ Prophetæ & Reges optarunt videre, & non viderunt tamen Luc. 10.

Differunt 1. Ratione Temporis.

2. Ratione Claritatis.

XIX. 2. Ratione *Claritatis* & *Obscuritatis*, Quia in Novo longè clariùs proponuntur mysteria, sublatis cæremoniarum & typorum velis & umbris: unde Apost. 2 Cor. 3:18. dicit nos ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ *retecta facie* per antithesim ad Mosem, qui velo faciem suam tegebat v. 7. in symbolum obscuritatis Legalis, *gloriam Domini* κατοπτριζόμενοι *contemplari in speculo* Evangelii. Vetus Test. totum symbolicum fuit & figurativum, quod umbram ha-

QUÆST. VIII. habuit rerum futurarum, non perfectam rerum imaginem Heb. 10: 1. Sed novum planum est & apertum, in quo gratia nobis ἐπεφάνη, *clare patefacta est* Tit. 2: 11. Unde Tempus V. Test. confertur nocti, ob nondum exortum Solem justitiæ, & Tempus Novi, diei, in quo Oriens ex alto ortus est. Huc pertinet, quod licet eadem hæreditas cœlestis, & promissio vitæ æternæ utrobique occurrat; aliter tamen proponitur in Veteri & Novo Testam. In N. Testamento quidem clarè & apertè & nudè sine ullis involucris. At in Veteri involuta typis ac pignoribus terrenis, inter quæ post fœdus cum Abrahamo factum, excelluit hæreditas terræ Canaan. Quam typicam fuisse, & ratio ipsa dictat, cùm nullius boni terreni & finiti quantumcunque eximii possessio, possit animam satiare & beare, sed tantùm Dei ipsius æterni & infiniti fruitio; Et Paulus expresse testatur Heb. 4.

3. Ratione Facilitatis. XX. 3. Ratione *Facilitatis*. Quia administratio & λατρεία longè fuit operosior in Veteri, quam in Novo Test. cujus Sacramenta numero sunt pauca, augusta significatu, observatu facillima. Quo spectant ista August. lib 19. contra Faust. c. 13. *Prima Sacramenta, quæ observabantur ex Lege, prænunciativa erant Christi venturi, quæ cum suo adventu Christus implevisset ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta* &c. *& alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fidei revelatâ, & in libertatem vocatis filiis Dei, jugo servitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat.* Signa quippe Verbo addita genium Verbi referebant; Ut Verbum non tam fuit Evangelii, quam ἐπαγγελίας, non annuncians Christum exhibitum, sed prænuncians exhibendum. Ita Sacramenta fuerunt typi rerum futurarum, non memorialia præteritarum, ut nostra, 1 Cor. 11: 24. chirographa, non meræ apochæ, commemoratio peccati, non commemoratio sacrificii pro peccatis jam præstiti. Nec valet quod objicitur sanguinem victimarum longè clariùs & faciliùs adumbrasse mortem Christi, quàm symbola panis & vini in Eucharistia, & majorem esse analogiam inter carnem & carnem, quam inter carnem & panem. Quia ista significatio non petenda est simpliciter ex *analogia physica*, seu quoad *esse physicum* rerum, sed præcipuè quoad *esse morale*, & ex *institutione divina*, quæ longè clarior est in N. T. quàm in Veteri. Antea mors victimarum, & sanguis agni requirebantur ad figurandam Christi mortem adhuc futuram; Sed postquam contigit in N. T. non necesse fuit, imò nec debuit amplius adumbrari per sanguinem victimarum ut futura, sed sufficit commemorationem ejus fieri in communione & applicatione ejus, quæ per symbola panis & vini meliùs repræsentatur.

4. Ratione Suavitatis. XXI. 4. Ratione *Suavitatis*, Quia in Veteri Testamento frequentiùs urgebatur Lex ejusque perfecta obedientia, non quidem exclusis simpliciter promissionibus Evangelicis, sed tamen eo fine, ut rigorosa illâ obedien-

tiæ

tiæ exactione, populus adhuc infans, quasi sub tutela contineretur, & ad quærendum Christum compelleretur: At in Novo frequentiores sunt promissiones Evangelicæ, non tamen exclusâ Lege ad novam obedientiam regenerationis gratiâ præstandam impellente. Nec hic opponi debet onus durum Crucis, quam Christus suis imponit in Novo Testamento. Quia, præterquam quod Piis Veteris Testamenti non defuit, ut hæc est sors fidelium in hoc mundo, Christi discipulis non tam debet esse oneri, quam honori Gal. 6:14. & Christi jugum est leve & suave Matth. 11:30. Huc pertinet donum Spiritus Sancti, qui licet jam sub Veteri Testamento non denegatus fuerit Patribus, parciùs tamen & remissiùs tum vires suas exerebat, pro tempore & revelationis modo; nunc verò longè uberiùs & majori copiâ, ut major & amplior est gratiæ revelatio, debuit communicari sub Novo juxta Oraculum Joelis 2:28. cujus complementum in primâ Pentecoste urget Paulus Act. 2:17. 18.

QUÆST. VIII.

XXII. 5. Ratione *Perfectionis*, Quamvis enim perfectionem essentialem Vetus Test. habuerit quoad substantiam fœderis gratiæ; non habuit tamen perfectionem accidentalem quoad gradum; quia tota illa œconomia typica fuit & umbratilis, quæ a Novo non minùs differt, quàm σκία τῇ εἰκόνι, adumbratio tenuis & rudis delineatio, à viva & expressâ imagine. Hinc Apostolus tribuit illi ἀσθένειαν Heb. 7: 8. 9. 10. dum agit de imperfectione Sacerdotii Levitici, quo abrogato suscitandum erat, aliud secundùm ordinem Melchisedeci, cùm perfectio non esset in priori, cujus ἀνωφελὲς καὶ ἀσθενὲς probat Apostolus, tum ab infirmitate & mortalitate summi Pontificis, & inquinamento peccati, a quo non erat immunis; tum ab imperfectione sacrificiorum & lotionum, quæ conscientias & animas non attingebant, sanctitatis tantùm legalis & externæ operativæ; nec sacrificia ex se apud Deum peccata expiare poterant Psalm. 40:7. 8. Ideo ista omnia cum Tabernaculo & Sanctuario mundano abrogari necesse fuit, ut pateret Sanctuarii cœlestis via. Quod etiam locum habet respectu cultus, qui sub Vet. Test. viguit, quibus totus umbraticus & carnalis fuit, si cum cultu a Christo prædicto, & ab Apostolis instituto comparetur Joh. 4:23. qui non modò uni loco affixus non est amplius, ut antea; sed qui *Spiritu* sine carnalibus typis Heb. 9:10. & *Veritate* absque umbris Mosaicis fieri debeat Col. 2:17. Heb. 10:1.

5 Ratione Perfectionis.

XXIII. 6. Ratione *Libertatis*, Quia sub V. T. vigebat Spiritus servitutis ad metum Rom. 8:15. licèt enim Patres essent filii Dei, atque eo nomine Domini & hæredes, non differebant tamen à *servis*, quoad externam dispensationem, ut infantes & minorennes sub Legis durâ & rigidâ pædagogiâ detinebantur tanquam sub Tutoribus & Curatoribus, quibus metu pœnæ, & minis ac verberibus, potius quàm promissis & amore virtutis

6. Ratione Libertatis.

QUÆST. VIII. adigebantur ad officium Gal. 4: 1. 2. Unde quamvis *Libertatis jus* illis competeret in virtute fœderis gratiæ, & promissionum Evangelicarum, exiguum tamen ejus *sensum* & *usum* obtinebant, Legis minis & jugo ἀβαστάκτῳ servitutem adstringente, & terrorem incutiente, quo fiebat ut ad apparitiones Dei metu percellerentur, & in ore tritum illud haberent, *moriemur, quia vidimus Deum.* Sed in N. T. est tempus *libertatis*, quia plenè revelatur fœdus gratiæ quod generat ad libertatem Gal. 4: 26. In quo promulgatur per Jubilæum Evangelicum libertas captivis Isa. 61: 1. 2. & *Spiritus* non amplius servitutis ad metum nobis datur, sed *Adoptionis*, adeoque libertatis ad fiduciam per quem clamamus Abba Pater Rom. 8: 15. *ubi Spiritus Domini, ibi libertas* 2 Cor. 3: 17. non tantùm *interna* communionis, quæ Patribus non defuit, sed & *externa* dispensationis, non tantùm libertas *Filiationis*, quæ etiam infantibus convenit, sed etiam *Emancipationis*, quæ competit tantùm adultis; non tantùm quoad *Jus* & *usum* ejus ac *sensum inchoatum* & *imperfectum*; sed *totalis* & *perfecta* quoad *sensum* & *usum plenum*, per quam, ut mittuntur in possessionem bonorum, ita plenam eorum notitiam & sensum habent ad sui solatium & fidei πληροφορίαν.

2 Cor. 3:17.

6. Ratione amplitudinis.

XXIV. 6. Ratione *Amplitudinis*; Quia V. T. ad unam Gentem restringebatur, salus tunc erat tantùm Judæorum Joh. 4: 22. non sic fecerat omni genti Psal. 147: 19. 20. sed Novum indiscriminatim ad omnes extenditur, ut in omni gente acceptus sit qui eum timet, & operam dat justitiæ Act. 10: 34: 35. nullis limitibus coarctatur, nec amplius certo loco alligatur Dei cultus, sed in omni loco, modò sincerus & purus sit, & illi peræquè est acceptus. Antea gentes dicebantur *procul esse*, & *alienæ à fœdere* Eph. 2: 12. Sed nunc dissoluto pariete intergerino fit coadunatio duorum, Judæorum scilicet & Gentilium in unum Corpus, ut non sint amplius duo, sed unum v. 14. Ita in Christo non amplius est *Judæus aut Græcus, Scytha aut Barbarus, Mas aut Fœmina*, sed *Christus omnia in omnibus* Coloss. 3: 11.

7. Ratione Durationis.

XXV. 7. Ratione *Durationis*, Quia Vetus fuit antiquandum, & durare debuit tantùm usque ad tempus διορθώσεως Heb. 9: 10. Jer. 31: 31. quod vel palam evincit, Judaïcæ Reipub. eversio, Tribuum confusio, Templi, in quo cultus ille peragendus fuit, irreparabilis per tot secula destructio. At N. Test. est immutabile & perpetuò duraturum ἕως συντελείας τοῦ αἰῶνος, ad cujus administrationem cùm pertineat perfectio, non est iterum expectanda alia revelatio, nec aliud sacerdotium, & sacrificium, præter illud Christi, qui factus est sacerdos, & jurejurando sancitus ex vi *indissolubilis vitæ* Heb. 7: 16. Unde Evangelium æternum vocatur Apoc. 14.

QUÆSTIO IX.

De Sponsore Foederis Gratiæ.

An Christus sub V. T. habuerit tantùm rationem Sponsoris Fidejussoris, An etiam Expromissoris? Pr. Neg. Poster. Affirm.

I. UT Natura Fœderis Gratiæ pleniùs cognoscatur, natura & modus Sponsionis, cui innititur, propiùs expendenda est. Non ut inquiramus in Officium Christi Mediatorium, de quo agetur postea suo loco. Sed tantùm ut modus Sponsionis ab ipso factæ sub Veteri Testamento penitiùs excutiatur, de quo moveri potest Quæstio.

II. Atque hic in antecessum recurrere debet, quod antè observavimus, Fœdus hoc Gratiæ, quod instituebatur inter Deum offensum & Hominem peccatorem & reum, non potuisse ratum esse nisi interventu Mediatoris, qui partes dissidentes inter se conciliaret, & Sponsoris vices obiret, non tantùm *nomine Dei* spondendo nobis, quòd impletum sit promissa fœderis, si conditiones ejus impleverimus, ut post Socinum Curcellæus perperam cavillatur; sed etiam *Deo pro nobis*, se eas omnes conditiones pro nobis impleturum, quibus præstitis hæreditas ex Testamento ad nos perventura esset. Potissimùm verò quoad Satisfactionem plenissimam dandam Justitiæ divinæ pro peccatis nostris. Nec hic ulla occurrit inter Orthodoxos Controversia, sed tantùm cum Socinianis, eorumque asseclis, contra quos disputandum erit, quum de Satisfactione agetur.

III. Quæstio ergo, quæ hic movetur, respicit propriè modum Sponsionis à Christo factæ sub Veteri Testamento. An habeat tantùm rationem fidejussionis, An etiam Expromissionis. Sunt enim, qui hanc etiam inter alias reponunt differentiam V. & Novi Test. ut Christus sub illo fuerit quidem Fidejussor, sed non Expromissor, id est spoponderit quidem pro Electis, sed ita ut in ipsum non facta sit absoluta debiti translatio, nec liberati fuerint Patres à reatu peccati, sed Deus sibi jus retinuerit in ipsos ad infligendam pœnam, si Christus Sponsionem deseruisset, illique non satisfecisset. Quomodo in Jure Civili discrimen solet adhiberi inter Fidejussorem & Expromissorem, ut *Fidejussor ille sit, qui ita pro alio obligatur, ut nihilominus ille alius obligatus maneat usquedum fidejussor solverit.* Unde Justinianus Instit. lib. 3. Tit. 21. observat *Fidejussorum obligationem, esse accessionem principali* *Status Quæstionis.*

obli-

tus, & potest ac debet primò conveniri, antequam eatur in fidejussorem; QUÆST. IX.
Sed hic aliter planè se res habet; Nam ut Electi sic absolutè non erant solvendo, satisfactio in æternùm ab ipsis expectari non potuit; Et ita per Sponsionem & substitutionem Christi in ipsorum locum erant liberati ex Dei consilio, ut non amplius ab ipsis solutio postulari debuerit, quam in se Christus per sponsionem suam receperat; in quâ Expromissoris vices verè implevit, qui alienam obligationem in se suscipit, ut ab ipso solo solutio postuletur & expectetur, primario debitore non amplius manente obligato, Nam ita se sponsione suâ obligavit ad solutionem, ut ab ipso solo peti & exigi potuerit, electis, qui primarii erant debitores, ab omni personali obligatione libertatis, & adeo non amplius obligatis, ut si ipsimet solvere voluissent, crimen contemptorum Messiæ, qui insuper habitâ justitiâ Dei propriam justitiam stabilire conantur, meritò incurrissent, quale fuit crimen Judæorum. 9:31:32. & 10:3.

VI. Talem autem esse Sponsionem Christi, Scriptura ipsa non obscurè demonstrat, quum testatur Deum *conjecisse in ipsum iniquitates omnium nostrûm, & castigationem pacis nostræ ipsi impositam fuisse, ut ex ejus livoribus sanatio nobis esset* Isa. 53:5.6. Quomodo verò conjecta possunt *Is. 53: 5.6.*
dici in Christum peccata hominum, si Sponsio ejus non fuit absoluta, per veram debiti translationem supra se, & reorum liberationem? Nec dicendum *Jesum tantum peccata suscepisse, cùm se ad sacrificium præpararet, & Deum in ipsum conjecisse peccata, quia actu illa ab ipso exacta sunt.* Quia aliud est postulare à Christo debitum ad præsentem solutionem; aliud in eum peccata conjicere, & illi imputare. Potest Vadi debitum longè ante imputatum esse, quàm ad præsentem solutionem exigatur: Non docet Isaias tunc conjecta fuisse peccata in ipsum, quum actu ab ipso exacta sunt, sed ideo à Christo exacta esse peccata per pœnarum perpessionem, quia ipsi ut Sponsori in Dei consilio jam imputata fuerunt.

VII. Huc facit quòd Psalm. 40:7.8. Christus protestatur se venisse ad fa- *Ps. 40:7.8.*
ciendam voluntatem Patris, id. ad offerendum sacrificium Corporis sui, loco Victimarum Legalium, quas Deus ut ad hoc inutiles rejiciebat. Quorsùm verò tantam alacritatem & promptitudinem hoc officium implendi præ se ferret, nisi jam tum absoluta & simplex fuisset ejus Sponsio, quæ pœnarum nobis debitarum translationem veram infert? Nec juvat reponere, *hæc verba a Paulo referri ad ingressum Christi in mundum* Heb. 10:5. Quia licet Christus hæc sibi tribuere potuerit ingrediens in mundum; Non obstat quominus illi jam conveniant eo tempore quo Psaltes loquitur. Imò hoc necessariò supponitur, quia agitur de æterna & immutabili Dei voluntate, quâ Christus rejectis sacrificiis omnibus legalibus Sponsor est constitutus, & ejus satisfactio sola decreta, & promissa jam ab ipso principio, ut de eo

QUÆST. IX. *in capite libri* putà Scripturæ scriptum est, cui additur responsio ipsius Christi, quâ vocationem Dei suscipit, & se ad ejus executionem paratum esse testatur. Nec aliò pertinet, quod dicitur *Agnus mactatus à fundatione mundi* Apoc. 13:8. quàm ut efficacia & certitudo istius Sponsionis designetur, per quam fit, ut sacrificium post multa demum secula futurum, jam pro oblato habitum sit.

VIII. Secundò *Rei ipsius natura* hoc postulat, sive *Deus* cui Sponsio fieri debuit respiciatur, sive *Sponsor*, qui eam facere tenebatur, sive *Electi* ipsi pro quibus spondebat, sive *Sponsionis ipsius natura*, cum ejus effectis attendatur. Nam ad *Deum* quod attinet, Expromissorem verum, non merum fidejussorem exigebat ejus *Justitia*, quæ ut non potuit solutionem à primis Debitoribus expectare; ita non potuit acquiescere nisi in absolutâ Filii Sponsione, nec illi conveniebat Christum simul & Electos eodem decreto manere obligatos, cùm ideò in Vadem ipsis sit datus, ut eo ipso liberi dimitterentur. Nec *Sapientia* ejus, certæ solutionis per Christum solum præstandæ præscia, potuit eos, à quibus solutio nunquam petenda fuit, ut debitores sub obligatione tenere, & ut reos adhuc intueri. Imò cùm opera Dei ab æterno ipsi sint cognita Act. 15:18. per lumen omniscientiæ Sponsio ista non modò ut futura, sed jam ut præsens, imò ut peracta Deo obversabatur, & efficaciâ suâ eadem beneficia Patribus dabat, quibus fruimur, quod mera fidejussio præstare non potuisset.

IX. *Qualitas* etiam *Sponsoris* hoc importat, nam ut est Deus infinitus & perfectissimus, Sponsio ejus debuit esse perfectissima, & involvere quicquid perfectionis in Expromissore ad debitorum liberationem contineri, concipi potest. Accedit, quòd cùm sit talis Sponsor, qui ab hominibus nec inventus, nec datus est, sed à Deo ipso; imò qui se ipsum ab æterno Patri obtulit & loco peccatorum substituit absque illorum conscientia & desiderio, qui solutionem daturus erat solus ex immutabili Dei decreto, cujus certitudo promissionibus variis confirmabatur, & typis compluribus obsignabatur, non potuisset hoc exequi, nisi jam tum Expromissoris partes implevisset, & non tantùm fidejussoris. Unde talis fuit efficacia & effectus istius sponsionis, ut ejus virtute Patres planè ab omnibus pœnis ab ipsis commeritis sint liberati, ut solutio ab ipsis amplius exigi non potuerit. Quod Viri Docti cum quibus res nobis nunc est, non potuerunt diffiteri. Hinc Celeb. Cocceius Sum. Theol. c. 35. s. 2. *Effectus Sponsionis fuit, ut peccatum postquam commissum erat, non imputaretur Hæredibus in Testamento scriptis, sive ut non posset esse in Deo voluntas puniendi peccatum in ipsis, quippe quod impactum erat in Sponsorem, & in eum debebat incurrere & ab eo exigi* Isa. 53: 6.7. Et s. 134. *Pro quibus enim subrogatus est, eorum Sponsor extitit, illorum peccata in ipsum conjecta sunt.*

X. Tertiò

X. Tertiò *Electi ipsi* pro quibus Sponsio fiebat, Expromissorem exigebant, non tantùm Fidejussorem. Quia Sponsor ipsorum debuit esse ἀντίψυχος, ut antè dictum, qui se pro reis substitueret ad pœnas illis debitas patiendas, & eos hac ratione liberandos, quod fidejussor merus non potest præstare, qui spondet tantùm ad certiorandam fidem creditoris de accipiendâ solutione, sed non præcisè suâ. Deinde ut Electi non erant amplius solvendo, ita nec ab ipsis in æternùm potuit expectari solutio, imò nec ex decreto Dei unquam fuit postulanda. Ideo Sponsor debuit absolutè solutionem in se recipere, adeoque rationem Expromissoris reipsa habere. Denique cùm non tantùm salvandi fuerint per Christum, sed reipsa salvati sint, & in cœlum recepti per vim Sponsionis Christi; non sufficit Christum fuisse Fidejussorem, qui post se non trahit primariorum debitorum personalem liberationem, sed necessariò rationem Expromissoris debuit habere, qui omnimodam liberationem acquirit iis pro quibus spondet. Aliàs dicendum foret, eos liberatos fuisse, & tamen mansisse obligatos, justos habitos fuisse coram Deo, & tamen fuisse semper sub reatu, quod est ἀσύστατον. QUÆST. IX.

XI. Quartò *Sponsionis istius natura* hoc innuit. Quia quicquid absoluti & immutabilis in expromissione continetur, id longè perfectius & eminentius in Christi Sponsione deprehenditur. Nam si in illa Sponsor solus ad solutionem obligatur, primario debitore non manente amplius obligato, & si ab illo solo postulatur debitum, & solutio expectatur. Hic pariter Sponsio Christi excludit propriam Electorum solutionem, quia ad solutionem ita absolutè se obligavit, ut eo ipso liberati sint ab omni personali obligatione, & ab illo tantùm solutio peti & expectari potuerit. Quod ulteriùs ex fine ipsius Sponsionis confirmatur, qui nullus alius fuit, quàm absoluta Electorum liberatio, quò cùm excidere non potuerit; debuit necessariò expromissionis naturam induere, non tantùm fidejussionis.

XII. Nec dici potest, *Deum libertatem seu jus sibi semper servasse exigendi solutionem ab Electis ceu primariis debitoribus.* Quia cùm absoluta fuerit Christi Sponsio ex immutabili Dei decreto, quo in peccatorum locum substitutus est, & solus pœnas ipsis debitas debuit ferre; capi non potest, quomodo, posito illo decreto de pœnis tantùm à Sponsore repetendis, homines adhuc obligati remaneant, & Deus libertatem sibi servaverit exigendi solutionem ab ipsis. Verum quidem est in foro civili Jus esse creditori, ex duobus correis debitum repetendi, vel à primario debitore, vel à fidejussore. Sed ubi post contractum debitum, & debitorem factum non solvendo, Sponsor intervenit, qui debiti dispungendi onus omne in se suscipit, & cujus fidem creditor sequitur, eo ipso primus debitor omni exactioni subducitur; alias creditor ageret contra sponsionis admissionem, & videretur fidem Sponsoris in dubium vocare. Ita hic quia Christus sponsione *Fontes Solutionum.*

QUÆST. IX. ſione ſuâ recepit in ſe onus pro peccatoribus ſolvendi, Deus eo ipſo depoſuit voluntatem exigendi ab ipſis debitum; hoc enim nec *Æquitas* divina ferre poſſet, ut duo obligati maneant, cùm unius ſatisfactione, & abſolutâ ad illam obligatione contentâ, in eâ plenè acquieverit, nec *Sapientia* & *Veritas*, ut exigatur debitum ab illis pro quibus abſoluto decreto Sponſor conſtitutus eſt, & in quo juſtificati ſunt & ab omni pœna exempti; nec *Bonitas* & *Miſericordia*, ut habeat pro reis & debitoribus, pro quibus liberandis ſponſor ſeſe ſtitit Dei judicio.

XIII. Nequicquam regeritur, *Potuiſſe ſemper ab Electis exigi ſolutionem, ſatisfactione nondum præſtitâ, poſito quod Chriſtus non ſtetiſſet ſuâ ſponſione & promiſſis, ſed vadimonium deſeruiſſet.* Quia hoc eſt fingere quod eſt planè ἀδύνατον. Sanè ubi agitur de ſponſione ſeu vadimonio hominis mendacis & inconſtantis, deſertio ejus non abs re metuitur. Et hinc fit quòd creditores fidejuſſionem ita admittant, ut jure ſuo adverſus debitores ſe non abdicent, ſed illud retineant, & in defectu ſolutionis à Sponſore promiſſæ illud exerceant. Sed quodnam poteſt concipi periculum deſertionis vadimonii in Chriſto veraciſſimo, potentiſſimo, & optimo? imò quænam poſſibilitas? Quomodo promiſſio ejus abſoluta in æterno Dei decreto, & ex eo in Oraculis Veteris Teſtamenti facta, *Ecce venio ut faciam voluntatem tuam* &c. id. ut ſatisfaciam pro iis quos mihi dediſti, potuit revocari, quin eo ipſo immutabile Dei decretum reſcinderetur, & electio ad ſalutem mutaretur, vel conſiſteret cum punitione Electorum? Quod cùm planè ſit ἀδύνατον, abſurdam etiam eſſe hypotheſim unde deducitur neceſſe eſt.

XIV. Licet ſub Veteri Teſt. ſolutio nondum data fuiſſet; Non ſequitur Patres ad eam adhuc ita obligatos fuiſſe, ut potuerit ab ipſis exigi. Quia ſolutio danda fuit tantùm à Sponſore, à quo ſolo repetenda & expectanda fuit, juxta decretum æternum & fœdus Dei. Quamvis verò propter unionem, quæ nobis intercedit cum Chriſto, dum Chriſtus pro nobis ſatisfecit, tantundem eſt ac ſi noſmet per ipſum ſatisfeciſſemus 2 Cor. 5:15.21. minùs accuratè tamen fideles Veteris Teſt. dicerentur obligati fuiſſe ad ſolutionem per Mediatorem præſtandam; ſed Chriſtus contra, ut ab æterno conſtitutus peccatorum Sponſor, obligatus fuit, ut pro ipſis ex vi Sponſionis ſuæ ſatisfaceret. Sanè quod quis per alium facit, per ſe ipſum feciſſe putandus eſt, ſi ſcilicet eum, per quem dicitur agere, loco ſuo ſubſtituit, & illi authoritatem & vires aliquid per ſe agendi dedit. Sed hic res planè aliter ſe habet. Nam nec Chriſtum ſuffecimus loco noſtro, imò nec de eo cogitavimus quidem, ſed nobis gratis datus eſt, nec ullam poteſtatem aut vim faciendi quæ pro nobis præſtitit, illi dare potuimus.

XV. Ut Chriſto θεανθρώπῳ non eſt injurium dici *peccatum & maledi-*

dictionem in tempore; sic non repugnat ab æterno ad actualem illius maledictionis perpessionem in naturâ assumenda obligari, quod est reatum vicarium electorum in se suscipere. Si non deducit Christum Mediatorem nostrum fieri; Nec pariter dedecere potuit ea omnia peragere, quæ ratio muneris & salutis hominum, pro quibus vices has obibat, exigebant; Nec hic Christus spectandus est simpl. ut λόγος, sed œconomicè ut θεάνθρωπος futurus. QUÆST. IX.

XVI. Non eadem est ratio translationis debiti pecuniarii in Sponsorem, & debiti pœnalis. Illa potest esse absoluta & plena quoad omnem rationem debiti, quia non attenditur quis solvat, sed tantum quid solvatur, non persona, sed pecunia. Sed in criminalibus ubi respicitur persona, & non tantùm pœna, obligatio nequit quoad omnes partes transferri in Sponsorem, sed tantùm quoad aliquam, nimirum quoad certam pœnam Vadi infligendam loco rei, non verò quoad obligationem personalem, seu pœnam in propriâ personâ ferendam. Peccata nostra dicuntur in Christum translata ratione prioris, non verò posterioris; nec personalis nostra obligatio est in Christum translata, sed gratiosè dissoluta. Unde licet peccata nostra possint dici Christi, ratione imputationis reatus, non desinunt esse nostra ratione proprietatis, & commissionis. Et ut in locum nostrum se substituit; Ita quicquid solvit, pro nobis & nomine nostro solvisse bene dicitur. Nam ubi quis se obligat tanquam ἀντίψυχος ad passionem pro alterius delictis, necesse est semper ut patiatur vice illius ad satisfactionem, nec hic alia concipi potest, quam vicaria ex gratiosâ acceptatione solutio.

XVII. Quamvis Christum Expromissorem dicamus; Non ideo volumus esse merum Expromissorem, vel juridicam hic factam esse *novationem*, quæ in variis differt à Sponsione Christi, potissimùm verò in eo, quòd per eam obligatio potest quoad omnes partes alterius fieri, quia debita pecuniaria possunt plenè in alium transferri, nec necesse est ut solutio eorum alterius loco fieri dicatur, quod in criminalibus locum non habet, ut jamjam dictum. Tum in eo quod ubi per novationem delegatus debitor ad solutionem obligatur, nulla fit remissio, manente obligatione ad solutionem ejusdem rei quæ debetur, quod in hoc negotio non occurrit, ubi pœna vicaria tantùm pro nobis, non verò propria & personalis luitur. Sed hoc tantùm urgemus, ut perfectionem & efficaciam Sponsionis Christi explicemus, quæ per solam fidejussionem non potest sufficienter intelligi, ut hic semper Sponsio Christi longè perfectior & præstantior dicenda sit, quavis expromissione civili.

XVIII. Quum Christus vocatur ἔγγυος Fœderis Novi Hebr. 7: 22. non restringenda est ejus Sponsio ad solam fidejussionem; nam præterquam quod verba Pauli non minùs ad tempus N. Test. referuntur, quò nemo negat eum Expromissorem fuisse; vox ipsa ex usu recepto non tantùm fidejussorem *Heb. 7: 22.*

QUÆST. IX. merum, sed etiam expromissorem denotat, Hesy. Ἔγγυος, ἀνάδοχος, at ἀναδέχεσθαι est actus proprius expromissoris, qui in se recipit, & suum agnoscit debitum Budæo teste, Martin. in Lex. Philo. ad vocem ἐγγύη *sponsio, expromissio* ἀναδοχή.

XIX. Non eadem est ratio victimarum legalium & ἀλόγων, & Victimæ cœlestis & divinæ: Illis non potuit imponi reatus, antequam offerrentur, quia translatio fiebat à peccatoribus ex Dei ordinatione, nullo intercedente earum consensu, ad expiationem peccati sui: Sed nihil obstat translationem factam esse in Christum, antequam actu offerretur, quum munus illud sponte susceperit ex Dei decreto. Imò necesse fuit ejus promissionem & sponsionem voluntariam antecedere oblationem, ut fructus ejus manaret ad fideles V. T. qui per fidem sibi applicare debuerunt vim meriti Christi, jam tum efficacis ad sui liberationem.

XX. Licèt Lex cæremonialis cum Sacrificiis in σχέσει suâ Legali fuerit instar chirographi, quod inculcavit jus violati fœderis Operum; non ideo tamen importavit Sponsionem Christi fuisse meram fidejussionem, & fideles manere adhuc obligatos sub reatu: Quia in σχέσει sua Evangelica, quatenus erat typus Christi adumbrabat liberationem à reatu, & justificationem in Christo Sponsore datam. Unde Circumcisio dicitur sigillum justitiæ fidei Rom. 4: 11. & Petra Christus 1 Cor. 10: 4. Quia plura voluerit consulat Celeber. *Leideckerum* Theologum & Professorem Ultrajectinum, qui hoc argumentum fusè & solidè exequitur, Lib. 2. *Vis veritatis* Cont. 1. & 2.

QUÆSTIO X.

DE STATU PATRUM SUB VET. TEST.

An Patres sub Vet. Test. dici possint fuisse adhuc sub irâ Dei & maledictione Legis, & permansisse in reatu peccati, usque ad mortem Christi; Nec habuisse ἄφεσιν, *seu plenam & propriè dictam remissionem peccatorum, sed tantùm* πάρεσιν? D.

I. UT præcedens Quæstio de Sponsore Fœderis Gratiæ sub V. T. nata est ex occasione præsentis, quæ versatur circa Statum Patrum sub V. T., non parum etiam conferet ejus decisio ad istius elucidationem.

II.

II. Ne autem aberremus à Statu Quæstionis, & à Nobis hîc peccetur, vel in *defectu* nimis deprimendo eorum privilegia, vel in *excessu* nimis ea extollendo, ut non rarò fieri solet. Observandum, Non quæri De actuali impetratione reconciliationis & remissionis peccatorum per solutionem λύτρου factam in morte Christi. Constat enim utrinque eam demum fieri debuisse, & factam fuisse sub N. T. in complemento temporum. Sed de applicatione morali solutionis istius præstandæ tempore à Deo præstituto, in remissione verâ & plenâ omnium peccatorum fidelium, ita ut debitum ab ipsis exigi amplius non potuerit.

QUÆST. X. *Status Quæstionis.*

III. Non quæri De virtute & efficacia Legis in se spectatæ, quoad justificationem. An remissio Patribus obtigerit per victimas legales spectatas in esse suo absoluto, vel in σχέσει suâ legali. Convenit enim inter omnes hoc fieri non potuisse, propter Legis ἀδυναμίαν Heb. 7: 19. & 10: 1. 2. 3. Et hoc sensu verum est fideles spectatos in se, & quatenus erant sub Lege, fuisse sub reatu, & conscientiam peccati habere potuisse. Sed De efficacia gratiæ & sacrificii Christi legalibus victimis adumbrati, Annon obtinuerint in dispensatione internâ fœderis gratiæ remissionem plenam omnium peccatorum virtute mortis Christi futuræ.

IV. Non quæri De sensu Remissionis peccatorum, & pace & consolatione inde manante quoad gradum, An minor fuerit sub V. T. & major sub N. Nemo enim negat graduale hoc discrimen; Et ut obscurius fuit lumen, & parcior mensura Spiritus; Ita minorem fuisse remissionis sensum, & minus solatium. Imò & metum fuisse mortis, & Spiritum servitutis ex rigore legalis œconomiæ, ut fusè suprà probatum Q. 7. Sed An posito isto discrimine, ideo dici debeat Patres fuisse adhuc sub reatu & execratione Legis, nec habuisse veram peccatorum ἄφεσιν, seu plenam eorum remissionem, sed tantùm πάρεσιν, & prætеritionem, in quâ potuerint ad scriptionem Chirographi, & solutionem debiti adhuc obligari?

V. Non quæri, An habuerint remissionem peccatorum & justificationem, quæ fit propter solutionem actu præstitam, & quæ conjunctam habet omnimodam immunitatem à Chirographo, annunciationem Justitiæ adductæ, & mortis Christi ad deletionem peccati. Nemo enim negare potest; hoc esse privilegium N. T. fidelibus proprium, quorum temporibus solutio actu præstita est per Christum, & deletum in Cruce Chirographum, quod nobis erat adversum. Sed Quæri, An talis justificatio sola nomen mereatur ἀφέσεως. Annon etiam ea quæ concessa fuit Patribus propter solutionem Christi certò futuram? Quod pertendimus.

VI. Quæstio ergo eò redit, An sub Veteri Testamento ita translata fuerint in Christum Sponsorem peccata Patrum, ut vi solutionis suo tempore futuræ, veram & plenam peccatorum suorum omnium remissionem obtinuerint,

QUÆST. X. rint, & ex ejus sensu, si non pleno & perfecto; at vero & reali, conscientiam tranquillatam habere potuerint, & solido frui solatio? An verò non obstante Christi Sponsione, Patres manserint adhuc sub maledictione Legis, & conscientiâ peccati, & de eo accusari, & solutio ab illis postulari semper potuerit. Et si remissio ipsis aliqua concessa fuit, habuerit rationem παρέσεως potiùs, quàm ἀφέσεως? Prius asserimus, Posterius verò Viri Docti cum quibus agimus.

VII. Ut enim Christum Sponsorem tantùm Fidejussorem fuisse volunt, non Expromissorem, ut antea dictum, quo ita spoponderit pro Electis, ut manserint semper obligati, donec solutio esset præstita: Ita pertendunt Patres fuisse adhuc sub reatu & ira Dei propter Sacrificii expiatorii dilationem, & permansisse usque ad mortem Christi satisfactoriam sub execratione Legis & conscientiâ peccati. Nec habuisse ἄφεσιν plenam scilicet & propriè dictam remissionem peccatorum, sed vixisse sub παρέσει *conniventiâ* scilicet *dissimulatione*, & *prætermissione* potiùs quàm sub plena remissione. Hinc nullum peccatum propriè remissum esse sub Vet. Test. statuunt, & remissionem ad N. Test. pertinere, & promitti, ut rem non prisci temporis, sed posterioris, Et justificationem illorum, propter imputationem quandam peccati, & iram, quam operabatur, speciem tantùm παρέσεως habuisse.

VIII. Quamvis verò non negemus discrimen memorabile intercedere inter statum fidelium Veteris & Novi Testamenti, quale est inter filios infantes & minorennes, qui sub Tutoribus & pædagogis retinentur & duriter tractantur, & eosdem adultos & emancipatos, qui & bona sua norunt, & ad eorum usum & fruitionem liberam admittuntur. Licet etiam concedamus Legem minis suis conscientias peccatorum terruisse, & sub jugo servitutis detinuisse. Non putamus tamen dici verè posse Patres adhuc fuisse sub ira Dei & reatu peccati, nec conscientiam tranquillatam ex plena remissione peccatorum habere potuisse.

Probatur Patres non fuisse sub reatu 1. à Sponsione Christi.

IX. Primò, Quia hoc *Sponsioni* Christi repugnat, quæ importat veram peccatorum translationem in ipsum, ut superiori Quæstione probatum, & ex consequenti veram & omnimodam Electorum liberationem ab omni reatu & obligatione personali. Hæc enim se mutuò consequuntur, ut dum peccatum fit pro ipsis, ipsi fiant justitia Dei in ipso, dum oneratur, liberentur, dum conjiciuntur peccata in ipsum ad ejus condemnationem, auferantur ab ipsis ad eorum justificationem.

2. à natura fœderis gratia.

X. Secundò repugnat *naturæ Fœderis Gratiæ*, sub quo Patres vixerunt. Cùm enim inferat communionem Fœderatorum cum Deo, & communicationem omnium bonorum spiritualium, quæ ad plenam felicitatem requiruntur, adeoque salutis ipsius. Vel Patres ab eo exclusos fuisse dicendum,

vel

vel si in illud sunt recepti, ut de eo dubitari nequit, necesse est eo ipso liberatos fuisse à maledictione Legis, & irà Dei, & à reatu & conscientiâ peccati, & admissos in gratiam Dei & participationem salutis. Aliàs reconciliatio cum ira, benedictio cum maledictione, & status justificationis cum reatu peccati consistere posset; quod nemo non videt esse ἀσύςατον. Nec si maledictio Legis auribus Veterum adhuc insonabat, continuò sequitur eos adhuc fuisse sub ipsâ, quia non ideo proponebatur, ut sub ea manerent, sed ut ex ejus minis impellerentur ad quærendum remedium gratiæ in Christo, qui interventu Sponsionis suæ, & vi mortis futuræ, *quæ profuit antequam fuit*, ut scitè Bernardus loquitur, eos liberabat ab execratione Legis. QUÆST. X.

XI. Tertiò repugnat *Reatui Peccati*, sub quo Patres adhuc fuisse pertendunt. Cùm enim duplicem involvat obligationem, vel ad poenam personalem ab ipso peccatore luendam, vel ad poenam in genere peccato debitam: Si fuerunt sub reatu, vel fuerunt quoad alterutram, vel quoad utramque. At neutrum dici potest; Non fuerunt sub eo quoad obligationem personalem, quia ista obligatio est ἀσύςατος cum redemptione & salute fidelium, quæ à poena omni personali hominem eximit. Licet enim non translata sit in Sponsorem propriè, quia fuit poena personalis & propria, quæ in alium transferri non potest, ita tamen per Sponsionem Christi relaxata est & dissoluta, ut fideles ampliùs obligare non possit. Non melius dici potest eos fuisse sub reatu quoad obligationem ad poenam in genere, quia illa in Sponsorem est translata, & ex ea ad solutionem vicariam Christus ita fuit obligatus, ut ex ejus obligatione secuta sit plena ipsorum immunitas.

3. Ex Reatu peccati.

XII. Quartò repugnat *Justificationi & saluti Patrum*. Nam si justificati sunt & salvati, ut utrinque est in confesso, quomodo dici possunt fuisse adhuc sub reatu & conscientia peccati? Justificationem autem & remissionem peccatorum illis datam fuisse, non modò promissiones Dei luculentæ de illa ipsis concessæ clarè evincunt Exod. 34: 7. Psal. 32: 1. & 51: 3. 4. & 65. 4. & 85: 3. & 103: 3. & 103:4. Is. 1: 18. & 44: 22. Mich. 7: 18. 19. Sed & exempla Abrahami, Davidis, Danielis & aliorum, quibus hæc gratia indulta est indubiè demonstrant. Nec hic ad Prophetiam recurrere juvat, quasi loca Psalm. 32: 31. & 103. sint prophetica, quæ de tempore & fidelibus Novi Testamenti intelligenda sint. Quia patet Davidem hæc sibi & fidelibus sui temporis applicare; nulla autem inde consolatio ad ipsos redire potuisset, si hæc beneficia post multa demum secula piis qui victuri essent sub Novo Testamento conferenda fuerunt. Frustra etiam additur, non negari justificationem datam Patribus, sed tantum eam justificationem quæ fit propter solutionem actu præstitam. Quia nemo negat talem absolutionem reservatam esse Novo Testamento. Et si

4. Ex Justificatione, & salute Patrum.

QUÆST. X. nihil aliud intenditur, facile tota lis componi poterit: Sed præterquam quod alienum est ab usu Scripturæ, justificationis vocem eo sensu sumere, quæstio semper recurret, An remissio ipsis data, plenaria non fuerit & propriè dicta ἄφεσις, An tantùm speciem παρέσεως habuerit?

5. ex Fide Justificante

XIII. Quintò repugnat *naturæ Fidei Justificantis*, quam Patres habuerunt. Cùm enim potissimùm consistat in fiduciali apprehensione & applicatione justitiæ Christi & satisfactionis ejus perfectissimæ, sive ut jam præstitæ, sive ut infallibiliter præstandæ, quam sequitur pax cum Deo, παρρησία ad ipsum accedendi, tranquillitas conscientiæ, & solida consolatio in vita & morte; concipi non potest, quo modo, qui tali fide præditus est, possit dici esse adhuc sub reatu & conscientia peccati, & sub execratione Legis. Et durum videtur & parùm consentaneum gratiæ Dei ipsis indultæ, in qua toties gloriantur & exultant, ita de ipsis sentire. Expendantur hic exempla Abrahami, Jacobi, Jobi, Davidis, Ezechiæ, & aliorum, qui fiduciam suam in Deum, & lætitiam ac solatium ex ea manans subinde testantur, imò & in exemplum fidelibus N. Testamenti proponuntur Rom. 4: 3. 4. 5. Gal. 3. Heb. 11. 2 Cor. 4: 13. Quamvis enim verum sit, hanc fiduciam & consolationem in illis fuisse minorem quoad gradum, propter œconomiam legalem rigidiorem, sub quâ vivebant; Dubitari non debet tamen, quin eadem fuerit fides quoad speciem, cum effectis ab ea inseparabilibus.

6. Ex Sanctificatione.

XIV. Sextò repugnat *Sanctificationi* ipsorum; Nam si per sanctificationem liberati sunt à dominio peccati, ex vi mortis Christi retroactivè operantis, ut de eo constat; debuerunt etiam à reatu ejus liberari per justificationem, cùm reatus & dominium peccati se mutuò consequantur, & se invicem ponant & tollant. Nam ut nemo potest liberari à reatu per justificationem, quin statim liberetur ab ejus dominio per sanctificationem, quæ justificationem necessariò sequitur, & ab ea divelli nequit; Ita qui liberatur ab ejus dominio debet prius liberatus esse à reatu, qui est causa dominii.

7. Ex distinctione. παρέσεως & ἀφέσεως.

XV. Septimò. Distinctio, quæ obtenditur inter πάρεσιν & ἄφεσιν, ut πάρεσις fuerit tantùm sub Veteri Test. sed ἄφεσις propria sit Novi, solido caret fundamento. 1. Quia certum est duas istas voces, licet sono differant, imò & diversum aliquando obtineant significatum, promiscuè tamen usurpari apud probatos Authores, quando de remissione peccatorum agitur. Budæus Παρεῖναι dicit esse *indulgere*, *permittere*, *condonare*: Hesychius παρίημι συγχωρῶ, ἀφίημι, & πάρεσιν per ἄφεσιν & συγχώρησιν interpretatur. 2. Quia in hoc negotio Patribus Vet. T. tribuitur passim ἄφεσις, nam verbis סלח כפר נשא & vocibus סליחה & כפרה quibus exprimitur remissio ipsis concessa, respondet verbum ἀφιέναι & vox ἄφεσις, ut Ps. 32: 1. *Beati* ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι & v. 5. καὶ σὺ ἀφῆκας τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου. Sic

Psal.

Psal. 85:3. ἀφῆκας τὰς ἀνομίας τῷ λαῷ σου. Isa. 55:7. ὅτι ἐπὶ πολὺ ἀφήσει τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν. Nec aliter intelligi possunt plurima illa loca, quæ passim remissionem peccatorum fidelibus pollicentur Exod. 34:7. Psal. 65:4. & 130:4. & 103:3. Mich. 7:18. 19. QUÆST. X.

XVI. 3. Si ista distinctio locum habere deberet; Nec Johannes Baptista, ante actualem expiationem Christi morte factam, quam ἄφεσις sequi dicitur, potuisset baptizare εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Marc. 1:4. Nec Christus bene diceret paralytico & peccatrici Luc. 5:20. & 7:47. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, vel juberet discipulos orare pro ἀφέσει peccatorum, ejus promissionem subjiciendo Mat. 6:12. 14. Nec Petrus rectè assereret Act. 10:43. omnes Prophetas testimonium Christo dare, quòd omnis in Christum credens accepturus sit in ejus nomine ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Hæc enim de fidelibus Novi Test. intelligenda esse, qui cùm venisset Christus essent credituri, non de iis qui sub Veteri Test. vivebant, ut vellent Remonstrantes, ab omni ratione est alienum. Imò repugnat scopo Prophetarum testantium de Christo, qui hoc non dixerunt solùm in gratiam nostram, sed & pro fidelibus Vet. Test. ad quos scribebant, & ad quos non minùs quàm ad nos pertinebat in Messiam credere, & per eum salvari. Unde Petrus non loquitur de *crediturus*, sed de *credentibus*, & quidem de omnibus, πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτὸν. Nec Paulus denique justificationi Veterum ἄφεσιν tribuere debuisset, ut facit tamen Rom. 4. ubi si uspiam discrimen inter ἄφεσιν & πάρεσιν docendum fuisset, si ullum datur, quòd tantùm abest ut faciat, ut iisdem planè verbis justificationem Veterum & nostram exprimat.

XVII. 4. Ibi ἄφεσις debet dari, ubi est plenaria remissio ab omni obligatione pœnali & personali, nihil enim aliud potest esse remissio, quàm condonatio & non punitio, ne in judicium quis vocetur, aut exigatur ab ipso pœna debita. At Patribus talem remissionem datam fuisse negari non potest, cùm salutis facti fuerint participes. Frustra excipitur remissionem plenariam & emphaticam supponere solutionem factam. Quia ad remissionem sufficit, ut detur liberatio ab omni pœna propter solutionem sive præstitam, sive adhuc præstandam. Licèt enim expiatio realis non possit fieri nisi per solutionem actu præstitam: Nihil obstat remissionem, quæ est ejus fructus, dari fideli in virtute solutionis adhuc futuræ, quæ coram Deo propter certitudinem pro facta habetur.

XVIII. Locus Pauli, qui præ cæteris urgetur ad πάρεσιν confirmandam, Rom. 3:25. ubi ait *Christum constitutum fuisse à Deo Propitiatorium per fidem in sanguine ejus ad ostendendam justitiam suam* διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτιῶν ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, non benè huc trahitur quomodocunque explicetur: Sive præpositio διὰ *causaliter* cum quibusdam intelligatur, & significet *propter*, ut notetur causa impulsiva istius Propitiatorii *Fontes Solutionum. Rom. 3. 25.*

tiatorii à Deo instituti, & in Evangelio propositi, & πάρεσις referatur ad tempus, cui ἀνοχῇ Dei assignatur; Sive intelligatur *finaliter* cum aliis, & valeat idem quod εἰς *ad*, ut πάρεσις sit finis, cur Christus proponatur in Propitiatorium, vel διὰ τὴν πάρεσιν ponatur pro διὰ τῆς παρέσεως *per remissionem*. Si posteriorem hunc sensum sequimur, qui communior est, & verbis ac scopo Pauli accommodatior, πάρεσις idem erit quod ἄφεσις, quasi dicas *relaxationem*, metaphorâ ductâ à vinculis, quibus nos quasi constrinxerunt peccata sub potestate Satanæ, quæ per Christi propitiationem laxari oportuit. Sic intelligunt Versiones pleræque, Gallica, Belgica, Anglica, Italica, & Orthodoxi Interpretes hactenus exposuerunt, ut Calvinus, Martyr, Bullingerus, Piscator, Pareus & alii. Sensus erit Deum ideo proposuisse Christum Propitiatorem per fidem in sanguine ejus, ut declararet justitiam suam, per, vel propter remissionem peccatorum præcedentium, id. quæ commissa fuerant antea sub Vet. Test. in tempore patientiæ Dei. Meminit verò potissimùm peccatorum præcedentium, non ad exclusionem præsentium & futurorum, sed ut vim redemptionis Christi amplificet, quæ non ad præsentia solùm, sed ad præcedentia peccata etiam expianda fuerit efficax. Nam quoad præsentia satis apertum esse poterat; Sed ardua erat & magni momenti quæstio, quid factum fuerit Patribus ante adventum Christi, & penè incredibile videbatur effectum remissionis extitisse ante causam ejus, & peccata remitti antequam expiarentur. Ideo Paulus Christi propitiationem eò respexisse asserit, quomodo Heb. 9: 15. propterea etiam *Mediatorem novi fœderis Christum factum esse* testatur, *ut per mortem expiaret prævaricationes, quæ facta erant sub priore Testamento*. Quamvis verò propositus dicatur Christus in placamentum ad remissionem peccatorum præcedentium; non sequitur fidelibus illius temporis nondum remissa fuisse, quia licet impetrata tunc tantùm fuerit, potuit jam ante applicari.

XIX. Si prior sensus retinetur, πάρεσις notabit quidem præteritionem, & dissimulationem peccatorum, quorum pœnam non voluit exigere sub V.T. sed eam distulit ad adventum Christi, peccata interim tolerando ἐν τῇ ἀνοχῇ, & quasi ὑπεριδὼν Act. 17:30. Sed tunc respiciet non tam Patres, quàm Christum Sponsorem, à quo pœnam ab initio exigere non voluit, sed peccata in ipsum translata reliquit impunita usque ad plenitudinem temporis. Ista πάρεσις verò non obstitit quominus ipsi Patres potuerint jam tum gaudere ἀφέσει, plenam remissionem peccatorum suorum obtinendo virtute expiationis futuræ. Ita sensus non incommodè fluet, nimir. Deum proposuisse Christum in placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad ostendendum justitiam suam, propter πάρεσιν præteritionem & dilationem pœnæ peccatorum præcedentium, quæ facta fuerant tempore tolerantiæ Dei, quam ideo distu-

distulit, non ut ea impunita omnino relinqueret, sed ut illa suo tempore in Christo puniret, & justitiam suam adversus peccata ostenderet, quæ non adeo clarè ostensa fuerat sub ἀνοχῇ peccato nondum punito. QUÆST. X.

XX. Promissio remissionis peccatorum ita tribuitur N. Test. diebus Jer. 31:34. ut illis adscribuntur reliquæ promissiones fœderis v. g. quòd *Deus futurus sit noster Deus* v. 33. quod Veteribus concessum fuisse liquet. Nec magis negari potest remissionem jam fuisse sub Vet. Test., quia promittitur sub Novo, quàm fœdus ipsum Gratiæ, quod pangendum dicitur tantùm novissimis diebus. Promissiones ergo istæ intelligendæ sunt non absolutè & simpliciter, quasi nullo modo fuerint, sed secundùm quid & comparatè, quia longè clariùs & efficaciùs proponi debuerunt sub N. Testamento non quoad rem, sed quoad modum & gradum rei. Quippe remissio sub V. Test. dabatur per Christum moriturum, Nunc verò datur per mortuum id. factâ actuali expiatione. 2. Remissio sub Vet. Test. dispensabatur per Sacramenta & Sacrificia, quæ expiationem faciendam adhuc designabant; Sed jam sub Novo Test. abrogatis sacrificiis, per Sacramenta ut facta obsignatur. 3. Olim dabatur ordinariè minori cum consolatione, lætitiâ & certitudine, quàm nunc sub Novo Test. propter claritatem Evangelii, ablationem jugi Legalis, & vim ac copiam Spiritus consolantis & lætificantis post Christum exaltatum effusi. 4. Olim parciùs & paucioribus concedebatur: Sed jam uberiùs dispensatur, & diffunditur indiscriminatim ad omnes cujuscunque gentis & ordinis. Hactenus ergo rectè promittitur hoc beneficium, ut proprium N. Test. Sed malè à distinctione œconomiæ, & dispensationis modo, argumentum ducitur ad diversitatem essentialem & intrinsecam, qualis statuitur hic inter πάρεσιν & ἄφεσιν. *Jer.* 31:34.

XXI. Aliud est per Christi gratiam justificari ab iis omnibus, per quæ non potuerunt homines per Legem justificari. Aliud justificationem istam demum conferri nobis sub Novo Test. Prius dicitur Act. 13:39. Sed non posterius, quia non fit oppositio Veteris Testamenti latè sumpti cum Novo, Sed externarum cœremoniarum Legis, cum interna communione Christi, cujus participes fuisse Veteres est extra controversiam. Ita nihil aliud innuitur, quàm fideles veritatem in gratia Christi habere, cujus umbra duntaxat in externâ Legis Mosaicæ œconomiâ occurrebat, quomodo alibi Paulus testatur Cæremonias fuisse umbram futurorum, Corpus autem esse in Christo Col. 2:17. *Act.* 13:39.

XXII. Quum Paulus ait Heb. 10:18. ubi datur *ἄφεσις ἁμαρτιῶν remissio peccatorum, ibi non dari amplius oblationem pro peccato*, rectè argumentatur à positione remissionis peccatorum, ad positionem unici sacrificii Christi, quod in fœdere Gratiæ promittitur, cujus interventu talis remissio acquisita est, & ad exclusionem alterius sacrificii ejusdem ordinis, vel *Heb.* 10:18.

 ite-

QUÆST. X. iterationem ejus; cùm non alium in finem instituatur, quàm ad acquirendam remissionem, & frustra adhibeatur, ubi peccatum jam remissum est. Sed perperam quis inde colligeret non datam fuisse remissionem pro peccato sub Veteri Testamento, quamdiu oblationes legales sæpius iterabantur; Cùm constet per tales oblationes remissionem non potuisse obtineri, & ideo iteratas esse, ut pateret per eas impossibilem fuisse peccati expiationem. Vel quandiu oblatio Christi non facta fuit; Quia certum est efficaciam ejus moralem antecedere ejus existentiam physicam. Deinde ἄφεσις potest metonymicè sumi pro ejus *fundamento*, seu causa meritoria, expiatione nimirum actuali per sanguinem Christi. Hac quippe præstitâ, Sacrificia Vet. Test. eam adumbrantia, revera cessare debuerunt, ut & alia omnia id genus sacrificia expiatoria, quæ ἀσύστατα sunt cum Sacrificio Christi.

XXIII. Licèt solutio per Christum fieri non debuerit sub Vet. Test., atque ita neque peccatum obsignatum, neque iniquitas actu expiata fuerit, nec justitia seculorum adhuc adducta: Hæc tamen nihil derogant veritati & certitudini justificationis fidelium illius temporis; Quia solutio danda fuit certissimè à Sponsore, juxta decretum Dei, cujus virtute remissionem peccatorum potuerunt obtinere, ut causæ morales solent agere antequam sint actu. Ita, aliud est *actualis impetratio* remissionis peccatorum, aliud illius *applicatio* ceu certò & infallibiliter futuræ; Illa in N. Test. demum contigit, sed ista jam obtinuit sub Vet. Test. Christus auferre debuit *meritoriè* peccata per satisfactionem, sed Deus ea jam abstulerat *efficaciter* à fidelibus V. Test. per remissionem.

XXIV. Si remissio peccatorum nemini obtigit sub V. T. per Sacrificia Levitica in suo esse absoluto, & sub σχέσει legali spectata; Non sequitur ideo non obtigisse Patribus per Sacrificium suo tempore offerendum, quod in illis sacrificiis significabatur, & obsignabatur. Nec si Paulus negat τελείωσιν potuisse dari per Legem, quæ umbram tantùm habuit futurorum bonorum Heb. 10: 1. continuò negat eam Patribus, qui sub Lege fuerunt, contigisse, non ex vi Legis, quæ infirma fuit in carne Rom. 8: 3. sed per gratiam & meritum Christi, cujus illi quoque erant compotes.

XXV. Quamvis Lex cæremonialis cum sacrificiis sæpius iteratis fuerit instar Chirographi, quod in σχέσει legali docebat, quales essent fideles naturâ suâ, & quid peccatum mereretur, inculcando jus violati fœderis Operum, ita ut fieret hoc respectu ἀνάμνησις peccatorum Heb. 10: 3. Hoc non obstitit tamen, quominus in σχέσει suâ Evangelicâ, ipsis adumbraverit expiationem peccatorum suorum futuram in sanguine Christi, & justificationem in eo obsignaverit, quò respectu Patribus ritè eam observantibus potuit esse loco apochæ, quâ pro se uterentur ad rationem Chirographi ipsis contrarii infirmandam; Ita dum ab una parte reatum exprobrabat peccatoribus, & mor-

Heb. 10: 3.

tem

tem debitam interminabatur ad terrorem iis incutiendum; Ex alterâ Mediatoris mortem adumbrabat, & obsignabat ejus gratiam ad consolationem piorum. Fuerunt ergo victimæ ἀνάμνησις non modò peccatorum, sed & remissionis peccatorum, monebant eos non modò quòd peccatores essent, ideoque digni morte ex σχέσει legali, sed etiam quod haberent remissionem peccatorum in Christo. QUÆST. XI.

XXVI. *Conscientia peccati* de qua Paulus loquitur Heb. 10: 2. non potest esse peccati, Patribus adhuc incumbentis, & arcentis eos ab omni communione Dei; hoc enim ne fieret, obstabat Sponsio Christi fide apprehensa; sed est conscientia peccati nondum actu expiati, nec expiabilis per sacrificia legalia, quæ ideo iterabantur, ut fideles testarentur, se iis quidem uti, ut symbolis à Deo institutis, sed veram remissionem non habere, nisi ex Sponsione Christi & futurâ ejus oblatione, ut quod Lex dare non poterat, id per gratiam Christi consequerentur. Ita non habuerunt quidem eam conscientiæ tranquillitatem, quæ oritur ex λύτρῳ à Sponsore plenè soluto, neque data fuit iis talis apocha, qualis est in suscitatione Christi ex mortuis. Sed habuerunt tamen, quantum ad conscientiam verè tranquillandam satis erat, in Sponsione Christi fide receptâ. Per eam enim certi esse poterant peccata omnia sua e rationibus suis expuncta, & in rationes Christi relata esse, qui ea quoque in se susceperat, & pro iis se debitorem luendæ pœnæ constituerat, & quidem ita ut ab omni obligatione personali immunes essent, nec ullo unquam tempore debitum ab iis exigi potuerit. Conscientia certè non potest acquiescere, nisi digno sacrificio sit actu expiata, vel certò expianda: sufficit illi, ut acquiescat, & tranquillitate fruatur, divina & ἀμεταμέλητος gratiæ Dei promissio, & Sponsoris sufficientissimi irrevocabilis substitutio in Dei judicio acceptata, sive solvendum sit adhuc λύτρον à Sponsore, sive jam sit solutum. *Heb.* 10: 2.

XXVII. Ad peccati remissionem, non necessaria est ejus actualis expiatio, sufficit ut sit promissa & certò futura; Fateor ubi agitur de solutione propriâ & personali debiti pecuniarii, non dari debiti expunctionem, nisi præstitâ solutione. Sed alia ratio est satisfactionis vicariæ in debito pœnali, in quo sponsio sola, modò sit infallibilis, sufficit ad liberationem Rei.

XXVIII. Aliud est peccatum nondum fuisse expiatum sub Veteri Testamento, Aliud fideles fuisse adhuc sub ejus reatu. Peccatum quidem adhuc extitit nondum expiatum, & expiandum; Sed fideles non fuerunt tamen sub ejus reatu, qui in Christum translatus fuit: Vixerunt ergo sub reatu adhuc extante, sed non sub reatu ipsis incumbente, sed in Christum translato ex Dei destinatione, & ab ipso in se suscepto, à quo proinde pii liberati fuêre. Et ut reatus non amplius tetigit fideles; Ita nec maledictio reatum consequens.

Im-

Quæst. X. Impetratio liberationis à maledictione Legis tantùm contigit per Christum, qui nos redemit ab execratione Legis factus ipse *κατάρα* Gal. 3: 13. Sed fructus & applicatio jam concessa fuit Patribus virtute mortis futuræ.

XXIX. Aliud est vivere sub œconomia Legali, Aliud verò esse sub Lege ut sub foedere, vel esse ex operibus Legis. Patres rectè dicuntur fuisse sub oeconomia Legali, sed non pariter possunt dici fuisse sub Lege ut sub foedere ad justitiam & vitam ex ea quærendam, vel esse ex operibus Legis. Quia quotquot hoc modo sunt sub Lege, sunt sub execratione Gal. 3: 10. quod dici non potest de fidelibus.

Is. 49: 8. *&* 61: 2. XXX. Tempus N. T. vocatur *tempus gratiæ* & *annus beneplaciti*, Isa. 49: 8. & 61: 2. non absolutè & simpliciter, quasi Patres fuerint sub irâ Dei, cùm sub eodem foedere gratiæ vixerint, & servati sint eadem Christi gratiâ nobiscum; Sed secundùm quid & comparatè, ratione clarioris, amplioris, & efficacioris manifestationis gratiæ, quia abrogatâ pædagogiâ legali, quæ rigidior erat, & sublato jugo *ἀβαςάκτῳ* Cæremoniarum, quo premebantur quoad externam dispensationem, gratiam & benevolentiam Dei in Christo longè luculentiùs experimur.

XXXI. Cùm Diabolus nullam potestatem habeat in hominem nisi ex peccato vel ratione *reatus* eum accusando coram Deo, vel ratione *dominii* eum tentando, & sub statu peccati detinendo, vel ratione *pœnarum* eum affligendo & torquendo, ex justitiæ Dei ultricis ordine: Non potest verè asseri Patres fuisse adhuc sub potestate Diaboli: Cùm & à reatu peccati liberati fuerint per justificationem, & ab ejus dominio per sanctificationem, & à poenis illud consequentibus per Christi redemptionem, & vim fœderis Gratiæ. Licèt verò peccatum nondum esset abolitum, id est, expiatum actuali expiatione per Christum, fuit tamen abolitum respectu credentium per Remissionem, ex vi translationis ejus in Sponsorem, & Satisfactionis per ipsum futuræ jam concessam. Unde licet potuerit fidelibus exprobrare peccatum suum, & tentare hoc scrupulo ipsorum conscientias, ut facit adhuc quotidie, non potuit tamen in ipsos propterea imperium obtinere, quia facilè potuerunt tentationem illam superare & accusationem repellere ex fide Redemptoris ipsis promissi, & gratiæ per ipsum obtinendæ. Quod ex illustri Josuæ totum po-
Zach. 3: 1. pulum repræsentantis exemplo colligi potest apud Zac. 3: 1. ubi dum Josuæ justificando adstitisse dicitur ad dextram Satan, ut ipsi adversaretur tanquam accusator, Filius Dei Redemptor noster verus Jehova pro eo potenter intercedit, ejusque causam agit adversus iniquum Accusatorem, imò acriter eum objurgat, nihilque juris in ipsum habere amplius docet propter Dei electionem & redemptionem, per quam factus sit, ut *titio ereptus ex igne* non modò captivitatis babylonicæ, sed & infernalis, cujus illa potuit esse typus, *Increpet te ô Satan, Dominus Jehova, qui Jerusalem elegit, nonne hic est*

est titio exceptus ex igne? Atque ita tantùm abest, ut ejus potestati in accusandis fidelibus Vet. Test. suffragata fuerit divina Justitia, ut gravissimam & Patris Judicis & Filii Sponsoris meruerit increpationem, ut optimè demonstrat R. & Celeber. *Leidekkerus* supra citato Libro, ad quem studiosum Lectorem remittimus, si quis voluerit penitiorem notitiam totius istius Controversiæ & cæterarum huc pertinentium assequi, quas Vir ille Doctissimus sigillatim & solidè pertractat. Quæst. X.

XXXII. Atque ex his, ne plura jam addamus, satis patet, quid sentiendum sit de statu Patrum Vet. Test., fuisse scilicet filios, ejusdem proinde Fœderis Gratiæ, & omnium ejus beneficiorum salutisque nobiscum participes; Sed filios adhuc minorennes, Gal. 4: 12. qui nec notitiam & sensum, nec usum plenum bonorum suorum habuerunt; sed qui duriter instar servorum sunt habiti sub pædagogià legali; Ut ita status ipsorum à nostro differat, non quoad rem ipsam, & doctrinæ salutaris essentiam, quæ utrobique eadem fuit, sed quoad gradum & diversum dispensationis modum. In qua simplicitate, quæ abundè ad salutem sufficit, acquiescendum nobis putamus; nihil ut opus sit ulteriùs se fatigare in enodandis variis quæstionibus minus necessariis, quæ hìc moveri solent, quæ pacis vinculum possunt abrumpere, & fratrum animos in contraria studia scindere, magno cum piorum offendiculo, & fidei detrimento.

QUÆSTIO XI.

De Limbo Patrum.

An Patres Vet. Test. post obitum statim recepti fuerint quoad animas in Cœlum? An verò in Limbum detrusi? Prius Aff. Post. Neg. contra Pontificios.

I. Quæstio hæc Nobis intercedit cum Pontificiis, qui ut faciliùs tueantur hypothesim suam de imperfectione Vet. Test., pertendunt Patres, qui sub illo vixerunt, non admissos fuisse statim in Cœlum; sed detentos in *Limbo* usque ad ascensionem Christi. *Limbi* autem nomine intelligunt superiorem inferni partem, & veluti extremitatem, ductà metaphora à veste, cujus extremitas seu fascia, quæ ambit partem extremam, vocatur *limbus* ut apud Virgil. Æneid. 4. *Status Quæstionis.*

Sidoniam picto chlamydem circumdata Limbo.

QUÆST. XL.

II. Pontificii quadruplicem faciunt *infernum*; *Primum* assignant pœnæ æternæ damni & sensus impiorum, qui κατ' ἐξοχὴν infernus illis dicitur. *Secundum* faciunt pœnæ temporalis damni & sensus, quem *Purgatorium* vocant. Duobus aliis commune nomen Limbi imposuerunt, æternum alterum asserunt ad pœnam meram damni, pro infantibus ante baptismum morientibus, quem *Limbum infantum* dicunt, alterum ad pœnam temporalem damni, pro Patribus mortuis ante Christi mortem, ipsis dictum *Limbum Patrum.* Sic Altenstaig. ad hanc vocem *Limbus*, *secundum Gersonem p. 2. in expos. 5. artic. fidei, est pars superior inferni, quâ detinebantur salvandi, quousque debitum primi Parentis per mortem Christi solveretur.* Vide Tho. in 4. sent. dist. 45. q. 2. art. 2. ad 2. Bell. Cont. 2. lib. 4. c. 11.

III. Orthodoxi contrà, Patres statim post obitum in cœlum quoad animas admissos asserunt, ubi fruuntur felicitate, & carent utroque pœnarum genere, tum damni, tum sensus.

Rationes contra Limbum 1. ex formula fœderis.

IV. Rationes sunt 1. Quia formula Fœderis Gratiæ, sub quo vixerunt Patres, non patitur eos in Limbum detrudi, sed postulat ut in Cœlum admissi sint. Cùm enim Deus promiserit se fore Deum ipsorum, non ad tempus tantum, sed in æternùm; nec sit Deus mortuorum sed viventium, necesse est ut Patres etiam post mortem adhuc vivant aliquâ saltem sui parte, id. quoad animam, non qualicunque vitâ, sed beatâ & cœlesti, quæ necessariò in hac promissione includitur, ut antea probatum fuit Q. 2. Quod Christus expressè tradit Luc. 20: 38. quum loquens de Patribus mortuis, πάντες αὐτῷ ζῶσι, *omnes illi vivunt* inquit, non tantùm in mente & potentia Dei, quia potest in vitam eos revocare, & hoc revera facturus est ex decreto suo; sed vivunt ipsi, quia sunt coram ipso semper, & vitâ divinâ fruuntur, quæ & *ab ipso* est ut principio, & *ad ipsum* terminatur ut objectum & finem. Quis dixerit autem Deo vivere eos, qui in infernum detrusi, carent Dei visione, & pœnam damni saltem temporalem sentiunt? (*Luc. 20: 38.*)

2. Ex exemplo Lazari. Luc. 16: 19. 20.

V. Secundò. Quia Veteres statim à morte admissi sunt in sinum Abrahæ, ut patet exemplo Lazari Luc. 16: 19. 20. Ergo & in gaudium cœleste. Nam *sinus Abrahæ* non aliò referri potest, quàm ad vitam æternam, quæ nobis sub Convivii opipari symbolo passim adumbratur, allusivè ad ritum Veterum in conviviis usitatum, in quibus solebant ita accumbere, ut alter in alterius sinum caput reclinaret, quod de Johanne dicitur Joh. 13. quia Christus accumbens in superiori parte lecti habuit Johannem proximum, qui proinde dicitur recubuisse in ejus sinu. Ita nihil proclivius est, quàm ut dicatur hìc Lazarum fuisse Abrahamo, quod Johannes Domino fuit, in cœlesti convivio, cùm præsertim Christus alibi apud Mat. 8: 11. hoc mysterium clarè explicet, quum ait, *multos ab Oriente & ab Occidente venturos & accubituros cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cælorum*, id. cum ipso cœlestibus epulis fruituros,

ac-

accumbere cum Abrahamo, & esse in sinu Abraham, idem sunt, nisi quod in sinu esse majoris amoris est indicium, quia non omnes in sinu accumbebant, ut benè notavit Maldonatus in h. l. Abrahami autem mentio fit potiùs, quam Jacobi, aut alius cujusdam beati; Tum quia Pater credentium fuit, cujus in sinum, id est, suavissimum complexum colliguntur, qui ejusdem cum eo fidei fructum percipiunt, sicut filii conveniunt in sinum Patris, quum ab ipso suaviter excipiuntur; tum etiam propter hospitalitatem, cujus fuit studiosissimus in vita, ut inhospitalitati divitis Epulonis opponatur ex adverso divitis Abrahami, sed boni divitis hospitalitas. QUÆST. XI.

VI. Unde patet frustra Bellarminum l. 4. c 11. velle sinum Abrahæ nihil aliud esse quàm Limbum, & Abrahami & Lazari animas cum anima Epulonis fuisse in eadem voragine, multùm quidem inter se distinctas, sed inter quas nihil solidi sit interdictum, sed tantùm μέγα χάσμα magnus hiatus. Nam positâ interpretatione nostrâ de accubitu in convivio cœlesti corruit hoc figmentum. Unde Mat. 10: 12. post mentionem illius accubitus, additur alios ejiciendos εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον *in tenebras exteriores*, similitudine à cœnâ solemni sumptâ, in qua intus laquearia luminibus collucent, sed extra nihil est nisi noctis caligo: ita quicquid extra regnum cœlorum est, ubi lux æterna fulget, tenebræ erunt. Deinde in sinu Abrahæ recipiuntur bona, & solatium datur Lazaro pro tormentis, quæ passus erat, sic *alternas malorum & bonorum vices amplâ retributione compensando*, ut ait Tertull. sed in Limbo nec hoc bonum habetur, nec ullus datur solatio locus; quia ibi est pœna damni, & exclusio à facie Dei. Tertiò si Abrahamus fuisset in inferis, quomodo dici posset, tam profundam fuisse abyssum, ut ab uno ad alium transitus dari non posset? Quomodo diceretur Lazarus ἀπενεχθεὶς in locum scilicet diversum ab inferis, ubi dicitur fuisse epulo. Quartò sententiæ nostræ favet ipsum Rituale Romanum Cap. de Funeribus, nam inter alia, quæ debet cantare Clerus, quum primum funus in Templum ducitur, *Suscipiat te Christus qui vocavit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.* Cæterùm totum hoc colloquium sive sit historia, sive parabola, sive historia parabolicè descripta, non κατὰ τὸ ῥητὸν & historicè, sed parabolicè est intelligendum, nec enim animabus lingua, loquela, & digiti possunt competere.

VII. Tertio, Quia Latro in paradisum admittitur ante ascensionem Christi juxta promissionem ejus Luc. 23: 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Nec hic dicendum, vel τὸ *hodie* construendum esse cum verbo præcedenti *Dico*, non cum sequenti *mecum eris*, ut sensus sit hodiè dico tibi, quòd eris mecum in paradiso, scilicet in ultimo judicio. Quia constructio verborum hoc non patitur, & frustra hoc apponeretur, quia nemo loquitur nisi tempore præsenti, & manifestum est Christum respicere ad verba Latronis, *Sis memor* *3. Ex Latrone Luc. 23: 43.*

 mei,

QUÆST. *cùm eris in regno tuo*, Vel paradisum esse limbum, ut vult *Maldonatus*,
XI. quia constat in Scriptura paradisum in cœlo collocari, tanquam locum deliciarum & felicitatis æternæ 2 Cor. 12: 2. 4. Apoc. 2: 7. Vel latronem hoc tantùm petiisse, ut Christus sui memor esset in paradiso, quia non absurdum est dicere Christum plura illi dedisse, quàm petierat, ut benignissimus Pater solet facere supra id quod petimus. Vel hoc esse peculiare privilegium Latronis, non commune cæteris; cùm fides & pœnitentia, quibus hoc datur à Christo, sit communis omnium verorum fidelium, unde Bell. lib. 1. de Beat. Sanct. c. 7. bene probat ex hoc loco, Sanctos statim à morte frui visione Dei.

4. Ex Enocho & Elia. Heb. 11: 5. 2 Reg. 2: 11. 2 Chron. 21: 12.

VIII. Quartò, Quia Enoch & Elias in coelum sunt translati Heb. 11: 5. & 2 Reg. 2: 11. Nam licet peculiare hoc ipsis fuerit, quòd *corpore* sint in coelum rapti, non singulare fuit quòd spiritu sint eò admissi, imò pignora fuerunt solennia piis gloriæ coelestis tandem obtinendæ. Nec si literæ quæ dicuntur ab ipso scriptæ ad Joramum 2 Chron. 21: 12. traditæ sunt Regi tantùm post mortem Eliæ, sequitur eas post raptum suum scripsisse. Aliud est post raptum scriptas esse. Aliud post raptum tantùm datas, Vanitas figmenti de translatione Enochi & Eliæ in paradisum terrestrem, & de eorum reditu ad debellandum Anti-Christum, alibi ostensa est P. I. Lo. 8. Qu. 7. Th. 9.

5. Ex solatio Veterum.

IX. Quintò, Quia fideles veteres expectarunt civitatem coelestem Heb. 11. & magnum solatium & certam spem gloriæ in morte habuerunt, quod fieri non potuisset, si in infernum adhuc detrudendi fuissent. Quomodo Jacob tanto studio se expectare salutem Domini testaretur Gen. 49. Et David se in manus Domini deponere spiritum suum Psalm. 31: 6. si procul debuerunt adhuc esse à facie Dei & glorificandi tantùm post multa secula? Nec dici potest Davidem sic vitæ perfectionem Deo commendasse, quia verba non alium sensum possunt obtinere ex stylo Scripturæ, quàm Deo animam tradere, ut patet exemplo S. Stephani Act. 7: 59.

Fontes Solutionum. Gen. 37: 35 & 42: 38.

X. Quæ de *sepulchro* & *morte* dicuntur Gen. 37: 35. & 42: 38. quòd Jacob descensurus sit cum moerore לשׁאול *in sepulchrum*, perperam trahuntur ad Limbum, שׁאול enim seu ᾅδης sepulchrum est, in quod homines per mortem descendunt.

Zach. 9: 11.

XI. *Cisterna sive aqua*, ex qua educendi fuerunt Veteres sanguine fœderis Zach. 9: 11. non debet trahi ad Limbum, cùm hoc partim de libertate à captivitate Babylonica & miseriis eam comitantibus, à quibus nondum plenè liberati erant Judæi, dicatur quoad literam, partim quoad mysterium de captivitate spirituali sub peccato, à qua Christus nos liberat sanguinis sui, in quo fœdus Gratiæ sancitum est, efficaciâ, ut omnium liberationum etiam temporalium fundamentum fuit.

1 Sam. 28: 13.

XII. Non fuit verus Sam. 28: 13. qui visus est Pythonissæ 1 Sam. 23: 13. sed.

ſed ejus tantùm ſpectrum, Dæmon ſcilicet Prophetæ perſonam mentiens, qui è terra prodiit ad terrendum Saulem, ut plerunque ipſe Satanas ſe transfigurat in Angelum lucis. Quippe nihil juris vel imperii competit Dæmonibus in piorum animas, quas Deus recepit in Tabernacula æterna, ut quieſcant à laboribus ſuis; aliàs deterior eſſet conditio eorum poſt mortem, quàm in vita, in quâ fide armatæ, tutæ ſunt ab omnibus Satanæ inſultibus. Adde quod, ſi verus fuiſſet Samuel non eſſet paſſus ſe adorari à Saule; Nec dici potuiſſet Deum Sauli ipſum conſulenti non reſpondiſſe, nec per Sacerdotes, nec per Prophetas, quia reſpondiſſet tunc per Prophetas. Nec quicquam eſt momenti pro errore, in nomine Samuelis, quod illi ſpectro datur, quia ſic dici potuit propter ſimilitudinem, ut ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines ſunt, ut Auguſt. fusè probat ad Simplicianum. Vel in eo quod futura prædixit, quia hoc potuit fieri ex divina revelatione, in pœnam hominum, ut idem Aug. & poſt eum Lyranus obſervat. QUÆST. XI.

XIII. Nemo dicitur aſcendiſſe in cœlum antequam Filius hominis deſcenderet de cœlo Joh. 3: 13. non quoad *aſcenſionem localem* ad beatificam viſionem, quia Enoch & Elias jam tranſlati fuerant etiam corpore, ſed quoad *aſcenſionem myſticam*, id. cognitionem rerum coeleſtium hominibus patefaciendarum. Ut Rom. 10: 6. 7. *aſcendere in cœlum*, eſt cognoſcere myſteria divina, & Prov. 30: 4. hoc ſenſu Joh. 1: 18. dicitur neminem vidiſſe unquam Deum, ſed Filium qui eſt in ſinu Patris eum nobis revelaſſe, & Matth. 11: 27. *Neminem cognoſcere Patrem, niſi Filium, & eum cui voluerit revelare.* *Joh. 3: 13.* *Rom 10: 6. 7.*

XIV. Via Sanctuarii ante aſcenſionem Chriſti nondum dicitur patefacta Heb. 9: 8. non quòd totaliter latuerit, ſed quòd non tam clarè fuerit patefacta. Ibant ergo Patres in coelum per Chriſtum in quem credebant, quia via eſt, quâ itur in cœlum, ſed qui nondum clarè erat cognitus, quia nondum venerat. Deinde non quibuſvis Gentibus, ſicut in N. Teſt. 3. Nondum erat patefacta λύτρῳ Chriſti actuali, quod nondum ſolutum erat, ſed tantùm quoad efficaciam meriti. 4. Non hic confertur tempus cum tempore, ſed potius Sacrificia Moſaica cum Sacrificio Chriſti, ut innuatur non potuiſſe nobis illa aperire coelum, quod uni ſanguini Chriſti conceſſum. 5. Si Chriſtus primus dicitur in coelum ingreſſus, hoc non ratione temporis intelligendum, ſed cauſalitatis, quia ingreſſus Chriſti vera fuit cauſa Patribus, non minùs ac nobis introitus in coelum. *Heb. 9: 8.*

XV. Φυλακὴ de qua Petrus 1ª. cap. 3: v. 19. agit, quum ait, *Chriſtum Spiritu ſuo profectum prædicaſſe Spiritibus*, τοῖς ἐν φυλακῇ, non poteſt notare Limbum Patrum. Quia loquimur de incredulis ἀπειθήσασί ποτε, qui olim *immorigeri* fuerunt, dum Chriſtus Spiritu ſuo Prophetico per Noachum illis poenitentiam prædicavit. Sed innuit carcerem infernalem, ut Apocal. 20: 7. in quo Petri tempore concluſi detinebantur propter *1 Pet. 3: 19.*

QUÆST. XI. rebellionem factam olim prædicationi Christi per Noachum, τοῖς ἐν φυλακῇ scilicet οὖσι, qui jam sunt in carcere, non qui olim fuerant.

XVI. Licet possit dici Veteres aliquod cognitionis & solatii incrementum recepisse post exhibitionem Christi in carne, & ascensionem ejus in cœlum,
Ephes. 3: 10. ut dicitur de Angelis Ephes. 3: 10. Non inde sequitur eos planè exclusos fuisse à cœlo & à visione faciei Dei; sed tantùm beatitudinem ipsorum nondum planè consummatam fuisse; quò quidam referunt ista Apostol. Hebr. 11: 40. *Deum prospexisse aliquid melius pro nobis, ne sine nobis perficerentur.* Atque eò videtur respexisse Calvinus per *speculam*, sive vigilandi actum, in quo dicit fuisse Patres ex desiderio Christi in 1 Pet. 3. non ut excludat eos à fruitione beatitudinis & visione Dei, sed ut desiderium & ἀποκαραδοκίαν adventus Christi notet, quò etiam respexisse dicuntur Angeli 1 Pet. 1: 12.

XVII. *Promissio* aliquando notat primum adventum Christi in carne promissum in Veteri Testamento, aliquando secundum in gloria promissum in Novo. Veteres mortui sunt, non *accepto promisso* suo Heb. 11: 39. nimirum de adventu priore Christi, qui nobis reservatus est χωρὶς αὐτῶν sine ipsis; sed fideles expectant adhuc ἐπαγγελίαν nim. reportandam in adventu posteriori Domini Heb. 10: 39. quàm & ipsi sunt accepturi; sed non sine nobis, quia quod nunc expectamus, id nobiscum cum illis commune erit; Ita κρεῖττόν τι *melius quid* nobis prospexit Deus ratione prioris adventus, quo soli gaudemus.

Heb. 11: 39.

QUÆSTIO XII.

An Fœdus Legale Sinaïticum, quod per Mosem cum Populo Israëlitico sancitum est in monte Sinaï, fuerit tertium aliquod Fœdus specie distinctum à Fœdere Naturæ & Gratiæ? Neg.

Sententiæ variæ de Fœdere Sinaïtico.

I. VAriæ hic sunt Theologorum sententiæ. Alii volunt Fœdus Sinaïticum fuisse fœdus Operum. Alii mixtum ex fœdere Operum, & fœdere Gratiæ; Alii propriè nec fuisse fœdus Naturæ, nec Gratiæ, sed tertium fœdus totâ specie ab utroque distinctum, quod ideo sit institutum ut famularetur fœderi Gratiæ, quodque eâ de causâ *subserviens* bene dicatur. Alii denique, ad quos accedimus, fuisse fœdus Gratiæ, sed cum Lege promulgatum, & sub illa latens, quòd modo inusitato terroris & servitutis sancitum sit, convenienter statui populi Israëlitici, & ætati Ecclesiæ illius temporis.

II.

QUÆST. XII.

Sententia Cameronis de Triplici Fœdere.

II. Sententiam de triplici fœdere primus inter Nostros videtur invexisse Vir Celeb. *Jo. Camero Thes.* de *Triplici Fœdere*, quam amplexus est, & operosè confirmare conatur Doctiss. *Amyraldus Disp. de Tribus Fœderibus*; quibus adstipulantur illi, qui eos sequuntur, qui tria dari volunt fœdera propriè dicta, quæ Deus cum homine contraxit. Primum *Naturale*, contractum cum Adamo integro in Paradiso terrestri. Secundum *Gratiæ* cum hominibus lapsis in Evangelio patefactum. Tertium *fœdus Legale*, quod cum Israëlitis in monte Sinai per Mosem sancitum est, quodque fœdus vetus, vel *subserviens* dicitur, quia hoc iniit Deus cum ipsis ad eos præparandos ad fœdus, & eos inflammandos desiderio Promissionis, & fœderis Evangelici, eosque simul velut injecto fræno à sceleribus reprimendos, ad illud usque tempus, quo Spiritum adoptionis missurus erat, & eos lege libertatis gubernaturus.

III. Talem autem volunt esse naturam Fœderis istius, ut in variis cum Fœdere naturæ & gratiæ conveniat, & differat; Cum Fœdere naturæ convenit. 1. ratione *partium contrahentium*, quia utrobique sunt Deus & homo. 2. ratione *stipulationis*, quæ utrique annexa est. 3. ratione *promissionis*, quæ eadem est genere. Differt 1. ratione *objecti*, quia fœdus naturæ cum omnibus hominibus initum, Legale cum solis Israëlitis. Illud cum homine integro, Istud cum parte generis humani lapsi. 2. ratione *promissionis*, quæ in primo fuit vita in paradiso terrestri peragenda, in isto verò vita beata in Canaan. 3. ratione *stipulationis*, Illud ad obedientiam debitam legi naturæ, Istud etiam ad cæremonias obligat. 4. ratione *fundamenti*, fœdus naturæ nititur creatione & generali conservatione, Legale verò electione populi Israëlitici, & liberatione ex Ægypto. 5. ratione *finis*. Illius finis fuit proprius exactio hominis officii, Istius verò præparatio ad Christum ex convictione impotentiæ hominis. 6. ratione *Mediatoris*. Illud eo caruit, Istud non potuit iniri sine Mediatore.

IV. Cum fœdere Gratiæ convenit 1. *Authore*, quia utriusque author est Deus. 2. *Objecto*, homine scilicet peccatore. 3. *Mediatore*, qui occurrit utrobique. 4. *fine*, utriusque finis est ostendere peccatum & ducere ad Christum. Differt 1. quoad σχέσιν *Authoris*, nam in legali Deus consideratur simpliciter quà peccatum coarguens, & solam justitiam probans, sed in Evangelico, ut peccatum condonans, & justitiam in homine renovans. 2. quoad *stipulationem*, nam illius est *fac hoc & vives*, Istius *crede & servaberis*. 3. quoad *Mediatorem*; qui in illo fuit Moses homo merus. In isto Christus θεάνθρωπος. 4. quoad *objectum*, Illius fuit homo peccato consopitus, Istius conscientia peccato territa. 5. quoad *effecta*, Illud generabat ad servitutem, Hoc ad libertatem, Illud ducebat ad Christum indirectè, Hoc directè. Illud erat συγγραφὴ adversus nos, Hoc σεισάχθεια. Illud, pec-

QUÆST. XII. à peccato cohibet, sed cum coactione, Hoc verò cum spontanea inclinatione. Vid. Camer. Thes. de Triplici Foedere.

Sententia communis Orthodoxorum de duplici fœdere.

V. Nos verò duo tantùm foedera specie inter se distincta agnoscimus, *Fœdus* scilicet *Operum*, quod vitam facientibus promittit, & *Fœdus Gratiæ*, quod salutem credentibus pollicetur. Et quamvis fateamur foedus Sinaïticum quoad modum dispensationis diversum fuisse ab utroque, quoad substantiam tamen & speciem tertium foedus constituisse negamus, nihilque aliud fuisse pertendimus, quàm novam foederis gratiæ oeconomiam, ut idem sit reipsà cum foedere cum Abrahamo inito, sed diversum quoad accidentia & circumstantias, vestitum scilicet quoad externam dispensationem formâ foederis operum, per duram Legis promulgationem, non quidem in eum finem, ut cum peccatore foedus Operum denuò exigeretur; hoc enim impossibile fuit; sed ut foederis operum violati recordatio, & quotidiana exprobratio fieret, adeoque Israëlitæ peccatum suum & maledictionem Dei sibi propterea imminentem sentirent, & Legalis justitiæ impossibilitatem agnoscerent, & ab ista spe depulsi, tantò ardentiùs Redemptionis justitiam sitirent, & ad Christum manuducerentur. Unde in eo mixtura fuit Legis & Evangelii, Illa ut terrorem incuteret peccatoribus, & duram populi σχληροτραχήλου cervicem premeret, Istud ut conscientias contritas & peccati sensu attonitas erigeret & solaretur.

Status Quæstionis.

VI. Non Quæritur, An diversa fuerit causa salutis in Vet. & N. Test., fatentur enim illi cum quibus nunc agimus, eandem fuisse utrobique, & non aliter Patres servatos esse, quàm per Christum. Non quæritur etiam, An diversitas multiplex occurrat inter foedus hoc Legale & Evangelicum quoad oeconomiam. Hoc enim ultrò agnoscimus, & supra evicimus. Sed quæritur, An diversitas fuerit essentialis, & talis, ut propterea novum foedus propriè dictum specie distinctum tam à foedere Naturæ, quàm Gratiæ dicendum sit, Quod illi vellent, Nos negamus.

Rationes contra triplex fœdus 1. ex Scriptura, quæ duo tantùm notat fœdera.

VII. Rationes sunt 1. Quia Scriptura duorum tantùm foederum meminit, nusquam autem trium. Nostrum autem non est distinguere ubi Scriptura non distinguit. Gal. 4: 24. sub allegoria Saræ & Agaris duo foedera notat Paulus, Legale quod ad servitutem generat; Evangelicum quod ad libertatem. Heb. 8. ex Jer. 31. duo foedera pariter recensentur, vetus quod violatum est & irritum factum, novum quod æternum est & immutabile. Et subinde Apost. instituit antithesim inter Legem operum, & Legem fidei, literam occidentem & Spiritum vivificantem, quod satis accuratè ab ipso non fieret, Si datur tertium aliquod foedus medium distinctum ab utroque.

2. ex modis obtinendæ felicitatis vel per opera, vel per fidem.

VIII. 2. Quia tot & non plura possunt esse foedera, quot sunt viæ & modi consequendæ felicitatis & communionis cum Deo, qui finis est proprius institutionis foederis. At duo sunt tantùm tales modi, vel per obedientiam propriam & inhærentem, vel per imputatam, vel per Opera,

vel

vel per Fidem. Prior per Legem, cujus clausula est, *fac hoc & vives*, posterior per Evangelium, cujus est vox *Crede & servaberis*, nec ulla media dari potest felicitatis via. Ergo frustra fingitur tertium fœdus, quod nec ad opera, nec ad fidem pertineat. QUÆST. XII.

IX. 1. Quia Fœdus Sinaïticum non aliud est à fœdere gratiæ antea cum Patribus inito: patet ex Deut. 7: 11. 12. ubi Moses Observationi Legis pollicetur observationem fœderis initi cum Patribus, & cap. 29: 10. 11. 12. 13. renovat fœdus in Horeb initum, ut sit Deus populi juxta juramentum factum Patribus Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quod clarissimè docet non alium in finem fœdus hoc Sinaïticum factum fuisse, quàm ad confirmationem fœderis præcedentis.

3. quia fœdus Sinaiticum fuit fœdus gratia. quod probatur 1. ex Deut. 7: 11. & 29. 10.

X. 2. Partes istius fœderis idem probant. Quia non alia hîc est clausula à parte Dei, quàm ea, quæ occurrit in fœdere gratiæ; paciscitur enim cum Israëlitis tanquam ipsorum Deus, itemque ut Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, Exod. 3: 6. Act. 3: 13. quæ est ipsa substantia fœderis gratiæ ex parte Dei, quæ in se totam communicationem Dei erga hominem peccatorem perficiendum & glorificandum complectitur Lev. 26. Jer. 31. Matt. 22. 2 Cor. 6. Hinc proponitur non tantùm ut Deus populi sui, sed etiam ut ejus *Redemptor* Exod. 20: 2. ut misericors *peccatorum condonator* Exod. 34: 6. 7. ut *Sanctificator*, qui pollicetur circumcisionem cordis Deut. 30: 6. 8. ut *Maritus fidelis*, qui maritalem curam populi sui gerebat Ezech. 16: 8. 9. Jer. 3: 14. Hos. 2: 20. ut *Pater benignus*, qui filios gignit, nutrit, & amore paterno fovet Deut. 32: 6. 8. 9. 10. Isa. 1: 2. 3. Hos. 11: 1. ut *Rex gratiosus*, qui Sanctuarium suum in medio populi collocare voluit ut *habitaret & ambularet cum eo*, Exod. 25: 8. & 29: 45. 46. Levit. 26: 11. 12. id. communionem coleret cum ipso, præsentia suâ gratiosâ illum dignando, ad directionem in angustiis, protectionem in periculis, benedictionem in miseriis, & consolationem in doloribus. Cùm verò tot & tanta bona à Deo non possint obtineri, nisi vi foederis gratiæ, Foedus Sinaïticum, in quo talem se exhibuit, non aliud fuisse à foedere gratiæ necesse est.

2. à parte Dei.

XI. 3. Quia Israëlitæ, qui fuerunt altera pars contrahens, non aliam relationem sustinebant, quàm quæ pertinet ad foedus gratiæ, dum spectabantur, tum antecedenter in se ut peccatores & mortis rei in statu miserrimo, qui describitur per virginem recens natam in sanguine suo jacentem Ezech. 16: 4. 5. 6. tum consequenter ex gratia, ut *semen Abrahæ*, cui promissiones in Christo erant factæ Gal. 3: 16. ut *populus Dei*, qui misericordiam est consecutus Hos. 2: 1. Rom. 9: 25. 1 Pet. 2: 10. ut סגלה & λαὸς περιούσιος populus peculii, Ex. 19: 5. id. Deo præ cæteris dilectus, quem ut proprium sibi vendicat, & quem magno studio curat & custodit instar thesauri rerum pretiosissimarum, Quas omnes σχέσεις ad foedus gratiæ pertinere per se patet.

3. à parte Israëlitarum.

QUÆST. XII. XII. Confirmatur ex eo quòd Israëlitæ cum quibus Deus paciscitur jam erant sub foedere Abrahamico, quod fuit foedus gratiæ, per illud puta servati in Christo. Ergo non potuerunt esse sub foedere Legali. Nemo enim simul potest duobus foederibus totâ specie distinctis subesse. Nec juvat quod dicitur Legale subserviisse foederi gratiæ, quia hoc potuit præstare ratione oeconomiæ, sed non ratione foederis, quod oppositum est & ἀσύστατον cum gratia.

4. à Circumstantiis fœderis. XIII. 4. Quia plurimæ sunt circumstantiæ in ista νομοθεσίᾳ merè Evangelicæ, ut quòd Moses prælecto libro foederis sanguinem victimarum sumpsit, quo populum conspersit additis his verbis, *hic est sanguis fœderis, quod Deus fecit vobiscum* Ex. 24: 8. quod mysterio non caruisse docet Apostolus Heb. 9: 20. ad designandum sanguinem aspersionis Heb. 12: 24. & aspersionem sanguinis Christi, tum supra *altare* ad satisfactionem justitiæ, & expiationem peccati, tum supra *populum* ad applicationem ejus meriti, remissionem peccati & justificationem. Cujus indubitatum argumentum fuit accessus Seniorum, qui totum populum repræsentabant, ad Deum v. 10. 11. quem non solùm *viderunt*, sed & *coram eo epulati sunt*, id. ad ejus communionem, quæ ipsis antea interdicta fuerat tam severè, admissi fuerint, & ejus bonis fruiti sint, quod non potuit fieri per foedus legale, quod peccatorem arcet, sed necessariò debuit fieri per Evangelium in virtute sanguinis Christi. Atque hic apprimè observanda duplex Legislationis ratio, quam Deus inire voluit; Prima terribilis, quæ Exod. 19. refertur, ubi cancelli ponuntur circa montem, & soli Mosi patet accessus ad Deum; Altera suavis, in qua sancitur foedus sanguine victimarum, & Seniores cum Mose in montem vocantur, ut conspectu & communione Dei fruantur Exod. 24. Illa σχέσιν habet legalem, Ista Evangelicam, quæ duæ σχέσεις in ista dispensatione semper conjunguntur, posterior potior est & principalis, prior verò accessoria & ministerialis.

Exod. 24: 8.

XIV. Huc pertinet, quòd Paulus Rom. 10: 6. 7. 8. describit justitiam fidei Evangelicam iisdem verbis, quibus Moses doctrinam in foedere Sinaïtico populo traditam expresserat Deut. 30: 11. 12. 14. Non tantùm allusivè & per μίμησιν transferendo & aptando justitiæ fidei, quod de legali dictum fuerat; sed propriè & per directam probationem, tum quia legis justitiam alio modo designaverat, quòd *qui fecerit hæc vivet in iis*, tum quia facilitas observationis Verbi istius, non pertinet ad Legem, quæ est litera mortua; sed ad Evangelium, cujus verbum non tantùm est imperativum, sed & operativum per vim Spiritus vivifici: ut hic verbum non tam Legis, quàm Evangelii intelligendum veniat, quò Deus ibidem veniam resipiscentibus, & circumcisionem cordis promittit; *Verbum*, scilicet, *fidei quod prædicamus*, ut ibidem Apostolus exponit. *Sed justitia fidei dicit, ne dicas in corde tuo, quis ascendet in cœlum? &c. non verbum est prope te in corde tuo, & in ore tuo,*

Deut. 30: 11. 12.

Rom. 10: 6. 7. 8.

tuo &c. id. tota salutis doctrina, quæ est *in corde* per fidem, *in ore* verò per confessionem: Quomodo verò hoc dicere potuisset Paulus, nisi agnovisset Fœdus istud, cujus vi tales promissiones dantur, non tam esse Legale quàm Evangelicum? QUÆST. XII.

XV. IV. Quia Lex cæremonialis, quæ facit partem istius fœderis, ostendit cuncta in hoc fœdere fuisse mystica, typica, repræsentativa & symbolica fœderis gratiæ, & omnium illius partium, quæ proinde sub illis continebantur, ut veritas sub figuris Col. 2: 17. Quod maximè apparuit in Sacrificiis, quæ non aliâ ratione, quàm ut typi Christi sacrificii, expiarunt peccata, unde Lev. 1: 9. 13. 17. *oblatio ignita* dicitur esse ריח ליהוה *in odorem quietis Jehovæ*, id. gratissimum, qui Deum peccatis provocatum quiescere faciat, & ipsum placet. Cum autem ista expiatio non potuerit fieri propria virtute victimarum, Hebr. 9: 9. 10. necesse est ut *per aliud*, nimir. per Christum præfiguratum facta sit. Nec juvat dicere cultum hunc pertinuisse ad externam puritatem, & immunitatem à pœnis temporalibus in foro soli. Quia licet hic usus fuerit cæremoniarum quatenus *absolute & in se* considerantur, alius debuit esse earum, quatenus se habebant, ut *figuræ* & *imagines*; sic enim se habuerunt tanquam instrumenta moralia, per quæ fide percepta fideles V. T. rem simul perciperent, ut illis tribuit Apostolus 1 Cor. 10: 2. 3. 4. *4. a Lege cæremoniali quæ tota typica fuit.*

XVI. V. Quia Fœderi Sinaïtico conjuncta sunt Sacramenta duo fœderis gratiæ initi jam cum Patribus, nimirum Circumcisio & Pascha, quæ usum suum obtinuerunt sub illa dispensatione usque ad Christum, & addita sunt tanquam sigilla ad obsignationem ejus Joh. 7: 22. 23. Deut. 16: 1. 2. *&c.* quod fieri non potuisset, si fuisset tertium foedus novum totâ specie à foedere gratiæ distinctum. Absurdum quippe est addere Sacramenta foederis gratiæ, alteri cuipiam foederi, sive dicatur operum, sive subserviens. *5. a Sacramentis V. T.*

XVII. VI. Si Foedus Sinaïticum fuit purè Legale, sequitur Deum per hoc Foedus derogasse foederi Abrahamico, quia foedus posterius derogat priori. Nec potuisset locus dari alteri foederi, si prius illud semper stetisset. At tantùm abest, ut derogaverit foederi priori, ut potiùs ad ejus confirmationem factum sit, unde Apostolus Gal. 3: 17. ostendit Legem datam quadringentis & triginta annis post promissionem datam Abrahamo, non potuisse illam irritam reddere, & additam tantùm fuisse propter transgressiones, donec veniret Semen, cui promissio facta fuerat v. 19. quod evincit Legem amandasse ad Christum, tanquam finem quem respiciebat, si non per se & naturâ suâ, saltem in intentione & consilio Legislatoris. Dicere foedus hoc subserviisse foederi gratiæ, est revera dicere non fuisse foedus, sed tantùm dispensationem: nam foedus propriè dictum habet vim obligandi per se partes contrahentes, nec aliò dirigitur. Si ergò aliò respiciebat *6. ab absurdo, quia sic derogaretur fœderi Abrahamico.*

QUÆST. XII. bat iſta diſpenſatio, ut revera reſpexit, argumentum eſt non fuiſſe fœdus diverſum ſpecie, ſed tantùm modum œconomiæ diverſum, tempori, loco, & ſtatui perſonarum accommodatum.

Fontes Solutionum. XVIII. *Fœdus Moſaicum* poteſt bifariam ſpectari, vel ſecundùm intentionem & ſcopum Dei & in ordine ad Chriſtum; vel ſeorſim & abſtractè ab illo: poſteriori modo realiter diſtinguitur à fœdere gratiæ, quia coincidit cum fœdere operum, & eo ſenſu vocatur litera occidens & miniſterium condemnationis, quum de ejus natura agitur 2 Cor. 3: 6. 7. Sed perperam hic abſtrahitur, quia conſiderandum ſemper eſt cum intentione Dei, quæ fuit, non ut vitam ex Lege habeat homo, velut peccator ſimpliciter damnetur, ſed ut ex agnitione miſeriæ ſuæ & propriæ imbecillitatis confugiat ad Chriſtum.

Jer. 31. XIX. Licet Foedus Sinaiticum & Legale opponatur apud Jer. c. 31. Foederi novo; non neceſſe eſt ut oppoſitio illa ſit quoad eſſentiam; Sed poteſt eſſe quoad accidentia, ſive diverſitatem oeconomiæ, ut homo ſibi opponitur, ut ſtans & ſedens. Nec ſi remiſſio promittitur ſub Novo Foedere, ſequitur ſub Veteri Patres eâ caruiſſe, non magis, quàm ex eo quòd Deus pollicetur, ſe Deum futurum fidelium ſub Novo Teſt. poteſt legitimè colligi non fuiſſe Deum Patrum; iſtæ enim promiſſiones non ſunt abſolutè & ſimpliciter intelligendæ; ſed ſecundùm quid & comparatè ratione majoris claritatis & efficaciæ. Deinde ſi oppoſitio ſpecifica urgetur, tunc ſpectatur Foedus, non in tota ſua latitudine; ſed tantùm quoad σχέσιν Legalem, & contradiſtinctè ad Evangelium; ut deſignetur quid Lex poſſit vel non poſſit præciſè & in ſe ſeparata ab Evangelio.

XX. Foedus Sinaiticum non fuit ſine Chriſto, quia Moſes de eo teſtatus eſt Joh. 5: 45. 46. Luc. 24: 44. Act. 3: 22. 23. & 26: 22. 23. 2. continetur implicitè ſub promiſſione peculii, regalis Sacerdotii, & nationis ſanctæ Ex. 19: 5. 6. collat. cum 1 Pet. 2: 9. 10. quia ſine Chriſto peccatores non poſſunt iſta privilegia obtinere, ut antea dictum. 3. in Præfatione Decalogi, ubi Deus proponitur, ut Deus populi, & Liberator ex Ægypto; quod nonniſi per Chriſtum fieri potuit. 4. in ſanctione foederis per ſanguinem victimarum, ſanguinem Chriſti adumbrantem. 5. in typis & umbris Legalibus, quæ non aliò præcipuè, quàm ad Chriſtum dirigebantur. 6. quia ſcopus præcipuus & anima Legis fuit Chriſtus, ſine quo, nihil aliud eſt quàm cadaver & litera occidens Rom. 10: 4. Gal. 3: 24.

Gal. 3: 12. XXI. *Lex* dicitur *non eſſe ex fide* Gal. 3: 12. non ut *latè* ſumitur & prout notat oeconomiam Moſaïcam, ſed *ſtrictè* quum ſumitur pro Lege morali abſtractè & ſeorſim à promiſſionibus gratiæ; quomodo illam intelligebant Juſtitiarii, qui vitam ex ea quærebant. Nam fidem etiam in foedere Sinaïtico præceptam fuiſſe evincitur. 1. Quia Chriſtus ejus objectum in eo continebatur. 2. quia non poteſt coli Deus, ut primo mandato re-

requiritur, sine fide, quæ purificat corda, quæ efficax est per charitatem, & quæ nos Deo gratos reddit. Act. 15. 9. Heb. 11. 6. 3. Quia fœdus Sinaïticum convincendo hominem peccati & impotentiæ suæ, impellebat ad quærendum Christum per fidem, per Legem quippe *Deus conclusit omnia sub peccatum, ut promissio per fidem Jesu Christi daretur omnibus credentibus* Gal. 3. 22. *& Lex pædagogus fuit noster ad Christum, ut per fidem justificaremur* v. 24. 4. Paulus Justitiam fidei describit Rom. 10. 6. 7. iisdem verbis quibus Moses Legis præcepta declaraverat Deuter. 30. 11. 12. 13. ut doceat non esse simpliciter legalia, sed etiam Evangelica. Nec si *fides* dicitur revelanda Gal. 3. 23. scili. *comparate* quoad clariorem manifestationem, sequitur non fuisse absolutè sub V. T. QUÆST. XII.

XXII. Discrimen specificum Fœderis non potest facere *diversitas conditionis* Lege & Evangelio expressæ, illius quidem in perfecta obedientia, istius verò in fide. Quia non requirebatur eodem modo, nec eundem in finem; fides enim in Christum postulabatur primariò, & præcipuè intendebatur; Sed obedientia perfecta sub pœna mortis & maledictionis tantùm subordinatè & relatè ad fidem & justitiam fidei, quia convincendo hominem peccati & impotentiæ suæ, cogebat ad quærendum remedium in Christo per fidem, ut jam dictum. Deinde duæ istæ conditiones proponuntur, quia necessariæ sunt ad peccatorum salutem; perfecta obedientia in Christo, ad implendum τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, sine qua non patiebatur justitia Dei vitam nobis dari; fides verò in nobis, ut perfecta obedientia & satisfactio Christi nobis applicaretur, & nostra fieret per imputationem; atque ita quod exigebatur à nobis in fœdere operum, impletur per Christum in fœdere gratiæ. Nec absurdum est hoc pacto justificationem fieri per opera & per fidem, per opera Christi, & per fidem nostram. Atque ita suavi harmonia Lex & Evangelium simul concurrunt in hoc fœdere; Lex non administratur sine Evangelio, nec Evangelium sine Lege, ut si veluti Legale Evangelium, & Lex Evangelica. Evangelium plenum obedientiâ, & Lex plena fide. Sic Evangelium non destruit Legem, sed eam stabilit Rom. 3. 31. dando nobis Christum, qui perfectè eam implevit. Et Lex non est contra Evangelium, cùm ad illud ut ad finem suum respiciat & nos manuducat.

XXIII. Licèt Moses Mediator possit utcunque dici in fœdere Sinaïtico, quia vices Internuntii gerebat stando inter Jehovam & Populum Deut. 5. 1. qui tamen Populum Deo reconciliare non potuit: Non sequitur fœdus illud, cujus Mediator dicitur, fuisse specie diversum à fœdere gratiæ, in quo talis reconciliatio obtinetur. Quia fuit tantùm typicus & externus Mediator, non primarius & verus, à quo solo, ejusque sponsione facta, & à Deo acceptata totam vim suam & efficaciam ad peccatorum reconciliationem, & eorum ab æterna maledictione liberationem & coelestis vitæ donationem habuit.

QUÆST. XII. Potuit quidem Moses, juxta σχέσιν internuncii quam sustinebat, suo modo fœdus quadantenus effectum dare, voluntatis partium interpretem agendo, ut interventu earum consensus fœdus ipsum iniretur. Sed non potuit ulteriùs reconciliationem per se instituere, quod pertinuit tantùm ad Christum, qui debuit esse εἰρηνοποιός.

XXIV. Cùm Promissio terræ Canaan data Populo non fuerit primaria & principalis, sed tantùm secundaria & minùs præcipua, addita per modum προσθήκης accessionis ad primariam de Deo futuro ipsius Deo, & quidem in pignus & symbolum Canaanis Cœlestis, cujus erat typus Heb. 4 ad quam Patres respiciebant Hebr. 11: 15. 16. Non potest nisi perperam ex diversitate istius promissionis ab ea, quæ nobis datur in Evangelio, colligi diversitas specifica foederis, sed tantùm diversitas dispensationis, quàm inferunt etiam alia discrimina, V. & N. T. quæ hîc afferuntur de Spiritu servitutis &c. de quibus suprà dictum est.

XXV. Aliud est loqui de Lege in se, quæ habuit speciem foederis operum, & lata est non in eum finem ut vivificaret, sed ut transgressiones exprobraret, confessionem debiti extorqueret, & ad Christum manuduceret. Aliud de ipso foedere Sinaitico, in quo Lex lata est, priori sensu Lex dicitur Chirographum nobis contrarium & ministerium condemnationis. 2. Cor. 3. Coloss. 2. Sed posteriori Foedus illud habuit λόγια ζῶντα, Act. 7. 38. & promissiones salutares gratiæ Christi continuit.

LOCUS DECIMUS TERTIUS DE PERSONA ET STATU CHRISTI.

QUÆSTIO PRIMA.

An Messias promissus jam venerit? Affir. contra Judæos.

I. CUM Christus sit Novi Testamenti Mediator, & causa ac fons omnium beneficiorum, quæ ex Foedere gratiæ ad nos dimanant: Doctrina de Foedere non poterit unquam ritè percipi, nisi cognito Christo. Cùm vero duo in ipso potissimum sint attendenda, *Persona*, & *Officium*, Primò de Persona dicendum, antequam ad Officium transeamus.

II. Quo faciliùs autem in Personam Christi inquiramus. Duæ Quæstiones præmittendæ sunt, Prima de *Adventu Messiæ* in Thesi, ex qua constabit Messiam, qui venturus erat, jam venisse. Secunda de ejus *Persona* in Hypothesi, seu Quis ille sit, ut sciamus non alium esse, quàm Jesum Nazarenum, Mariæ filium.

Prima Quæstio, de Adventu Messiæ.

III. Supponimus hîc quod apud omnes constat. Primò Messiam promissum fuisse statim post lapsum ab ipso mundi exordio, tanquam unicum salutis medium. Secundò licet ab initio promissus fuerit, non statim mittendum fuisse, sed post longum tantùm temporis intervallum, cujus dispensationis sapientissimæ multiplex potest ratio reddi, sive Christum ipsum respiciamus, sive homines ipsos. Primò *respectu Christi*, hoc faciebat ad ejus dignitatem, ut antequam veniret in mundum, varii Præcones ejus tanquam summi Principis adventum prænunciarent: *Quanto major Judex veniebat, tanto Præconum longior series præcedebat* August. tr. 31. in Joh. ut ita fides illi præstrueretur, & via præpararetur non modò variis typis, sed & concordibus Prophe-

qui promissus fuit ab initio.

sed non statim missus duplici causa.

tum respectu Christi.

Quæst. I. phetarum vaticiniis. 2. Longa tanti operis expectatio commendatius apud homines debuit reddere hoc beneficium, ut nativitas, quæ omnia miracula, & omnem intelligentiæ excessura erat mensuram, tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quantò prædicatio ejus antiquior & uberior præcesserat, ut ait Leo Ser. 3. In Nat. Christi.

tum respectu hominum. IV. *Respectu hominum* magnitudo mali hoc requirebat, ut conscientiæ de peccatorum multitudine & gravitate convictæ, & de naturæ impotentiâ, & mediorum omnium humanorum, quæ excogitari potuerunt inutilitate, necessitas remedii appareret, & æger agnitâ infirmitate suâ clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium, ut loquitur Aug. Reliquit Deus hominem ad longam suimet ipsius experientiam, ut videret, an qui malitiâ suâ ceciderat, posset se viribus suis erigere. Ideo passus est Deus toto illo ἀνοχῆς suæ tempore, crescere & quodammodo abundare peccatum, ut abundantia gratiæ eò illustrior foret. Noluit tamen Adventum istum differri usque ad finem seculi, ne per tam longas moras omnis Dei notitia & reverentia ex animis hominum evanesceret, & desperatio fidem absorberet: Adde quod distinguenda fuit dispensatio gratiæ & gloriæ, nec contiguum debuit esse Opus reparationis Perfectioni, sua cuique Operi ætas, & καιρὸς, seu tempestivitas fuit assignanda, nec adventus primus Christi cum secundo fuit confundendus.

Status Quæstionis. V. Quæritur hîc autem de primi Adventus Tempore, de quo non modò licet disquisitionem instituere, sed & necesse est ad fidei nostræ ἀσφάλειαν. Quâ de causâ Spiritus S. in V. T. indubitatis quibusdam notis illud signare voluit, ut fideles illum venientem agnoscerent, nec ullus incredulis suppeteret ignorantiæ prætextus ad eum recusandam. Nec audiendi sunt hodierni Rabbini, qui ut faciliùs se extricent ab argumentis, quibus invictè demonstramus ex Scriptura hoc tempus jamdiu præteriisse, hoc effugium quæsiverunt; Nullum certum adventui Messiæ præfinitum esse tempus in Scriptura, sed Deum id arcanum sibi soli reservasse, ut Messiam mittat quandocunque volet. Hinc fit, ut severè prohibeant, ne in tempus Messiæ inquiratur, & anathemate percutiant illum, qui Messiæ tempus computare voluerit in Thal. Col. Sanhed. cap. 11. *Inflata rumpantur ossa eorum, qui periodos temporum computant.* Quod sanè si ullum aliud desperatæ causæ est argumentum: Quis enim credat fieri posse, ut inter ipsos reperiantur, qui rem tam claram, tam constanter in populo ab omni retro ævo creditam, tam desideratam & expectatam, negare sustineant, nisi qui cæco mentis errore & præjudicio fascinati, spiritu contradictionis ita occupantur, ut nullum commentum tam alienum putent, quod mordicus non apprehendant, si modò longissimè abeat à sensu, qui Jesu nostro favere posse videtur?

VI.

VI. Quum verò de Tempore adventus Messiæ disputamus, notandum I. Nos non agere de tali Tempore, aut talibus ejus *indiciis & notis*, quæ nobis non cogitantibus in sensus incurrunt, quæque à nemine prorsus ignorari possunt, quales vellent Judæi, quæ, *Mathematica* vel *Physica* dici solent; verbi gratiâ Messias veniet Sole stante in meridie, vel Eclipsi Solis in plenilunio, vel monte Dei supra alios omnes montes elevato &c. Sed de notis temporis, quas *Historicas* vocant, quæ per facta & eventus cognosci possunt, & quæ tales sunt, ut cum attentione observari, & fide apprehendi debeant. II. Nos non id agere, ut probemus præcisum temporis istius articulum, puta annum, mensem, hebdomadam &c. qui constitutus sit à Deo, & quis ille fuerit; Nec enim opus est eò redigi. Sed tantùm ut ἐν πλάτει probemus, certum tempus adventui Messiæ præstitutum esse, idque tale, quod ex factis & eventibus luculentissimis dignosci possit; hoc enim nunc sufficit, postquam omnes isti eventus contigerunt. III. Nos non agere de notis qualibuscunque, quarum in Scriptura mentio fit, sed de iis quæ convincendis Iudæis serviunt, & quæ essentialem cum adventu Messiæ connexionem habent, adeo ut non existerent, nisi Messias venisset, & quia existunt, ideo Messiam venisse credendum sit. QUÆST. I.

VII. Ita Quæstionis Status redigitur ad hos terminos. An Messias promissus jam venerit; An verò sit adhuc venturus & à nobis expectandus. An Tempus istius adventus à Deo præfinitum, jam præterierit & elapsum sit; An verò nondum accesserit. Iudæi posterius magna cum pertinacia tuentur: Nos verò prius asserimus rationibus invictis nixi.

VIII. *Prima demonstratio* petitur à *Determinatione Temporis*, quo contingere debuit Messiæ adventus. Nam si tempus Messiæ adventui præstitutum jam diu venit, Messiam etiam jam venisse necesse est. At venisse jam, & præteriisse ex variis ejus characteribus clarissimè colligitur. Primus petitur ex oraculo Iacobi Gen. 49: 10. ubi adventus Messiæ conjungitur cum ablatione sceptri Iudaici. *Non auferetur*, inquit, *Sceptrum e Juda*, *nec Legislator de medio pedum ejus*, *usque dum veniat Schilo* &c. Unde ita argumentamur; Si non auferendum fuit Sceptrum è Iuda, donec venerit Schilo, qui est Messias, sequitur eum venisse certissimè, quia jam à longo tempore impletum est istud oraculum, & ablatum est Sceptrum Iudaicum, nec habent Iudæi ullos Principes. Ad argumenti confirmationem contra cavilla Iudæorum duo sunt probanda. 1. per Schilo hic Messiam intelligi. 2. agi de ablatione Dominii & authoritatis Politicæ Iudæorum.

1. Demonstratio de Adventu Messia petita a tempore

Gen. 49:10.

IX. *Schilo* non alius potest esse quàm Messias. Nam qualiscunque sit vocis origo & significatio, certum est non alium hic designari; Sive exponatur per ἀπεςαλμένον *mittendum*, ut Vulgata interpretatur, quasi legen-

QUÆST. I. dum esset שילוח, Sive per *filium ejus*, ut *Kimchi* exponit per בנו *filius ejus*, qui nascetur משליה ex *secundina* mulieris, more omnium qui nascuntur, vel ut deducatur ex Arabica lingua ubi שיל est *profluvium sanguinis*, donec veniat שלוה profluvium sanguinis ejus id. semen quod ex eo fluxerit, ut vult *Lud. de Dieu*. Sive deducatur vox à שלה quod est feliciter & prosperè agere; donec veniat *Sospitator*, vel *Pacificus* & quietus, ut *Oleaster*, *Avenarius*, & alii volunt. Sive vox composita dicatur ex ש quæ munus significat, & affixo לו id. *munus ei*, quia munera illi fuerunt afferenda ut R. S. I. pertendit. Sive denique exponatur per אשר לו *Cujus est* supple regnum, quæ sententia omnium commodissima videtur, & huic loco accommodatissima; ut sensus sit non auferendum regnum à Juda, donec veniat ille ad quem pertinet. Sic intellexerunt Parap. Onkel. & Jerosoly. *donec veniat Messias*, *cujus est regnum*, LXX. vertunt τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, vel ᾧ ἀπόκειται ut Justi. Irenæ. Tertul. & lux potest inferri huic loco ex Ezec. 21: 32. ubi agitur de Corona Jeconiæ, *Non erit hæc*, supple Corona, *donec venerit* אשר לו *cui est judicium*. Quomodocunque verò exponatur, optimè Messiæ applicari potest, maximè cum statim nota Messiæ subjiciatur, nimir. quod *ei erit obedientia*, vel *aggregatio populorum*, quod passim Messiæ tribuitur Gen. 22: Isa. 11: 10. Mich. 4: 1. series sermonis hoc etiam postulat. Nam ut Judæ prærogativam & dominium in fratres & filios patris sui tribuit, ita de Messia ex eo orituro dicit, quòd non modò fratres ejus cum sint adoraturi, sed etiam populi omnes ei sint obedituri.

X. Nulli potest alii convenire; Non *Mosi*, quia apud Judam nondum fuisset Regia potestas, nec potuisset à Juda ad Mosem transferri. Non *Sauli*, qui ungendus fuerit in Siloh, per quem sceptrum à Juda amotum & ad tribum Benjamin sit translatum. Nam 1. Saul non unctus fuit in Siloh, sed primò in Rama, solenniter renunciatus in Mitspa, & denuò confirmatus in Gilgal 1 Sam. 9: 10. & 11. 2. Ante Saulem nondum fuit sceptrum regium in Juda, imò nondum constitutum erat regnum in medio populi in certa aliqua tribu. 3. Saule regnante translatum est sceptrum ad Judam & Davidem, non ergo ablatum ab ipso. 4. Saulis non potuit esse vel *obedientia*, vel *expectatio* populorum. Non *Davidi*, in quo tribus Judæ prælatura, in Regiam dignitatem translata sit, quia non dicitur sceptrum transferendum, sed *auferendum*, nec ibi desiit sceptrum, ubi primùm incepit. Non *Jeroboamo*, qui coronandus fuerit in Silo; Quia unctus fuit in orbe Sichem, non in Silo 1 Reg. 12. nec tunc regnum amotum fuit à Juda, imò diu continuatum, & illi soli etiam veri Reges censebantur. Non *Nebucadnezari*, qui mittendus fuerit propter peccata populi ad ablationem regni, quia omnia Jacobi verba in hoc oraculo ad benedictionem Judæ referuntur; at illa transportatio erat pœna non benedictio. 2. falsum est tunc sceptrum fuisse amotum absolutè,

quia certum est multos ex primoribus in Babyloniam deportatos, & Judæos juxta suas Leges ex Regis consensu vixisse, & suum habuisse αἰχμαλωτάρχην ראש גלות *Caput* sive *Principem Captivitatis* ex Juda electum. Denique de Messia intelligendam esse vocem agnoscunt Judæi veteres, 1. Paraphr. Chald. Onkel. Jonat. Jeroso. *Donec veniat* משיחא מלכא *Rex Messias* 2. Thalmudistæ Cod. Sanhed. cap. 12. *Messiæ quid est nomen? Domus R. Schelah doceat. Schiloh nomen ejus, sicut scriptum est, donec veniat Schiloh.* 3. Rabbini, Rabba in Gen. *donec veniat Siloh id. Rex Messias*, idem habet Raschi, & R. Bechai. QUÆST. I.

XI. Secundò agi de ablatione Regni Judaici colligitur ex voce שבט, quæ hîc non ad aliud potest referri, quàm ad insigne Regium, *virgam* scilicet seu *sceptrum*, quod est Regiæ Majestatis symbolum; Unde LXX. vertunt ἄρχων, Aquila σκῆπτρον, Symmachus ἐξουσία. Perperam Judæi volunt notari hic *virgam castigationis*, ut Prov. 22:15. id *afflictionem*, & *oppressionem* ut sensus sit, *non desinent exactores affligere Israelem, donec veniat Messias, qui illos liberabit.* Sed contrà 1. talis virga intelligenda est, quæ competit מחוקק *Legislatori*, qui hic conjungitur, ut Regis est sceptrum habere, & leges ferre σκῆπτρόν δὲ τ' ἠδὲ θεμιστάς, ut Homer. loquitur Ili. β. At quid Legislatori cum virga oppressionis? 2. Patriarcha sic vaticinatus esset de pœnis Judæ, non benedictionibus, cujus contrarium patet ex verbis, *Juda laudabunt te fratres tui*, promittitur illi victoria, & honoris inter fratres prærogativa, leonis robur, & prædæ pacifica possessio; quomodo verò ista cum afflictionis prædictione stare possunt? adde quod cùm castigationis virga esse deberet omnibus tribubus communis, nulla erat ratio cur hic de sola tribu Judæ ageretur. 4. falsum est, nunquam cessasse oppressionem in illa tribu, cùm à Davide ad Sedeciam floruerit per multas generationes. 5. eadem verba occurrunt Zach. 10:11. יסור שבט quæ LXX. vertunt, σκῆπτρον Αἰγύπτου περιαιρεθήσεται, *sceptrum Ægypti auferetur.* 6. Repugnant Veteres Judæi, Onkel. *non deficiet*, שלטן *exercens dominatum*, Jonath. *non cessabunt Reges & Principes*, Hierosf. *non cessabunt Reges.* De principatu & Dominio explicant Thalm. Massech. Sanhed. pag. 5. Bereschit Rabba f. 110. Ramban. l. ult. Jad. c. 4. R. D. K. in voce שבט.

XII. Non sine ratione autem ablatio Regni Judaici assignatur pro charactere Adventus Messiæ; quia ἄρσις unius est θέσις alterius, ἀφαίρεσις regni Judaici, est regni Christi fundatio. Nam cùm Resp. Judaica propter Christum primario instituta esset ad conservandam tribum ex qua Messias oriundus erat, non potuit everti Respublica, nec confundi debuerunt Tribus usque ad Messiæ adventum. Adde quod cùm politia illa umbratilis foret & terrena, cui proinde promissiones non erant factæ, non potuit in perpetuum dubitare, sed debuit gloria ejus καταργεῖσθαι, & locum facere Regno Christi my-

QUÆST. I. mystico & æterno. Parum refert autem, sive particula עד כי *donec* sumatur *exclusive*, ut innuatur cessare debuisse sceptrum ante adventum Messiæ; vel *inclusive*, ut sensus sit, non cessaturum Imperium donec advenerit Messias, & eum venturum ante ablationem sceptri. Quia vis argumenti manet semper contra Judæos. Nam si verum est adventum Messiæ conjungi cum ablatione sceptri Judaïci, dubitari non potest eum venisse, cùm à tanto tempore remotum sit illud Sceptrum, Potestas omnis Judiciaria penitus ablata, Urbs excisa, & Populus dissipatus, quod fateri coguntur ipsi Judæi, R. D. K. in Hos. 3: 4. *Hi sunt dies exilii, in quo hodie sumus, nec Regem habemus, nec Principem ex Israele, in potestate siquidem Gentium sumus* &c. Menasse in Conciliat. ad Gen. 49. *Quam Pœnam nunc patimur*, ait, *sine Rege, sine Principe, sine regimine agentes.*

XIII. Nihil necesse est autem se fatigare in quærendo præciso temporis articulo, quô potestas ista Judaico populo ablata sit, modò constet, quod certissimum est, ablatam esse hodie, idque à multis retro seculis. Licet enim Chronologi de eo acriter inter se disceptent, & magna sit sententiarum discrepantia, dum alii in Pompeio, alii in Herode, alii in Vespasiano sceptrum ablatum pertendunt, alii quod longè latius, non unius momenti opus esse statuunt; Ut variis vicibus concussa Respublica in Pompeio & Herode, tandem sub Vespasiano sit eversa. Non opus est tamen intricatæ istius Quæstionis decisione ad argumentum nostrum contra Judæos firmandum; manet enim illi sua vis semper, ex eo quòd extra omnem controversiæ aleam positum est, Regimen omne Judæis à longo tempore ablatum esse, ut jam non dies sint, aut anni, sed secula ex quibus complementum suum sortitum est hoc Oraculum; Unde necessariò sequitur, vel falsum fuisse & mendax, quod vel impium est cogitare, vel Messiam jam venisse.

XIV. Nec audiendi Judæi, qui fabulantur Sceptrum adhuc manere in Babylonia in iis, qui populo illic præsunt, quod Menasse confirmare nititur ex Benjamine, qui refert se Bagdadæ oculis suis vidisse inter Israëlitas Principem quendam ex stirpe Davidis natum curru vectum inter populi acclamationes. Hæc enim vanissima sunt cerebri ipsorum figmenta, quæ sunt contra Rabbinorum supra citatorum sententiam, contra fidem omnium qui peregrinationes per universum orbem instituerunt, vel de illis scripsere, apud quos altum de Principibus istis silentium. Et si quid haberent veritatis, An credibile est vel per horam Iudæos reliquos per totum orbem dispersos in misera servitute quâ premuntur, mansuros? Unde Benjamini testimonium tanquam vanissimi fabularum confictoris, & à Doctiss. l'Empereur mendacii sæpe convicti, nullo apud nos esse loco debet. Quòd eò certius dici potest, quòd hodie confusis tribubus, impossibile sit certò scire, quinam sint ex tribu Iuda, quinam ex alia.

XV. Supereſt præcipua difficultas, quæ hîc movetur à Judæis, Non poſſe ſcilicet ex hoc loco colligi Meſſiam jam veniſſe, alias venire debuiſſe ante captivitatem Babylonicam, quia in ea Sceptrum à Judæis fuerit ablatum, nec unquam poſtea ipſis redditum. Ad cujus ſolutionem præmittimus I. Non poſſe ſemper aſſignari certa & indubitata temporum puncta, quibus perduret flos & gloria Regnorum, vel quibus excidant vel evertantur; quia ut Regnorum conſtitutio & dignitas non obtinetur ſimul & ſemel, ſed paulatim & ſucceſſivè: Ita declinatio & caſus non fit uno momento, nec modo aperto & ſenſibili, ſed gradatim & ſenſim ac ſine ſenſu, ut citiùs deprehendatur poſtquam contigit, quàm ut dum fit obſervetur. Ideo hoc non præcisè ad certum temporis momentum reſtringendum eſt, ſed debet ἐν πλάτει ſpectari in certa temporis latitudine. II. Aliud eſſe, Regiam ſtirpem, quæ jus habet regnandi, durare, Aliud Reges eſſe actu regnantes. Fieri enim poteſt, ut hoc abrogetur, altero manente, ut ſi Regnum ab aliquo occupetur tyrannicè, expulſis legitimis hæredibus, manet κτῆσις, ſublatâ χρήσει. III. Non neceſſe eſſe ad complementum oraculi, ut ſumma ſemper dignitas obtinuerit in tribu Judæ; ſufficere ad ejus veritatem ſalvandam, ſi aliquod regimen & principatus in ea viguerit, quia verba iſta *non recedet ſceptrum, nec Legiſlator* &c. ſumenda ſunt disjunctivè, non conjunctim, ut ſenſus ſit Judæos non fore privandos utroque, uſque dum venerit Schilo, ſed alterutrum ſemper retentum iri, ſi non Sceptrum, at Legiſlatoriam & judiciariam poteſtatem & νομοθεσίαν. IV. Non requiri etiam ut dominium ſemper obtinuerit continuâ & non interruptâ ſerie, ſatis eſſe ut denominatio ſemper fuerit; ut etſi Regnum Hiſpanicum tranſierit ad domum Auſtriacam, non deſinit vocari Corona Hiſpanica. QUÆST. I.

XVI. His poſitis dico continuationem Sceptri & Poteſtatis in Juda demonſtrari non obſcurè poſſe 1. à Davide uſque ad Captivitatem Babylonicam per 470. an. 2. in Captivitate, primò in *Jechonia*, cujus *caput extulit Evilmerodach, & thronum ejus antepoſuit aliorum Regnum ſoliis*, 2 Reg. 25:27. Secundò in *Daniele*, qui erat ex tribu Iudæ & ex ſanguine Regio Dan. 2:25. & 5:13. Tertiò in *Æcmalotarchis* qui in captivitate fuerunt, unde Ramban lib. ult. Iad. c. 4. *Æcmalotarchæ Regis locum obtinent, quia dicitur non auferetur ſceptrum* &c. R. Sal. in Sanhe. fol. 5. non auferetur ſceptrum, *Iſta ſunt Capita exilii, quæ gubernant populum indultu Regum Perſiæ.* 3. à Captivitate Babylonica, in Zorobabele, qui nepos Iechoniæ & Nehemia, quem ex tribu Iuda fuiſſe notat Euſeb. in Chro. p. 156. unde Nehemias, qui refertur ad Sacerdotes c. 10. 1. 6. alius debet eſſe ab iſto, ut conſtat ex Nehem. 7: 5. 7. duos fuiſſe Nehemias. 4. à Nehemia ad Herodem per annos 335. difficilior eſt probatio quia Scripturæ Canon deficit; ſed poteſt colligi tribus modis 1. quoad *Maccabæos.* Nam licet eſſent

QUÆST. I.

ex tribu Levi, non desinebat Regnum Judaicum vocari, quia ut Judæ tribus solùm rediit ex captivitate cum tribu Benjaminis, quæ fuit ejus accessio; Ideo Regnum & Respublica fuit in tribu Judæ, & qui præerant, ut ut ex alia tribu forent, quia tamen sceptrum acceperant à tribu Juda, & in ea, ejusque nomine illud gerebant, verè dici poterat sceptrum teneri à Juda, quia imperii majestas semper penes eam manebat, quomodo fuit penes Romam Hispanis, & Thracibus in Imperium electis. 2. In *Æchmalotarchis*, de quibus suprà. 3. in *Synedrio magno*, cujus magna semper fuit potestas, ut Josephus notat l. 14. c. 17. unde huic Senatorum collegio tribuitur thronus Regius Psalm. 122: 5. 2 Paral. 19:8. Præses appellatur נשיא, & in Judæorum libris passim vocatur נשיא, fuitque semper ex tribu Judæ, ut testatur Chronologia Judaica. Et cùm sola tribus Judæ cum accessione Benjaminis rediisset, dubium non est, quin ex hac tribu, majori saltem ex parte conflatum esset hoc Concilium, penes quod Regimen, donec à Romanis subactâ Judæâ, Potestas illa paulatim attrita est, & tandem penitus sublata. Sic *casus Reip. Judaicæ*, sub *tribus* hisce *gradibus* spectari potest, primo *sub Pompeio*, qui cœpit ann. 60. ante Christum, Secundo, quo promotus est a. C. 10. quum *Archelao* Viennam *relegato* Judæa in formam Provinciæ redacta est. Tertio quo consummatus fuit *sub Tito*, destructo Templo & Urbe dirutâ.

Secunda Demonstratio ex Septimanis Danielis. Dan 9: 24 25. &c.

XVII. Secunda Demonstratio deducitur ex *Septimanis Danielis*: Locus ita se habet Dan 9: 24. 25. 26. &c. *Septuaginta septimanæ decisæ sunt supra populum tuum, & super Civitatem sanctam, ad cohibendam defectionem, ad obsignanda peccata, ad expiandam iniquitatem, & adducendam justitiam seculorum, & ad obsignandam visionem & prophetiam & ad ungendum Sanctum Sanctorum. Igitur cognoscito & intelligito ab enunciatione verbi de reducendo populo, & de ædificandis Jerosolymis usque ad Messiam antecessorem, fore septimanas septem, deinde septimanas sexaginta duas* &c. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus* &c. Unde ita argumentamur. Si post septuaginta septimanas annorum id. post quadringentos & nonaginta annos à permissione reditus populi, Messias debuit manifestari & occidi ad opus Redemptionis procurandum, necesse est jamdiu venisse, quia jam ab hoc oraculo quater & amplius effluxêre. At verum prius ex verbis Prophetæ E. & Posterius.

XVIII. Ad argumenti elucidationem tria probanda sunt, 1. de Messia agi, 2. septimanas hic esse non dierum, sed annorum, 3. undecunque sumatur earum initium, Tempus hoc jamdiu effluxisse. His enim positis invictè adversus Judæos constabit Messiam jam venisse. Quoad prius agi de Messia patet 1. ex aperta ejus designatione, v. 25. quod nomen in hoc unico loco Christo absolute κατ' ἐξοχὴν tanquam proprium illi tribuitur, nec cuiquam sive Principi sive Sacerdoti tributum legitur, nisi cum adjectione aliqua,

qua, vel Domini, vel affixi, vel proprii nominis. 2. Messias vocatur נגיד id. *Princeps* & *Dux*, quod soli Christo competit, ut illi tribuitur Isa. 55:4. & Mich. 5:2. collato cum Matth. 2:6. vocat ergo ducem per excellentiam, quòd emineret supra alios omnes Reges & Sacerdotes. 3. Opera quæ hic peragenda dicuntur, tempore Messiæ, non ad alium possunt pertinere, quàm ad solum Christum, qualis est abolitio peccati, expiatio iniquitatis, adductio justitiæ perpetuæ, obsignatio Prophetiæ. 4. Judæi locum de Messia exponunt R. Saadia à Gaon. R. Nachmam Gerundensis, & alii, ut observat Menasse li. de Termino vitæ. 5. de Messia dicitur, quòd confirmaturus sit pactum in medio septimanæ, & excindendus sit, quod nulli nisi Christo competit.

QUÆST. I.

XIX. Futile est quod R. S. I. in Dan. 9. ait Messias esse plures, sed unum tantùm filium Davidis κατ' ἐξοχὴν, de quo locus intelligi non possit: sed de Cyro quidem, qui dicitur *Dei Pastor*, & *Messias* Is. 44:28. & 45:1. agi v. 25. de Herode Agrippa v. 26. de Arca verò aliisque Templi Ierosolymitani instrumentis v. 24. Nam 1. cùm uno & eodem loco de Messia ter absque ullius distinctionis indicio Scriptura loquatur, nulla ratio dari potest, cur plures hic sint fingendi, & excludatur ille, qui solus verus est, de quo solo in Danielis & afflicti populi solatium Spiritus S. voluit loqui. 2. Cyrus quidem vocatur *Unctus Dei* Is. 44:28. & 45. 1. ob singulare in Dei populum beneficium ad quod præstandum providentiâ Dei constitutus fuit; sed nemo dixerit eum fuisse principalem Israelitis Redemptorem, de quo tamen Daniel loquitur. Deinde loquitur de Messia venturo post septem & sexaginta duas septimanas, Cyrus autem ante primam septimanam mortuus est: hinc Aben Ezra & alii Rabbini hoc commentum rejiciunt. 3. non meliùs, quod dicitur v. 26. ad Herodem Agrippam refertur; nam præterquam quod absurdè fingitur Daniel in eodem loco producere alterum Messiam supra quingentos annos post priorem mortuum, ultimus iste Agrippa, qui in Trachonitide regnavit, nullam unquam Ierosolymis, vel in Iudæa habuit potestatem; tantùm abest ut eum quisquam Iudæorum Messiam somniârit. Nec nisi falsò dicitur ante urbem captam à Romanis cæsus; cùm ad finem usque vitæ cum iis amicissimè vixerit, & pro viribus Vespasianis in subjugandis Iudæis sit opitulatus. 4. Sanctus Sanctorum de quo agitur v. 24. non potest dici Arca vel Altare, quia est persona quæ ungi debuit. At Arca quidem sanguine quotannis conspergebatur, sed nunquam oleo dicitur uncta. Adde quod in 2° Templo Iudæi volunt defuisse Arcam & oleum unctionis; Ita non potest alii quam Christo nostro competere, qui non tantùm omnium sanctissimus, sed ipsa sanctitas Israëlis fuit, Luc. 1:35. Spiritu S. oleo lætitiæ supra consortes suos unctus.

Isa. 49:8.

XX. 11. *Septimanæ* de quibus agitur, non sunt *dierum*, sed *annorum*,

de

QUÆST. I. de quibus agitur Lev. 25: 8. ut septem anni in singulas hebdomadas computentur more Prophetico Ezech. 4: 6. & ratio est multiplex 1. quia 70. septimanæ dierum nimis angustæ forent, nec sesquiannum efficerent, quod parum congruit tam illustri vaticinio, nedum ejus complemento. 2. nihil contigit intra hoc spatium eorum quæ prædixit Angelus, nec Jerosolyma posset dici septem hebdomadibus ædificata, quod plurium tantùm annorum decursu contigit. 3. hic stylus est Propheticus Ezech. 4. Apoc. 12: 6. & 13: 5. alibi etiam eodem sensu sumitur Gen. 29: 27. & ubi hebdomadas dierum innuitur, additur vox dierum Dan. 10: 2. & Ezech. 45: 22. hic verò non fit mentio annorum; quia consultò Angelus loquitur obscuriùs, ut servet morem Prophetarum. Frustra verò hic Judæi vi veritatis pressi confugiunt ad *septimanas decenniorum*, vel *Jubilæorum*. Quia apud nullum probatum Authorem, nec in tota Scriptura fit ulla mentio talium septimanarum, sed tantùm vel dierum, vel annorum. Unde apparet gratis esse confictas. 2. Scopus Spiritus Sancti planè hic repugnat, qui est solari Danielem & populum magno mœrore confectos, ex adventu Messiæ propinquo post 70. septimanas; sed quàm frigidum fuisset hoc solatium, quod nonnisi post ter mille quingentos annos fuit venturum. 3. Daniel ponit Messiæ adventum ante Urbis & Templi ruinam, imò calamitatem illam subjungit ut consequens morti Messiæ, ut tanti facinoris meritissimam pœnam. Sed fabulatores isti Messiæ adventum ter mille annis postponunt Urbis excidio.

XXI. Scopus ergo Dei fuit solari populum in durissima captivitate, & fidem ejus confirmare, non tantùm finem ejus designando; sed & longè excellentiorem Redemptionem pollicendo, quæ post longius temporis intervallum, non 70. annorum, sed 70. septimanarum annorum erat revelanda, ut ita gratia Dei conferatur cum ejus judicio, & 70. hebdomades annorum cum 70. annis, quibus Judæi pœnam pertulerunt. Et sic respondet Angelus orationi Danielis, qui de fine 70. annorum locutus fuerat, q. d. Tu de termino captivitatis & fine septuaginta annorum locutus es: Ego verò non modò liberationem istam temporalem instantem tibi nuncio, sed longè excellentiorem polliceor post 70. septimanas annorum. Ut ita misericordia Dei superet septuplò Judicium suum, & magnitudo gratiæ absorbeat magnitudinem calamitatis. Nam post complementum septuaginta istorum annorum proximè futurum, præfinitæ sunt à Deo septuaginta septimanæ, non dierum, sed annorum, quadringenti scilicet nonaginta anni Populi & Urbis durationi: Intra quos venturus est Messias Dominus, qui peccata per mortem expiabit & abolebit, Justitiam Evangelicam, quæ in æternùm permanet, stabiliet, Prophetias implebit & finiet, visionem obsignabit, & ipse Sanctissimus consecrabitur per unctionem Spiritus S. quem ἀμέτρως accepturus est in Regem æternum & Caput Ecclesiæ suæ.

XXII. III. De initio & fine Septimanarum magno animorum æstu inter se certant Interpretes, nec facilis est conciliatio; sed non necesse est ut nos torqueamus in enodandis gravissimis illis difficultatibus; absque eo enim invictum manet semper adversus Iudæos argumentum. Undecunque enim sumatur initium illarum; Sive ab anno primo Cyri, quo Iudæi libertatem habuerunt redeundi, & urbem ædificandi; ut *Beroaldus* & *Calvinus* volunt ex Es. 1:1. Sive ab anno secundo Darii nothi ex Es. 6. ut *Scaliger*, *Junius*, *Calvisius*, &c. Sive à septimo Artaxerxis Longimani, de quo Esr. 7:1.13.14. &c. ut pertendunt *Capellus*, *Bullingerus*, *Helvicus*, & alii. Vel à vigesimo ex Neh. 2:1. ut *Julius Africanus*, *Torniellus*, *Usserius*, Sive aliunde; Nos enim litem hanc nostram nunc quidem non facimus, & liberum relinquimus Iudæis, quamcunque voluerint sententiam sequi. Undecunque verò initium istarum septimanarum ducatur, pertendimus, quod sole meridiano clarius est, eas jam diu præteriisse; Nec hic annorum aliquot, vel seculi discrimen intercedit, sed plurium seculorum. Remotâ ergò à cardine Controversiæ nostræ, quæstione Chronologicâ; hoc tanquam certum & indubitatum retinendum est, Initium ponendum esse in promulgatâ populo per Edicta Regum Persiæ redeundi & ædificandi urbem libertate; finem verò in Urbis excidio & Populi extrema desolatione. Intra quos terminos evenire necesse fuit omnia quæ hic prædicuntur, tum adventum Messiæ, tum Urbem, & ejus restaurationem & ultimum casum spectantia, quæ jam à longo tempore contigisse res ipsa clamat. QUÆST. I.

XXIII. Nec malè hic quidam censent, scrupulosè non debere initium & finem istarum Septimanarum ad certum punctum vel temporis articulum restringi; sed ἐν πλάτει & cum quadam latitudine hæc intelligenda esse, ut quatuor Edicta, quæ data sunt successivè pro reductione Populi ex captivitate & Urbis restauratione complexim sumantur & loco unius censeantur; utpote cùm posteriora sint veluti interpretamenta, & ut vulgò dicunt, ampliamenta prioris, ut nostra ætas est idem experta in diversis Edictis Religionis ergo factis. Non itaque sunt animi cruciandi inutili labore, quærendo punctum aliquod indivisibile, in quo hæc impleta sint; cùm non in puncto hærere nos Deus velit, sed rerum ipsarum gestarum momenta & corpora respicere. Ut ergo hic varia simul complecti voluit, quæ aliquam inter se connexionem habent, ut uno veluti intuitu menti nostræ obversentur, Messiæ scilicet adventum & mortem, Urbis obsidionem, & excidium, Templi destructionem, & cultus Iudaïci abrogationem, Populi angustias & desolationem, aliquam temporis latitudinem necessariò postulant, intra quam implenda fuerunt. Ut quæcunque hic prædicuntur à solutâ captivitate, & restitutâ civitate ad ejusdem ruinam & excidium, intra septuaginta istarum Septimanarum terminum debuerint contingere.

QUÆST. I. XXIV. Judæi, qui miserè se torquent in declinando isto argumento, confugiunt ad distinctionem prædictionis absolutæ & hypotheticæ, *ut prædictio Danielis de adventu Messiæ sit hypothetica, si modo populus peccatis suis ejus adventum non retardaret, per populi autem peccata stetisse, quod tempore à Daniele prænuntiato non venerit.* Sed gratis hoc fingitur, nec ulla cujusquam conditionis in hoc Oraculo, vel apud Danielem, vel alibi tenuissima est subindicatio. 2. Messiæ adventus ex merâ gratiâ & misericordiâ Dei fluxit, & primarius ejus scopus fuit peccatorum populi abolitio, unde nihil eum à parte hominum potuit remorari, & minime omnium peccatum, cùm adventus ille removendo & destruendo peccato unicè a Deo destinatus fuerit. 3. Si peccatum aliquod retardavit Messiæ adventum, debuit gravius esse aliis quibuscunque, quæ antea admissa fuerant; sed nullum aliud delictum peculiare ab iis admissum legimus, quod prioribus eorum sceleribus supereminuerit, si reatum crucifixionis Messiæ excipias, quem illi negant peccatum fuisse. Sub Templo priori idololatria, homicidia, adulteria, & omne genus gravissimorum peccatorum grassabantur in populo, testib. s Prophetis, quibus non obstantibus promissio de Messiæ adventu facta est. At post tempus Messiæ adventui præfinitum idololatria inter eos cessavit, & ex aliis sceleribus præter obstinatam incredulitatem, quam ipsi non agnoscunt, nemo ipsis imputat quicquam supra præcedentia peccata. Unde ratio hinc peti non potest istius dilationis.

XXV. Nec cavillatio Judæorum hîc locum habere potest, *quod reverâ propter peccata sua patiantur exilium durum & diuturnum, sed quod finem tandem habiturum sit, non secus ac captivitas Babylonica.* Nam quæ tandem comparatio esse potest inter captivitatem Babylonicam & tristissimam Judæorum dispersionem hodiernam? Quid exilium 70. annorum commune habet cum exilio 16. seculorum? In illo spes erat restitutionis, & designatio finis; Hic verò nihil tale. Tunc stabat adhuc corpus Gentis, quæ suis Legibus utebatur; Nunc sub alienâ potestate & legibus vivunt; Tunc Tribus adhuc distinctæ & familiæ Sacerdotales & Regiæ interstinguebantur. Nunc omnia inter eos confusa & perturbata, ut nulla vel Politiæ vel Ecclesiæ facies appareat, sed horribile maledictionis divinæ in reliquias istas miserè palantes exemplum.

Tertia demonstratio à Templi secundi gloria. XXVI. Tertia demonstratio petitur à *Templi secundi Gloria*, quo adhuc stante debuit Messias venire. Prærogativa enim Templi secundi in eo ponitur, quod Messias Princeps Pacis illud præsentiâ suâ esset cohonestaturus. Cùm verò Templum secundum dudum destructum sit, argumentum est certissimum Messiam jam à longo tempore venisse. Character iste colligitur ex Oraculo duplici Aggæi, & Malachiæ, ubi clarè adstruitur, Aggæ. c. 2. v. 6. 7.

Agg. 2: 6. 7. *Adhuc pusillum, & ego tremere faciam cælos & terram, mare & aridam,*

&

& tremere faciam omnes gentes, & veniet desiderium omnium gentium: & implebo domum hanc gloriâ, dixit Dominus, & v. 9. *magna erit gloria domus hujus novissima, plus quàm prima*, Mal. c. 3: 1. idem confirmat, *Ecce ego mittens Angelum meum, & praeparabit viam coram facie mea, & statim veniet ad Templum suum Dominator quem quaeritis, Angelus Foederis quem vos desideratis.* Unde sic argumentamur, Non destruetur Templum secundum, donec venerit Messias. Ergo certa nota est venisse Messiam, quando Templum illud destructum est. Nam in priore loco dicitur brevi venturus, postquam templum quod Haggaeo prophetante inchoabatur extructum esset, & tunc Templum majori gloria repletum iri, quam prius. In secundo dicitur statim venturus in Templum suum, illud scilicet quod Malachiâ vaticinante exstructum erat. Quomodo verò statim venturus posset dici, si non erat venturus, nisi post aliquot annorum millia? QUAEST. I. Malac. 3: 1.

XXVII. Utrobique autem agi de Messia clarum est, 1. apud Malachiam, quia agitur de eo qui mittendus fuit, & venturus in Templum suum, tanquam Dominus, & Angelus Foederis, qui praecursorem habiturus sit Eliam, & qui quaerebatur & expectabatur. At cui tandem nisi Messiae ista competere possunt? Nec Judaei ipsi doctiores diffitentur, ut R. D. K. *Aben Ezra, Maimonides*, qui ad Messiam referunt. 2. Ita apud Aggaeum quod dicitur de commotione Coeli & Terrae, & omnium Gentium, ut veniant ad desiderium suum, non aliò potest referri, sive per *desiderium gentium* designentur *desiderati ex gentibus*, id. quotquot ex gentibus eligendi erant & vocandi ad Christum, ut respondeat Oraculo Jacobi, qui aggregationem populorum futuram ad ipsum dixit, sive quod convenientius videtur Messias ipse intelligatur, qui, longè verius Daniele, est *Vir desideriorum* ἐπιπόθητος *totus desiderabilis*, quem fideles ardenti desiderio optabant. Deinde quod addit de gloria majore Templi secundi huc pertinet, quia non aliunde hoc proficisci potuit, quàm à praesentia Domini domus, qui pacem allaturus erat, non corpoream, quâ non leguntur gavisi multùm Judaei sub Templo secundo, ut ipsi fatentur, sed spiritualem & coelestem, quam Messias *Princeps pacis* debuit afferre, & quam Angeli nunciant Luc. 2: 14.

XXVIII. Frustrà verò Judaei *gloriam majorem istius domus secundae referre vellent ad res externas, quae istam domum conspicuam reddiderint; vel ad durationem, quia secunda stare debuerit* 420. *annis, id est, decennio plus quàm prima, vel ad splendida munera, quae Darius, Artaxerxes, & alii Principes contulerunt ad Templi exstructionem & sacrificia, vel ad additamenta Herodis, qui Templum gloriosius exstruxerit, ut vult Josephus, vel saltem exornârit juxta Hegesippum.* Frustra inquam hoc affertur. 1. quia tales res externae & leves non fundant gloriam Domus Dei, nec Deus de rebus tam levibus tam augustè & magnificè loqueretur, ut propterea se commotu-

QUÆST. I. rum cœlum & terram & mirabilia facturum diceret. 2. Deus disertè profitetur se nolle gloriam illam in rebus istis caducis collocare, dum ait, *meum est argentum, meum est aurum* q. d. ornare possem si vellem Templum hoc auro & argento, ut ornatum fuit Templum Salomonis, penes me enim omne est aurum *&c.* ut Ps. 50: 9. 10. 12. sed ornabo te longe pretiosiori, nempe Filii mei præsentiâ, qui est gloria Israëlis. 3. Qualiacunque additamenta vel ornamenta facta fuerint ab Herode in Templo, non potuerunt unquam æquare, multò minus superare gloriam Salomonici, quod conspicuum reddebant præ cæteris ista quinque potissima Templi decora, quæ in secundo defuisse fatentur Judæi, Arca Fœderis, Ignis continuus, Oleum Sanctum, Spiritus Prophetiæ, & Schekina, seu Præsentia Dei in Propitiatorio.

XXIX. Nec melioris est commatis quod addunt de *tertio Templo extruendo, cui ista competunt.* Quia de Templo illo agitur, quod videbant Judæi, quod vocatur הבית הזה *domus ista*, aliàs nihil inde solatii accedere potuisset Zerobabeli & sociis Templum ædificantibus, quos tamen hoc argumento erigere vult Dominus, quòd domus ista gloriâ majore implenda esset. Nec si Herodes dicitur restaurasse domum istam, propterea censendus est novam planè ædificasse; eadem enim cum Templo Zorobabelis semper reputatur. Deinde frustra fingitur Templum de novo erigendum, cùm ita excisum sit, ut nulla spes restaurationis reliqua facta sit, & qui sub Adriano vel Juliano hoc tentarunt, irrito conatu hoc aggressi sunt, & cœlitus sint prohibiti.

Quarta Demonstratio ex Signis.

XXX. Quarta demonstratio desumitur ex *Signis*, quæ adventum Messiæ comitari debuerunt, respectu *Judæorum*, Reipublicæ & politiæ Judaicæ casus, & Populi rejectio. Respectu *Mundi* falsorum Oraculorum finis, Respectu *Ecclesiæ* Vocatio Gentium. Quæ omnia cùm jam diu impleta sint, Messiam etiam venisse necesse est. 1. resp. *Judæorum* signum fuit *Casus Reip.*

1. Respectu Judæorum Casus Reip.

Cùm enim Messias à Judæis oriundus esset, non potuit destrui Resp. ante ejus adventum. Constat enim Messiam venire debuisse ad *Populum* illum, in *Tribus* ac familias suas distinctum, ad *Terram* illam, & ad *Templum* in quo quotidiano cultu expectabatur. Iam verò cùm à multis seculis Respublica jam dissipata sit, & populus miserè dispersus per omnes mundi partes, patriâ & terrâ suâ pulsus, politiâ omni eversâ, Urbe solo æquatâ, Sacris abolitis, Templò destructò, Tribubus omnibus confusis, sine ullâ spe reditus, non à 70. tantùm annis, qui fuit terminus captivitatis Babylonicæ, nec à ducentis, quibus duravit servitus Ægyptiaca, sed à mille & sexcentis & ampliùs. Quid aliud ista omnia clamant, nisi Messiam jam venisse, nec ulteriùs esse expectandum? Quæ si à misera gente attentiùs pensitarentur, satis vel ex seipsis, suoque statu errorem & perfidiam suam agnoscerent. Quam enim aliam causam afferre possent? Cur tot seculis adeo neglecti, tam duris fatis exerciti, tam latè sparsi ac exules, toti generi humano triste adeo lud-

dibrium

brium debeant? cùm tam anxiè Messiam suum expectent, & quotidianis votis ac precibus fatigent; nec adeo idolorum cultu, aliisve gentium peccatis fœdi sint ac Majores ipsorum. Profectò aliam causam subesse necesse est, quæ populum hunc Deo olim perdilectum, miserè adeò errare sinat; quæ alia non potest esse, quàm veri Messiæ impia rejectio & nefanda cædes, & à verâ fide apostasia, in qua ad hodiernum usque diem perseverat. Nec hic audiendi Judæi, qui communiter excipiunt hunc adventum differri propter peccata, tum sua, tum Patrum, quæ sub utraque domo commiserunt. Quia cùm hîc agatur non de uno vel altero Oraculo, sed de constanti Prophetarum & Prophetiarum fide, nulla ejus certitudo superesset, si in hoc capite, à quo reliqua omnia dependent, non præstetur. Deinde si quid olim promisit populo suo, non legitur ob peccata illius unquam intermisisse, ut ex liberatione ex Ægypto & Babylone constat, quam Deus præcisè tempore præstituto implevit, licet populus non minùs peccatis esset onustus ac nunc. Cur ergo idem in palmaria ista promissione, in qua totius gentis bonum situm fuit, non factum dicetur; Cùm tamen ultra 16. secula jam dilata sit tanti promissi impletio, nec ulla ejus implendi spes supersit? Tertiò, si propter peccata populi Messiæ adventus differtur; Ergo nunquam venturus est, cùm nunquam ab omni scelere liber sit futurus; sed tantùm abest, ut peccata illius adventum morari & impedire debeant, ut potius debeant illum accelerare, cùm ad ea tollenda veniat.

QUÆST. I.

XXXI. Respectu *Mundi* Oraculorum falsorum, & *Idololatriæ Paganæ destructio*, quæ destruenda esse Messiæ tempore Prophetæ non semel prædixerant Isa. 2: 18. 20. Zach. 13: 2. Oracula cessasse adventu Christi, historiæ profanæ non dissimulant. Hinc Tiberii tempore natæ quæstiones, Cur obmutuissent Oracula, Cur Dæmones, ut antea, non operarentur, & adeo repentina & mirabilis fuit illa mutatio, ut adversariis ipsis Christiani nominis fuerit formidabilis & stupenda. Porphyrius queritur Deos iratos, ex quo Iesus venit nihil respondere. Cicero l. 2. de Divi. testatur temporibus suis Oracula defecisse, & causam absurdè refert in loci vetustatem, ex quo anhelitus fiebat, quo Pythia mente incitata edebat oracula. Plutarch. qui vixit Trajani tempore id. centum post Christum annis tractatum edidit de *Oraculorum defectu*, refert Epithersen Echinades insulas prætemavigantem audivisse vocem nunciantem, *magnum Pan mortuum esse*, tempore scilicet Tiberii quo Christus crucifixus est. Et sub Augusto Oraculum Appollinis illi consulenti, quis post eum regnaturus esset, respondisse fertur, *Me puer Hebræus divis beatis imperans, jubet has ædes relinquere & statim in orcum abire.*

2. Resp. Mundi Idololatriæ destructio.

XXXII. Quintum Argumentum suppeditant *Confessiones* ipsæ Iudæorum. Inter quas celebris est *Traditio Domus Eliæ*, de qua Codi. Sanhed. Dist. Chelek, quæ mundi tempora in tres periodos distribuit, omnemque ejus dura-

Quinta Demonstratio ex Confessionibus Adversariorum.

QUÆST. I.

rationem sex annorum millibus concludit, ac postremos bis mille annos Messiæ regno tribuit, *bis mille Inanitas, bis mille Lex, bis mille Messias.* Nec juvat ipsos reponere, Vel Tempus adventus jam elapsum esse, sed differri propter peccata populi, quia cùm promissio non conditionata sit, ut jam dictum, sed absoluta; tantùm abest ut propter peccata populi differendus, ut potiùs accelerandus magis esset ad ea tollenda. Vel venturum quidem fuisse in διχιλίαν, sed non dici, an in initio venturus esset, an in fine. Quia eo modo assignantur illi bis mille anni, quomodo alii bis mille inaniti & Legi, id. ut duratio Legis excipiat inanitatem, & bis mille annos explere debuerit. Ita adventus Messiæ debuit excipere finem bis mille annorum Legis, ut per alios bis mille annos duret. 2. Opinio constans apud Judæos invaluerat tempore Christi venturum Messiam, ad quem fidelium animi arrecti erant; Unde Simeon & Anna dicuntur expectasse consolationem Israelis Luc. 2. & mulier Samaritana testatur se credere Messiam brevi venturum, Joh. 4:25. & varii Pseudo-Christi tunc temporis surrexerunt. Accedit fama vaticiniorum paganorum, quibus ipsi Ethnici commovebantur; Quò spectant ista Josephi, qui dicit tunc impletum χρησμὸν de Rege orbi dominaturo ex ipsorum finibus oriundo, & Suetonii in Vespas. cap. 4. *Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore profecti Judæa rerum potirentur.* Quod sane ad Vespasianum, quicquid Suetonius dicat, non pertinuisse, sed ad Christum natum & passum paulò ante tempora Vespasiani res ipsa loquitur, & quisquis expenderit omnia prodigia, quæ evenerunt circa natalia Christi relata Orosio & aliis, facilè agnoscet tunc naturam parturiisse Regem venturum ex Oriente, cui se subjicere deberent, quotquot vellent salvi esse. Qui plura voluerit consulat *Raimundi Pugionem fidei* Parte 2. c. 10. qui Testimonia Judæorum huc pertinentia collegit.

Fontes Solutionum.

XXXIII. *Elias* qui præcedere debuit Messiam, non est Elias Thesbites ad literam, sed analogicè & figuratè Johannes Baptista, propter similitudinem, quæ illi cum Elia intercessit in zelo & fervore, quia venturus fuit in spiritu & virtute Eliæ Luc. 1:17. Matth. 11:14. ut Messias sæpe David dicitur Ier. 30:9. & Hose. 3:5.

Luc. 1:16. Mat. 11:14. Isa. 2:2.

XXXIV. *Finis dierum*, seu *novissimi dies* Isa. 2:2. quibus venturus fuit Messias, non notant finem mundi, sed πλήρωμα καιρῶν, seu ultimam dispensationem, post quam nulla alia expectanda est, sed sola æternitas. Finis ergo dierum vocatur non absolutè, sed comparate ratione præcedentium temporum, quia finem afferre debuerunt Vet. Testam. Usque ad illud tempus omnia veluti suspensa erant & jubebatur populus ad Messiam semper respicere, & spem suam differre, nec in præsentibus umbris oculos defigere. Sed per adventum Christi data est plenitudo dierum, in qua Ecclesiæ sua restituenda fuit integritas.

XXXV.

XXXV. Quum *Mons Domini* dicitur *extollendus super alios montes* Isa. 2:2. tempore Messiæ, Oraculum hoc non propriè & literaliter est intelligendum, quod sine absurditate dici non posset; sed mysticè de exaltatione Ecclesiæ, quæ passim per montem Domini, & montem Sion solet designari, quatenus in ea refulsit Dei majestas, qui Sacrarium suum ibi voluit collocare; Unde vox Evangelii per totum orbem audita est, quæ nos ad cœlum usque veheret, & Vexillum ad omnes gentes erectum. Ita in Bereschit Rabba *Mons magnus*, id est *Messias*. Sic & Aben Ezra, *Mons iste Messias est altissime extollendus in medio gentium*. Quod additur de concursu omnium gentium v. 3. non arguit unam Religionem tantùm esse debuisse in mundo tempore Christi; Sed sensus est fore Ecclesiam Catholicam ex omnibus populis indiscriminatim colligendam, quæ unam Religionem, unamque fidem in Christum sit professura, quod etiam impletum est sub N. T. QUÆST. I. *Isa.* 2:2.

XXXVI. *Pax* quam Messias allaturus fuit, non debuit esse mundana & corporea, quam suis non expectandam esse Christus non dissimulavit Luc. 12:51. Ioh. 14. sed spiritualis, quam Christus morte sua nobis acquisivit, & per Evangelium prædicavit. Et si *Lupus habiturus cum Agno* dicitur Isa. 11:6. hoc figuratè intelligendum de vocatione & conversione Gentium, per quam gentes alienissimæ olim à Christo instar ferarum, in ovium Christi numerum referri debuerunt, & homines feri & crudeles instar belluarum, cicurandi & tanta mansuetudine donandi, ut communionem inter se culturi sint, & ita victuri, ut quos nocendi cupiditas huc illuc raptabat, ultro citroque officiis certaturi sint, operam suam in communem utilitatem collaturi, quod designatur per *ensium & lancearum in ligones & falces* instrumenta agriculturæ tempore pacis ad hominum usum destinata, *mutationem* v. 4. Nec latuit hoc Maimonidem, qui in summa Thalmud. de Regi. c. 12. docet *hæc & alia similia, quæ de iis quæ ad Messiam pertinent scripta sunt, allegorias esse*. *Isa.* 11: 6.

XXXVII. Si *Lux Solis septuplo major* tempore Messiæ debuit esse, ut & Lux Lunæ instar lucis solis Isa. 30: 26. hoc ad literam non potest intelligi; Quia præterquam quod Solis fulgorem nullus posset ferre; Ita nulla nox superesset ob claritatem Lunæ. Dominus bonos & malos Sole suo illustrat; At hic agitur de felicitate, quæ impiis communis esse non potest. Sed figuratè exponenda sunt, vel *historice* de magnitudine gaudii, quod perceptura erat Ecclesia Iudaïca liberata à captivitate Babylonica, vel *mystice* de magnitudine gloriæ, cognitionis & lætitiæ, quam Messias qui venturus erat ad sananda vulnera Ecclesiæ, illi allaturus erat, quum umbræ obscuræ Legis recedere debebant, & Lux Evangelii affulgere, longissimè superans tenue V. T. lumen. *Isa.* 30: 26.

XXXVIII. Ezech. 40. & seq. capit. non intelligitur Templum Hierosolymi- *Ezech.* 40.

QUÆST. I. mitanum denuò instaurandum, sed Templum mysticum Ecclesiæ sub Veteris Templi Salomonici symbolo adumbratum, Cujus impletio, non in carnali & terrenâ, sed spirituali & cœlesti Ierosolymâ quærenda est, in illa scilicet quam Iohannes, verbis ex hac Ezechielis hypotyposi desumptis describit Apoc. 21: 22. in hac quidem vita per gratiæ Templum inchoandâ, in alterâ verò per Templum gloriæ in cœlo perficienda.

Jer. 23: 6. XXXIX. Quum in diebus Messiæ dicitur Iuda salvandus, & Israël habitaturus securè Ier. 23: 6. non intelligitur Israël secundùm carnem, cujus reliquias tantùm servandas esse ipsi Iudæi non diffitentur ex Ier. 3: 14. & Isa. 8: 14. lib. Sanhed. dist. Chelek; Sed Israël secundùm Spiritum, cui soli promissiones fiunt Rom. 9. sub quo universa Ecclesia electorum & fidelium intelligitur.

XL. Non potest in dubium vocari adventus Messiæ, eo quòd *Gog & Magog* quos debellaturus sit, nondum apparuerint. Quia gratis fingitur *Ezech.* 38: 2. 3. Messiam eos vincere debere; Nec nisi perperam eò trahitur, quod Ezec. 38: 2. 3. *&c.* de Gog & Magog dicitur; cùm de eo constet ibi sermonem non esse, & non obscurè liqueat hoc referendum esse ad crudeles Ecclesiæ Iudaïcæ oppressores post captivitatem Babylonicam, quales fuerunt Reges Syriæ, & populi Asiæ minoris, sic dicti, vel à Gyge Lydorum Rege, vel à Scythis & Tartaris ita vocatis Gen. 10: 2. qui jam olim occupaverant Asiam minorem & Syriam; Unde in Asia Hierapolis dicta est *Magog*, teste Plinio lib. 5. c. 28. non procul ab Euphrate, & in Syria *Scythopolis* ad Orientem lacus Tyberiadis olim Bethsan dicta, quod Euseb. notavit in Chro. Græ. lib. 1. q. 40. *Scythæ Palæstinam percurrerunt, & Baisan*, id est, Bethsan *occuparunt, quam de suo nomine vocarunt Scythopolim.*

QUÆSTIO II.

An Jesus Nazarenus sit verus Messias? Affirm. contra Judæos.

Status Quæstionis. I. POstquam probatum est superiori Quæstione Messiam jam venisse; Iam inquirendum ulteriùs est in ejus Personam, ut sciamus Quis ille sit; ut non alium esse posse quàm Iesum Nazarenum Mariæ filium demonstremus. Ut verò præcipua hæc est Religionis nostræ basis, & fidei fulcrum, eò majori accuratione perpendendum est hoc argumentum, ut Iudæis acerrimis Christiani nominis hostibus, qui veritatem istam salutarem magno molimine oppugnare conantur, os obstruatur.

II. Non quæritur, An Messias venerit, quod antea probatum; Sed An Jesus Nazarenus, quem Messiam credimus & prædicamus, sit verus ille & proprius Messias à Deo promissus, qui venturus erat ad salutem hominum. Judæi pertinaciter negant; Nos vero constanter affirmamus, & invictè demonstramus. QUÆST. II.

III. Primò, Quia omnia Messiæ κριτήρια, quibus eum designare voluit Deus in Vet. Test. ad fidei nostræ confirmationem, tam quæ Ortum ejus respiciunt, quàm quæ Personam, & Statum, vel Doctrinam, & Opera, illi competunt, & in eo impleta sunt, ut vel nulli conveniant, vel huic competant. Et ad *Ortum* quidem, sive *Tempus* nativitatis, ejusque *Prodromum*, sive *locum*, sive *Tribum* & *familiam*, sive *modum* attendamus, omnia in eum concurrisse, & complementum suum habuisse constat, ut per partes facilè ostendi potest, non quoad singulas seorsim, quo pacto nihil probarent, sed conjunctim quoad omnes, quæ argumentum faciunt solidum. *Jesum Nazarenum esse Messiam probatur ex Criteriis ejus.*

IV. 1. Ratione *Temporis*, Messias nasci debuit eo tempore, quo Regia & Legislatoria Potestas auferri debuit à Judæis, post 70. septimanas annorum id. elapsis 490. annis à captivitate Babylonica; & quo Davidica domus in summo futura erat contemtu, & veluti truncus ad radices usque excisus Is. 11:1. Eo autem tempore Jesum nostrum exhibitum fuisse, & jam supra evictum est; & res ipsa loquitur. *1. Ratione temporis.*

V. 2. Ratione *Prodromi*; Nam ut adventum Messiæ Prodromus aliquis præcedere debuit, qui viam illi pararet ex Oraculis Propheticis Isa. 40: 3. Mal. 3: 1. & 4: 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehova magnus & terribilis.* Ita in Joh. Baptista impletum videtur, qui fuit vox clamantis in deserto, qui præcessit Christum in spiritu Eliæ, ut viam illi præpararet Matt. 3: 3. & 11: 14. Luc. 1: 17. non modò resipiscentiam prædicando, sed & illustre testimonium Christo præbendo, & præsentem divino elogio ornando; quo sensu Prophetarum omnium maximus dicitur, & Evangelizantium primus, Matt. 11: 9. 11. qui ministerio suo expleto, Christo decessit, & Vetus T. clausit Matt. 11: 13. *2. Ratione Prodromi.*

VI. 3. Ratione *Loci*, Messias *Betlehemi* nasci debuit ex Oraculo Michææ cap. 5: 2. *Et tu Betlehem Ephrata non es minima in millibus Juda, ex te mihi prodibit Dominator in Israel, & ejus egressus à seculo*, Agi de Messia agnoscunt Chald. Paraph. R. S. Iarchi, & Kimchi, & fatentur Pharisæi & Scribæ Herodi de hoc quærenti respondentes Matt. 2. At nemo nescit Jesum Betlehemi natum. Et ne quis casu illud contigisse censeret, vel de industria & ex compacto seu deliberato consilio Josephi aut Mariæ, Deus rem singulari suà providentià ita procurare voluit ad prædictioni suæ fidem faciendam, non modò nescientibus & non cogitantibus de eo Parentibus Jesu, sed tantùm non invitis, ac contra optantibus. Nec enim alium in *3. Ratione loci. Mic. 5: 2.*

QUÆST. II. finem Cæsarem Augustum, pacato jam imperio, altaque ubique pace fruentem, & nihil minus quàm de vaticinio ad Messiam pertinente implendo cogitantem, excivit, ut descriptionem totius orbis Iudaici faceret, quàm ut Oraculum hoc impleretur, & ita indubitato argumento constaret Iosephum esse ex familia Davidis, utpote cujus genus in obscuro erat, & jam ad infimam vitæ conditionem redactum, regii stemmatis nihil præ se ferebat. Frustra verò *Menasse* in Concil. in h. l. cum Iudæis recentioribus discedens à Veteribus, vult, *Bethlehem dici patriam Messiæ, qui oriundus erat à Davide Betlehemita, ut notetur nativitas Messiæ, non actualis, sed originalis.* Quia loquitur de ortu Dominatoris futuro Betlehemi, quod ad natalem Davidis jam à longo tempore præteritum sine absurditate referri nequit. Nec quod additur de egressibus ejus à seculo hoc evincit, quia hoc ad æternam generationem Messiæ ex sinu Patris pertinet, quà Filius est Dei; ut nativitas Betlehemi, ortum temporalem ex sinu Matris notat.

4. Ratione Tribus & familiæ. VII. 4. Ratione *Tribus* & *Familiæ*, Messias ex tribu Iudæ & ex familia Davidis oriundus fuit ex Oraculis Gen. 49: 10. Is 11: 1. 2 Sam. 7: 13. 14. & ex confessione Turbarum Ioh. 7: 42. Unde non semel *David* dicitur à Prophetis. Quod in Iesu nostro impletum constat, tum ex loco nativitatis jam relato, qui erat domus Davidis, quò se conferre parentes Iesu debuerunt, ut ex illa familia se oriundos esse probarent, tum ex genealogia Christi utraque, quæ apud Matth. & Lucam habetur. Nec opponi potest genus Iosephi non arguere ortum Iesu ex familia Davidica, siquidem ex nostra hypothesi pater ejus non fuit. Quia ex Lege Num. 36: 8. Uxores ex eadem Tribu & familia ducendæ erant, quod licet non foret absolutè universale, locum habere debuit, ubi Virgines erant ἐπίκληροι, id. hæredes domus paternæ, qualis erat Maria. Nec obstat quòd Maria dicatur συγγενὴς Elizabethæ Luc. 1. quia hoc inde fieri potuit, quòd vel aliquis ex Mariæ majoribus conjugem duxisset ex tribu Levi, vel Sacerdos aliquis filiam ex cognatione Mariæ.

5. Ratione Modi Nativitatis Isa. 7: 14. VIII. 5. Ratione *Modi Nativitatis*, quia ex Virgine nasci debuit ex Isaïæ vaticinio cap. 7: 14 *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit filium ejus Immanuel*, quod tanti ponderis est, ut vel solum per se sufficiat ad mysterium hoc probandum. Sed ut asseratur contra cavilla Iudæorum, observandus scopus Prophetæ, qui est confirmare populum adversus metum quo percellebatur, propter Rezin & Pekak Reges Syriæ & Israëlis obsidentes Ierosolymam; Ideò Deus Prophetam jubet, ut unà cum filio suo accedat ad Regem, & jubeat illum timore seposito certum esse de conservatione & liberatione sui & populi. Et usu ipse eò magis persuaderetur de veritate hujus promissionis, Propheta dat illi optionem signi alicujus, vel è cœlo, vel è terra petendi. Cùm verò Achaz signum impiè recusasset; & multæ adhuc superessent fidelium reliquiæ, ad horum consolationem

lationem & confirmationem, ut & Achazi convictionem, addit; Deum non obstante Regis impietate, *signum* ipsis daturum duplex, futurum, & præsens, *futurum* v. 14. in Immanuele nascituro suo tempore ex Virgine; *præsens* in Scharia sub filio suo, ante cujus adolescentiam debuit destructio Regum illorum contingere v. 16. QUÆST. II.

IX. Non posse de alio quopiam, quàm de Messia Oraculum intelligi patet, 1. quia agitur de puero, qui futurus est Immanuel, & Dominus terræ v. 14. & c. 8: 8. 2 de eo qui nasciturus esset ex Virgine. 3. de eo qui futurus esset in signum inauditum & mirabile. Quod nec in *Ezechiam* Achazi filium cadere potest, quia jam tum natus erat, non nasciturus, deinde nativitas non fuit ex עלמה virgine, sed ex uxore Achazi, nec miraculosa dicitur, vel in signum peculiare unquam alibi proposita legitur. Nec in *Sear-Iasub* filium Prophetæ, vel alterum, de quo c. 8. dictum *Maher-Schalal chazbaz*, quia prior ille jam natus erat, adductus quippe ab Isaia ad Regem, nec nativitas ejus miraculosa & ex Virgine, licet impositio nominis fuerit symbolica, & posterior distinguitur ab Immanuele c. 8. v. 8. & conceptus fuit non ex העלמה, sed ex הנביאה. Nec in puerum alium vulgarem, quia non vulgaris hic sermo, nec vulgaria de eo dicuntur, sed promissio est signi illustris, non in fœmina, sed in Virgine exhibendi. Unde sequitur non aliò respicere potuisse, nec impletum esse Oraculum hoc, quàm in Jesu Nazareno.

X. Licet verò signum, quod hic datur à Propheta, esset tantùm exhibendum post multa secula, non minùs tamen potuit facere ad confirmationem promissæ liberationis. 1. Quia non est absurdum & inusitatum res futuras afferre in signum rei alicujus proximè futuræ, ut patet ex Ex. 3: 12. 1 Sam. 2: 34. 1 Reg. 22: 25. 28. Jer. 44: 29. ubi dantur signa consequentia, ut & antecedentia, & eventus Prophetiarum proponuntur in signa Deut. 18: 21. *&c.* 2. non est insolens in Scriptura ingentium promissorum commemoratione minorum fidem adstruere, præsertim ubi majora illa sine fide minorum non constant, quæ præsentis loci ratio est. Cùm enim Messias è regia Davidis stirpe oriri olim deberet, idque stante adhuc illâ Republicâ; clarum est nec terram illam, cui tantopere Achazus metuebat, in potestatem hostium prorsus concedere; nec domum Davidicam penitus extirpari potuisse. Unde argumentum potest esse à simili, vel à minori ad majus; Deus certò præstabit promissionem principalem de Messia; E. multò magis dabit quod minus est, liberationem nim. a Regibus. 3. Mos est Prophetarum speciales omnes promissiones confirmare generali promissione de Messia, quia fundamentum est cæterarum, in quo omnes promissiones sunt etiam & Amen 2 Cor. 1: 20. 4. Promissio proximæ liberationis non fundatur tantùm in signo futuro, nimirum Messia ex Virgine nascituro post multa secula, sed etiam in præsenti,

filio

QUÆST. II. filio scilicet Prophetæ jam nato, quem secum adduxerat ad Regem, ad quem v. 16: propriè spectat, *Antequam puer iste*, δεικτικῶς scilicet eum ostendens, *noverit spernere malum & eligere bonum*, id est, ad annos discretionis pervenerit, *terra liberabitur*, ut sanè vix quatuor anni fuerunt antequam delerentur isti Reges; vel filio paulò post nascituro, de quo cap. 8: 3. 4.

XI. Quamvis verò Iesus Nazarenus nunquam legatur appellatus Immanuel; non minùs tamen potest dici eum ita vocandum fuisse; Quia τὸ קרא in Scriptura sæpe pro *esse* ponitur, ut quum vocandus dicitur *Admirabilis, Consiliarius* &c. Isa. 9. & *Jehovah justitia nostra*, Ier. 23. non tam ut innuatur quo nomine insigniendus esset, quàm qualis reipsa futurus esset, sive quoad personam θεάνθρωπος, sive quoad officium Mediator, qui Deum nobis conciliaturus erat, unde Chrysost. bene in h. l. *Mos est Scripturæ res quæ accidunt loco nominum ponere: nihil ergo aliud significat, vocabunt Immanuel, quam videbunt Deum cum hominibus.* Si *ignorantia* quædam tribuatur Immanueli, est puræ negationis, quæ in Iesum potuit cadere Luc. 2: 40. non *pravæ dispositionis*, quæ peccatum est, à quo fuit semper immunis. Quod de commestione butyri & mellis additur, fit ad notandam educationem consuetam cæterorum, utendo cibis ordinariis, qui sub butyro & melle includuntur, quia terra Canaan lacte & melle fluebat.

XII. עלמה hic *Virginem* notare, non fœminam quamcunque liquet 1. ex etymo vocis à עלם *abscondere*, quo denotatur status virginis absconditus à conspectu & commercio virorum, quasi עלומה *abscondita* & non cognita viro. Unde Virgines apud Veteres dicebantur κατάκλειστοι & ἀποκρύφοι 2 Macc. 3: 19. quod domi laterent & asservarentur. 2. Authoritas Interpretum, qui Iudæis suspecti esse non possunt, Thargumim, Onkel. & Ionath. & LXX. qui vertunt παρθένος, licet Symma. & Theodotion in gratiam Iudæorum reddant *adolescentulam*. 3. ratio evidens hoc postulat, quia agit de signo divino & mirabili, cujus ortus sit non minùs mirabilis, quam nomen, Sed quodnam signum, quod naturale, quod commune & ordinarium, fœminam ex congressu viri parere & concipere? 4. Usus ordinarius vocis in Scriptura in sex aliis locis in quibus occurrit Gen. 24: 43. Cant. 1: 3. & 6: 8. Exod. 2: 8. Psal. 68: 26. & Prov. 30: 19. In quo postremo loco frustra Iudæi pertendunt *scortum* designari, quia additur statim, postquam dictum est *viam viri* בעלמה *esse absconditam*, *similis est via mulieris adulteræ*, quâ notâ similitudinis adhibitâ ostenditur similitudinem notari non identitatem. Sensus est viam viri ad virginem absconditam esse, nimirum artes quibus homines virgines sibi conciliare student, sive ad honestum matrimonium, sive ad corruptionem. Potest etiam virgo illa vocari *antecedenter*, quæ talis erat antè, non consequenter, vel δοξαστικῶς & συγχωρητικῶς ex opinione, sive quòd talis haberetur,

tur, sive quòd talis haberi vellet; quòd hîc locum non potest habere. QUÆST. II.

XIII. Virginem autem Mariam fuisse, quæ Jesum nostrum peperit, non modò historia evangelica testatur, sed & fama ipsa loquitur. Nam si hoc verum non fuit, qui fieri potuit, ut Virgo rem tantam & tam incredibilem mentiretur, & ut Apostoli, qui facilè falsitatis convinci poterant, hoc tam audacter proponere auderent nemine reclamante? Si verò in adulterio deprehensa est, ut Judæi nonnulli recentiores blasphemant. Cur illi nunquam à Pharisæis & Scribis hoc est exprobratum? Quidni ex Lege lis in illam intentata est, & supplicium decretum, ut filii fama per matris latus confoderetur; sed superstes fuit filio suo, nemine in vitam ejus inquirente?

XIV. Secunda Demonstratio petitur à *Criteriis Personæ*, & *Status*. I. Messiam Deum futurum, non modò ex Oraculis, quæ illi nomen hoc tribuunt, sed & ex operibus divinis, quæ peragenda habuit ad opus Redemptionis exequendum, certò colligitur. At Jesum Mariæ Filium, & Dei Filium & Deum fuisse indubiè probatur, tum ex operibus variis divinis ab eo factis, ut infra ostendetur, tum ex Christi ipsius testimonio, qui se toties Dei Filium prædicavit. Et si falsò hoc sibi vendicasset; An putandum Deum, acerrimum gloriæ suæ vindicem, passurum fuisse gloriam suam alteri tradi? Annon tantum scelus, quo nullum majus esse potuit, gravi aliquo supplicio ulturus fuisset? Si Angelus adeo graviter punitus est propter affectatam Dei æqualitatem, quid factum fuisset Usurpatori illi & Raptori naturæ ipsius Divinitatis? At Jesus non modò non punitus fuit à Deo, sed summâ gloriâ & majestate coronatus, qui brevi temporis spatio totum orbem doctrinâ suâ replevit, & potentissimum Imperium erexit.

Secunda Demonstratio ex Criteriis Persona & Status Messia.

XV. II. Messias describitur ut triplici munere instruendus, quà de causa ungendus dicitur Dan. 9: 24. Prophetico ex Deut. 18: 15. Is. 61: 1. 2. Sacerdotali ex Psalm. 110. Regio ex Ps. 2: 6. & 45: 7. Zach. 6: 12. 13. Hoc autem in Jesu nostro impletum cernimus, qui officium Prophetæ in præconio Evangelii, Sacerdotis in sui ipsius oblatione, & Regis in Regni cœlestis erectione perfecit, ut suo loco probabitur.

XVI. III. *Status duplex* illi assignatur, primus humilitatis & passionis, quo mori debuit, secundus exaltationis & gloriæ, quo resurgere & in cœlum ascendere illum oportuit, ut constat ex Psal 22: & 110. Zach. 9: 9. Is. 53. Id ipsum autem in Jesu Nazareno observari, ex historia Evangelica patet, quæ passiones ejus & gloriam describit, Statum exinanitionis, in quo ad mortem usque crucis sese demisit, & Statum exaltationis, in quo ex mortuis suscitatus obtinuit nomen supra omne nomen, & consedit ad dextram Majestatis in excelsis Phil. 2: 6. 7. Heb. 1: 3. quod fusiùs potest ostendi quoad omnes circumstantias passionum & gloriæ in Veteri Testamento

QUÆST. II. de Messia prædictas, quæ in Iesu sub Novo accuratè impletæ deprehenduntur.

Tertia Demonstratio à Doctrinâ Christi & ejus Operibus.

XVII. Tertia Demonstratio desumitur à *Doctrinâ & Operibus Christi:* cùm enim ex Oraculis Propheticis Messias annum beneplaciti promulgaturus esset, & salutarem Evangelii doctrinam allaturus ad medendum contritis corde, & publicandam libertatem captivis, & Redemptionem. Quis doctrinam à Iesu nostro prædicatam recolit, qui non videat eum plenissimè hoc in seipso implevisse? dum Evangelium cœlitus nobis attulit, quod illustrissimos ubique radios Divinitatis micantes præ se fert, & in quo perfectissimam Dei voluntatem nobis aperiendo, tam quoad præcepta, quàm promissa, Religionem instituit, quâ nullâ purior & divinior unquam fuit, quæ tota pietatem & charitatem spirat, & ad gloriam Dei & hominum salutem comparata est.

XVIII. Tot etiam, & tanta fuerunt ejus Opera, ut nec illustriora, nec majora desiderari aut expectari potuerint à Messia, fatente id ipsum turbâ apud Ioh. 7:31. *Christus cùm venerit, an signa plura edet iis quæ iste edidit?* hinc Iesus toties provocat ad opera sua tanquam signum certissimum vocationis suæ, Ioh. 5:36. & 7:37.38. & 10:37. & 15:24. imò interrogatus à Iohanne per discipulos, An esset Messias ὁ ἐρχόμενος, nullâ aliâ re fidem fecit se eum ipsum esse, quàm miraculorum suorum multitudine & magnitudine, respondet opere non verbis, facto citiùs quàm dicto, Matth. 11:4.5. Messiam enim θαυματουργὸν & miraculis insignem esse debuisse docet Isaias 35:4.5. *Deus venit & salvabit nos, Tunc aperientur oculi cæcorum, aures surdorum patefient,* &c. Nam si Lex signis & prodigiis fuit gloriosa, quidni Evangelium? 2 Cor. 3:7. & si Messias debuit esse פלא *admirabilis* in Persona, non minus in Operibus. Christum autem talibus operibus clarum se reddidisse Iudæi ipsi diffiteri non potuerunt. Iosephus lib. 18. cap. 14. vocat eum παραδόξων ἔργων ποιητὴν, quorum exempla quædam referuntur in Thalmude, & Iulianus ipse capitalis nominis Christiani hostis negare non potuit. *Illustriora* esse non potuerunt ejus miracula, quia non fiebant clàm, in angulo & recessu, quem præstigiatores quærunt; sed *palàm* & publicè, coram sole, in triviis & compitis, ubique locorum, & in oculis hostium infensissimorum. Non *plura*, tot enim fuisse ait Iohannes, ut si quis ea sigillatim scripturus esset, mundus integer libros istos capere non posset Iohan. 21:25. Non *majora* ratione *naturæ*, quia non fuerunt tantùm ostenta & prodigia horrida, quæ terrorem incuterent, qualia fuerunt signa Legalia, sed beneficia salutaria, à quibus non modò non abhorrebant homines, sed ad quæ videnda & percipienda, turmatim advolabant. Non fuerunt *signa vulgaria*, & mirabilia, quæ humanâ arte vel diabolicâ præstari poterant; sed grandia, inusitata, & quæ nonnisi divinâ virtute fieri poterant; qualis est

est mortuorum suscitatio, cæcorum natorum, & morborum ἀνιάτων sanatio &c. ratione *objecti*, non fuerunt *signa particularia*, sive certæ rerum speciei adstricta, sed *universalia* potestatem ejus ac imperium in omnes creaturas testantia, in cœlo, in terra, in aquis, in dæmonibus, in hominibus, in panibus, in arboribus &c. ratione *modi*, quia non magno illi opus erat molimine ad ea præstanda, sed solo verbo & nutu ea præstabat, modò sine mediis, modò cum mediis, sed plerumque inutilibus, imò contrariis, modò coràm, modò procùl, imò etiam absens. QUÆST. II.

XIX. Quid ad hæc reponent Judæi? An alios etiam miracula fecisse? Sed quis tot, & tanta, quis talia, & eo modo unquam præstitisse legitur? An mirabilia tantùm fuisse, non vera miracula? Sed quid verum miraculum, nisi quod totius naturæ finitæ & creatæ vires superat, qualis est mortui excitatio, morborum insanabilium & desperatorum curatio, Dæmonum fugatio &c. quæ à Christo non semel facta esse constat? An meras fuisse præstigias, quibus hominibus illusit & imposuit? Sed quare hoc nunquam illi objectum a Judæis infensissimis ejus hostibus, qui omnem captabant illum perdendi occasionem, cur non retegebant impostorem & circulatorem? Quis verò alienior unquam fuit à Præstigiatorum artibus? Isti latebras & secessum quærunt, & lucem fugiunt, ut facilius fucum simplicioribus faciant. Sed Christus in aperto & publicè coram innumeris testibus magnis, parvis, doctis, indoctis operatur, ne ullius fraudis suspicio superesse queat. Illi vana, ridicula, & inutilia sectantur. Sed Christus nihil nisi sanctum & salutare operatur. Illi turpis lucri gratiâ, & ut gloriam vel fumum captent. Sed quid simile in Christo, qui omnia ad salutem suorum direxit, eatenus ut pauper fieri voluerit, ut ex ejus paupertate ditesceremus? Illi turpissimis mancipantur affectibus, & carni ac dæmoni litant. Sed Christus pietatis magister, id unum sibi proposuit, ut sanctitatem animis nostris ingeneraret. An Christum miracula ista virtute magica fecisse, ut illi non semel objectum à Pharisæis, quum virtute Beelzebul Principis dæmoniorum illum ejicere dæmonia calumniabantur? Sed cur magis Judæi hoc suspicari possunt de Jesu Nazareno, qui fabri filius habitus est, quàm de Mose, qui in aula Ægyptiaca educatus potuit artis magicæ penitissimâ cognitione imbui? Deinde quis suspicetur vel leviter, aut magum ullum potuisse, aut dæmonem ullum voluisse tot opera præstare, quæ mera fuerunt beneficia generi humano præstita? Quis credat Diabolum in sui perniciem & tyrannidis suæ destructionem armare Christum voluisse? Nec id fieri potuit per collusionem; quia amicorum est colludere, non hostium. At capitaliorem Dæmon hostem non habuit quàm Jesum nostrum, ejusque Religionem, quæ tota ad destruenda opera Diaboli, & pietatem ac sanctimoniam animis inspirandam tendebat. Denique si Magus fuit, cur Magiæ nunquam postulatus fuit in judicio, &

con-

QUÆST. II.

convictus à Senatoribus Sanhedrin, quos omnes magicæ artis peritissimos fuisse Judæorum schola asserit? Cur sollicitè adversus ipsum quæsita fuerunt crimina, ubi solum magiæ crimen sufficiebat ad ejus condemnationem ex Lege Exod. 22: 18.?

XX. Sed si opera, quæ Christus fecit in diebus carnis suæ, eum Messiam prædicabant, non minùs efficaciter hoc ipsum probant, ea quæ post resurrectionem & ascensionem in cœlos perfecit per Spiritus Sancti missionem, & opus Christianismi. Primò ipsa Christi *Resurrectio*, luculentum ipsi perhibet testimonium, in qua quippe solenni quasi decreto approbatus est à Deo, & Filius ejus declaratus, creditus à fidelibus, & agnitus ab hostibus. Unde non aliud argumentum illustrius & certius Divinitatis & Vocationis suæ affert, *Solvite Templum hoc*, inquit loquens de Templo Corporis sui, *& tertio die illud ædificabo*. Joh. 2: 19. & Matt. 12. Judæis petentibus signum, non aliud dare vult, quàm sui resurrectionem sub typo Ionæ. Et sanè nisi Iesus à Deo missus esset, & nisi revera Christus Domini, qualem se profitebatur, fuisset; Quis crediderit Deum gloriæ suæ vindicem acerrimum in eo suscitando potentiam suam exerturum fuisse ad tantæ fraudis & imposturæ confirmationem, & tantam impietatem tanto præmio coronaturum fuisse? Accedit secundò *Spiritus Sancti missio* admirabilis & inaudita, quæ expressè & tempore & loco à Christo ipso prædicto contigit, quo ita repleti fuerunt Apostoli, ut in novos homines sint immutati, & ea dixerint & fecerint, quæ non in stuporem modò & admirationem spectatores & auditores rapuerunt, sed vi quadam flexaminâ potentissimâ ad fidem & obsequium Christi mirabiliter traxerunt. Unde verò tantum miraculum proficisci potuit nisi à Deo Christo suo testimonium perhibente? Ut infimæ sortis homines, idiotæ & ἀγράμματοι, nisi sint quasi uno momento in doctissimos & disertissimos transformati, linguarum omnium cognitione & rerum maximarum notitiâ perfusi, qui causam Domini sui apud omnes intrepidè, & magnâ cum παῤῥησίᾳ & ἐνεργείᾳ ita egerunt, Religionem non fucatis, quæsitisque, sed veris, claris, & omni exceptione majoribus argumentis fortiter asserendo, ut catervatim & turmatim quasi ad Evangelium concursum sit, non obstantibus minis, edictis, carceribus, tormentis, omnibusque extremorum suppliciorum generibus?

Confirmatur ex Vocatione Gentium, & Christianismi fundatione.

XXI. Hoc verò luculentiùs postea patuit in *Vocatione Gentium* & *Christianismi* per totum orbem *fundatione*. Cùm enim Vocatio Gentium proprium opus Messiæ fuerit ex Oraculis Propheticis, Gen. 17: 5. & 49: 10. Psalm. 2: 8: & 22. 30. & 68. 32. 33. & 47: 8. 9. 10. & 110: 2. 3. 4. 5. Ose. 1. 10. 11. Ioel 2: 28. Is. 2: 1. 2. & 11: 10. & 42: 1. 2. & 49: 6. & 54: 1. 2. & passim alibi. Et res ipsa clamet, & historiarum monumenta testentur hoc factum fuisse per Evangelium, ita ut brevi temporis spatio longè lateque per totum

tum orbem disseminatum fuerit, & Gentes undiquaque ad Christum confluxerint, & Cæsares ipsi ac Reges coronas & sceptra sua ad ejus pedes subjecerint; nihil causæ dici potest, cur Jesum nostrum, vel ex hac una nota verum Messiam fuisse non credamus.

Nonobstantibus variis obstaculis.

1. A parte Christi.

XXII. Nam nisi Jesus esset verus Messias, & ejus doctrina verè divina, quomodo fieri potuisset, ut pro Messia receptus, & doctrinæ ejus fides habita fuisset in mundo, tot tantisque occurrentibus obstaculis pene insuperabilibus; Tum à parte *Christi* ipsius Religionis fundatoris, Tum *doctrina ipsius* prædicandæ, Tum *Præconum* ipsorum, Tum *docendi modi*? Nam si *Christus* ipse attendebatur Princeps & Caput Religionis, homo vilis in speciem erat, patre, ut putabatur, fabro, nullius dignitatis & nominis aut ordinis, imò à proprii populi primoribus contemptus & contumeliis omnis generis affectus, & tandem captivus ductus, & servi in morem vinctus, flagellatus, & cruciarius factus, instar perduellis & Majestatis divinæ & humanæ læsæ rei, infami ligno affixus. Quis verò arbitrari potuisset, Deum tam vili & tam misero, ut videbatur, homuncione ad tantum opus peragendum uti voluisse? Certè Judæis maximum hoc scandalum fuit, & Græcis stultitia, quod Vocatis fuit summa potentia & sapientia Dei 1 Cor. 1: 18.

2. A Doctrinæ natura.

XXIII. *Doctrinæ natura* id confirmat, quæ talis fuit, ut homines potius fugare deberet quàm allicere; non modò quia contrarias alias omnes Religiones ab omni fere ævo receptas, patrias, & longo usu inveteratas, damnabat, & ut funditus extirparentur urgebat, tanquam vanas, falsas & Deo indignas & inimicas; Sed etiam quia præcepta continebat ingratissima & molestissima carni, sui abnegationem, hostium dilectionem, malorum & crucis etiam durissimæ tolerantiam, & à vitiis & voluptatibus omnibus abstinentiam; Mysteria rationi absurda & impervia docebat, quale est Deum gloriæ & Principem vitæ crucifixum esse. At si Deus fuit, quid absurdius? si homo, quid vanius? Promissa in hoc seculo vel exigua, vel nulla proponebat, sed honorem martyrii, & onus crucis, Mat. 16:24. Joh. 15:18. 19. Act. 9:16. Quis verò ita suadeat & copias adornet? An credibile est tot gentes in tam gravia & ardua præcepta consensuras, tantam laborum molem, sine ulla mercede, sine ullo voluptatum illicio subituras fuisse, imò cum præsentissimo rerum omnium sibi gratissimarum damno, ad calamitosam virtutem pertrahi potuisse, nisi de divinitate istius doctrinæ fuissent persuasissimæ? Alexandrum magnum miramur, quòd paucis militibus orbem subegerit. Josuam magis quòd tubis Jerichuntem expugnaverit. Sed Christum quis non præ cæteris miretur, qui linguis orbem vicit, quarum vox, licet illis nullus ut cœlis naturâ esset sermo, transiit in omnem terram Rom. 10: 18.? Verbum stultitia fuit hominibus; Et tamen sapientes vincit: Horribile, & quod homines abigere deberet; Et conciliat animos & corda trahit. Nulla ad suasionem ars illi inerat, nulla pigmenta, & verborum lenocinia. Sed in eo erat tamen ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως

dentes, nec minas ut terrerent reluctantes; Sed liberam fidem cupiebant, aut nullam, non corpora, ſed animos in triumphum ducere Deo & Chriſto dignum putabant. Si vim adhibuiſſent, ſi armis, aut legionibus, ſi cæde aut ſanguine Religionem voluiſſent fundare, quomodo impoſtor Mahumetes tyrannidem ſuam erexit & conſervat; non mirum videri deberet, ſi voti compotes utcunque facti fuiſſent: Sed armatum totum orbem ab inermibus, & infirmis, nullaque potentiâ vel autoritate inſtructis, ſolâ perſuaſione ſubigi, id verò & Authoris, & doctrinæ, quâ id fit, divinitatem manifeſtè arguit. Diabolo enim iſtud opus tribuere quid eſſet, quàm Diabolum velle proprii exitii autorem eſſe, & in ſui regni excidium conſpirare? quod nemo ſanus dixerit.

XXVI. Quòd ſi certum fuit veritatis Meſſiæ argumentum *Converſio mundi*, & *Chriſtianiſmi fundatio*, inter tot obſtacula intercedentia. Non minus clarum eſt ejuſdem veritatis teſtimonium, ejus *Conſervatio* & *Propagatio*, dum à tot ſeculis, non modò non deletus eſt, licet nihil intentatum reliquerit Satan & Mundus ad illum funditus evertendum, ſed magis confirmatus eſt & auctus, & altiores ſemper radices egit: Cùm tamen aliæ Religiones & Sectæ, quæ authoritate Principum, & ſubtilitate Philoſophorum, ac eloquentiâ Oratorum ſuſtentabantur, tandem ſint abolitæ. Quis non judicet opus non eſſe humanum, ſed divinum; atque adeo ejus Authorem revera fuiſſe quod profitebatur Chriſtum Domini?

Quarta Demonſtratio ab Abſurdis.

XXVII. Quarta Demonſtratio ducitur ab *Abſurdis*. 1. Si Ieſus non fuiſſet Chriſtus, qualem ſe profitebatur, nunquam emergere potuiſſet ejus nomen & doctrina inter Reges & Principes, qui ſuffocare eam nitebantur, ſed ſepulta fuiſſet ejus gloria, cum nominibus aliorum, qui Pſeudo-Chriſti fuerunt, maximè cùm nec potentiâ ac authoritate mundi, nec ſapientiâ ſeculi fulcirentur. 2. Si Ieſus non fuit Chriſtus, omnium qui vixerunt, abſit blaſpemia dicto, contumelioſiſſimus fuit, qui toties ea de Deo, de ſe, de nobis, quæ falſiſſima ſunt aſſeruit, & juramento etiam confirmavit, quo mendacio nullum majus aut periculoſius dari poteſt. At in confeſſo eſt, fatentibus ipſis Iudæis, Ethnicis, & Mahumedanis, ſummam vitæ puritatem conjunctam cum animi integritate in eo fulſiſſe, quæ ejuſdem ſuſpicionem planè tollunt. 3. Si Ieſus non fuit miſſus à Deo, Deus gloriæ ſuæ vindex acerrimus, vel per Prophetam hoc prædixiſſet, ut à tali impoſtura homines caverent, vel Prophetis excitatis coarguiſſet, vel rebus ipſis & temporum decurſu commonſtraſſet, quod dicebat Gamaliel, *ſi opus non eſt à Deo deſtruetur*. At ſeculorum decurſu, non modò non extincta eſt & deleta ejus fama, ſed crevit & totum orbem replevit ejus doctrina, ut è fonte proſiliens aqua, rivis confluentibus, quæ ante talos tantùm pertingebat, ad genua attollitur, & pectus caputque tegit.

Fontes Solutionum.

XXVIII. Quum Chriſtus ait ſe non veniſſe pacem mittere in terram, ſed

QUÆST. II. ſed gladium Matt. 10: 34. Senſus non eſt Chriſtum fore cauſam belli efficientem per ſe, ſed per accidens propter mundi malitiam, qui non ferens Evangelium debebat illi reſiſtere, & bella adverſus ejus profeſſores excitare. Quod non opponitur Paci, quam Meſſias allaturus fuit in mundum ex Oraculis Propheticis Iſa. 2: 4. & 11: 6. 7. Mich. 4: 3. 1. quia pax non eſt mundana, ſed myſtica & cœleſtis. 2. non cum mundo impiorum, & ſemine Serpentis, cum quo bellum ἄσπονδον debet eſſe Gen. 3: 15. ſed cum fidelibus inter ſe, qui poſitis odiis & inimicitiis debuerunt in Chriſto reconciliari & unum fieri. 3. ſi bella inter Chriſtianos videntur, hoc non oritur ex doctrina Chriſti, ſed ex vitio hominum.

Mat. 10:34.

XXIX. Deſtructio Idololatriæ, quæ prædicitur futura tempore Meſſiæ, non debuit fieri uno momento, ſed paulatim, & per varios gradus, quod etiam contigiſſe cernimus. 1. quia Religio Chriſti apertè & ex profeſſo omnem Idololatriam ſeveriſſime damnat. 2. per eum etiam planè extirpata eſt in Cœtibus omnibus, qui Chriſti doctrinam verè profitentur. 3. quia quotidie tollitur in mundo per Evangelii prædicationem, & ſi qui inter Chriſtianos adhuc eam retinent vel ex toto vel ex parte, eo ipſo ſe non Eccleſiam Chriſti, ſed Anti-Chriſti eſſe oſtendunt, quod maximum eſt obſtaculum converſioni Judæorum.

XXX. Si Johannes Baptiſta miſit ad Jeſum inquiſiturus, An eſſet Meſſias venturus Matt. 11: 1. 2. non hoc ideo facit, quaſi de eo dubitaret, cùm illuſtri modo de eo certior eſſet factus, & tam expreſſum teſtimonium illi perhibuiſſet Joh. 1: 29. 32. 33. ſed ut diſcipulos ſuos de eo adhuc non ſatis perſuaſos, & qui propterea nimiùm fortè Magiſtro ſuo addicti erant, magis confirmaret ipſum videndo & audiendo.

Mat. 11:1.2.

XXXI. Tantùm abeſt ut Chriſtus debuerit à Synagoga approbari & recipi, ut ejus rejectio clarè prædicta fuerit Pſ. 118. *Lapis quem ædificantes rejecerunt* &c. Iſ. 53: 1. *quis credidit auditui noſtro.* Unde Thalm. tract. Sanhed. *cum filius Davidis veniet*, inquit R. Judas, *rari erunt ſapientes in Iſrael, & ſapientia Scribæ putreſcet, & Scholæ Theologorum lupanaria erunt.*

XXXII. Si Jeſus Legem cæremonialem abrogavit; Non ſequitur violatorem fuiſſe Legis, ſed τελειωτὴν & conſummatorem; quia implendo eam abrogavit: Nec propterea, vel Legi ipſi adverſatus eſt, quia Lex iſta non data fuerat ut in æternum duraret, ſed uſque ad tempus διορθώσεως; Nec conſilio Dei, qui hanc mutationem ab æterno decreverat. Si cæremoniæ & ſacrificia adhuc futura dicuntur ſub Meſſia, hoc intelligendum eſt myſticè quoad veritatem internam cultus ſpiritualis & Evangelici, non literaliter quoad figuram externam, ex ſtylo Spiritus S. qui mutato ſtatu retinet nomen antiquum, & myſteria Evangelica deſcribit terminis legalibus.

QUÆ-

QUÆST. III.

QUÆSTIO III.

De Incarnationis Necessitate.

An necesse fuerit Filium Dei Incarnari? Aff.

I. ANtequam de Quæstione dicamus, notandæ sunt paucis variæ voces, quibus mysterium Incarnationis designari solet, tum in Scriptura, tum apud Veteres: In Scriptura, dicitur φανέρωσις ἐν σαρκὶ, *manifestatio in carne* 1 Tim. 3:16. σώματος καταρτισμὸς *Corporis adaptatio*, seu formatio Heb 10: 5. κένωσις *exinanitio* & formæ servilis assumptio Philip. 2:7. ἐπίληψις *assumptio* seminis Abrahæ Heb. 2: 16. ἐπιφάνεια *apparitio* 2 Tim. 1: 10. Tit. 2:13. &c. Apud Patres modò vocatur οἰκονομία distinctè à θεολογία, quia admirabilis dispensationis opus fuit, modò ἐνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις, ἔνσαρκος παρουσία, communiùs σάρκωσις vel ἐνσάρκωσις, voce proculdubio petita ex Joh. 1: 14. quum λόγος dicitur *caro factus*; ubi vox *carnis* non strictè sumitur pro altera parte hominis, sed latè & synecdo. pro tota humana natura, quæ cum carne animam includit; Atque ita clariùs insinuatur divinæ erga homines charitatis & misericordiæ magnitudo; cùm eò usque se demittere dignatus sit Deus, ut non tantùm animam, quæ nobilior est hominis pars, sibi sociare voluerit, sed quod est vilissimum & maxime infirmum in nobis, carnem scilicet hanc fragilem & mortalem assumpserit.

Voces quibus Incarnatio designatur in Scriptura.

Et apud Patres.

Joan. 1: 14.

II. Ut verò mysterium hoc rationi est impervium, & beneficio revelationis tantùm cognoscitur, variæ Quæstiones circa illud moveri solent. Prima agit de ejus necessitate, Quæ iterum in varia capita potest distribui. 1. An Filius Dei incarnandus fuisset, etiamsi homo non peccasset? 2. An necesse fuerit Filium Dei pro nobis incarnari, nec alius modus salutis Deo possibilis fuerit? 3. An necesse fuerit Mediatorem nostrum esse θεάνθρωπον; de quibus distinctè dicemus sub tribus Propositionibus.

De necessitate Incarnationis.

III. Prima Propositio, *Ut Filius Dei incarnatus est tantùm propter peccatum; Ita non necesse fuisset illum incarnari, si homo non peccasset.* Opponitur Scholasticis veteribus, qui temerè & citra autoritatem Scripturæ hoc asseruerunt, ut *Alensis*, *Occamus*, *Bonaventura*, & alii, Quorum errorem interpolavit *Osiander* Lutheranus superiori seculo, & novissime *Sociniani* eundem renovant, non alium in finem, quàm ut hinc præsidium aliquod quærant fulciendæ pestilentissimæ hæresi de metaphoricâ Christi Redemptione, & impropriâ satisfactione.

Prima Propositio, Incarnatio non fuit necessaria nisi posito peccato.

QUÆST. III. *Probatur ex Scriptura.*

IV. Rationes nostræ sunt, I. Quia non alius unquam finis proponitur adventûs Christi, & ejus Incarnationis, sive in Veteri sive in Novo Testamento, quàm ut salvaret populum suum à peccatis. Si promittitur, nonnisi post lapsum promittitur Gen. 3: 15. & ad conterendum caput serpentis. Si adumbratur, adumbratur sacrificiis, quæ hominum peccatis expiandis destinantur. Hoc in Novo Testamento confirmant luculenter Angelus Matt. 1:21. Zacharias Luc. 1: 67. *&c.* Simeon Luc. 2: 30. 34. Joh. Baptista Ioh. 1:29. Christus ipse Matth. 9: 13. & 20: 28. Apostoli Paulus Gal. 4: 4. 5. 1 Tim. 1: 15. Heb. 2:14 Iohannes 1ª 2. 1. 2. & 3: 8.

2. Ex officio quod circa peccatores tantum versatur.

V. II. Quia officium ejus tantùm erga peccatores occupatur; Nam ut Propheta docet peccatores, & vocat eos ad fidem & pœnitentiam Isa. 61: 1. 2. Matth. 9: 13. ut Sacerdos seipsum dat ἀντίλυτρον pro peccatis 1 Tim. 2: 6. Isa. 53. 1 Ioh. 2: 2. & orat pro transgressoribus Isa. 53. Ioh. 17. ut Rex gubernat suos, & eos tuetur adversus Diabolum, mundum & carnem, ne rapiantur ex manibus suis Ioh. 10. & Rom. 8. uno verbo Incarnatus est, ut esset Mediator; at nullo opus fuisset Mediatore, nullo adhuc existente peccato.

3. Ex causa impulsiva missionis Christi quæ fuit charitas erga homines lapsos.

VI. III. Quia causa impulsiva missionis Christi fuit Amor & Charitas Dei erga homines non integros, sed lapsos Iohan. 3: 16. Quæ charitas longè impensiùs commendatur, quum statuitur eo solùm fine missum fuisse, ut nos à peccatorum vinculis liberaret, quàm si aliis de causis advenisset Rom. 5: 6. 7. 8.

4. à Patribus.

VII. IV. Patres sæpius hoc confirmant, Irenæ. lib. 5. cap. 14. *Si caro non haberet salvari, nequaquam Dei Verbum caro factum esset.* Aug. Serm. 9. de Verb. Apost. *Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos faceret, Tolle morbos, tolle vulnera, nulla est causa medicinæ.* Grego. lib. 4. c. 1. *Nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem nostram suscipere non oporteret* &c.

Fontes Solutionum. Col. 1: 15.

VIII. Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ* Col. 1: 15. non quasi ad exemplar ejus creaturæ rationales sint productæ, sed tum ratione generationis æternæ, tum ratione dominii, quod illi in eas competit. Omnia in ipso & propter ipsum creata dicuntur ut Deum, non ut hominem. In omnibus primus dicitur v. 19. dignitate, non tempore. Nec homo dicitur ad imaginem Dei factus, quòd formatus sit ad exemplar Christi, sed quia creatus est ad imaginem Dei essentialem, quæ in sapientia & sanctitate consistit, ut Paulus docet Eph. 4. Col. 3.

Eph. 5: 31.

IX. Aliud est matrimonium Adami & Evæ fuisse signum & typum matrimonii Christi cum Ecclesia ex intentione arcanâ Spiritus Sancti. Aliud cognitum fuisse Adamo, & proponi ab ipso ut vaticinium talis conjugii. Prius datur, non posterius. Et quod Apostolus applicat Christo verba Adami Eph. 5: 31. Non sequitur in eum finem ab Adamo prolata esse, sed tantùm allegoricè propter similitudinem ritè posse eò referri.

QUÆST. III.

X. Si Christus incarnandus non fuit ante considerationem peccati, Ecclesia non futura fuisset ἀκέφαλος, quia Caput futurus fuisset ejus, non secus ac Angelorum, non ratione humanitatis, sed divinitatis & creationis jure.

XI. Demonstratio amoris erga genus humanum per Filium incarnandum absque respectu peccati, & expiatio peccatorum per eundem incarnatum, non possunt spectari ut fines subordinati, cùm talis subordinatio repugnet Scripturæ, quæ non alium finem proposuit missionis Christi, quàm peccatorum salutem, nec fas est longiùs inquirere tacente Scripturâ.

XII. Deus non subtrahit naturæ humanæ id bonum, cujus capax est per capacitatem naturalem, quæ ex ipsius naturæ principiis exurgit; sed potest subtrahere illud cujus capax est juxta potentiam obedientialem seu non repugnantiam suscipiendi ea omnia quæ Deus vult. Talis est capacitas unionis hypostaticæ in natura humana.

XIII. Bonitas Dei sui communicativa potuit quidem esse motivum sufficiens, ut Deus creaturas produceret; sed non ut Filius Dei incarnaretur, quod ulteriùs respexit ad ejus restaurationem.

Secunda Propositio, Posito peccato & decreto Dei de salute hominum necesse fuit Filium Dei incarnari.

XIV. Secunda Propositio, *Non modò conveniens, sed necessarium fuit supposito peccato & decreto Dei de Redemptione hominum, Filium Dei incarnari ad hoc opus perficiendum.* Non quæritur de *necessitate simplici & absoluta* à parte Dei; Nam potuisset Deus si voluisset hominem non minùs ac Diabolum in exitio suo relinquere; Sed de *hypothetica*; An positâ voluntate redimendi homines, necessaria fuerit Incarnatio, An verò alio medio potuerit hoc fieri? Rursus non quæritur de *Necessitate Decreti*; Nemo enim negat posito, quòd Deus hoc ita decrevisset, necessariò debuisse ita fieri. Sed de *necessitate naturæ*. An seposito decreto & antecedenter ad illud necesse fuerit Filium Dei incarnari ad Redemptionem nostram? 3. Non quæritur de *necessitate congruentiæ*, quia fatentur omnes hoc maximè congruum fuisse Majestati divinæ, ne impunè violari dicerentur ejus præcepta. Sed de *necessitate Justitiæ*, ut non aliter justitiæ Dei satisfieri & liberatio nostra fieri potuerit, quod asserimus.

Status Quæstionis.

XV. Scio quosdam ex Veteribus in alia fuisse sententia, modos alios Deo possibiles non defuisse, quos hic sequuntur varii ex Scholasticis August. lib. 13. de Trin. c. 10. *Alius modus Deo possibilis non defuit, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse nec esse potuisse*, ad quem hic accedunt varii ex Scholasticis, Thomas part. 3. q. 1. Lomb. lib. 3. dist. 2. Bonavent. in 3. sent. Dist. 20. q. 6. Nec desunt ex Nostris, qui eò propendent; Martyr Lo. co. cl. 2. c. 17. l. 19. *Tilen. Syntag.* p. 2. de Incar. *Chimedontius* de Redempt. generis humani li. 1. c. 5. & præ cæteris *Twissus*, qui hoc operosè probare nititur. Sed non deferunt etiam ex Patribus & Scholasticis, qui hanc necessitatem agnoverunt,

Atha-

QUÆST. III. Athana. in tract. de Verbi Incarn. Anselmus in li. Cur Deus homo, Ambrosi. in Heb. 9. Quibus adstipulantur plerique ex Nostris maxime post exortum Socinum, quorum sententiam ut veriorem & tutiorem etiam amplectimur.

XVI. Rationes sunt, 1. Quia ut Deus justitiam suam abnegare nequit, non potuit homines liberare, quin priùs illis satisfactum esset, Non potuit satisfieri justitiæ infinitæ nisi per λύτρον aliquod infinitum, nec λύτρον illud infinitum potuit uspiam reperiri, quàm in Dei Filio. Justitiæ autem illius exercitium necessarium esse, non liberum seu arbitrarium, quod à solo Dei beneplacito pendeat, probavimus P. I. Loc. 3. de Deo Q. XIX.

XVII. 2. Quia si res aliter fieri potuit; Non credibile est Deum sapientissimum & optimum, consilium hoc initurum fuisse, quod parum convenire videbatur sapientiæ ejus & bonitati. Nam si solo verbo potuit homines liberare; An sapientiam decuisset tanto molimine rem tam facilem præstare, & cœlum ac terram quodammodo commovere? An per plura fecisset, quod facere potuit per pauciora; Et quis credat Patrem Filium suum dilectissimum, in quo omnis ejus εὐδοκία reposita est, citra necessitatem voluisse cœlo demittere, carne nostra induere, & mille ærumnis, & tandem dirissimæ morti pro nobis exponere? Sanè Sapientia & Bonitas Dei non patiuntur, ut credamus hoc illi liberum fuisse; sed necessitatem quandam ineluctabilem hic intercessisse opus est.

XVIII. Nec putandum nos hoc statuendo limites ponere velle Omnipotentiæ Dei, vel quid summo Jure possit in Creaturam definire. Sed tantùm ostendimus ex Scriptura quid possit vel non possit Deus juxta potentiam ordinatam, & Jus virtutibus temperatum. Cætera, quæ huc pertinent, tradentur in sequentibus, quum disputabitur de Necessitate Satisfactionis.

Tertia Propositio, Opus salutis requirebat θεάνθρωπον.

XIX. Tertia Propositio. *Non potuit opus Redemptionis peragi, nisi per θεάνθρωπον, qui Incarnationem humanam naturam divinæ indissolubili vinculo sociaret.* Cùm enim ad nos redimendos duo potissimùm requirerentur, acquisitio salutis, & ejusdem applicatio, mortis perpessio ad satisfactionem, & ejusdem victoria ad vitæ fruitionem; Mediator noster debuit esse θεάνθρωπος ut hæc exequeretur. Homo qui pateretur, Deus qui vinceret. Homo qui pœnas nobis debitas ferret, Deus qui eas perferret & exhauriret. Homo qui moriendo salutem nobis acquireret, Deus qui vincendo nobis eam applicaret; Homo qui noster fieret per carnis assumptionem, Deus qui nos sibi similes redderet per Spiritus collationem. Quod nec homo merus, nec Deus solus poterat; Nec enim mortem solus Deus sentire, nec solus homo superare potuit; solus homo potuit pro hominibus mori, solus Deus potuit mortem vincere. Utraque ergo natura sociari debuit, ut in utraque conjunctim & summa infirmitas humanitatis ad passionem,

nem, & summa virtus & Majestas divinitatis ad victoriam sese exererent.

XXI. Hominem esse decuit 1. ratione *Justitiæ Dei*, quæ requirebat ut peccatum in eadem natura puniretur, in qua commissum fuerat, juxta oraculum Ezech. 18: 4. *anima quæ peccavit morietur*; Sed & Deum, qui passionibus suis valorem adderet infinitum. 2. ratione *Officii Christi*, debuit Mediatoris munere fungi, ut homines Deo reconciliaret, Ergo debuit medius esse inter utrosque, & instar scalæ Jacobi cœlum & terram per utriusque naturæ participationem conjungere. Ut Propheta, debuit quâ homo desumi ex fratribus suis, ut familiariter cum hominibus versaretur, & liberè ad eum accedere possemus; Sed debuit ut Deus Spiritum in corda nostra mittere, & Legem inscribere in animis nostris, ut faceret θεοδιδάκτους. Ut Sacerdos homo esse debuit, quia Pontifex omnis ex hominibus sumitur Hebr. 5: 1. ut qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno sint omnes Heb. 2: 11. Sed & Deus ut hominem Deo conciliaret, justitiæ divinæ satisfaceret, peccatum aboleret, & justitiam seculorum adduceret, quod nemo mortalium potuit. Victima offerenda etiam non debuit esse Angelica, quæ mori non poterat, nec bruta, sed rationalis & humana, imo plusquam humana & cœlestis, quæ per Spiritum æternum se offerret, & veritati passionum adderet pondus & meritum infinitum. Ut Rex humanitatem ex nobis sumere debuit, quâ nobis uniretur, sed quæ unita esset divinitati, quâ non in corpora tantùm, sed & in animas, non ad tempus, sed in æternùm, non in una tantùm gente, sed in toto orbe imperium exerceret.

XXII. 3. Ratione *nostri* debuit esse homo, ut *Jure proximitatis*, & tanquam frater & גאל noster captivos & Diabolo mancipatos liberaret Luc. 1: 71. & nos à priori marito Lege & fœdere operum solutos æterno & indissolubili vinculo in fœdere gratiæ sibi uniret Rom. 7: 4. Eph. 5: 25. Et Deus ut *Jure proprietatis* & dominii nos redimeret & sibi vindicaret. Opus habebamus ὁμοιοπαθείᾳ morientis, & συμπαθείᾳ viventis; Debuit homo esse, ut omnes pœnas nobis debitas posset perpeti ut ὁμοιοπαθὴς; debuit esse Deus ut nobis patientibus tanquam Sacerdos misericors posset compati & tentatis succurrere. Malum quo premebamur tale erat ut licet nemo nisi homo illud ferre posset, nemo nisi Deus ab eo nos liberare posset. Et bonum quod fuit nobis conferendum, nimirum justitia & vita, tale fuit, ut licet ad hominem pertineret, nemo tamen nisi Deus nos in ejus possessionem mittere posset.

XXIII. Hinc fit ut Scriptura, quum de Christo loquitur, fere semper duas istas φύσεις conjungat, & ea illi tribuat quæ verè θεάνθρωπον esse doceant; Si vocatur Semen mulieris, quod hominis est, tribuitur illi contritio Serpentis, quod est Dei. Si dicitur Semen Abrahæ, ibidem additur esse

QUÆST. III. Semen in quo benedicendæ omnes gentes terræ. Si Propheta ex fratribus desumi debuit; At talis Propheta fuit, qui sub pœna mortis audiendus fuit Deut. 18. Puer est qui nascitur in tempore ut homo, sed Filius etiam, qui Pater est æternitatis ut Deus Isa 9. Germen Davidis secundùm carnem, sed Jehova justitia nostra secundùm Spiritum Jer.23:6. Filius ex Virgine nasciturus, sed cujus nomen futurum sit Immanuel Isa. 7. Angelus fœderis, qui à Deo mittitur ad opus salutis; sed idem Dominus, qui venit in Templum suum Mal. 3:1. Civis Bethlehemiticus obscuro loco oriundus; Sed Dominator cujus egressus sunt ab æterno Mich. 5:2. Sacerdos, sed in æternùm, Rex cujus regni nullus futurus est finis; Semen Davidis secundùm carnem, sed Filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis Rom. 1:3.4.

QUÆSTIO IV.

An sola secunda Persona S. S. Trinitatis fuerit Incarnata, Et quare?

I. IN admirando Incarnationis Mysterio, quod meritò Apostolus magnum sine controversia vocat 1 Tim. 3:16. Quatuor potissimùm sunt, de quibus quæstio movetur I. De *Persona Assumente.* II. De *Natura assumpta.* III. De *Assumptionis modo* per Unionem hypostaticam. IV. De *ejus Effectis.* Nos hic de primo disputamus.

Status Quæstionis. II. Non quæritur, An tota Trinitas in Incarnationis mysterio sit operata: cùm enim opera ad extra sint indivisa ex axiomate recepto Theologorum, non potest hoc Incarnationis opus, quod externum est, non esse commune quodam respectu toti Trinitati. Unde Pater dicitur misisse Filium Joh. 3:16. & Spiritus S. concepisse Filium in Utero B. Virginis. Imò tres Personæ necessariò requirebantur ad hoc opus. Una, quæ Dei Authoris rerum omnium & supremi Judicis, quæ pars erat læsa, majestatem sustineret. Secunda, quæ inter Deum & homines Mediatorem ageret, & pro hominibus satisfaceret. Tertia, quæ opus salutis in nobis perficeret. Ad primam pertinere dicitur salutis destinatio, Ad secundam ejus acquisitio, Ad tertiam ejus applicatio & consummatio. Quæstio ergo non est, An Incarnatio ullo modo pertineat ad S. S. Trinitatem? Sed tantùm, An terminativè & appropriativè Incarnata sit? Quia licèt *originaliter* & *principative*, quoad efficientiam sit totius Trinitatis opus, non tamen *subjective* & *appropriative* quoad *terminum*; quo sensu est solius Filii.

III. Non quæritur, An Deus Incarnari debuerit, quod antea probatum est;

est; Nec An tres Personæ incarnari potuerint? Quia unitas Mediatoris unitatem Personæ necessario requirebat. Sed Quænam Persona Trinitatis hoc in se receperit? An prima & tertia, An verò secunda tantùm? quod asserimus. QUÆST. IV.

IV. Rationes sunt 1. Quia Scriptura hoc Filio soli tribuit, non Patri, aut Spiritui Sancto. Λόγος tantùm dicitur caro factus Joh. 1: 14. Filius Dei, qui fuit in forma Dei formam servi assumpsit Phil. 2:6. & Heb. 2: 14 15. de Filio dicitur quòd participaverit carni & sanguini *&c.* & similis nobis factus sit in omnibus excepto peccato.

V. 2. Quia *Pater* non potuit incarnari, nam ut primus fuit ordine, non potuit à quoquam mitti, vel Mediatorem ad Filium & Spiritum Sanctum agere. Nec conveniebat, ut qui Pater erat in Divinis, Filius fieret in humanis ex Virgine nascendo. Non *Spiritus Sanctus*, quia debuit mitti à Mediatore in Ecclesiam Johan. 16: 7. at non potuit mitti à se ipso. Et sic duo fuissent filii, secunda persona per æternam generationem, & tertia per temporalem Incarnationem.

VI. 3. Solus Filius potuit ritè hoc munus suscipere, 1. Ut qui medius est inter Patrem & Spiritum Sanctum, Mediator esset inter Deum & homines. 2. Conveniens erat eum, qui Filius erat per naturam, facere nos filios adoptivos per gratiam, ut cohæredes essemus illius qui est hæres omnium. 3. Ejus fuit ἀνακτίζειν recreare, cujus fuit creare; ut Verbum, per quod omnia facta sunt in prima creatione, reformaret nos ad sui imaginem in secunda. Imago Dei per peccatum obscurata, & tantùm non deleta, non potuit in nobis meliùs reparari, quàm per eum, qui erat imago Dei invisibilis. 4. Non alius aptior fuit ad reconciliationem nostram faciendam, quàm qui Filius Patris erat ἀγαπητὸς, in quo εὐδόκησε Matt. 3: 17.

VII. Licet natura divina bene dicatur incarnata in Filio, non sequitur propterea totam Trinitatem incarnatam esse. Quia natura divina dicitur incarnata, non *immediate* & quatenus consideratur absolutè & in se, sed *mediate* in persona Filii, seu sub illa reduplicatione quatenus determinatur & characterizatur in Persona Filii; Ut Incarnatio sit opus non naturale, sed personale, quod terminetur ad personam, non ad naturam. Ita tota quidem natura divina bene dicitur Incarnata, non quòd sit Incarnata in omnibus personis, sed quia Personæ Filii Dei nihil deest quoad perfectionem divinæ naturæ. Singularem hanc unius Personæ Incarnationem absque reliquarum incarnatione, non impedit, Vel ea quæ Personarum est inter se σχέσις; quia cùm denotet distinctionem & oppositionem, ut gignere & gigni, impedimentum non affert, sed potius amovet. Vel ea quæ est inter personam & essentiam relatio; Quia cùm non aboleat discrimen personarum, nec impediat, quominus una persona reverà distinguatur ab altera; multò minus impedit, quominus una incarnetur absque altera. *Fontes Solutionum.*

QUÆST. IV.

VIII. Si Incarnatio tribuitur nonnullis in locis Deo ut 1 Tim. 3: 16. Col. 2:9. hoc intelligendum est de naturâ divinâ, non absolutè & in se, sed relatè ad characterem Filii, quo distinguitur à Patre & Spiritu Sancto. Et hoc volunt Patres, qui affirmant divinam naturam esse incarnatam, nimirum ἐν μιᾷ ὑποστάσεων, & ἐν ὑποστάσει λόγου. Ut hanc phrasim Damascenus explicat lib. 3. cap. 6. & Lomb. lib. 3. dist. 2.

IX. Licet essentia propter summam simplicitatem in partes dividi non possit: tamen quia aliter est in Patre, puta ἀγεννήτως, aliter in Filio, in quo est γεννητῶς, aliter in Spiritu S. Ideo potuit natura humana assumi secundùm unum subsistendi modum, qui constituit unam Trinitatis Personam, ut non assumeretur secundùm reliquos, qui reliquas personas constituunt; quandoquidem hi modi non solùm ratione, sed etiam re differunt.

X. Alia est ratio visionis intuitivæ in beatis, alia unionis hypostaticæ in Christo. Illa primò & per se terminatur ad essentiam divinam, ut est communis tribus personis, quia rem debet attingere sicut in se est, id. Deus debet videri & cognosci à beatis sicut est, adeoque simul Unus & Trinus. Sed non debuit uniri hypostaticè natura humana toti Trinitati; sed satis fuit eam conjungi naturæ divinæ, non quà latè patet, & convenit etiam Patri & Spiritui S. sed quà characterizata est, & determinata in Persona Filii.

XI. Si Doctores nostri non admiserunt phrasim Lutheranorum, qui Naturam divinam incarnatam asserunt, non hoc ideo faciunt, quasi absolutè & simpliciter negent naturam divinam incarnatam esse, & solum τρόπον ὑπάρξεως absque natura divina incarnatum dicant, ut injustè traducuntur. Sed tantùm minus accuratum loquendi genus perstringunt, quod neque cum Scriptura, neque cum veritate rei, nisi dextrè explicetur, stare potest.

QUÆSTIO V.

DE NATURA ASSUMPTA.

An Natura humana assumpta à Λόγῳ fuerit nostræ per omnia similis excepto peccato, & Caro ejus ex substantia B. Virginis desumpta? An verò cœlitus delapsa? Prius Affirm. Poster. Neg. contra Anabaptistas.

Varii errores circa humanitatem Christi Manichæorum.

I. UT variarum hæresium furoribus impetita est Christi Divinitas; Ita multos adversus ejus humanitatem excitavit hostes Satan. *Manichæi*

chai & *Marcionitæ* Christum non verè, sed apparenter tantùm & phantasticè hominem fuisse contendebant, Et ita humanitatem ejus in spectrum convertebant. *Valentiniani* corpus quidem habuisse, sed de cœlo missum, non de Virgine acceptum; Et corpus Virginis fuisse instar canalis, per quem Corpus Christi transierit. *Apollinaristæ* carnem quidem habuisse credebant, non tamen quòd eam ex Virgine sumsisset, sed quòd in Incarnatione aliquid Verbi in carnem conversum esset, & loco animæ divinitas carnem informaret. QUÆST. V. *Valentinianorum.*

II. Horum omnium prementes vestigia hodierni *Anabaptistæ*, negant Christum ex B. Virginis substantiâ carnem & sanguinem sumpsisse, *Colloq. Francothal.* art. 3. & *Embd.* art. 4. In sententia negativa consentiunt Belgæ & Germani, quòd Christus ex substantiâ Mariæ carnem & sanguinem non assumpserit; sed in affirmativa unde assumpserit dissentiunt. Germani id se ignorare fatentur. Belgæ verò clariùs profitentur carnem Christi esse ex Sermone vitæ, ex semine Patris, quòd semen sit Verbum Dei. *Anabaptistarum.*

III. Non quæritur, An Christus carnem habuerit, & homo fuerit & dici possit? Sed An homo similis per omnia nobis fuerit excepto peccato? Et An carnem ex B. Virgine, & non aliunde habuerit? Quod illi negant, nos affirmamus. *Status Quæstionis.*

IV. Rationes sunt. 1. Quia passim vocatur *Homo* & *Filius hominis*, quod vere dici non posset, si naturam nostræ similem id. ex hominibus desumptam non habuisset. Nec si Angeli, qui sub forma humana apparebant, aliquando vocantur homines, κατὰ δόξαν, quia tales videbantur iis, quibus apparebant, sequitur idem de Christo dici posse, quia nuspiam dicitur de illis, quòd fuerint Filii hominis, quòd facti sint caro, quòd participes fuerint carnis & sanguinis. *Christum esse verum hominem nobis similem probatur, 1. Quia vocatur homo & filius hominis.*

V. 2. Quia vocatur *Semen mulieris*, Gen. 3: 15. *Semen Abrahæ*, Gen. 12: 3. *Filius Abrahæ* Act. 3: 25. *Filius Davidis* & *fructus lumborum ejus* Luc. 1: 32. Rom. 1: 3. *Semen Virginis*, & *Fructus ventris* Luc. 1: 31. 42. *Factus ex muliere* Gal. 4: 4. Quomodo verò istis nominibus insigniri posset, nisi ex ipsa Mulieris & Virginis substantia, naturam nostræ similem habuisset? Nec dari potest 1. *Filium Abrahami vel Davidis vocari, quia promissus est*; Ita enim pariter posset vocari filius omnium fidelium, quibus etiam promissus est. 2. *esse Filium Davidis, eo modo quo Filius Josephi dicitur.* Quia Filius Josephi æquivocè tantùm vocatur, quia opinione aliorum talis videbatur, ὡς ἐνομίζετο, ut ait Lucas, sed Filius Davidis debet dici propriè & univocè, ut qui ex Patribus & ex semine Davidis secundùm carnem ortus fuit Rom. 1: 3. & 9: 5. 3. Vel *Fructum uteri Mariæ dici, quia in ea conceptus fuit, non ex ea.* Quia non denotatur tantùm *locus* conceptionis, sed etiam *materia*, ut explicatur Rom. 1: 3. Gal. 4: 4. quum *factus ex muliere* dicitur. Nec si Christus fuit Dominus Mariæ se- *2. quia dicitur Semen mulieris & Abrahæ. Fructus ventris. Act. 3: 25. Luc 1: 31. 32.*

QUÆST. V.

secundùm Spiritum; sequitur non potuisse esse Filium ejus secundùm carnem. 4. vel *semen intelligi spirituale*, *non naturale*. Quia tale semen debet intelligi, cujus vi ex Patribus oriri debuit secundùm carnem Rom. 9: 5.

3. quia factus est caro & frater noster. Heb. 2: 14. 16.

VI. 3. Quia particeps factus est Carnis & Sanguinis, & ex eo frater noster vocatur Heb. 2: 14. v. 16. Nec caro & sanguis simpl pro infirmitate potest sumi, sed innuitur necessariò veritas naturæ humanæ, quia agitur de homine, de quo Psal. 8. de eo qui gustare debuit mortem pro omnibus, qui *frater noster*, & *similis in omnibus esse debuit* v. 17. de eo, qui ex uno sanguine esset nobiscum, *nam qui sanctificat & qui sanctificantur*, *ex uno sunt omnes* v. 11. nimirum ex eadem massa seu natura humana, quam vocat v. 14. *carnem & sanguinem*; Ut ejusdem naturæ erat in Vet. Test. Pontifex sanctificans populum cum populo Heb. 5: 1. vel primitiæ cum reliquis fructibus. Atqui ita docet Christum idoneum esse, ut pro nobis pateretur, & passione suâ nos sanctificaret & redimeret, ut Goel noster. Quomodo verò vel esse ex uno nobiscum diceretur, vel frater noster nobis in omnibus similis perhiberetur, si naturam humanam, seu carnem nostræ ὁμοούσιον non habuit? Nec obstat quòd natura hæc etiam reprobis communis sit, cùm Christus eam filiorum gratiâ susceperit, nec aliam quàm omnibus communem suscipere potuerit.

4. quia semen Abrahæ assumpsit. Heb. 2: 16.

VII. 4. Quia *semen Abrahæ assumpsit*, *non Angelos* Heb. 2: 16. ubi τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι propriè apprehendere & assumere, seu suscipere significat, & rectè ad assumptionem naturæ ad unitatem Personæ refertur, ut sensus sit Filium Dei non Angelicam, sed humanam, & quidem secundùm promissionem, ex Abrahæ posteritate naturam assumpsisse; quem genuinum sensum esse scopus Apostoli, & series sermonis ostendit; hic enim intendit veritatem naturæ humanæ Christi, & ὁμουσίαν nobiscum probare per participationem carnis & sanguinis, quæ necessaria erat omnimodo ad Redemptionem; & quia v. 14. dixerat participasse eum carni & sanguini ut nos liberaret, jam docet quomodo, & unde carnem illam participaverit, nimirum assumendo semen Abrahæ, id. non naturam humanam in genere, sed in singulari naturam ex Abrahamo derivatam, juxta promissionem illi factam. Nec huic interpretationi obstant, quæ à Socino & aliis ad vim ejus eludendam afferuntur. 1. quod Ap. *non dixit ἐπελάβετο in præterito*, *sed ἐπιλαμβάνεται in præsenti*, *cum assumptionis naturæ actio sit momentanea non continua*; Quia cùm unio hypostatica perpetuò duret & conservetur, & conservatio sit continua quædam rei productio, non malè in præsenti loquitur. Adde quod enallage præsentis pro præterito frequenter occurrit, maximè in narrationibus rerum gestarum, ut res non tam acta, quàm geri videatur. 2. *Idem probaret per idem*, *Nam* fieri nobis similem, *quod sequitur*, *idem est quod assumere naturam nostram*. Sed verba sequentia, *Unde debuit*, non tam illationem

con-

continent ab eo quod hic asseritur, quàm affirmationem necessitatis illius rei, quæ ibi asseritur, ob id quod sequitur, *ut sit Pontifex* &c. 3. *Semen Abrahæ est collectiva locutio, quæ multos denotat nimirum credentes* Rom. 4: 16. Gal. 3: 29. Sed semen de uno individualiter etiam dicitur, ut non semel, & hic peculiariter intelligendum esse docet Paulus Gal. 3: 16. QUÆST. V.

VIII. Τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι non potest hic ad auxilium & patrocinium simplex referri, quia verbum hoc nusquam hoc sensu occurrit. Nec locus Rom. 15: 7. huc pertinere potest; Quia aliud est προσλαμβάνειν εἰς δόξαν, aliud ἐπιλαμβάνειν σπέρμα, illic Christus dicitur assumere in gloriam, seu participes facere gloriæ cœlestis, hic verò quòd assumat semen, seu particeps fiat carnis & sanguinis. 2. Ab hac ἐπιλήψει excluduntur Angeli; sed à cura Christi Capitis in munere suo exaltati, non excluduntur Angeli, qui Ecclesiæ triumphantis membra sunt Hebr. 12: 22. 3. Christus semen assumpsit in terris, ut antecedentium & consequentium collatio docet, ergo non demum in cœlis, ut vellent Adversarii.

IX. Quintò, Quia datur Genealogia Christi, ex quâ oriundus dicitur à Patribus secundùm carnem Matt. 1. Luc. 3. Rom. 1: 3. quod falsò illi tribueretur; si aliunde quam à B. Virgine carnis substantiam sumpsisset. *5. ex Genealogia Christi.*

X. Sextò. Si Christus nobis per omnia similis non est factus quoad identitatem naturæ, non potuit nos verè redimere, cùm peccatum in eadem natura, in qua commissum fuit, expiari debuerit. *6. Quia peccatum debet puniri in natura qua peccavit.*

XI. Christus dicitur *Dominus e cœlo* 1 Cor. 15: 47. non ratione materiæ corporis, sed ratione *Personæ* Λόγου, & naturæ divinæ, quæ se in carne manifestavit. 2. *causæ efficientis* nimirum *Spiritus Sancti*, ex quo humanitas concepta est. 3. *conditionis vitæ* Christi in terris, quæ non terrena & mundana, sed divina & cœlestis fuit, sanctitate, & potestate, non corpore. Antithesis quæ instituitur Ioh. 3: 31. & 8: 23. quum *Christus dicitur venire, & esse e cœlo, homines verò e terra*, non arguit carnem, ejus cœlitus descendisse, sed tantùm nudos & meros homines è terra oriundos, Christo θεανθρώπῳ opponit. Christus opponitur Adamo 1 Cor. 15. non ratione carnis, secundùm quam vocatur filius Adami Luc. 3: 38. sed ratione personæ & officii, ut Dominus è cœlo, homini nudo & animali, ut autor justitiæ & vitæ, autori peccati & mortis. *Fontes Solutionum. 1 Cor. 15: 47. Joh. 3: 31. & 8: 23. 1 Cor. 15.*

XII. *Similitudo* alia est *externæ apparentiæ* tantùm, alia verò *internæ veritatis*, & naturalium proprietatum. Christus dicitur factus *in similitudinem hominis* Phil. 2: 7. non priori, sed posteriori sensu, ut Adam dicitur genuisse Sethum ad similitudinem suam Gen. 5: 3. Et Elias dicitur ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν Iac. 5: 17. qui tamen verè & non apparenter tantùm habuit affectus humanos. Et si Christus dicitur σχήματι seu *habitu compertus ut homo* ibidem, *Phil. 2: 7.*

non

QUÆST. V. non propterea negatur veritas naturæ humanæ ejus, sed fortiùs adstringitur, quia illud ὡς, non est tantùm similitudinis, sed veritatis, ut sæpe alibi Joh. 1:14 2 Cor. 3:18. Nec si compertus dicitur in habitu externo, ut homo merus & peccator non secus ac alii, negatur fuisse verum hominem quoad identitatem naturæ. Denique quis hominem fuisse neget, qui habitu fuit compertus ut homo, & se usque ad mortem demisit?

XIII. Τὸ ὁμοούσιον Christi nobiscum consistit in identitate naturæ, & proprietatum essentialium, non verò in subsistentiæ ratione, quæ naturæ humanæ defuit; fuit ergo natura humana Christi singularis completa physicè in esse substantiæ, & quoad partes integrales, sed non metaphysicè quoad subsistendi modum.

XIV. Idem qui post resurrectionem in cœlum ascendit, descenderat de cœlo Eph. 4:9. quoad Personam, non quoad utramque Personæ naturam, descendit quà Λόγος per insignem manifestationem, ascendit quà θεάνθρωπος, nec necesse est ut ascensus respondeat omnino descensui, propter diversitatem subjectorum, unus verus est & localis, alter tantùm metaphoricus. *Panis qui è cœlo descendit* per manna olim adumbratus Joh. 6:33. non significat naturam humanam in abstracto, sed personam in concreto, quæ modò talis dicitur relatè ad naturam divinam, quum è cœlo descendisse dicitur, modò relatè ad humanam, ut quum dicitur caro Christi data pro mundi vita. Panis qui dat, est Persona Christi, qui datur, est Christi caro.

Eph. 4:9.

Joan. 6:33.

XV. Qui mulieres fingunt ἀσπόρους, & negant activè eas concurrere ad generationem; non modò Medicorum scholæ se opponunt, sed & Scripturæ contradicunt, quæ fœtificandi vim collatam tam fœminæ quàm mari asserit Gen. 1:28. & semen illis tribuit Gen. 16:10. & 24:60. Unde datur consanguinitas inter fratrem & sororem uterinos, licet distinctis patribus natos Lev. 18:9. 10.

Matt. 12: 47. 48.

XVI. Christus Mat. 12:47. 48. non negat Mariam esse matrem suam simpliciter: sed matrem & fratres spirituales carnalibus præfert, ut potiori apud se loco esse testetur.

XVII. Christus dicitur conceptus ex Spiritu S., non *materialiter*, sed δημιουργικῶς & efficienter, ut præpositio *Ex* notet hic *causam efficientem*, quia ejus virtute & operatione extraordinariâ conceptus est, non verò *materiam ex qua*.

XVIII. *Filius Dei viventis* non potest dici filius Mariæ secundùm id quo est Filius Dei; Sed quia naturam humanam ex ea assumpsit in unitatem personæ, rectè & verè etiam Filius Mariæ hoc respectu dicitur. Sic Maria potest dici verè θεοτόκος seu *mater Dei*, *Deipara*, si vox Dei sumatur concretè pro toto personali Christi, quod constat ex persona λόγου & naturâ humana, quo sensu vocatur *Mater Domini* Luc. 1:43. sed non præcisè & abstractè ratione Deitatis. Ita mater Dei dicitur *specificative* id. ejus, qui Deus est, sed non *reduplicative* quà Deus est.

XIX.

XIX. Quicquid natum est ex carne caro est, Joh. 3:6. nim secundùm naturæ ordinem, & modo naturali, seu generatione ordinariâ & univocâ; non verò extra ordinem, & modo supernaturali, quod hic factum. Hinc licet Christus ex Adamo peccatore ortum duxerit, non tamen peccatum ab eo traxit vel imputatum vel inhærens; quia non descendit ab ipso ex vi promissionis generalis, *Crescite & multiplicamini*; sed virtute promissionis specialis de Semine mulieris; Et licet fuerit in Adamo quoad naturam; non tamen quoad Personam & statum moralem, seu fœderalem rationem, per quam fit ut posteri Adami omnes, excepto Christo, peccato ejus participent. Quæst. V. *Johan.* 3:6.

QUÆSTIO VI.

De Veritate Incarnationis, et Unione Hypostatica.

An filius Dei Naturam Humanam in Unitatem Personæ assumpserit? Aff. contra Socin.

I. DUÆ sunt in Religione Christiana Quæstiones præ ceteris arduæ. Prima de unitate trium Personarum in una Essentia in Trinitate. Altera de Unione duarum Naturarum in una Persona in Incarnatione. Licet autem multùm inter se differant, quia in prima agitur de unitate essentiæ, & Trinitate Personarum; In altera verò de Unitate Personæ, & diversitate Naturarum; Tamen altera alterius cognitionem non parum juvat. Nam ut in Trinitate unitas essentiæ non impedit, quòminus distinctæ sint ab invicem Personæ, & incommunicabiles earum proprietates & operationes: Ita Unio Naturarum in Persona Christi, non obstat quominus & Naturæ & earum proprietates inconfusæ maneant & distinctæ.

II. Non Quæritur De veritate Naturæ humanæ, quia ea utrinque est in confesso; Nec de veritate naturæ aut hypostasis Filii Dei, quia alibi de ea actum est. Sed de *Incarnationis veritate*, An Filius Dei naturam humanam assumpserit in unitatem Personæ, ita ut idem qui Filius Dei erat, factus sit per unionem hypostaticam Filius hominis? Hoc asserunt Orthodoxi, negant Sociniani. *Status Quæstionis,*

III. Non Quæritur de *Unione physica* & essentiali duarum rerum ad constituendam unam tertiam naturam, ut anima unitur corpori ad constituendum hominem. Non de *unione* σχετικῇ & *relativa*, quæ in unione animorum & consensu voluntatum consistit, qualis est unio amicorum. Non de *unione* παραστατικῇ per *meram assistentiam*, qualis erat Angelorum cum cor-

QUÆST. VI. corporibus assumptis. Non de *Unione δεξιχῇ* quoad *efficaciam & sustentationem* generalem, quâ omnia sunt in Deo, & nos in eo sumus, vivimus & movemur Act. 17. Non de *Unione mystica & gratia* fidelium cum Christo. Non de *Unione ὀσιώδη* seu *essentiali* Personarum Trinitatis in una essentia. Sed de *Unione hypostatica*, per assumptionem naturæ humanæ in unitatem Personæ Λόγου. Quæ ita vocatur, tum ratione *formæ*, quia fit in Persona λόγου, tum ratione *termini*, quia ad eam terminatur. Ita *Unio personalis* est, sed non Personarum, ut *Unio naturarum*, sed non naturalis. Si quando vocatur à Patribus, ut Cyrillo Anath.. 3. Unio φυσικὴ *naturalis* sano sensu intelligendum est, ut non tam ratio unionis spectetur, quàm unionis extrema, quia extrema unita sunt duæ naturæ.

IV. *Unio* ista spectari potest, vel ratione *principii*, vel ratione *termini*. Priori sensu toti Trinitati tribuitur, cujus virtute facta est talis Unio, actione scilicet transeunte Dei, quâ univit in persona Λόγου humanitatem Christi. Posteriori soli Λόγῳ convenit, quia in eo terminatur. Unde etsi Persona λόγου bene incarnata dicatur, non tamen ipsa Trinitas, quia Incarnatio non terminatur ad Naturam divinam absolute, sed ad Personam τοῦ λόγου relatè.

V. Per Unionem ergo istam nihil aliud designatur, quàm duarum naturarum divinæ & humanæ intima & perpetua conjunctio in unitatem Personæ, per quam natura humana, quæ destituta fuit propria personalitate & ἀνυπόστατος fuit, quia aliàs persona fuisset, fuit assumpta ad Personam λόγου, & illi vel conjuncta vel adjuncta in unitatem Personæ, ut jam sit ἐνυπόστατος Λόγῳ, quatenus sustentatur ab ipso, non sustentatione generali, quà creaturæ omnes à Deo sustentantur, sed speciali & personali, quatenus in unam personam cum Verbo coaluit. Licèt verò natura humana rectè dicatur ἐνυπόστατος λόγῳ, quia assumpta est in unitatem Personæ, & ab eo sustentatur, minùs accuratè tamen dicitur subsistere subsistentiâ λόγου, quia tunc natura humana esset Persona divina.

VI. Natura humana in Θεανθρώπῳ potest dici ejus tum *adjunctum*, tum *pars* sano sensu. *Adjunctum*, non quòd ei adjuncta sit, aut adhæreat ut accidens subjecto, aut vestis corpori, sed quia Λόγῳ ab æterno existenti absque carne, conjuncta est in tempore in unitate personæ. *Pars* etiam analogicè, & latiore sensu, non quasi persona Christi componatur, aut constet ex duabus naturis incompletis, tanquam partibus propriè dictis, quod imperfectionem saperet; sed quòd subsistat non in unâ, sed duabus naturis & utrique non accidentaliter, sed essentialiter conveniat. Unde dicitur σύνθετον potiùs *numeri*, quàm *partium*, quia in ea res plures numero videlicet natura humana, & divina existunt. Si *instrumentum* Λόγου à quibusdam dicitur, hoc non fit ratione existentiæ, sed operationis, quia assumpsit eam propter operationem, & operatur per eam.

VII.

VII. Assumptio ergo ista non facta fuit ad *complementum Personæ* λόγου quà talis *reduplicativè*, quæ perfectissima fuit in se ab æterno, sed *Personæ* θεανθρώπου, seu Mediatoris *specificativè*, non ad perfectionis novæ acquisitionem respectu Filii Dei intrinsecè, sed ad perfectionis communicationem respectu nostri, & ad operandum extrinsecè, ut per eam naturam exequeretur quæ erant necessaria ad nostram redemptionem. QUÆST. VI.

VIII. Quum *Persona* θεανθρώπου à Patribus vocatur *composita*, ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ θεότητος ἐπουρανίου, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκός, ut loquuntur Patres Synodi Antiochenæ contra P. Samosatenum; Non intelligitur *compositio propriè dicta*, quasi natura divina & humana se habuerint ad modum partium incompletarum ad totius constitutionem; Sed impropria, quatenus compositum dicitur id quod ex differentibus rebus constat; Non *physica ex his*, id. ex partibus essentialibus, ut homo ex anima & corpore; Non *accidentalis cum his*, id. est subjecti & accidentis, Sed *hyperphysica & extraordinaria hujus ad hoc*, id. hujus naturæ assumptæ ad hoc suppositum, in qua alterum extremorum complet & perficit, alterum completur & perficitur. Nec absurdum est naturam divinam hoc modo venire in compositionem cum alio, quia hoc non fit per modum partis propriè dictæ, sed per modum assumentis alteram naturam, ut dicatur componere aliquid cum alio non essentialiter, sed personaliter, non ad perfectionem intrinsecam ejus, sed tantùm ad ejus operationem extrinsecam.

IX. Licet in Christo duplicem Unionem agnoscamus, unam personalem duarum naturarum divinæ & humanæ in unam personam, alteram naturalem animæ & corporis in unam naturam humanam; perperam tamen nobis impingitur à Lutheranis nonnullis, quòd duplicem in Christo statuamus Unionem hypostaticam, & ita Nestorianismo faveamus. Quia duæ illæ Uniones diversimodè inter se differunt, 1. *genere*, quia una est physica, altera hyperphysica. 2. *termino*, qui illic est natura, hic persona. 3. *subjecto* quod illic est sola natura humana, hic natura utraque. 4. *adjunctis*, quia illa est separabilis, quæ soluta fuit morte Christi, ista verò inseparabilis, quia quod semel Λόγος assumpsit, nunquam deposuit.

X. Quæstio ergo eò redit, An detur vera Incarnatio, id. An Filius Dei secunda S. S. Trinitatis Persona, non Personam, sed naturam humanam sibi in unitatem Personæ conjunxerit, non per conversionem & transmutationem, sed per assumptionem & sustentationem, ut Filius Dei factus fuerit Filius Hominis, & Mediator noster, & sit verè θεάνθρωπος? Negant Sociniani, qui in Christo docent unam tantùm esse naturam, hominem esse, non tantùm verum, sed etiam merum & simplicem, cujus proinde tota prærogativa fuerit in excellentia attributorum ejus, & Officii, non naturæ. Nos verò affirmamus.

QUÆST. VI.

Probatur Unio hypostatica.

1. Ex Jo. 1: 14.

XI. Rationes sunt, 1. Quia *Verbum Caro factum est* Joh. 1: 14. ubi distincta fit mentio 1. duorum extremorum, *Verbi* scilicet, quod esse suppositum divinum ex antecedentibus liquet, ubi dicitur fuisse Deus, & apud Deum, & fecisse omnia v. 1. 3. & *Carnis* quæ naturam humanam synecdochicè notat, 2. unionis per quam inter se conjuncta sunt, non utique per conversionem & mutationem, cujus Deus immutabilis est incapax; sed per assumptionem, quâ idem in se manens, nimirum verus & æternus Deus, factus est quod non erat per participationem carnis & sanguinis, juxta illud tritum, *sum quod eram*, nempe Deus, nec *eram quod sum*, nim. homo, *nunc dicor utrumque*, scilicet Deus & homo.

XII. Nec admitti potest impia Socini glossa, quâ, locum hunc clarissimum corrupturus, pertendit verbum ἐγένετο, non per *factus est*, ut vulgò communi Interpretum consensu redditur, reddendum esse, sed per *erat* vel *fuit*, ut alibi eo sensu usurpatur Joh. 1: 6. ἐγένετο *fuit homo missus à Deo* &c. & Luc. 24: 19. Quia glossa est textui apertè contraria, ubi Johannes apertè distinguit esse τοῦ Λόγου, ab esse carnis, id quod erat Christus ab æterno, ab eo quod in tempore factus est, prius significat verbo ἦν, v. 1. 2. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, sine ullo principii ortusve notatione, quia jam in principio erat Sermo, erat apud Deum, & erat Deus. Posterius notat verbo ἐγένετο, quod principii ac ortus designationem habet, quia in plenitudine temporis misit Deus suum Filium γενόμενον factum ex muliere Gal. 4: 4. qui alibi dicitur γενόμενος ex semine Davidis Rom. 1: 3. Nec si verbum γίνομαι alibi diverso sensu sumitur, sequitur non posse hoc sensu hic usurpari, quem series orationis necessariò postulat. Frustra addit *Carnis* voce humilem & abjectam Christi conditionem notari. Quia ita connotantur ejus infirmitates, ut supponatur semper natura humana, quæ earum est subjectum, ut dicatur Sermo factus Caro, id. homo vilis & infirmus nobis per omnia similis.

2. ex Phil. 2: 6. 7.

XIII. Secundò ex Phil. 2: 6. 7. *Christus in forma Dei existens, non reputavit rapinam esse æqualem Deo; sed se ipsum exinanivit acceptâ forma servi in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo &c.* ubi varia latent argumenta, non modò ad probandam Christi divinitatem, ut ostensum fuit Parte I. L. III. Qu. 28. Th. 11. sed etiam veritatem Incarnationis. 1. quia mentio fit expressa duarum naturarum Christi, *divinæ*, tum per μορφὴν Θεοῦ *formam Dei*, in qua dicitur fuisse, & per *æqualitatem cum Deo*, quam rapinam non duxit sibi tribuere, *humanæ* verò per μορφὴν δούλου *formam servi*, *quam assumpsit*, & *similitudinem hominum*, in qua factus est. 2. Unionis duarum istarum naturarum in unam personam, quia idem, qui erat in forma Dei, dicitur assumpsisse formam servi, & factus esse ad similitudinem hominum, non tantùm apparuisse in forma servi, ut olim apparebat in forma hominis sub V. Test. induendo ad tempus hanc formam, tanquam vestem

vestem vel symbolum præsentiæ suæ, sed *accepisse formam* illam, ut innueret veram assumptionem naturæ nostræ in unitatem personæ. Quò pertinet etiam verbum ἐκένωσε, quod non *simpliciter & absolute* est sumendum, quasi Deus esse desierit, vel in nihilum redactus, quod de Deo æterno & immutabili, vel impium est cogitare, sed ratione *status & comparatè*, quia divinam gloriam sub velo carnis occultavit, & quasi deposuit, non dimittendo quod erat, sed assumendo quod non erat, & ut propriè verbum ἐκένωσε importat, se *evacuavit*, vel evacuari visus est omni illâ gloriâ, quæ rectè plenitudo Deitatis dicitur, ut naturam nostram vilem, quæ mera est vanitas, & quasi nihilum respectu Dei, & in ea sortem abjectissimam & miserrimam servi susciperet, atque ita ex omnipotente infirmus, ex ditissimo pauper 2 Cor. 8: 9. ex Domino Angelorum servus hominum, ex glorioso & felicissimo statu, quo cum Patre fruebatur, in tristissimam ingressus est conditionem, in qua factus est vermis, non homo opprobrium hominum & dejectus populi Ps. 22: 7. sine forma sine specie Isa. 53: 2. & excisus ac veluti in nihilum redactus juxta Oraculum Dan. 9: 26. QUÆST. VI.

XIV. Frustrà hic ad evadendum Adversarii dicunt 1. μορφὴν Θεοῦ *non designare naturam divinam, quæ non potest exinaniri, sed excellentiam & dignitatem naturæ humanæ, spectatam in patratione miraculorum, & radiis illis quos exerebat sub velo carnis.* Quia 1. hoc sensu Christus sumpsisset formam servi, antequam fuisset in forma Dei, directè contra Paulum, qui asserit Christum jam subsistisse in forma Dei, cùm acciperet formam servi, & talem existentem se exinanivisse assumptâ formâ servi. 2. forma Dei hic est *parem esse cum Deo*, quod de quacunque excellentia naturæ Angelicæ, nedum humanæ dici nequit. Apostoli stupenda miracula patrarunt, imo majora ipsis Christi miraculis, Joh. 14: 12. nec tamen ideo possunt dici pares Deo. 3. Deus non potest exinaniri per gloriæ imminutionem, sed per ejus occultationem, non apud Deum *extrinsece*, sed *intrinsece* quoad homines. II. non meliùs volunt *formam servi, non humanam naturam Christi connotare, sed tantum abjectissimam Christi conditionem, quia acceptâ formâ servi dicitur tantum factus ad similitudinem hominis* id. *sicut homo, non autem factus homo simpliciter.* Quia separantur conjungenda; servilis enim conditio Christi, quæ per formam servi designatur, non excludit veritatem naturæ humanæ, sed supponit, quia non potuit statum illum servilem subire nisi in natura humana. Nec si ad similitudinem hominum factus dicitur, negatur identitas specifica naturæ humanæ, sed tantum numerica; aliàs Sethus non esset ejusdem naturæ cum Adamo, quia dicitur factus ad ejus similitudinem Gen. 5: 3.

XV. Tertiò, Quia *Deus manifestatus est in carne* 1. Tim. 3: 16. ubi duæ naturæ divina & humana connotantur, quæ in personam Christi coalue- 3. ex 1 Tim. 3: 16.

QUÆST. VI. luerunt per incarnationem; aliàs non posset dici idem Christus, Deus & caro, *manifestari in carne* idem est quod alibi *participem fieri carnis & sanguinis* Heb: 2: 14. *fieri carnem* Ioh. 1: 14. & ἐν σαρκὶ ἐρχεσθαι *venire in carne* 2 Ioh. 7. Deus non οὐσιωδῶς, sed ὑποστατικῶς nempe in persona Λόγου dicitur manifestatus, non tantùm signo aliquo præsentiæ suæ hominibus dato, ut in rubo ardenti Exod. 3. vel in nube & caligine, ut 1 Reg. 8: 10. 11. nec assumptâ tantùm ad tempus humanâ formâ, ut Gen. 18. vel per inania φάσματα, quo modo Dii falsi se aspectabiles reddebant *induentes se corporibus*, ut ait Servius ad Æneid. 7. ἑαυτοὺς εἰδοποιοῦντες εἰς ἀνθρώπους, ut Heliod. loquitur; Sed *in carne* id. in naturâ humanâ mortali & miserâ. Non dicit simpliciter divinitatem in abstracto, sed Θεόν in concreto, nimirum personam Λόγου manifestatam esse, quia Incarnatio non est naturæ divinæ absolutè, sed personæ.

4 ex Rom. 1. 3. XVI. Quartò, Ex locis, ubi duæ naturæ in Christi Persona clarè proponuntur Rom. 1: 3. 4. *factus est ex semine Davidis secundùm carnem, & declaratus Filius Dei in potentia secundum Spiritum sanctificationis*, limitatio secundùm carnem & Spiritum innuit duas ejus naturas, alteram secundùm quam factus est ex semine Davidis, nimirum humanam, alteram divinam secundùm Spiritum sanctificationis, per quem declaratus est Filius Dei per resurrectionem, indubitatum divinitatis ejus argumentum. Nec si τὸ *secundum carnem* alibi sumitur sensu paulò diverso, vel pro corruptione, ut *ambulare secundùm carnem* Rom. 8: 1. vel pro externâ specie, quæ in sensus incurrit, ut *judicare secundùm carnem* Joh. 8: 15. sequitur hic non posse significare Christum quoad naturam humanam; Cùm & Semen Davidis, & antithesis Spiritus hoc necessariò postulet. Nec si idem homo potest dici natus secundùm carnem, & secundùm spiritum, ut de Isaaco dicitur Gal. 4: 29. Continuò negari debet alibi duplicem naturam designari, Aliud est limitationem apponi *agenti quoad modum generationis*, quo sensu *Isaacus* dicitur genitus *secundùm Spiritum*, licet genitus sit secundùm carnem, quia vi promissionis specialis editus est modo supernaturali, Aliud est apponi *subjecto*, *quoad naturas* ex quibus constituitur, ut hoc loco fit.

Rom. 9: 5. XVII. Eadem limitatio apponitur Rom. 9: 5. quum dicitur, *Christus secundùm carnem à Patribus, Deus benedictus in secula*, ubi natura humana designatur secundùm quam oriundus sit à Patribus, & divina secundùm

1 Pet. 3: 18. quam sit Deus benedictus in secula. Sic 1 Pet. 3: 18. dicitur *mortificatus carne* id. passus in natura humana, sed *vivificatus Spiritu*, id. per divinitatem suscitatus, per Spiritum illum æternum, per quem se obtulerat Deo Heb. 9:

Act. 20: 28. 14. Sic Act. 20: 28. *Deus* dicitur *acquisivisse Ecclesiam suam sanguine suo*, ubi vox ἰδίου *proprii* ostendit naturam quæ passa est, revera pertinere ad personam illam divinam, quæ dicitur acquisivisse Ecclesiam suam,

XVIII.

XVIII. Licet natura humana Christi, sit substantia prima intelligens, & perfecta in esse substantiæ; non statim est Persona; quia non habet incommunicationem, & propriam subsistentiam. Ut anima separata est substantia singularis intelligens, non tamen persona, quia est Ens partiale, incompletum, quod non subsistit, sed alteri debet adjungi. Carentia verò propriæ personalitatis veritati & perfectioni humanæ naturæ Christi non derogat. Quia veritatem naturæ humanæ ex materia, forma, & proprietatibus essentialibus, non ex personalitate metimur. Unde alia est naturæ, alia subsistentiæ definitio. Deinde personalitas, nec est pars integralis, nec essentialis naturæ, sed quasi terminus, quem quia in subsistentia increata sortitur, eo ipso longè perfectior est, quàm si a Verbo separata per se subsisteret.

QUÆST. VI. *Fontes Solutionum.*

XIX. Filius Dei non assumpsit hominem *suppositaliter* ita dictum, sed *naturam humanam*, id. hominem *specificè* sic dictum. Et quoties homo, vel Filius hominis dicitur Christus in Scriptura, nomen est non Naturæ, sed Personæ ab altera natura denominatæ.

XX. *Deus* & *Homo*, vel spectantur in *abstracto*, ad denotandam divinitatem & humanitatem, vel in *concreto* ad designandam personam, quæ Deus est & homo simul. Posteriori sensu non sunt disparata, sed diversa, quæ uni possunt competere subjecto; sed priori verè sunt disparata, quæ de se invicem nunquam prædicari possunt; quamvis bene dicatur homo est Deus, malè tamen diceretur, humanitas est divinitas. Licet verò talia disparata non possint esse unum numero ordinariè & physicè; Nihil obstat quominus Theologicè, & in Supposito illo extraordinario θεανθρώπε hoc statuatur.

XXI. Non multum laborandum censemus in explicanda natura & specie Propositionum, quæ in isto mysterio adhibentur, quales sunt istæ, *Deus est Homo*, *Homo est Deus*, cùm nihil simile in tota rerum universitate occurrat, & hoc sensu bene *inusitatæ* vocantur; non *disparatæ*, quibus disparatum de disparato prædicatur, quia nulla persona est disparata à seipsa; Sed *identicæ*, ubi unum prædicatur de seipso non formaliter, sed materialiter. Quo sensu *synonymicæ* consideratione logicâ, & *tropicæ* consideratione rhetoricâ dici possunt. *Synonymicæ*, quia subjectum & prædicatum sumuntur concretivè propter unitatem personæ, ut sensus sit, Persona quæ Deus est, est etiam Homo, atque ita species infima prædicatur de Individuo extraordinario & singulari. *Tropicæ*, quia subjectum & prædicatum eandem quidem designant personam, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο id. quoad Deitatem, & humanitatem. Ista ergo prædicatio tropica, *Deus est Homo*, & *Homo est Deus* non est resolvenda in hanc propriam, Deitas est Deus, humanitas est homo, ut perperam objiciunt Adversarii. Sed in istam, Christus Deus secundùm Deitatem, est Homo secundùm humanitatem, & vicissim. Quomodo

QUÆST. VI. modo *Deus* dicitur *passus*, id. Christus qui Deus est secundùm Deitatem, passus est, non in deitate, sed in *carne*.

XXII. *Communicatio hypostasis* Λόγου facta Carni tripliciter potest intelligi, Vel *effectivè*, quasi effecerit in Carne aliam hypostasim. Vel *transitive*, ut suam hypostasim in Carnem transfudisse formaliter statuatur, Vel *assumptive*, quia Carnem in eandem hypostasim assumpsit, & sibi univit. Priori modo phrasis est heterodoxa & Nestoriana, quia si effecisset aliam hypostasim, duæ essent hypostases, & per consequens duæ personæ. Secunda non minùs est hæretica, quia sic Caro subsisteret formaliter subsistentia Λόγου, & sic verè esset persona; Adde quod proprietas personalis simpliciter est incommunicabilis. Sed tertio demum sensu vera est & orthodoxa, ut nimirum Λόγος dicatur communicasse suam subsistentiam carni, assumendo eam in hypostasis suæ unitatem, ut ita caro non sit hypostasis, sed ἐνυπόστατος, non separatim existens, sed in λόγῳ sustentata, tanquam instrumentum & adjunctum ei personaliter conjunctum, ad peragendum opus redemptionis nostræ.

XXIII. Quæ sunt contradictoria, non possunt convenire eidem subjecto, eodem modo, & respectu; Sed esse dependentem, & independentem, finitum, & infinitum, competit Christo κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, illud respectu naturæ humanæ, hoc respectu divinæ.

XXIV. *Distantia infinita localis* potest impedire unionem duarum naturarum, sed non *distantia infinita perfectionis*, quæ est inter naturam humanam & divinam.

XXV. Si Filius Dei assumpsit naturam nostram, nihil propterea illi additum est intrinsecè ad perficiendam ejus naturam, quæ habuit jam eminenter omnem perfectionem humanitatis; sed tantùm extrinsecè aliquid illi est adjunctum ad operandam redemptionem.

XXVI. Qui fit, quod antea non erat, *transmutativè*, mutatur; sed non statim, qui fit tantùm, quod non erat, *assumptive*. Mutatio ergo, si qua hic detur, est in natura humana, quæ modo extraordinario & singulari sustentatur à Λόγῳ, non in Persona Λόγου, qui idem semper existens sibi univit eam.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An Unio hypostatica duarum Naturarum in Christo ita facta sit, ut nec Persona divisa sit, nec Naturæ confusæ? Aff. contra Nestorium & Eutychem.

Duo scopuli vitandi circa Unionem hypostaticam, Nestorianismus & Eutychianismus.

I. Licet modus Unionis hypostaticæ sit ἄῤῥητος positivè, negativè tamen non malè designatur, quum negatur esse facta, vel per Personæ divisionem, vel per Naturarum confusionem, Qui duo sunt scopuli præcipuè hic vitandi, *Nestorianismus* ex una parte, qui Personam dividebat, ex altera *Eutychianismus*, qui Naturas confundebat.

II. Cui duplici errori ut se opponerent Patres Synodi Chalcedonensis ann. 451. congregatæ, dixerunt, factam fuisse Unionem ἀδιαιρέτως, & ἀχωρίστως *indivisibiliter*, & *inseparabiliter* adversus Nestorium, & ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως, *sine mutatione & confusione* adversus Eutychem; Quia ita unitæ sunt duæ Naturæ in unam Personam, ut nec conversæ sint una in alteram, nec confusæ, ut ex duabus tertia quædam ex duabus conflata emergeret; sed inconfusæ permanserint cum suis utrinque proprietatibus.

Sententia Nestorii expenditur.

III. Primus error est Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani, qui ex duabus naturis Christi, duas fingebat personas, ideo B. Virginem θεοτόκον seu *Deiparam* dici posse negabat, sed tantùm χριστοτόκον, & Christum non θεὸν, sed tantùm ἄνθρωπον θεοφόρον *hominem Deiferum*; Atque ita duos Christos faciebat, quorum unus crucifixus fuerit à Judæis, alter verò nequaquam: Unde illud identidem ingeminabat, *Quid gloriaris Judæe? hominem crucifixisti, non Deum.* Nec aliam ἕνωσιν Naturarum agnoscebat, quàm accidentalem, tum κατὰ παράστασιν & simplicem habitationem, quatenus Verbum habitabat in Christo homine, ut in suo Templo, tum κατὰ χάριν & εὐδοκίαν, quatenus Deus maximè acquiescebat, sibique placebat in hoc homine, tum κατ' ἐνέργειαν per operationem, quatenus instrumentum Dei erat in admirandis illis operibus, quæ Filius Dei patrabat; tum κατὰ ταυτοβουλίαν & *affectum*, respectu consensionis inter voluntatem hominis & Dei in Christo, tum κατ' ἀξίαν & ἰσοτιμίαν respectu dignitatis in assumptam Carnem collatæ.

IV. Licet verò non desint, qui faventiores Nestorio, & Cyrillo iniquiores, illum orthodoxum, qui naturas quidem in Christo distinxerit, sed non separârit, atque adeo injustè in Concilio Ephesino damnatus fuerit; istum verò hæreticum prædicare sustinuerint; Atque ita constanti hactenus in Ecclesiis

QUÆST. VII. Reformatis sententiæ sese opponere non dubitârint. Non putamus tamen ratione ullâ solidâ commentum hoc novitium, & κυρίαν illam δόξαν posse demonstrari. Imò non pauca sunt, quæ ejus vanitatem evincunt. I. Quia nemo facile præsumere potest, Nestorium verè non sensisse, quod illi unanimi consensu impingitur, tum à tribus Conciliis œcumenicis Ephesino, Chalcedonensi, & Constantinopolitano II. tum ab Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, & Hæresiologis, imò & ab ipsis legibus Cæsareis c. de summa Trinitate l. 5. 6. & 7. quæ Nestorii libros comburi, & perfectissimo interitui mancipari jubent, & ultimum supplicium denunciant iis, qui talia scripta aut tales libros habere aut legere sustinuerint. II. Duodecim Capitula seu Anathematismi Cyrilli à Synodo Ephesina approbati, relati à Forbesio lib. 2. c. 6. clarè hoc evincunt. III. Non aliâ de causâ Nestorius negavit Mariam posse dici θεοτόκον, nisi quia duas naturas in unam Personam coaluisse negabat. Quod *Vincentius Lyrinensis* ejus coætaneus extra partes positus testatur *Commoni. sui lib. 1. c. 17.* quod triennio post Concilium Ephesinum scripsisse se refert. *Nestorius contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult Filios Dei, duos Christos, hunc Deum, alterum hominem* &c. Nec si Nestorius ambiguis & flexiloquis usus est phrasibus ad errorem suum tegendum, quæ sanum sensum utcunque possent admittere; sequitur statim fuisse orthodoxum; Vel Patres, qui penitius ejus mentem noverant, aliam, ab ea quam fovebat, illi sententiam affinxisse. Nec si Cyrillus phrases duriores aliquando adhibuit, & quæ videbantur ad Eutychianismum accedere in refutando Nestorio, ut fieri non rarò solet ab iis, qui errorem unum oppugnaturi, in alium videntur delabi; inde colligi potest eum minus rectè sensisse de hoc mysterio, & Eutychi favisse. Ut quum aliquoties dicit, *unam* esse Λόγου incarnati *naturam*, non vult humanitatem & divinitatem in unam naturam coaluisse, cùm ibidem statuat unionem factam esse ἀσυγχύτως, sed hoc ait oppositè ad Nestorium, quia unum est ὑφιστάμενον, quo *Verbum Carni secundum hypostasim unitur*, ut habetur Anath. 2. Quicquid sit, Quæstio est historica, *facti*, non *juris*, quæ non obstat, quominus error qui Nestorio tribuitur, ut fundamentalis rejiciendus sit, ut rejicitur ab omnibus Orthodoxis, qui Unionem hypostaticam cum distinctione quidem Naturarum, sed sine divisione Personæ factam asserunt, Rationibus variis nixi.

Et rejicitur. V. Primò, hoc probant loca, quæ ostendunt Dei Filium de Virgine natum esse; quòd cum respectu naturæ divinæ intelligi non possit, quæ increata est & æterna, sed de humana, quæ suo tempore principium habuit, rectè concluditur divinam humanamque naturam in Christo nonnisi unam personam constituere, de qua rectè prædicentur quæcunque in divinam & humanam naturam competunt, Luc. 1:35. *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur*

Filius

Filius Dei. Galat. 4: 4. *Deus misit Filium suum, factum ex muliere* &c. QUÆST. VII.

VI. Secundò, loca in quibus una persona duabus constans naturis describitur Rom. 1: 3. dicitur *Christus ex semine Davidis secundum carnem*, & *Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis* Rom. 9: 5. *Deus benedictus in secula, & homo oriundus à Patribus* 1 Tim. 3: 16. *Deus manifestatus in carne* Phil. 2: 5. 6. *Ille qui in forma Dei erat, sese exinanivit assumptâ formâ servi.*

VII. Tertiò, loca quæ diversas proprietates & operationes uni Christo tribuunt, ut quòd Filius hominis, qui descendit de Cœlo, sit tamen in cœlo Joh. 3: 13. Dominus gloriæ fuerit crucifixus 1 Cor. 2: 8. Deus acquisiverit Ecclesiam proprio sanguine Act. 20: 28. omnis plenitudo Deitatis in ipso habitet Col. 2: 9. quæ de eo prædicari non possent, nisi duæ naturæ in unam personam coaluissent.

VIII. Ubi sunt duæ naturæ completæ, tam in esse substantiæ, quàm subsistentiæ, & incommunicabiles, ibi sunt duæ personæ. At in Christo non sunt duæ naturæ completæ quoad subsistentiam, & incommunicabiles. Nec si in Petro & Paulo duæ naturæ singulares duas personas constituunt; sequitur idem in Christo locum habere; quia duæ naturæ in hominibus habent incommunicabilitatem cum singularitate; sed non in Christo, quia natura humana destinatur ad assumptionem Verbi, cui personaliter est unita. Nec inde sequitur vocem hominis prædicari æquivocè de Christo & de nobis, sed tantùm vocem hominis modò specificè sumi, pro natura humana, quomodo de Christo prædicatur, modò suppositaliter pro persona, quomodo nobis tribuitur. *Fontes Solutionum.*

IX. Actiones & passiones sunt suppositorum *denominative*; Sed non obstat, quin tribuantur *formaliter* naturæ uni vel alteri. Sic passio & mors propriè & formaliter est naturæ humanæ, sed denominative Personæ secundùm alteram naturam.

X. Templum physicè & materialiter, non potest idem esse cum eo qui in ipso habitat; sed metaphoricè & mysticè negatur. Ut anima dicitur esse in corpore suo tanquam in Templo vel Tabernaculo, licet eandem personam cum eo constituat. Christi humanitas vocatur hoc sensu Templum divinitatis, non priori; atque inde distinctio quidem naturarum bene notatur, sed non personæ divisio.

XI. Maria rectè vocatur θεοτόκος seu *Deipara* in *concreto* & *specificativè*, quia eum peperit qui etiam Deus est, sed non in *abstracto* & *reduplicative*, quà Deum. Quamvis verò expressè hoc non dicatur in Scriptura; satis tamen innuitur, quum dicitur mater Domini Luc. 1. & mater Immanuelis. Si B. Virgo nihil contulit ad Personam Λόγου præcisè consideratam, potest tamen dici aliquid contulisse ad Personam Λόγου incarnati œconomicè spectati, quatenus naturam humanam dedit, quam in unitatem Personæ secum assumpsit.

QUÆST. VII.

XII. Si titulus Deiparæ delatus Virgini, raptus fuit ab hominibus superstitiosis in occasionem idololatriæ, ut observat Paulus Sarpius Histo. Concil. Trident. lib. 2. *Ex quo Nestorii impietas divisit Christum, duos constituens filios, & eum, qui Virgine Mariâ genitus, Deum esse negans; Ecclesia, ut in animos fidelium veritatem Catholicam insereret, in Orientis juxta atque Occidentis Ecclesiis, hinc hæc verba sæpius inculcanda existimavit*, Μαρία θεοτόκος, Maria Mater Dei. *Id quidem in honorem Christi solummodo institutum, cum Matre sensim communicari cœpit, & tandem ad eam solam omnino relatum* &c. Licet, inquam, crassissimus hic error hâc occasione, vel natus sit vel auctus; nihil id veritati derogat, quia abusus & error Pontificiorum, usum legitimum istius nominis non debet tollere.

Eutychianismus.

XIII. Secundus scopulus hic vitandus est *Eutychianismus*, priori oppositus, dictus ab Eutyche Archimandrita Constantinopolitano, qui dum fervidiùs se opponit Nestorio Personam Christi in duas dividenti, naturas duas in unam confudit, qui à Concilio Chalcedonensi damnatus fuit: quò pertinent duo adverbia ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως *inconvertibiliter* & *inconfusè*, quibus innuitur, nec mutari aut converti per unionem hypostaticam unam naturam in aliam; nec ita naturas inter se confundi aut misceri, ut earum unaquæque suas proprietates & conditiones non retineat.

XIV. Rationes sunt I. Quia frequens est in Scriptura duarum naturarum in Christo oppositio Rom. 1:3. 1Pet. 3:18. Heb. 9:14. Joh. 1:14. Phil. 2:6.7. II. Quia duæ illi tribuuntur voluntates Luc 22:42. *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Nec sequitur propterea duos esse volentes, quia voluntas pertinet ad naturam; at volens ad personam; nec voluntatem sequi statim personalitatem, patet, quia in Deo sunt tres Personæ, sed una tantùm voluntas. III. Contraria tribuuntur Christo, quæ sine duabus in ipso naturis locum non haberent, ut quòd sit discessurus à mundo, & mansurus nobiscum in æternùm, quòd infans natus sit, qui est Pater æternitatis, quòd mortificatus sit, & vivificatus *&c.* in forma Dei, & in forma servi, *&c.*

Fontes Solutionum.

XV. Licet operationum Christi *principium quod* sit unicum, duplex tamen est *principium quo*, divinitas & humanitas, unum est ἐνέργημα, in quo vim suam exerit utrumque principium quo, sed duplex ἐνέργεια.

XVI. Quæ in unam coalescunt naturam, non sunt distinguenda, sed non quæ in unum suppositum, quomodo naturæ duæ in Christo coalescunt quidem in idem suppositum, sed non in eandem naturam, quæ ex duabus constituatur, ut anima & corpus. Nec si Patres aliquando utuntur istâ similitudine ad unionem hypostaticam describendam; sequitur eandem esse utrobique rationem; Conveniunt quidem in eo, quòd sicut corpus & anima conveniunt in unam personam; Ita divinitas & humanitas; Et ut anima operatur per corpus, ut organum sibi substantialiter unitum; Ita & divini-

vnitas per humanitatem. Sed in eo differunt, quòd corpus & anima conveniunt in personam, ut partes & naturæ incompletæ; Sed divinitas nec est pars propriè, nec natura incompleta: Deinde ex anima & corpore tertia quædam natura exurgit; sed non ex divinitate & humanitate. QUÆST. VIII.

XVII. Aliud est loqui de *Toto Christo*, Aliud de *Toto Christi*, Totus Christus est Deus & homo, sed non totum Christi. *Totus* denotat personam in concreto, sed *Totum* naturam in abstracto. Rectè ergo dicitur Totum Christum esse Deum vel hominem, quia hoc notat personam; sed non Totum Christi, quia hoc notat naturam utramque quæ est in ipso.

QUÆSTIO VIII.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

An humanæ Naturæ Christi per Unionem Personalem communicatæ sint formaliter quædam Proprietates Divinæ Naturæ? Neg. contra Lutheranos.

I. EFfecta Unionis hypostaticæ duplicia sunt, Alia quæ *humanam* Christi *naturam*, Alia quæ *Personam* in utraque natura subsistentem spectant. Ad priora referuntur vulgò, Tum *Gratia Eminentiæ*, quæ est dignitas naturæ humanæ supra omnes creaturas, orta ex ejusdem cum natura divina unione, per quam propria Filii Dei caro est, quod de nulla alia creatura dici potest. Tum *Gratiæ habituales*, insignes scilicet illæ dotes, quas Natura divina contulit in humanam, quæ etsi summæ sunt & perfectissimæ in suo ordine, non fuerunt tamen simpliciter infinitæ, sed pro capacitate recipientis in ordine donorum creatorum; Ita tamen ut majores fuerint, quàm in ullis Angelis, vel Sanctis, tum subjecti dignitate, tum partium graduumque perfectione; Unde Pater dicitur non admetiri illi Spiritum ad mensuram Joh. 3: 34.

Effecta Unionis Hypostaticæ respectu naturæ humanæ sunt, Gratia Eminentiæ. Gratiæ habituales. Respectu Personæ.

II. Respectu *Personæ* triplicia rursus sunt effecta, 1. *Communicatio Idiomatum* & proprietatum utriusque naturæ cum Persona, 2. *Communio Officii, & Apotelesmatum*, per quam Opera Mediatoria ad salutem nostram spectantia tribuuntur Personæ secundùm utramque naturam agenti. 3. *Communio Honoris* & cultus, qui θεανθρώπῳ debetur.

1. Communicatio Idiomatum. 2. Communio officii. 3. Communio honoris.

III. *Communicatio Idiomatum*, de qua nunc disputamus, est effectus U-

Communicatio Idiomatum.

QUÆST. VII. Unionis, quo utriusque naturæ proprietates Personæ sunt factæ communes. Unde phraseologia, seu modus loquendi de Christo oritur, quo de Christi Persona, quocunque modo denominetur, prædicantur alterutrius Naturæ proprietates. Quod fit vel *directe*, quum prædicantur de Persona à divina naturà denominatà, quæ sunt naturæ divinæ, & ab humanâ denominatâ, quæ sunt humanæ, ut quum *Sermo* dicitur *fuisse in principio apud Deum, & Deus* Joh. 1: 1. quum Filius hominis dicitur tradendus morti & crucifigendus Luc. 9: 22. vel *indirectè*, quoties de Christo Homine prædicantur, quæ divinitatis, & de Christo Deo, quæ humanitatis, ut quum passio tribuitur Deo, Act. 20: 28. & ubiquitas, quæ divinitatis est propria, tribuitur Filio hominis Joh. 3: 13.

Potest dici realis. IV. Communicatio ista, non est tantùm *verbalis*, sed *realis* rectè dicitur, non quidem respectu *Naturarum*, quasi proprietates unius naturæ, sint reipsâ communicatæ alteri; Sed respectu *Personæ*, quæ duabus naturis realiter unitis constat, & utriusque sibi idiomata vendicat. Licet enim realis sit unio naturarum inter se, non necesse est, ut proprietates naturarum sibi invicem communicentur; sufficit ut communicentur toti Supposito propter illam unionem.

Spectatur vel in concreto, vel in abstracto. V. Communicatio ista potest spectari, vel *in abstracto* respectu Naturæ, vel in *concreto* respectu *Personæ*. Voces *concreti* & *abstracti* non sumendæ sunt sensu abusivo Lutheranorum, quibus *abstractum* est natura humana abstracta, sive separata à Deitate; *concretum* verò est natura humana prout unita Λόγῳ, quod repugnat communi usui Philosophorum, & naturæ rei, secundùm quam, natura humana nunquam potest à Λόγῳ separari. Sed usurpantur hic ex usu in Scholis recepto, prout abstractum est nomen naturæ seu formæ alicujus, quæ alteri sive essentialiter, sive accidentaliter inest, ut Deitas, humanitas; Concretum est persona sive subjectum habens illam formam seu naturam, quod exprimitur nominibus concretis Dei, Hominis.

Status Quæstionis. VI. Non Quæritur hic de *Communicatione in concreto*, sive ut vocant *naturæ ad personam*; Ea enim utrinque est in confesso: Sed de *communicatione in abstracto*, seu *Naturæ ad Naturam*. An proprietates naturæ divinæ per Unionem hypostaticam naturæ humanæ verè & realiter communicatæ sint? Quod Lutherani vellent, Nos negamus.

Origo ejus. VII. Origo controversiæ repetenda est ex alia de Cœnâ. Cùm enim ad obtinendam corporalem præsentiam, Lutherani non satis invenirent præsidii in verbis Christi, & Ascensionis articulo graviter se premi sentirent, ad ubiquitatem confugerunt. Licet verò Lutherus postea eam missam fieri voluerit, solis verbis Christi innixus: Tamen *Brentius*, & alii, qui à morte Lutheri sacramentariam litem renovârunt, commentum ubiquitatis, ut proram & puppim causæ suæ revocârunt. Et quia ipsis objectum fuit, ubiquitatem Dei pro-

proprietatem esse, adeoque aliis incommunicabilem, eò devenerunt, ut QUÆST. aliquas proprietates divinas, Unionis hypostaticæ vi, in humanam Christi VIII. naturam transfusas dicerent. Hinc in Colloquio Maulbrunensi voluerunt Unionem personalem formaliter consistere in communicatione proprietatum, vel in communicatione subsistentiæ, cujus effectum consequens sit communicatio proprietatum, quæ sententia nunc apud omnes ferè obtinet. Quæ tamen non placuit Luthero communicationem proprietatum tantùm in concreto, non in abstracto urgenti. T. 1. Jenen. Disp. de duabus naturis in Christo, & de communicatione Idiomatum, *Fides Catholica hac est, ut unum Christum confiteamur, verum Deum & hominem. Et hac veritate gemina substantia, & unitate persona, sequitur, illa qua dicitur communicatio idiomatum, ut ea qua sunt hominis recte de Deo, & contra qua sunt Dei, de homine dicantur. Vere dicitur iste homo creavit mundum, & Deus iste est passus*, &c. *non tamen hac rata sunt in abstractu, ut dicitur humana natura.* Et de verbis novissimis Davidis, *Has formas loquendi usitate vocant communicationem Idiomatum, hoc est, cùm id, quod proprium est alteri natura, & de ea, seorsim in abstracto dicitur, tamen in concreto tribuitur persona.* Cum quo facit Paulus Eberus Wittebergensis Theologus in lib. de hoc argumento edito.

VIII. Non quæritur rursus, An proprietates naturæ humanæ communicatæ sint naturæ divinæ? quod fieri non posse fatentur Adversarii. Nec An omnes proprietates naturæ divinæ sint communicatæ naturæ humanæ? Sed tantùm quædam, ut Omnipræsentia, Omniscientia, Omnipotentia, & Vis vivificandi? Quod illi asserunt. Nos negamus.

IX. Rationes sunt. 1. Quia Essentia divina non potest communicari creaturæ, quia res creata non potest fieri increata, aliàs esset Deus; Ergo nec proprietates Dei essentiales, quæ identificantur cum essentia divina; Sic eadem natura esset simul creata & increata, immensa & finita, &c. quod est contradictorium. Nec contradictio solvitur, dicendo per *actum natura* convenire naturæ humanæ, ut sit creata, & finita, sed per *actum persona* esse increatam & immensam. 1. Quia personalitas non est actus; sed modus rei; & si humanitati Christi actus personæ convenit, utique persona erit. Nec desinunt propositiones istæ veræ esse, *Verbum Caro factum est, & Homo est Deus*; si Essentia divina se non communicat naturæ humanæ, quia veritas illarum non nititur communicatione proprietatum in abstracto; Sed unione personali duarum naturarum in concreto. Per regenerationem fimus participes naturæ divinæ 2 Pet. 1: 4. non formaliter, sed analogicè ratione donorum.

Communicationem Idiomatum in abstracto non dari probatur.

1. Quia Essentia divina non potest communicari.

X. Secundò, Quia quod proprium est uni, non potest alteri communicari, aliàs proprium esse desineret, & fieret commune illi, cui communicatur

2. Quia Proprietates non communicantur.

QUÆST. VIII.

catur. Frustra regeritur non posse quidem communicari κατὰ μέθεξιν, sed κατὰ συνδύασιν per utriusque unionem, ut locum habeat in subjectis συνδεδυασμένοις. Quia συνδύασις illa non est in naturis unitis in abstracto; Sed in Persona seu Toto ex naturis unitis constante in concreto. 2. Proprietates communicari posse, & tamen manere proprietates, cùm soli Deo conveniant per naturam, humanæ verò naturæ per gratiam. Quia quod commune fit alteri, quomodocunque communicetur, non potest ampliùs esse proprium. Nec diversitas naturæ humanæ Christi ab aliis rebus creatis favere potest huic communicationi, quæ locum in iis habere non potest, quia in excellentia donorum, dignitate muneris, & assumptione in Personam θεανθρώπου consistit, non in communicatione proprietatum.

3. Quia aut omnes debent communicari, aut nulla.

XI. Tertiò, quia aut omnes proprietates Naturæ divinæ sunt communicatæ, aut nullæ, quia sunt inseparabiles, & realiter unum. Eorum verò quæ sunt realiter unum, communicato uno, necessariò communicatur alterum. Adde quòd si propter Unionem hypostaticam communicatæ sunt Carni quædam proprietates, cùm Λόγος se totum univerit carni, debuerunt etiam omnes Λόγου proprietates communicari, nisi Λόγον dividere velimus. Nec dari potest ratio, cur quædam communicatæ sint, quædam non; Nam si dicant humanæ naturæ repugnare, ut sit æterna, quidni repugnabit etiam esse omnipræsentem? At ex hypothesi Lutheranorum non omnes sunt communicatæ. Ergo nullæ. Nec reponendum discrimen esse inter proprietates Dei; aliasque esse ἐνεργητικάς, quæ peculiaribus operationibus ad extra se proferunt, & quarum communicatio necessaria fuit ad Officium Mediatorium, alias ἀνεργητάς, quas communicari non fuit opus. Quia talis differentia tantùm obtinet respectu effectorum, & nostri, non verò in se, & intrinsecè, ubi nulla talis differentia dari potest, propter summam essentiæ simplicitatem; nec proinde diversitas in communicatione. Nec juvat distinctio *communicationis mediatæ & immediatæ*, quâ omnes proprietates divinæ dicuntur quidem communicatæ mediatè in hypostasi Λόγου, quæ communicata est Carni, sed immediatè tantùm quædam. Quia præterquam quod gratis fingitur communicatio formalis hypostasis facta Carni, ut postea probabitur, non agitur de communicatione mediatâ, sed immediatâ, per quam proprietates omnes divinæ de natura humana prædicari debent ex illa hypothesi, quia par esse debet omnium proprietatum inter se ratio. Fateor distingui in communicabiles & incommunicabiles, sed notum est hoc intelligi non formaliter, quo sensu sunt omnes ex æquo incommunicabiles, sed analogicè tantùm.

4. Quia proprietates Carnis non communicatæ sunt λόγῳ.

XII. Quartò, Quia si propter Unionem proprietates divinæ communicatæ sunt Carni; Ergo vicissim proprietates Carnis debuerunt communicari Λόγῳ, quia unio est reciproca, quod tamen nolunt admittere. Nec distinctio naturæ assu-

assumentis & assumtæ huic incommodo mederi potest. Quia communicationis reciprocæ fundamentum, non est assumtio, sed ipsa Unio, quæ sicut reciproca est, nam ut divina naturæ humanæ, ita humana divinæ unita est; ita quoque reciprocam communicationem, non in concreto tantùm, sed & in abstracto exigeret. Nec discrimen peti potest ex eo, quòd natura humana quidem eguerit communicatione istarum proprietatum, non verò natura divina. Quia natura humana quidem eguit dotibus eximiis ad peragendum opus suum; sed non proprietatibus Dei, quæ destruxissent potius naturam humanam & in Deitatem transformassent. QUÆST. VIII.

XIII. Quintò, Si datur realis communicatio proprietatum in abstracto, dabitur etiam naturarum exæquatio & confusio, qui error pridem in Eutyche damnatus est. Consequentia patet, ex ratione confusionis, quæ fit, quum res duæ, vel plures, earumque proprietates communicantur, hoc est communes fiunt. Nec juvat reponere non fieri exæquationem, quia natura humana id non habet à se, ut sit omnipræsens. Quia ut aliquid cum alio exæquetur, non necesse est id ex se & per se non esse æquale ei quocum exæquatur, & ineptè opponitur communicatio exæquationi & confusioni, quæ sine communicatione fieri non potest. Nec unquam auditum, ea quæ jam sunt exæquata, exæquari, vel quæ sunt confusa, confundi. Nec Eutychi unquam impactum, quòd existimaverit Carnem Christi factam fuisse divinam à se & ex se, imò ne illud quidem cogitari potest ab iis qui sunt ratione prædìti; quomodo enim potuisset fieri divina, si ex se divina jam fuisset? *5. Quia sic daretur naturarum confusio.*

XIV. Sextò, Si Unio facta est inconfusè & salvis ac distinctis manentibus naturis ipsis, earumque proprietatibus, ut agnoscunt Lutherani, non potest in ea facta esse communicatio proprietatum. Nam quod communicatur, non manet proprium. Nec dici potest distinctas manere semper proprietates, quia divinitati ἰδίως & per naturam conveniunt; humanitati verò per gratiam. Quia qualiscunque sit modus habendi, volunt eas verè & realiter possideri à natura humana, ut de ea legitimè prædicari possint, atque adeò non manere amplius proprias Λόγω. *6. Ex hypothesi Lutheranorum.*

XV. Septimò, Contra *Omnipræsentiam* Humanæ Naturæ Christi sic disputamus. 1. Cui non est communicata omnipræsentia, nec in statu Exinanitionis, nec in statu Exaltationis, Illi non est absolutè communicata, quia duo tantùm sunt status Christi Mediatoris. At in neutra communicata est; Non in *Exinanitione*, quia Evangelium testatur eum non fuisse ubique, sed modò in hoc, modò in illo loco, & de loco in locum transiisse Joh. 6: 24. & 11: 15. Marc. 6: 6. Non in *Exaltatione*, quia nec in terris adhuc versanti data est, Matt. 28: 5. 6. *Scio vos Jesum crucifixum quærere, non est hic, resurrexit enim prout dixit, videte locum ubi jacebat Dominus* & Luc. 24: 39: 40. *Videte manus meas & pedes meos; nam ego ipse sum* &c. nec *7. Omnipræsentia impugnatur.*

QUÆST. VIII.

in cœlum evecto, quia prædixit se ex mundo migraturum, & non amplius fore hic præsentem. Matt. 26: 11. *Pauperes semper vobiscum habebitis, me vero non semper habebitis*, & Joh. 16: 28. *Prodii a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.* Et Joh. 17: 11. *Non amplius sum in mundo*, id. brevi non sum futurus. 2. revera ex hoc mundo recessit Luc. 24: 51. & Act. 1: 9. 3. in cœlo nunc degit, nec rediturus est usque ad diem judicii Act. 3: 21. *Quem oportet cœli suscipiant usque ad tempus restitutionis omnium*, & Heb. 8: 4. *Si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset*, 1 Thess. 4: 16. 17. *Dominus e cœlo descendet.*

XVI. Non potest regeri 1. *Naturam humanam omnipræsentiam in statu exinanitionis habuisse in actu primo, sed non se exeruisse, vel declarasse.* Quia supponitur gratis quod probandum fuit; Nec absolutè & simpliciter negaret Scriptura Christum fuisse præsentem ubique, si hoc tantùm restrictè & limitatè intelligendum esset. 2. *Christum reliquisse mundum, quoad visibilem & familiarem suorum conversationem & servilem conditionem, non verò quoad realem & substantialem præsentiam; secundum quam dicit se futurum cum discipulis usque ad consummationem seculi.* Quia ut Scriptura nullam præsentiam invisibilem Corporis Christi ubique docet; Ita verba Christi quamlibet præsentiam Corporis Christi excludunt, secundùm quam relicturus dicitur mundum id. terram, & ascensurus in cœlum. Nec si metaphoricè de Λόγῳ dicitur, quòd exierit à Patre & descenderit de cœlo, eadem est ratio relictionis mundi quoad Carnem, quæ propriè illi tribuitur. Promittit verò se semper futurum cum discipulis secundùm Spiritum, non secundùm carnem. 3. *Tres esse Corporis Christi respectus, primum secundum naturæ suæ proprietates, secundum juxta gloriam resurrectionis, tertium secundum gratiam personalis Unionis, prioribus modis esse tantum uno in loco, sed posteriori esse ubique.* Quia ex tertio respectu non magis sequitur corporis omnipræsentia, quàm ex cæteris, quia unitum Deitati mansit quantum, ut corpus mansit.

XVII. 2. Omnipræsentia Corporis Christi non potest consistere cum variis Articulis fidei. Nam si fingitur omnipræsens, ex vi Unionis personalis, nec potuit *concipi* in utero B. Virginis, nec *nasci* extra eum & in lucem prodire, nec *mori*, quia anima à corpore separari non potuit, nec *sepeliri*, quia in sepulchro jam erat, nec *resurgere*, quia extra sepulchrum versabatur, nec *in cœlum ascendere*, ubi jam degebat, vel *descendere* poterit de cœlo in terram ad judicium, si ubique præsens est futurus. Nec dicendum Christum in statu exinanitionis communicatam majestatem Carni non exeruisse, sed localitati, aliisque conditionibus hujus seculi subjecisse. Quia supponitur gratis non probatur dari majestatis communicationem. Deinde localitatem ex libertate voluntatis pendere, non ex necessitate naturæ humanæ fluere. Ascensionis

sionis historia docet ejus abitum, non fuisse tantùm convictus aut conversationis intermissionem, sed corporis è terra in cœlum, & ex loco inferiore in superiorem translationem Marc. 16. Act. 1. QUÆST. VIII.

XVIII. 3. Repugnat *naturæ corporis*, quod est circumscriptum & finitum, quod habet partes extra partes, & per se visibile & palpabile debet esse. Nec excipi potest, 1. *iniquum esse corpus gloriosum subjicere communis naturæ legibus*. Quia gloria non destruit nec mutat naturam, sed eam tantùm ornat & perficit. 2. *Corpus Christi esse circumscriptum proprietate naturæ, & modo physico, sed incircumscriptum ratione Unionis, & modo hyperphysico.* Quia distinctio ista nec habet fundamentum in Scriptura, nec in natura rei, imò absurda est & ridicula, quia unum corpus statuitur capax contrariarum proprietatum, localitatis & illocalitatis. Modus verò frustrà objicitur, ubi res non agnoscitur. 3. *Corpus Christi fuisse aliquando ἄφαντον* & *ἀόρατον* Marc. 16: 12. Luc. 24: 31. Joh. 8: 59. Quia tale factum est non per separationem visibilitatis à corpore, sed partim per miraculosam evasionem sive subductionem, partim per retentionem oculorum ne agnosceretur. *Luc. 24: 31. Joh. 8: 59.*

XIX. Octavò, Contra *Omniscientiam* sic arguimus, Illa natura non potest dici omniscia, quæ aliquid ignorat, quæ proficit in cognitione, & quæ finita est. At talis est natura Christi, quæ ignoravit diem judicii Marc. 13: 32. quæ profecit sapientià Luc. 2: 40. 52. & finita est ac limitata, atque adeo infiniti incapax. *8. Omniscientia.*

XX. Nonò, Contra *Omnipotentiam*. Illi non est communicata Omnipotentia, qui alium agnoscit se potentiorem, in quem cadit potentia quædam passiva, quia qui omnipotens, idem impassibilis est & immortalis. At Christus secundùm naturam humanam passibilis fuit & mortalis, & opus habuit sustentatione Patris Mat. 26. & Joh. 17. Nec dicendum Christum hoc fecisse *κατ' οἰκονομίαν*, quia se exinaniverat, sed non ex necessitate vel indigentià. Quia licet verum sit Filium Dei assumpsisse naturam nostram ex œconomia, & non ex necessitate, falsum est tamen naturam humanam Christi non eguisse simpliciter auxilio divino ad sui conservationem. *9. Omnipotentia.*

XXI. Decimò, Contra *Vim Vivificandi*. Quisquis vim vivificandi habet in se, Deus est, quia Dei solius est vivificare Psal. 36: 10. *apud te fons vitæ*. Et vita Dei nihil aliud est, quàm actuosa ejus essentia, quæ naturæ creatæ communicari nequit. Deinde si natura humana habuit vim illam vivificam, non potest dici mortua, quia vita Dei non potest extingui, nec Unio personalis solvi. *10. Vis vivificandi.*

XXII. A *reali duarum in Christo Naturarum Unione, ad communicationem idiomatum inter Naturas, non valet consequentia*. Quia realis naturarum Unio, non tollit earum discrimen, imò ponit potius, cùm non possint dici actu esse unita, quæ in unione non sunt distincta, nec infert communica- *Fontes Solutionum.*

QUÆST. VIII. nicationem realem idiomatum respectu Naturarum, sed respectu Personæ, quæ duabus realiter unitis constat, & utriusque idiomata sibi vendicat.

XXIII. A *Toto Christo ad Totum Christi*, seu à *Persona Christi ad Naturas non valet argumentum*, nec quod illi Tribuitur, potest statim de illis prædicari; Quia Persona quidem sibi vindicat utriusque naturæ proprietates, sed una natura non sibi vendicat proprietates alterius, quæ competunt personæ, alias naturæ confunderentur. Hinc facilè respondetur ad loca Mat. 18. 20. & 28. 20. quia ibi agitur de persona in concreto, non de natura humana in abstracto.

Mat. 18:20. & 28:20.

XXIV. *Ab assumptione Naturæ humanæ in unitatem Personæ, non bene ducitur argumentum ad communicationem formalem hypostasis Λόγυ, nec ad communicationem proprietatum in abstracto.* Quia assumptio naturæ potest consistere absque communicatione hypostasis, sufficit sustentatio hypostatica, ut natura humana, quæ in se est ἀνυπόστατος, fiat ἐνυπόστατος Λόγῳ, & ab eo sustentetur. Unde sequitur quidem, eam non habere subsistentiam, nec subsistere modo, qui personæ sit proprius, cùm ne in Unione quidem sit Persona; sed subsistere tamen, vel potius sustentari in Λόγῳ.

XXV. Quum *plenitudo Deitatis* dicitur *habitare in Christo σωματικῶς* Col. 2: 9. non potest inde inferri communicatio proprietatum in abstracto. 1. quia agitur de Christo in concreto, non de natura in abstracto. 2. Si ageretur de natura humana tanquam Templo Deitatis Joh. 2: 19. nihil inde eliceretur pro communicatione proprietatum; Quia aliud est *habitare* sensu Apostolico, aliud communicare sensu Lutherano, *habitare corporaliter* Apostolo significat, totam plenitudinem Deitatis id. essentiam divinam cum tota plenitudine perfectionum suarum unitam esse naturæ humanæ, non umbraticè, vel per efficaciam tantùm aut assistentiam; ut in typis V. T. & in fidelibus, ac in aliis obscuris ac imperfectis revelationibus, sed *verè* & *personaliter*, quemadmodum *corpus umbræ* opponitur v. 17. σῶμα Græcis sæpè *personam* significat. Sed communicare sensu Lutherano notat, dare & transfundere realiter in humanitatem totam Deitatis plenitudinem; quod hìc locum habere non posse patet, quia cùm plenitudo Deitatis nihil aliud sit quàm ipsa Dei essentia cum omnibus suis attributis, si communicata est plenitudo Deitatis Carni; Caro erit ipsa Deitas, & omnes proprietates ex æquo illi communicatæ forent contra hypothesim ipsorum.

Col. 2: 9.

XXVI. Unio ἀδιαίρετος & ἀδιάστατος non exigit statim, ut ubicunque est unum unitorum, ibi sit etiam alterum, nisi ubi agitur de iis quæ inter se sunt æqualia, & quorum unum non excedit alterum, quod de divinitate & humanitate Christi dici non potest. Ita quod in eo toto est, quod ubique est, debet quidem esse ubique, si est in Toto omnipræsente per exæquationem, sive de unione tali, quæ est rerum pariter infinitarum, non

autem ubi natura finita unitur infinitæ retentâ suâ finitudine. QUÆST. VIII.

XXVII. Si Λόγος alicubi est extra humanitatem per *separationem*, ut sit separatus ab ea, verè potest dici, quod alicubi non esset homo; sed si alicubi est extra humanitatem per *non inclusionem*, non bene potest dici, quòd alicubi non est homo, quia Filius Dei est homo, non per localem coexistentiam humanitatis cum divinitate, sed per Unionem hypostaticam humanæ naturæ factam non cum loco, sed cum Λόγῳ. Ideo Λόγος in terris existens verissimè est homo, & personaliter ac præsentissimè sibi unitam habet naturam humanam, etsi ea in terris præsens non est. Ubi ergo non est humanitas Christi, ibi tamen bene Christus homo dicitur esse, quatenus Λόγος ibi existens, sustentat humanitatem, etsi non ibi, sed alibi existentem.

XXVIII. *Negatâ Naturæ humanæ Ubiquitate, non statim sequitur separatio, seu divisio duarum naturarum in Christo*; Aliud est Λόγον esse extra carnem per non inclusionem, & hoc sensu conceditur, quia non est inclusus in ea, utpote infinitus. Aliud esse extra eam per separationem, quod negatur, quia etsi non sit inclusus, nuspiam tamen est à carne separatus. Propositio ista *Verbum alicubi non est homo*, duplicem sensum habere potest, aut significat *Verbum deseruisse alicubi naturam humanam*, & hoc sensu falsa est, quia quod Verbum semel assumpsit, nunquam demisit: aut significat *Verbum esse alicubi, ubi non sit caro Verbi*. Et ita vera est juxta Verbum Christi, *me non semper habebitis*, id. secundùm humanitatem, & tamen alibi *ero vobiscum*, inquit, *usque ad consummationem seculorum*, nimir. secundùm divinitatem.

XXIX. Licet Christus sedeat ad dextram Dei quæ est ubique, non sequitur Christum secundùm carnem esse ubique 1. quia aliud est dextra Dei, aliud sessio ad dextram. Illa est Dei omnipotentia & majestas. Ista verò Officium Regium Mediatoris; non illico dici potest de eo qui sedet ad dextram, quicquid dicitur de dextrâ; aliàs ut dextra Dei est æterna & immensa; ita qui sedet ad dextram deberet esse talis, & ipsa Ecclesia, quæ sedere dicitur ad dextram Sponsi sui Psalm. 45: 10. hoc posset sibi vendicare. 2. phrasis non est propria, sed metaphorica & figurata, quæ *nomen Officii* personæ proprii innuit non πανταχουσίαν vel proprietatem naturæ, *imperium* scilicet & dominationem Christo collatam in Mundum & Ecclesiam, ut Apostolus interpretatur *oportet ipsum regnare*, 1 Cor. 15: 25. regnare verò non est hujus vel illius naturæ, sed personæ θεανθρώπου. 3. Christus non ubique, sed in cœlis tantùm dicitur sedere Eph. 1: 20. Heb. 8: 1. cujus rei gratiâ dicitur in cœlum ascendisse, ubi phrasis *in cælis* determinatio est loci, quem Christus ascendens occupavit, Joh. 14: 3. & 17: 14. non gloriæ cœlestis significatio quæ sessionis vocabulo satis exprimitur.

Quæst. VIII. XXX. Christus dicitur ascendisse in cœlum, ut *omnia repleret*, Eph. 4: 10. non loca corpore, sed membra Ecclesiæ Spiritus Sancti donis, quem sensum necessariò postulant antecedentia & consequentia. In antecedentibus ex Psal. 68. finem exaltationis ostendit esse effusionem donorum Spiritus Sancti v. 8. quam sententiam illustratam antithesi statim repetit v. 9. 10. & quod istic dixit *dona donare*, vocat *omnia implere*. In seq. exaltationem declarat ab effectis ostendens, quomodo Christus exaltatus, membra Ecclesiæ, nominatim Doctores ejus Spiritu suo impleat.

Eph. 4: 10.

Coloss. 2: 3. XXXI. Quum *thesauri sapientiæ & intelligentiæ dicuntur in ipso absconditi* Col. 2: 3. hoc non pertinet ad naturam humanam Christi, sed vel ad mysterium Evangelii significationis ratione, de quo Paulus v. præced. egerat, vel ad Christum ipsum; non tam ratione subjecti seu sapientiæ, quà Christus ipse præditus est, quàm ratione objecti, quia in ejus agnitione omnis salutaris sapientia consistit.

Joh. 3: 34. XXXII. Christo dicitur *Spiritus datus* ἀμέτρως *non ad mensuram* Joh. 3: 34. non absolutè, quasi dona Spiritus S. quæ illi collata sunt ex Oraculo Isa. 11: 2. simpliciter immensa sint, ut simpliciter immensa est scientia & sapientia Dei. Sed *comparatè* quoad nos, & omnia Christi membra, quæ ex ejus tanquam Capitis sui plenitudine accipiunt gratiam pro gratia Joh. 1: 16. ita quæ in aliis disjuncta sunt, ut huic donum unum datur, illi alterum κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ *juxta mensuram doni Christi* Eph. 4: 7. id. quam Christus largiri nobis voluit; in ipso reperiuntur conjuncta, quia Christus est omnia in omnibus Col. 3: 11. quæ in aliis sunt semper imperfecta, in ipso sunt perfectissima. Unde dicitur *unctus oleo lætitiæ supra consortes suos* Psal. 45: 8. Hebr. 1: 9. quia oportet eum ἐν πᾶσι πρωτεύειν Rom. 8: 29.

XXXIII. Cùm Judicium universale sit apotelesma Officii Mediatoris, tribuitur Personæ secundùm utramque naturam, non secundùm alteram tantùm. Distinctæ ergo operationes utriusque naturæ ad illud concurrunt, divinæ quidem per omniscientiam & omnipotentiam; humanæ verò per reditum ad judicium, & actus judicii sensibiles & visibiles descriptos Matth. 25. Quum dicitur *authoritas illi data judicium exercendi* ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου
Joh. 5: 27. Johan. 5: 27. particula ὅτι, non tam *reduplicative* sumenda est pro *quatenus*, ut Christus non tantùm, quà Deus, sed etiam quà homo dicatur judex à Deo constitutus, ut Apostolus loquitur Act. 17: 31. quàm *causaliter* per *quia*, ut causa notetur collatæ Filio hujus authoritatis, nimirum Officium Mediatoris, quod per Incarnationem obivit. Sic Filius hominis, hîc non in abstracto naturam humanam, sed personam in concreto notat, relatè ad officium ejus, nec aliud innuitur, quàm potestatem talem illi datam esse, quia est Messias, qui à Daniele vocatur *Filius hominis* cap. 7. & cui Daniel vidit imperium & potestatem ab Antiquo dierum datam, utpote qui

qui sit persona illa, quæ ad tantum, tamque sublime Munus Mediatorium est delecta. QUÆST. VIII.

XXXIV. Matth. 28: 18. Christus non loquitur de eo, quod à Λόγῳ in Unione personali humanæ naturæ sit communicatum; sed ostendit tantùm quid à Deo Patre ipsi datum sit ad Officii executionem, non in Unione, sed post resurrectionem. 2. Non loquitur de *potentia*, quæ est essentialis Dei proprietas, sed de *potestate*, quæ est apotelesma personale Mediatoris; non dicit πᾶσα δύναμις, sed πᾶσα ἐξουσία, ut notet jus & authoritatem mandandi & judicandi, unde statim addit, *Euntes ergo docete* &c. Nec si omnis potestas ad sui exercitium requirit omnipotentiam, necessarium est, ut is qui habet omnem potestatem, statim omnipotentiam habeat respectu utriusque naturæ, sufficit ut competat personæ quoad alteram naturam. 3. Non dicit *naturæ humanæ*, sed *mihi*, ut persona in concreto, non natura in abstracto designetur. 4. Licet Deitati nihil dari possit propriè ratione *Essentiæ*, potest tamen œconomicè, tum ratione *Officii*, ut illud ex voluntate Patris suscipiat & exequatur, tum ratione *manifestationis*, ut gloria Deitatis, quæ occultata fuerat in forma servi, jam reveletur, & omnibus conspicua fiat Johan. 17: 5. *Mat. 18: 18.*

XXXV. Qui edit miracula propriâ & physicâ virtute debet esse omnipotens, sed Christus quà homo non ea edebat propriâ virtute, sed ad modum instrumenti moralis; Concurrere ergo debuit ad opus miraculosum conferendo quod suum est, sed virtus infinita à qua propriè miraculum producebatur, solius fuit divinitatis. Marc. 5. miracula tribuuntur Christo in concreto, non humanitati in abstracto.

XXXVI. Caro Christi dicitur vivifica Joh. 6: 48. non *efficienter*, vitam æternam per se producendo; sed *meritoriè* jus ad vitam morte sua nobis acquirendo. Deinde in similibus locutionibus synecdoche agnoscenda est, per quam apotelesma quod propriè est personæ secundùm utramque naturam, tribuitur carni vel sanguini per synecdo. partis. *Joh. 6: 48.*

XXXVII. Licet Personæ ab altera natura denominatæ, tribuatur quod est alterius naturæ, non importatur tamen falsus conceptus, ut tribuatur subjecto, quod ei non convenit, v. g. passio & mors tribuitur Deo, quæ ei non convenit Act. 20: 28. Quia non tribuitur Deo, ut subjecto inhæsionis, sed personæ, quæ Deus est, ut subjecto denominationis, quod sufficit ad removendum falsum conceptum.

XXXVIII. Distinctiones variæ, quæ afferuntur à Lutheranis ad conciliandas contradictiones, quæ occurrunt in eorum sententia, non possunt nodum solvere, & contradictionem multiplicem involvunt, 1ª est de *actu Personæ & Naturæ*, Naturam humanam quoad posterius esse finitam, sed omnipræsentem priori. Sed frustra, quia actus personæ nequit convenire na-

QUÆST. VIII. naturæ, quæ non est persona. Et si actus personalis Carni Christi conveniat, erit actu Persona. 2. quia personalitas non est actus divinus, sed modus rei ab illius essentia & existentia distinctus. 3. quia actus divinus nequit tribui naturæ humanæ, quæ non est Deus. 4. quia actus iste personalis, vel destruit actum naturæ, vel non, si illud, caro desineret esse caro, quia actus naturæ est ipsa natura; si non, tum semper poterit dici Caro Christi finita, & certo spatio circumscripta, quod ἀσύστατον est cum ejus ubiquitate.

XXXIX. Eadem est ratio *modi physici* & *hyperphysici* seu majestatici. 1. quia modus hyperphysicus non destruit naturam, sed eam ornat; sed modus essendi ubique destruit eam, & ideo est antiphysicus. 2. quia Corpus Christi per Unionem non amisit quantitatem, adeoque nec illius modum seu dimensionem. 3. Si per *modum majestatis* intelligitur tantùm excellentissima illa gloria, quâ Caro assumpta est in hypostasin Λόγου, infertur quidem prærogativa Carnis supra omnem aliam creaturam; sed non communicatio proprietatum divinarum. Si verò intelligitur omnium attributorum divinorum collectio; cùm illa majestas nihil aliud sit quam Deitas, sequeretur Carni Christi ipsam Deitatem esse communicatam.

XL. 3. Distinguere solent in Christo duplex esse, *locale*, secundùm quod sit in certo spatio, & *illocale* secundùm quod fuerit ab initio incarnationis ubique. Sed absurdè, 1. quia cùm ratio temporis non minus sit connexa corpori, quam ratio loci, dabitur etiam in Christo duplex esse temporale & intemporale seu æternum, quod tamen nolunt. 2. locale & illocale sunt contradictoria, quæ non possunt eidem competere; nec diversi respectus quicquam juvant, quia cùm Unio hypostatica non tollat naturam corporis, non abolet etiam esse locale, atque ita non potest dare illi esse illocale, quia quæ alteram contradictionis partem relinquit, non potest ei simul tribuere alteram.

XLI. 4. Distinguunt κτῆσιν & χρῆσιν, *per se*, & κατ' ἄλλο. Christi divinitatem esse omnipræsentem per se, κατὰ κτῆσιν, & quoad actum primum & secundum simul; sed humanitatem tantùm κατ' ἄλλο, & κατὰ χρῆσιν. Sed perperam, quia tales distinctiones tollunt ipsum subjectum de quo agitur, eò enim tendunt omnes, ut omnipræsentia quacunque tandem ratione competat Corpori Christi, quod non potest corpus manere, si fit omnipræsens. 2. In rebus terrenis κτῆσις seu proprietas rei potest sæpe à χρήσει seu usu ejus distingui, quia qui usum rei habet, non semper ejus proprietatem habet; sed in divinis non item, non alius est omnipotens usu, quàm qui talis est proprietate, Deus quippe alteri gloriam suam non dat. 3. Si per *esse ubique κατ' ἄλλο* intelligitur tantùm omnipræsentia respectu concreti seu personæ, verus erit sensus, sed incommoda locutio. Si

verò

verò innuitur omnipræsentia, quæ data sit Carni ex vi Unionis, absurda est distinctio, quæ ἀσύστατα involvit, ut idem subjectum simul sit circumscriptum & non circumscriptum. QUÆST. IX.

XLII. Exempla animæ, quæ communicat vitam corpori, & ignis, qui communicat ferro ignito facultatem urendi & lucendi, non favent communicationi proprietatum. Quia vita, quæ producitur in corpore ab anima, non est proprietas ipsa animæ, sed effectum, & vis lucendi & urendi in ferro ignito, non est in ferro, sed in igne latente & incluso in poris ferri.

QUÆSTIO IX.

DE DUPLICI CHRISTI STATU.

An Christus Mediator sub duplici Statu debuerit Munus suum exequi? Affir.

I. HActenus de *Persona* Christi actum. Nunc de ejus *Statu* agendum, in quo Munus sibi a Patre commissum debuit implere. Is autem duplex vulgò statuitur, alter Exinanitionis & humilitatis, alter Exaltationis & Majestatis, Passionum, & Gloriæ, Certaminis, & Triumphi, Viæ, & Metæ, Mortis & Vitæ. *Duplex status Christi. Exinanitionis & Exaltationis.*

II. Utriusque *Veritatem* demonstrant, 1. Oracula V.T. in quibus prædictus est, ut Psal. 8. mentio fit minorationis præ Angelis, quæ est exinanitio, & coronæ gloriæ & honoris, quæ est exaltatio, & Ps. 110:7. de Messia dicitur *de torrente in via bibet, postea exaltabit caput*, ubi per *torrentem* denotatur *multitudo*, *gravitas* & *brevitas* passionum Christi, ut aquæ passim sunt symbolum calamitatum Ps. 69:2.15.16. & 32:6. Job 21:20. & 34:7. Isa 51:17. opposite ad torrentem deliciarum, quo Deus suos potat in gratia & gloria Ps. 36:9. Et per τὸ *bibere de torrente* communio passionum notatur, quæ ferendæ fuerunt Christo in hujus vitæ curriculo, quod fuit via ad gloriam. Exaltatione verò capitis indicatur gloria, quæ secuta est ejus passiones ex ordine Dei, & necessitate salutis nostræ, Luc. 24:26. Philip. 2:9. Sic Ps. 118:22. *lapis qui reprobatus est ab ædificantibus, positus* dicitur *in caput anguli* id. Christus, qui sæpe lapidi & fundamento confertur Isa. 28:16. 1 Cor. 3:10. rejectus per contemptum à Scribis & Sacerdotibus, quibus cura erat commissa ædificandi Ecclesiam, ut inutilis & noxius ædificio, constitutus est à Deo in Caput Ecclesiæ, & in lapidem angularem, qui utrumque parietem Judæorum & Gentium unit & sustinet. Isa. 53. duplex Status Messiæ ita graphicè depin- *Veritas ejus. Ps. 110:7. Ps. 118:23.*

QUÆST. IX. gitur, ut videatur potius Isaias Evangelistam agere referendo res gestas, quàm Prophetam vaticinantem de futuris. Unde Luc. 24. Christus ex Prophetis utriusque Status veritatem & necessitatem demonstrat, & Petrus 1æ cap. 1. dicit Prophetas de passionibus & gloriâ secuturâ anxiè inquisivisse. 2. loca varia Novi Test. quibus complementum Oraculorum exhibetur Philip. 2:7. 8. 2 Cor. 13:4. 1 Cor. 15:4. Heb. 2:9. 1 Pet. 3:18. 1 Tim. 3:16.

Necessitas. 1. à parte Dei. III. *Necessitas* evincitur, tum à parte *Dei*, tum à parte *Nostri*, tum à parte *Salutis* nobis conferendæ. A parte *Dei*, quia ad conciliandum nobis Deum, & gratiæ salutaris fructus obtinendos duo præstanda fuerunt; primò satisfieri debuit justitiæ offensæ per Christi passionem & mortem; secundò gratiæ dona fuerunt in homines effundenda, quod in exaltatione præstitum Eph. 4:8. *2. à parte Christi.* 2. A parte *Christi*, quia debuit duplicem σχέσιν sustinere, *Vadis*, qui pro nobis satisfaceret, & *Capitis*, quod sibi uniendo nos vivificaret & regeret. Respectu prioris debuit agere *pro nobis apud Deum*, ea omnia faciendo & patiendo, quæ à nobis debebantur. Respectu posterioris, debuit agere *nomine Dei ad nos*, ut beneficia fœderis nobis impertiendo ad ejus communionem deduceret. Triplex ejus officium hoc etiam postulabat. Sacerdotale duabus partibus absolvitur, Satisfactione in terris, Intercessione in cœlis. Quoad Regium debuit primò acquirere sibi populum per certamina, antequam ad thronum eveheretur, & Regni habenas capesseret. Ut Propheta debuit primò esse Minister circumcisionis inter fratres, antequam in cœlum sublatus fieret Lux Gentium & Doctor mundi.

3. à parte Nostri. IV. 3. A parte *Nostri*, duobus malis urgebamur per peccatum accersitis, *reatu* coram Deo, *maculâ* in nobis; *reatus* non potuit tolli, nisi per sanguinem Christi, quod fuit ἀντίλυτρον animarum nostrarum; macula non potuit elui, nisi per gratiam Spiritus, qui exaltationis ejus fuit fructus Joh. 16:7.

4. à parte Salutis. V. 4. A parte *Salutis*, Quia duo ad ejus fruitionem requirebantur 1. *acquisitio*. 2. *applicatio*. Ad acquisitionem Status exinanitionis necessarius fuit, quia non potuit acquiri nisi per mortem. Ad applicationem verò Status exaltationis, quia non potuit applicari nisi per efficaciam vitæ. In primo Jus ad vitam nobis meruit, In altero de facto eam nobis confert. In primo, justitia Christi sese exeruit ad reconciliationem nostram cum Deo, In altero, potentia adversus Diabolum & peccatum. In utroque absolvit Opus, quod illi commissum est à Patre.

VI. Quamvis Christus fuerit in Statu exinanitionis; non ideo ita humilitatus fuit, quin subinde ad fidei nostræ ἀσφάλειαν varios radios emiserit gloriæ suæ divinæ, sive in miraculis quæ patrabat, sive in rebus mirabilibus, quæ illi contingebant, quales visæ sunt in Nativitate, Baptismo, Transfiguratione, & Morte.

VII.

VII. Si Quæritur secundùm quam Naturam Christo Exinanitio, & Exaltatio tribuenda sit? Respondetur hoc propriè dici de Personâ, & ad utramque Naturam referri, sed magno discrimine. Ad Naturam humanam quidem quoad realem depressionem, & exaltationem in se. Ad divinam verò tantùm ratione occultationis, & manifestationis, relatè ad Carnem tanquam velum, quo tegebatur, & unde sese prodebat. Naturæ humanæ exinanitio propriè competit, quatenus suscepit nostras infirmitates, & passa est ac mortua. Exaltatio verò quatenus resurgendo omnes infirmitates deposuit, & gloriam assumpsit, quam non habebat antea. Sed quoad Divinam, nulla ei facta est imminutio in Exinanitione, nulla accessio in Exaltatione. Sed exinanitio illi tribuitur, quoad occultationem & inhibitionem gloriæ, & majestatis sub formâ servi. Exaltatio verò κατὰ φανέρωσιν, sive quoad manifestationem & exsertionem, quando remoto velo infirmitatum carnis, gloria illa, quam habuerat ab æterno, & quæ ad tempus occultata fuerat sub illo velo, refulsit in Persona Mediatoris exaltati supra omnes cœlos Joh. 17: 5. QUÆST. IX.

VIII. Filius Dei dicitur sese exinanivisse Phil. 2: 6. 7. non abdicatione Divinitatis, mansit enim semper par Deo Joh. 5: 17. Sed occultatione sub formâ servili; Et pauper factus est 2 Cor. 8: 9. non amissione divitiarum cœlestium, quas penes se semper habuit, cùm plenitudo Deitatis in eo fuerit, & thesauri sapientiæ & cognitionis in ipso sint absconditi Col. 2: 3. 9. sed occultatione sub infirmâ & indigâ carne Matt. 8: 20. Eph. 4: 9. *Phil. 2: 6. 7.* *2 Cor. 8: 9.*

QUÆSTIO X.

DE PRINCIPIO ÆRÆ CHRISTIANÆ.

Quis fuerit Annus, Mensis ac Dies Natalis Christi.

I. Quamvis variæ dentur Epochæ tum sacræ, tum profanæ, quibus tempora signari solent; Nulla tamen est, quæ ad Æræ Christianæ dignitatem accedat. *Nativitas Salvatoris* Epocharum omnium est facilè princeps. Huc omnia quæ præcesserunt tempora, ut ad faustum & felix suum centrum spectant, & omnia posteriora, hinc, ut à fonte in finem seculi decurrunt. *Generatio Christi*, inquit Leo, *est origo populi Christiani*, *Et natalis Capitis est natalis Corporis*, *& dum Salvatoris adoramus ortum*, *invenimur nos nostrum celebrare principium.* *Æra Christiana dignitas.*

II. Licet verò tantæ sit Æræ istius præstantia & utilitas; Certum tamen est, non minus quàm mirum, Christianos seriùs de ea constituenda & usurpanda *Quando cœperit.*

QUÆST. X. panda cogitasse. Nam ante septimum seculum, nullus Natalem Domini ad negotium ullum seu civile seu ecclesiasticum designandum applicasse legitur. Justinianus certè, qui 500. post Christum annis regnavit; Edicto, quod de notatione temporum, & consignatione Actorum publicorum Novellâ 47. veteribus temporum designationibus ab V. C. à Consulum nominibus, ab Indictionibus, quartum voluit addi characterem, ab Imperatoribus. Sed Æræ Christianæ verbum nullum facit. Nec apud Patres & Concilia prioribus illis seculis habita ulla ejus mentio. Primus *Dionysius exiguus*, natione Scytha, Monachus vel Abbas Rom. indignatus suo & prioribus seculis in Cyclis Paschalibus, qui tempora Paschatis & festorum indigitabant, à Diocletiani persecutione annos inprimis designari, expuncto hoc charactere viri Ethnici, & persecutoris sævissimi, Christi natalem supposuit in calculo suo privato circa tempora Justiniani ann. D. 532. Quod inventum Vener. *Beda* septingentesimo post Christum anno secutus est, aliique non pauci, sed privatim. Nec enim in Actis ullis publicis vel sacris vel civilibus Æra Christi adhiberi cœpit ante Caroli M. tempora post C. 800.

III. Utut verò exinde Christiani consentiant in Æræ à Christo nato ductæ usu; dici tamen non potest, quantum inter se, tum Chronologi, tum Theologi dissideant in figendo certo & vero illius Æræ principio, aliis ad hunc, aliis ad alium annum referentibus. De quo duplex movetur quæstio, quæ hic distinctè excutienda erit. Prima *De vero termino Anni natalis*. Secunda *De ejus Mense & Die*.

Sententiæ variæ de Anno natali. IV. Quoad primam, Longum esset sententias omnes Chronologorum hic recensere, operosius adhuc multò, si non planè impossibile eas inter se conciliare, obiter tantùm præcipuas notamus. *Scaliger*, *Calvisius*, *Helvicus*, Annum natalem Christi referunt ad annum mundi 3947. Periodi Julianæ 4711. Urbis conditæ 750. Nabonassaris 745. Augusti à cæde Julii 41. Emendati à Julio Calendarii 43. Herodis regni 33. & vitæ 70. Coss. L. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino. *Lansbergius* in annis Urbis, & Julianis ac Nabonassari consentit, sed annis mundi tres addit referendo ad annum 3950. *Petavius* vult esse 3979. *Salianus* longius adhuc excurrens ad annum mundi 4052. extendit. *Torniellus* unum subtrahit. Ne jam alios commemoremus, qui plus minusve hinc recedunt. Æra vulgaris Dionysii reponit circa annum mundi 3949.

Tres characteres Anni natalis in Scriptura notati. V. Ut verò hæc Chronologica sunt potius quàm Theologica, non anxiè de eo laborandum esse credimus. Nec putamus multùm facere ad fidei nostræ ἀσφάλειαν, ut sciamus præcisè quo anno natus sit Christus, modo teneamus in ejus nativitatem vere concurrere characteres temporis a Prophetis notati. Itaque missis quæstionibus variis intricatissimis, quæ hic moventur, sufficit nunc quidem observare, tutissimum esse acquiescere in iis quæ

Scriptura hac in parte tradere nobis voluit ad confirmandam fidem nostram. Proponit verò illa Natalis Christi characteres communes potius, quàm singulares, qui tempus quidem natalitium aliquatenus circumscribunt, Annum verò præcisè nusquam designant. Tres verò potissimùm notantur characteres in N. Test., ex quibus judicium fieri potest Natalis Christi. Primus in *notatione Regni Herodis*, in cujus diebus natus dicitur Matt. 2: 1. *Jesu nato Bethlehemi, tempore Herodis Regis*. Secundus in *designatione descriptionis* totius orbis, institutæ à Cyrenio Syriæ Præside, imperante Augusto Luc. 2: 1. 2. Tertius in *concursu anni decimiquinti Tiberii*, & *tricesimi Christi*, quando baptizatus est Luc. 3: 1. cum 23. Christus dicitur fuisse ὡς ἐτῶν τριάκοντα, postquam baptizatus est a Johanne, ad quem verbum Dei dicitur factum anno decimo quinto Tiberii Cæsaris. Sed omnes isti characteres generales sunt & indefiniti, qui docent quidem Christum natum *in diebus Herodis*, & *tempore descriptionis primæ* factæ à Cyrenio, sed nec designant præcisè annum regni Herodis, aut istius descriptionis. Duo tantùm hic certa sunt & indubitata. Primò Christum non esse natum, nec ante imperium Augusti, & regnum Herodis, nec post. Secundò Natalem ejus incidere in ultima Herodis tempora, cùm post mortem Herodis Christus redux ex Ægypto, ut παιδίον adhuc describatur Matt. 2: 20. id. in tenera ætate. Deinde Herodis mortem statim subnecti velut θήλατον post insidias Christo structas, & crudelissimum infanticidium Betlehemi exercitum.

VI. Si quæratur, Cur Spiritus Sanctus in istis generalioribus voluerit subsistere, nec specialius quid de anno natali, quod illi facile fuisset tradere. Responsio facilis, factum id proculdubio; primò ut constaret nec fidei nec salutis cardinem verti in scrupulosâ temporum supputatione; sufficere nobis Christum verè natum tempore à Prophetis designato, licet particularis notatio istius anni non sit perspecta. Nostrum autem non est definire cum periculo, quod sine periculo ignorari potest. Secundò voluit etiam hac ratione harmoniam utriusque Testamenti clariùs oculis subjicere. Ut enim in Veteri Testamento designatur adventus Christi per occasum sceptri Judaici, & αὐτονομίας Judaicæ, sine specialiori & magis præcisa ejus designatione. Ita ejus nativitas contigisse dicitur sub regno Herodis & imperio Augusti, quod disertè indicat sceptrum à Juda fuisse ablatum, & complementum temporum, quo adventus Messiæ circumscriptus fuerit, exhibitum.

VII. Quamvis verò Annus ipse natalitius præcisè non designetur; Non putandum ideo periclitari fidem historiæ Evangelicæ, quia determinatio accurata temporis potest ignorari sine dispendio veritatis, quando quæstio, An sit, est in confesso apud omnes, ut hic se res habet; licet enim dissensus sit inter Doctores de temporis notatione, fatentur tamen omnes, & ipsi

QUÆST. X.

QUÆST. X.

etiam Judæi Christum natum certo tempore. Sufficere ergo hic potest designatio generalis facta à Scriptura, nec de ulteriori multùm laborandum. Præstat hic ἐπέχειν & sobriè loqui, quàm temere quicquam affirmare.

Quæstio de Mense & Die natali.

VIII. Altera Quæstio respicit *Mensem* & *Diem* natalem, circa quam tres sunt præcipuæ sententiæ. Prima quæ rejicit in 25. Decemb. quæ communis est Pontificiorum, & recepta est etiam apud Nostros, quam sequuntur Ecclesiæ Christianæ. Altera rejicit in finem Septembris, quæ est Scaligeri, Calvisii, Beroaldi, & aliorum; Sed neutrius rationes sunt apodicticæ, sed probabiles tantùm, quæ magnâ ex parte conjecturis nituntur.

Prima Sententia, quæ rejicit in 25 Decemb.

IX. Fundamentum primæ sententiæ præcipuum, est petitum ex Chrysostomo in 1. Luc. quòd utriusque conceptio & Johannis & Christi contigerit in duobus æquinoctiis, nativitas verò in duobus solstitiis. Æquinoctio autumnali conceptum Johannem, & natum solstitio æstivo puta mense Junio, Christum verò post sex menses conceptum Æquinoctio verno, & natum solstitio hyberno, quòd incidere putaretur ex fastis Eudoxi & Metonis in 25. Decemb. Johannem autem verè conceptum mense Septembri æquinoctio autumnali, ex eo colligit, quòd Angelus Gabriel prædicat Zachariæ conceptionem Johannis die decimo mensis septimi Tisri dicti, qui respondet Septembri nostro, qui fuit dies Expiationum, quo Zacharias, qui supponitur fuisse S. Pontifex ingressus sit ex Lege Sanctum Sanctorum, & suffitum adoleverit coram Arcâ Luc. 1:9. quo sacro peracto Zacharias domum iverit, & Elizabetha conceperit ineunte Octobri. Tum verò post sex menses ineunte Aprili Luc. 1:26. conceptus sit Christus, & nono mense sub finem Decembris natus.

X. Sed parum firmum esse hoc fundamentum non difficile est demonstrare. Quia nititur falsâ hypothesi, quòd Zacharias fuerit S. Pontifex, qui die expiationum suffitum adolere debuerit, quod ex ipso textu non unâ ratione refellitur. Nam si Zacharias fuit S. Pontifex, Cur Lucas de eo nihil dicit, non ἀρχιερέα vocando, sed tantùm ἱερέα τινὰ *quendam Sacerdotem*, nimirum ex plebe Sacerdotum? Quomodo dicitur Sacerdotio functus in ordine suæ ἐφημερίας, quod Sacerdotibus ordinariis competebat, qui juxta ἐφημερίας inserviebant altari, & post hebdomadale ministerium domum discedebant, non verò summo, qui nulli affixus ordini, quibusvis sacris, quovis tempore poterat operari? Cur dicitur sortitus λειτουργίαν istam suffitus faciendi, cùm summo Sacerdoti soli solennis illa cæremonia citra sortem ex officio incumberet?

XI. Nec contrarium evincitur, Vel ex eo quod dicitur ingressus in Templum ad suffitum faciendum. Quia suffitum adolere extra velum & Sanctuarium, ad quosvis pertinuit Sacerdotes sorte ad id delectos, ut altare suffitus extra velum & sacrarium erat collocatum Exod. 30. Vel ex eo quod populus

dici-

dicitur expectasse extra Templum v. 21. quia hoc solitum fuit populo expectare in Atrio reditum Sacerdotis, utpote cui non dabatur aditus in locum Sanctum, sed solis Sacerdotibus. Expectabat ergo pro more populus Zachariam, dum ille pro sortitionis suæ ratione sacris operabatur. Vel ex eo quòd Angelus dicitur illi apparuisse ad latus dextrum Altaris suffitus. Quia hoc non fuit intra velum ad Arcam, sed extra velum ad latus altaris Thymiamatum, ubi sortitus Sacerdos quotidie mane & vesperi suffitum adolebat.

Secunda Sententia refert ad Æquinoctium Autumnale seu finem Septembris.

XII. Secunda sententia est *Scaligeri*, *Calvisii* & aliorum, qui existimant Christum natum sub Æquinoctium autumnale, vel circa finem mensis Septembris. Ad cujus probationem, Scaliger putat se apodixim ducere posse ex ἐφημερείᾳ, de qua Luc. 1: 5. à distributione scilicet familiarum Sacerdotum, quæ ordine quæque suo per vices divino cultui vacare debebant, juxta ordinem à Davide sancitum 1 Paral. 24. per quem distributæ erant in 24. classes, & per jactam à Davide sortem prima classis contigit familiæ Joaribi, secunda familiæ Abiæ, in qua erat Zacharias; & reliquæ cæteris familiis dicto loco notatis. Et quia in annis ducentis viginti quatuor Ephemeriæ omnes redibant ad eosdem dies, sacri hujus orbis adminiculo certissimè singularum familiarum Ephemeriæ investigari possunt. Quia verò huic ordini confusionem induxit præter Babylonicæ captivitatis calamitatem, variorum Judæ Regum Idololatria, & divini cultus adeoque ordinum Sacerdotalium in Templo neglectus. Judas Maccabæus purgando Templum ab Antiochi pollutionibus, ordinem hunc Ephemeriarium ita restauravit, ut Josephus testetur, ad ultimam usque Jerosolymorum obsidionem per Vespasianum, nunquam interruptum fuisse. Secundùm hunc orbis hieratici calculum, Zacharias in classe octava Abiæ debuit inire Ephemeriam suam Julii 21. annis post Maccabæi Encænia centum sexaginta, & diebus centum nonaginta duobus; quæ impleta sit Juli 28. post quem diem Zacharia domum redeunte potuit concipere Elizabeth Johannem Baptistam initio Augusti, latuitque secundùm Lucam menses quinque, & sexto ineunte scilicet Januario, post visitatam Elisabetham, Maria conceperit Christum, quæ novem post mensibus, sub finem scil. Septemb. vel Octob. initium prope Æquinoctium Autumnale eum pepererit.

XIII. Verùm demonstratio ista, ut ut subtilis & ingeniosa, non videtur satis solida; tot enim nititur hypothesibus, quarum una labente totum ruit ædificium, ut non facilè assensum possit impetrare. Supponitur hic præcipuè instaurationem istius ordinis factam à Juda Maccabæo, nec amplius unquam turbatum & interruptum. Sed præterquam quod nihil dicitur de restitutione istius ordinis 1 Macc. cap. 4. quo argumento persuaderi possumus nullam unquam interruptionem in eo exinde, ut vult Josephus accidisse? cùm tot casus hunc ordinem turbare potuerint, v. g. si familia aliqua legali pollutione contaminata esset; si aliqua ex 24. familiis intercidisset, vel

non

QUÆST. X.

non præsto esset, & alia id genus; Et unde certò constabit familias in eodem ordine semper permansisse, cùm non semper in eodem gradu recenseantur? Adde supponi etiam sine certo fundamento Elisabetham statim uno vel altero die post reditum Zachariæ concepisse, cùm Lucas dicat simpliciter hoc factum μετὰ ταύτας ἡμέρας *post dies illos*, quod latitudinem aliquam temporis importat.

XIV. Præter hanc Scaligeri demonstrationem, alia afferuntur argumenta ad confirmationem istius sententiæ, sed non majoris ponderis; Ut quod eâ tempestate nasci debuerit Christus, quâ licebat pastoribus ἀγραυλεῖν & διανυκτερεύειν ἐν ὑπαίθρῳ; Tale autem non esse tempus brumale. Sed hæc ratio minus firma videtur Casaubono Exer. 2. ad Anna. Baro. an. 1. n. 14. quia non ex Gallia vel Germania, de Judæa & locis aliis calidioribus & magis meridionalibus judicium fieri debet, præsertim cùm in frigidioribus & magis septentrionalibus id etiam locum habeat, ut in Anglia, ubi nullus est à lupis & aliis feris metus, armenta toto anno in agris pernoctare solent. Quidni ergo in Judæa longè callidiori pastores potuerint ἀγραυλεῖν, in agro degere excubias agentes super gregibus suis?

XV. Licet verò Tempus Census instituti ab Augusto minus commodum videatur, si sit hybernum; Non sequitur aliud esse debuisse. Quia Tempus istud non aliunde, quàm à voluntate imperantis petendum est, pro cujus arbitrio omnia agebantur. Imò talis obnoxietas ad dura ista imperia, fuit pars servitutis Judaicæ. Nec adeo Judæi à Romanis æstimabantur, ut attenderent eorum commoda vel incommoda.

XVI. Non necesse fuit Christum nasci eo anni tempore, quo creatus est mundus, nim. autumnali. Quia nihil obstabat mundum per Christum renasci, quamvis in aliud tempus rejiciatur ejus nativitas. Nec Jubilæi Evangelici promulgatio eodem tempore debuit fieri, quo Legale; nam quivis annus, & quodvis tempus sub Messia est annus acceptus Domini, & dies salutis.

3. Sententia ἐπέχει.

XVII. Tertia sententia eorum est, qui ἐπέχει, pertendentes mensem & diem natalitium Christi, determinari à nemine posse vel debere, cùm Scriptura de iis sileat, & primis Ecclesiæ Christianæ seculis, nihil de iis determinatum legatur. Ad quos etiam accedimus, ne temerè definiamus, quod solide definiri non potest, sed id ignoremus, quod Scriptura nos ignorare voluit, cui proclive fuisset annum, mensem & diem istum notare, siquidem id visum fuisset necessarium ad consolationem & fidem nostram. Unde super hoc argumento nemini litem intentandam censemus. Et ut solennitatis natalitiæ celebrationem anniversariam piissimam judicamus & utilissimam; præcisam tamen 25. Decembris observationem, consuetudine potius & longa Ecclesiæ praxi, niti arbitramur, quam ullo præcepto vel exemplo Apostolico. Qui plura voluerit consulat Usserii Annales, Spanhemii Dubia, Bailii Chronologi, & alios ex Doctoribus nostris, qui fusè de hoc argumento egerunt.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

DE CONCEPTIONE ET NATIVITATE CHRISTI.

Quomodo Christus conceptus fuerit ex Spiritu S. & natus ex B. Virgine?

I. PRimus Humilitatis & Exinanitionis Christi gradus à *Conceptione* & *Nativitate* ejus petendus est, quæ duæ sunt Incarnationis ejus partes. Licèt enim non obscura gloriæ ejus in utraque fuerint argumenta; Certum est hic jam aperiri magnum Exinanitionis Christi mysterium, dum eò usque se demittere voluit æternus & gloriosissimus Dei Filius, ut intra uteri materni angustias delitescere, & carnem infirmam & mortalem assumere non dedignatus sit. *Primus gradus humilitatis Christi in Conceptione.*

II. *Conceptio* seu σύλληψις, de qua Luc. 1:31. quæ vocatur etiam γέννησις Matth. 1:18. est, per quam invisibiliter Christus formatus est in utero B. Virginis, nullâ hominis operatione, sed solâ Spiritus S. virtute & obumbratione, τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου, *quod in ipsa genitum est, est ex Spiritu S.* Matth. 1:20. In qua duplex *principium* attendendum est, *Activum* Spiritus Sanctus, *Passivum* B. Virgo. *Luc. 1:31.*

III. *Principium activum* non fuit Virorum aliquis, ut in generatione communi, quia talis debuit esse Conceptio, ut sua B. Virgini maneret integra & illibata virginitas, & per quam immunis esset Chistus ab omni peccati labe, quod per ordinariam genituram solet propagari & contrahi. Sed solus Spiritus S. Mat. 1:18.20. Luc. 1:35. non exclusivè ad cæteras Trinitatis Personas, quæ ad hoc opus etiam, ut ad alia externa ejusdem generis, indivisim concurrerunt; sed *appropriativè*, quatenus consummatio & fœcundatio rerum solet tribui Spiritui S. ut quæ sunt Creationis & Gubernationis Patri, quæ Redemptionis & Sapientiæ Filio. Ut ita generatio Christi & regeneratio nostra sibi respondeant, & eandem causam habeant. *Cujus Principium activum est Spiritus S.*

IV. *Spiritus* autem hîc se habuit, non *materialiter*, sed *efficienter* tantùm, δημιουργικῶς, non σπερματικῶς, κατ' ἐξουσίαν, non κατὰ συνουσίαν, ut conceptus sit ex Spiritus potentiâ, non ex substantiâ, non generatione, sed benedictione & consecratione, ut loquebantur Veteres. Ut Præpositio ἐκ nota sit causæ efficientis, ut sæpè alibi Rom. 11:36. quum *omnia dicuntur esse ex Deo* & 1 Joh. 3:9. pii nati ἐκ τοῦ Θεοῦ, non verò causæ materialis, ut quum tribuitur Virgini, ex qua natus dicitur.

QUÆST. XI. *Qui tamen non potest dici Pater Christi.*

V. Atque hinc facilè responderi potest ad Quæstionem, quæ hic moveri solet à Socinianis. Annon Spiritus Sanctus dicatur Pater Christi, cùm ex illo conceptus dicatur? Cùm enim titulus Patris requirat generationem ex substantiâ generantis, & generationem naturæ sibi similis, & neutrum hic occurrat; patet Spiritum S. non posse dici Patrem Christi. Accedit quòd Christus vocetur ἀπάτωρ Heb. 7: 3. ratione humanitatis, & quod Deus Pater, solus ejus Pater dicatur, isque proprius 1 Joh. 1: 18. & 5: 17. quodque Pater non procedat, mittatur & donetur à Filio, quomodo Spiritus dicitur procedere, mitti, & donari à Christo. Aliud verò est potestate suâ aliquid ex materiâ aliunde assumptâ formare; Aliud ex substantiâ suâ generare. Prius fecit Spiritus Sanctus, sed non posterius, quod est Patris.

VI. Non meliùs iidem pertendunt ad Divinitatem Christi destruendam, Filium Dei tantùm vocari propter conceptionem extraordinariam ex Spiritu Sancto. 1. Quia ut suo loco probatum, Filius Dei jam fuit ante suam conceptionem ex Spiritu S. Joh. 1: 1. 2. Psal. 2: 7. Prov. 8: 24. & propter ipsum fideles in Vet. Test. jam actu fuerunt filii & hæredes. 2. Quia vocatur Filius Dei secundùm naturam divinam humanæ oppositam Rom. 1: 2. 3. & 9: 5. 1 Pet. 3: 18. 3. Quia ut Filius hominis dicitur, quia genitus est ex homine, ex genere Adami; Ita Filius Dei debet dici, non quòd conceptus sit ex Spiritu S. ratione humanitatis, sed quòd genitus sit ex Deo ratione Divinitatis, aliàs perpetua & immediata antithesis, quæ occurrit inter istas duas nomenclationes, stare non posset.

Luc. 1: 35. VII. Nec hoc potest evinci ex Luc. 1: 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te* &c. διὸ καὶ, *Ideo quod ex te genitum est sanctum, Filius Dei vocabitur.* Quia particulæ διὸ & καὶ, non sunt notæ consequentis, quasi sit Filius Dei, quia genitus ex Spiritu Sancto, quia antequam conciperetur, jam fuisse & subsistitisse dicitur Joh. 1: 2. & Phil. 2: 6. sed consequentiæ, ratione manifestationis, quia inde à posteriori declarata fuit ejus æterna Filiatio. Quò pertinet, 1. quod non dicitur ἔσαι *erit*, sed κληθήσεται *vocabitur*, id. manifestabitur, & esse agnoscetur Filius Dei unigenitus Joh. 1: 18. ut Joh. 1: 14. *vidimus gloriam ejus ut Unigeniti.* 2. quod non exprimitur genere masculino, ὁ γεννώμενος, sed neutro τὸ γεννώμενον, ut innuatur, non hominem illum, qui nasciturus erat, dici *Filium Dei*, sed sic discretè vocari aliquid in Christo essentiale, naturam nim. aut personam ejus divinam, quæ bene neutro genere, ut aliquid ὑφιστάμενον, denotatur.

VIII. Nec si fideles vocantur Filii Dei propter regenerationis gratiam, sequitur Christum eo nomine insigniri propter miraculosam conceptionem. Quia alia ratio fidelium, qui analogicè tantùm propter participationem virtutum moralium dicuntur nati ex Deo, alia Unigeniti Dei, qui ex ejus essentia genitus, & ipsi æqualis per omnia dicitur.

IX.

IX. Porrò ista operatio Spiritus Sancti in Virgine duabus vocibus exprimitur in Scriptura, per ἐπέλευσιν, & ἐπισκίασιν Luc. 1: 35. Spiritus S. ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, *superveniet in te, & virtus Altissimi te obumbravit*, quibus admirabilis illa & potentissima efficacia designatur, quà mysterium illud operatus est. Per ἐπέλευσιν notatur præsentia Spiritus S. & ejus actio in genere, non communis & ordinaria, quæ obtinet in conceptione omnium Job. 10: 8. Psal. 139: 15. sed extraordinaria & cœlestis; quomodo supervenire dicitur Spiritus in eos, qui ad magnum & extraordinarium opus destinantur Jud. 14: 6. & Spiritus supervenit in Apostolos, quum cœlitus ad eos sanctificandos, & in opus Evangelii præparandos linguarum ignearum specie missus est Act. 1: 8. Per ἐπισκίασιν peculiariter notatur *modus istius operationis*, qui fuit 1. *potentissimus* ad protectionem & præsidium, ne B. Virgo divinâ majestate consumeretur. 2. *efficacissimus* ad fœcundationem, ut sine ope ulla viri conciperet in utero: ut avis ova sua tegere, fovere & iis incubare dicitur, ut ipsius calore pulli gignantur & excludantur, allu sivè ad Creationem, in qua Spiritus dicitur incubuisse aquis Gen. 1: 2. ut eâ virtute oriturus iste fœtus dicatur, quâ mundus exordium sumpsit. 3. *arcanus & incomprehensibilis*, qui nec ratione pervestigari, nec sermone enarrari potest. Quò spectat nubis obumbratio in Tabernaculo Exod. 40: 35. & quod Cherubini obumbrabant Arcam 2 Paral. 5: 8. Ita Deus hic umbram obducere voluit occultæ & incomprehensibilis ἐνεργείας indicem, ne nos in modum istius mysterii curiosiùs inquiramus. Sic Angelus appositè respondet B. Virginis postulato, quæ rem velut impossibilem intuebatur, eo quòd virum non cognosceret; Hoc ipsi mirum videri non debere, siquidem hoc non sit futurum humanâ operâ, sed virtute Dei, cui nihil impossibile, & modo planè admirabili, quem mirari deceat, non scrutari.

Quæst. XI.

Luc. 1: 35.

X. Duæ autem hic præcipuæ fuerunt Spiritus S. operationes. 1. *materiæ præparatio*. 2. ex materia præparata *Corporis Christi formatio*. Primò enim debuit materiam ex B. Virginis substantiâ decisam idoneâ sanctificatione præparare, non modò vim eam illi indendo, & ad eam activitatem illam elevando, quæ ad generationem sufficeret, sine semine viri, sed etiam repurgando illam ab omni peccati labe, ut esset ἄκακος & ἀμίαντος, & ita Christus absque peccato nasceretur. Nihil ut opus sit propterea ad immaculatam Mariæ conceptionem confugere. Quamvis enim nulla sit ex Creaturis quantavis virtute polleat, quæ mundum ex immundo possit educere. Job. 14: 4. non est tamen ex eo metienda Dei potentia, cui nihil est impossibile, & qui vocat ea quæ non sunt.

XI. Secunda operatio fuit in *Corporis* Christi *formatione*, ad quam pertinet ejus organizatio, animatio, & utriusque tam corporis quàm animæ cum

QUÆST. XI.

Verbo unitio; Quod Apostolus Heb. 10: 5. per κατατισμὸν exprimit, σῶμα κατηρτίσω μοι; quatenus per Incarnationem Corpus Christo ita formatum est, & aptatum à Spiritu Sancto, ut in eo servile ministerium obire, & obedire Patri ac immolari posset.

An Christi Corpus fuerit formatum momento, an successivè?

XII. Si Quæratur verò, ut fit à Scholasticis, Quomodo hoc sit peractum à Spiritu S. An in momento, An verò successivè? Distinctè responderi potest, nam ut tria hic occurrunt. 1. Præparatio materiæ, ex qua formatum est Corpus Christi. 2. Formatio Corporis ex materia istà ritè præparatâ. 3. Perfectio ejusdem Corporis per sua incrementa paulatim ad justam quantitatem perducti. Quoad primum & tertium consentiunt omnes successivè fuisse peracta. Sed quoad secundum, quod formationem Corporis respicit, disputatur inter Theologos, aliis momentaneam, aliis successivam formationem urgentibus, ad quos etiam accedimus.

XIII. 1. Quia momentanea illa formatio Corporis Christi integri, & cum anima conjunctio fingitur sine Scriptura, in qua nullum talis formationis miraculosæ extat vestigium. Imò expressè temporis spatia in hoc negotio memorantur, & actus Conceptionis, Generationis, & Nativitatis distinctè recensentur, & iis tempus ordinarium adscribitur, Luc. 1:26. 38. 56. 57. & 2:6. 2. Quia Christus in assumptione naturæ humanæ dicitur factus nobis similis, ne exceptis quidem infirmitatibus, sed solo peccato. Ergo non momento, sed juxta ordinem consuetum paulatim formari debuit. 3. Quia crevit extra uterum more aliorum corporum, Ergo non alia ratio debuit esse formationis in utero, quomodo & gestatio fuit successiva & ordinaria novem mensium; quod frustra fuisset, si momento formatum & perfectum fuisset. Nam si momento perfectum fuit Christi Corpus, potuisset nasci pariter eodem momento, nec debuisset B. Virgo gestationis ordinariæ molestias & labores sustinere.

XIV. Non putandum est hoc dogma quicquam statuere indignum Spiritu S. Quia licet potuerit sine morâ, & unico momento Corpus Christi efformare: Non obstat tamen, quominus successivè hic operatus sit, ut ab imperfectis ad perfecta solet procedere in operibus Naturæ & Gratiæ. Nec multùm refert scrupulosiùs inquirere, quo tempore anima unita fuerit Corpori, & Λόγος Carni. Sufficit ut credamus, naturam humanam ex quo esse cœpit, nunquam seorsim à Λόγῳ extitisse, sed ab ipso fuisse assumptam, illique unitam hypostaticè. Et si anima infundi non potuit in corpus nisi jam organizatum, & planè formatum, de quo non consentiunt inter se Medici; Non sequitur Λόγον non potuisse carnem statim sibi unire, cùm opus ejus non possit aut præsente aut absente animâ coarctari. Nec magis absurdum est Corpus Christi nondum animatum uniri Λόγῳ, quàm idem jam exanimatum in sepulchro eidem conjunctum manere, ut Theologi agnoscunt factum fuisse in morte Christi.

XV.

XV. Ex hac miraculosa conceptione Christi ex Spiritu Sancto, oritur omnimoda sanctitas Christi, & exemptio ab omni peccato, tum imputato, tum inhærente. Nec obstat quòd dicatur Filius Adami Luc. 3. 38. in quo omnes mori dicuntur 1. Cor. 15. 22. Quia communio peccati tantùm pertinet ad naturales ejus posteros, qui viâ ordinariâ ab ipso sunt oriundi, non ad ipsum, qui modo planè extraordinario ab eo descendit. Et ut gratia sanctæ conceptionis illum præservavit à participatione maculæ, quidni exemerit ipsum à reatu, qui solis naturalibus ipsius hæredibus secundùm ordinem Dei imputari solet? Et si Christus potuit esse in lumbis Abrahæ cum Levi, nec tamen cum eo decimari, quid obstat, quominus fuerit in Adamo, nec tamen cum ipso & in ipso peccàrit? QUÆST. XI.

XVI. Conceptionem Christi excipit *Nativitas* ex B. Virgine, quæ contigit stato, & à naturâ definito partus tempore, qui partus licet miraculosus fuerit, quia virgineus, naturalis tamen bene dicitur, quia consuetudo matribus more enixa est. Unde nec sine dolore dici potest peperisse, cùm enim peccato non caruerit, peccati etiam pœnam hac in parte, & primævam matrum sortem perferre debuit Gen. 3. 16. *In dolore paries liberos*, & Johan. 16. 21. *Fœmina quum parit tristitiam habet*: Multò minùs cum Pontificiis ad corporum penetrationem inde asserendam, affirmari debet Mariam clauso utero enixam esse, Scripturâ contrarium expresse definiente, Luc. 2. 22. 23. quum applicatur Christo locus Exod. 13. 2. ubi agitur de primogenito vulvam aperiente, & rei ipsius naturâ, hanc dimensionum penetrationem, & duorum corporum uno in loco moram non ferente. Nec propterea virginitas Mariæ in dubium vocatur. Quia non in eo sita est, quòd Christus natus sit clauso utero, sed quòd Virgo fuerit intacta Viro. *Nativitas Christi fuit ordinaria.*

XVII. Locus Ezech. 44. 2. de *porta Sanctuarii clausa*, & per quam nemini aditus pateat nisi Principi, perperam huc trahitur. Quia, præterquam quod allegoricus est, atque ideo nec argumentativus ex Adversariorum confessione; alienus est à re de quâ hic agitur. Nam ædificium monstratum Prophetæ, non fuit typus B. Virginis, sed universalis Ecclesiæ, cui porta cœli clausa ob peccatum, patet & reseratur per Christum Summum ejus Sacerdotem & Principem. *Ezech. 44. 2.*

XVIII. Ex hac Nativitate Christus bene Filius Mariæ dicitur, ut ab æterna generatione Filius Dei vocatur; nec tamen duplex illa filiatio in Christo, altera respectu Patris in cœlo, altera respectu matris in terra, duplicem filium constituit, sed unicam personam, cui duplex accedit ista relatio, cùm unum idemque subjectum plurium relationum sit capax.

XIX. Hic verò duo præcipuè quæri solent. 1. Cur Christus ex Virgine nasci debuerit. 2. An ut Virgo fuit ante partum & in partu, talis etiam fuerit post partum. Ad primam in genere respondetur, necessarium hoc fuisse ad

QUÆST. XI. ad Oraculorum veterum complementum, quæ hoc expressè prædixerant Isa. 7. 14. & quæ ideo Messiam per Semen mulieris, & fructum ventris describere solebant. Sed in specie rationes variæ assignari solent istius dispensationis. 1. Quia novus generationis modus novo homini congruebat, & persona extraordinaria extraordinariam genituram postulabat. Antea primus homo immediatè à Deo creatus fuerat, postea Eva producta est ex viro sine fœmina; Exinde omnes homines ordinariè ex viro & fœmina nascuntur; restabat quartus modus ad admirabilem Dei sapientiam in hominum ortu conspiciendam, ut homo ex fœmina sine viro nasceretur, quod in solo Christo

Jer. 31. 22. impletum. Quò refertur à quibusdam locus Jer. 31. 22. *Creavit Iehova novum in terra, fœmina circumdat masculum*, scilicet in utero. 2. Ex fœmina nasci voluit aliorum hominum more, ut verum hominem sese probaret. Ex semine viri nasci noluit, ut *etiam aliud esse, quam hominem, crederemus*, ut loquitur Ambros. de Sacr. Incarn. prius ad necessitatem nostram pertinebat, posterius ad ejus dignitatem. 3. Quia non decuit, ut idem Filius duos haberet Patres, sed ut nullam matrem agnoscebat in cœlo, quà Filius Dei; Ita nullum Patrem agnosceret in terris, quà Filius hominis, & sic verè esset ἀπάτωρ, & ἀμήτωρ. 4. Quia si conceptus fuisset ex semine Viri, non posset dici conceptus ex Spiritu Sancto, & filius naturalis Adami fuisset, adeoque hæres omnium ejus malorum. Ut ergo constaret nihil illum habere commune cum peccato, quod ordinaria generatione in nos derivatur, modo extraordinario debuit nasci.

XX. Si verò Quæras cum Virgine, Quomodo hoc fieri potuerit? Responsio Angeli nobis sufficere debet, *apud Deum nullum verbum esse impossibile* Luc. 1. 37. *Si ratio quæritur*, inquit Aug. epist. 3. ad Volusi. *Non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse, in talibus rebus, tota ratio facti est potentia facientis.* Nec hoc absurdum videri debet, vel Judæis vel Græcis, cùm apud ipsos varia non minus rationi absurda & impossibilia proponantur, quod eximiè persequitur Cyrill. Hieros. Catec. 12.

An Maria semper Virgo fuerit, tam post partum, quàm ante?

XXI. Ad secundam Quæstionem de Virginitate Mariæ; Non quæritur de tempore partus, vel partum antecedente. Consensus enim est inter Christianos Virginem fuisse ante partum, & in partu. Sed agitur de tempore partum consequente, An post partum semper Virgo manserit? quod non expressè definitur in Scriptura, sed piè tamen creditur fide humanâ, ex veteris Ecclesiæ consensu, nec ad fidem ultra necesse est. Probabile quippe est, uterum illum, in quo Servator noster vitæ auspicia accepit, unde tanquam ex Templo in Mundum hunc ingressus est, tanto Hospite ita consecratum & sanctificatum fuisse, ut intacta Viro semper manserit, nec Josephus unquam eam cognoverit.

XXII.

XXII. Unde meritò Helvidius, & Antidicomarianitæ, ita dicti quòd essent ἀντίδικοι Mariæ, à Patribus reprehenduntur, quòd Mariam ἀεὶ παρθένον negaverint, statuentes eam post partum Josepho copulatam fuisse, imò & ex eo liberos suscepisse, ut notat Aug. de hæres. levissimis nixi argumentis. 1. Quia Christus *primogenitus* Mariæ dicitur. Nam ut bene Hiero. notat, ita vocatur, quia ante eum nemo genitus est, non quòd post eum alius detur; Unde apud Jurisconsultos, *Est primus, quem nemo præcedit, est ultimus, quem nemo sequitur.* Hebræi primogenitos etiam unigenitos solent vocare Exod. 4: 22. Israël vocatur *primogenitus Dei*, licet solus esset populus à Deo electus. Sic Exod. 13: 2. *primogenitus sanctus Deo* dicitur, qui primo editur partu, sive alii sequantur, sive non; aliàs primogenita non fuissent redimenda, nisi post aliam sobolem procreatam, quod falsum esse Lex ostendit, quæ vult ea redimi primo à partu mense Num. 18: 16.

QUÆST. XI.

Exod. 4:22.

Exod. 13:2.

XXIII. 2. Non solidiùs hoc exculpere potuerunt, ex eo quòd *Fratres Christi* quidam vocantur in N. Test. Quia tralatitium est in Scriptura hoc nomine designari, non modò fratres proprios & germanos per naturam, sed etiam consanguineos & consobrinos, ut Abraham & Loth, Jacob & Laban, sic Jacobus & Joses, Simon & Judas fratres Christi dicuntur, Matt. 13: 55. cognitione. Nam Maria quæ eorum mater dicitur, Matthæo & Marco; Johanni dicitur *Soror Matris Domini*. Quod autem Joh. 7: 5. dicitur, quòd ne *quidem fratres ejus in eum crediderint*, de remotioribus consanguineis est intelligendum.

Mat. 13:55.

Joh. 7: 5.

XXIV. 3. Nec meliùs colligitur ex eo, quòd Josephus dicitur *Mariam non cognovisse, donec peperisset Filium suum primogenitum* Matth. 1: 25. Quia particulæ *donec & usque*, ad præteritum sæpe tantùm referuntur, non ad futurum, id. ita præcedens tempus connotant, de quo dubium esse poterat, vel quod maximè scire intererat, ut futurum non respiciant, loca sunt varia Gen. 28: 15. Psl. 123: 2. Psl. 110: 1. Matt. 28: 20. *&c.* Ita ostenditur quidem quid ante nativitatem Christi à Josepho factum fuerit, scilicet quòd abstinuerit ab ea; sed non innuitur alio modo se comparasse post partum. Quum ergo dicitur gravidam inventam fuisse πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, negatur copulatio præcedens, sed non ponitur sequens.

Matt. 1:25.

XXV. Licet Copula non adfuerit in isto conjugio, non desiit esse verum & ratum, etsi non consummatum; quia non concubitus, sed consensus facit matrimonium. Fuit ergo perfectum quoad formam, scil. individuam vitæ conjunctionem, & fidem intemeratam; sed non quoad finem, liberorum scil. procreationem, quanquam non defuerit, quoad prolis educationem.

XXVI. Licet autem piè credatur perpetua ejus virginitas, perperam tamen à Pontificiis votum Virginitatis illi affingitur. Nec enim Virginitatem Deo, & nuptias Josepho simul spondere potuit, aut ἀτεκνίαν tanquam rem

Deo

QUÆST. XI. Deo gratam vovere, quam & in Lege Deut. 7:14. maledictam, & à morte gentis suæ alienam, & ab Elizabethâ cognatâ suâ probri appellatione traductam sciebat Luc. 1:25. Deinde nec ante sponsalia vovere potuit, nec post. Non prius, nam si vovisset, Cur ergo nuberet, cùm tutiùs servare virginitatem aliter posset? & quâ conscientiâ nomine conjugii ad fallendum Josephum abusa fuisset, & patiendo se marito collocari, sanctum conjugii fœdus, non sine Dei ludibrio sprevisset? Non posterius, quia inane fuisset votum sine consensu Sponsi, qui nullo argumento probari potest.

Luc. 1. 34. XXVII. Nec ad tale votum probandum faciunt verba Mariæ v. 34. *Quomodo hæc fient, siquidem virum non cognosco?* quasi indicaret impotentiam suam moralem ex voto, non naturalem, *non cognosco*, id est, non soleo cognoscere, nec possum, & quidem non naturâ, aut lege prohibente, sed voto, ut vult Maldon. in. h. l. Quia perperam torquentur verba ista ad votum, cujus nec vola nec vestigium huc extat, quæ sunt tantùm admirantis ob rei novitatem & magnitudinem, & de modo quærentis; non potuit enim non mirum esse Virgini instantem conceptum & partum, nullâ matrimonii consummandi, vel Josephi sponsi mentione factâ, perinde ut jam nuptæ, prænunciari; cùm tamen ipsa conscientia esset suæ virginitatis, nec ullius viri conjugali consuetudine adhuc uteretur.

XXVIII. Porrò si quæritur, Cur non tantùm ex Virgine nasci voluerit Christus, sed ex Virgine desponsata, rationes afferuntur a Patribus variæ, tum respectu Christi ipsius, tum Matris, tum Nostri *Christi* quidem, ne tanquam illegitimus & ex adulterio natus, ab ullo hominum judicari posset, ut ejus genealogia more consueto ex viro Josepho, qui putabatur ejus pater, potest cognosci, & ex quibus patribus natus esset. Denique ut haberet sui adhuc infantis Tutorem & Curatorem Josephum. *Matris*, ut ejus famæ & saluti consuleretur, ne pro adulterâ haberetur, & ex lege lapidibus obrueretur, & ut virum haberet à quo curaretur, defenderetur, & cujus pallio tegeretur. *Nostri*, ut fides nostra de nativitate Christi ex Virgine magis confirmaretur, quando ipse etiam Josephus de uxore sua id testatus est.

QUÆ-

QUÆST. XII.

QUÆSTIO XII.

DE GRATIIS ET DOTIBUS CHRISTO COLLATIS.

Quænam Gratiæ Humanæ Christi Naturæ collatæ fuerint? Et An fidem & spem habuerit? Aff.

Status Quæstionis.

I. NOn quæritur de *Gratiâ æternâ*, quæ est in Deo, scilicet de Amore & benevolentiâ, quâ Christum complexus est, & in æternùm complexurus, quo sensu Christus vocatur Filius ἀγαπητὸς in quo Deo complacitum est Matt. 3:17. Nec de *Gratiâ Unionis*, per quam Humanitas assumpta est à Λόγῳ in unitatem Personæ. Sed de *Gratiis habitualibus*, seu donis & perfectionibus, & vi Unionis hypostaticæ, humanæ naturæ collatis.

Gratias Christo collatas esse & verè & plenè probatur.

II. Tales gratias Christo collatas esse verè & plenissimè, Scriptura non uno loco docet Isa. 11:2. ubi dicitur Spiritus sapientiæ, scientiæ &c. requieturus super Christum. Et eo fine vocatur toties justus, sanctus, innocens Isa. 53:11. Luc. 1:35. Act. 3:14. Heb. 7:26. huc facit quòd dicitur unctus Spiritu & virtute, Act. 10:38. unctus oleo lætitiæ Ps. 45:8. & quod non aliò potest pertinere, quàm ad dona Spiritus S. animum mirificè lætificantia. *Plenitudo* etiam earum designatur, quum dicitur Christus *plenus gratiâ & veritate*, Joh. 1:14. & accepisse Spiritum ἀμέτρως sine mensura Joh. 3:34.

III. Non putandum tamen plenitudinem istam esse simpliciter infinitam, tum quia ipsa humanitas in se finita est, nec potest esse infiniti capax, tum quia gratia ista est aliquid creatum, cui proinde repugnat esse infinitum. Sed hoc intelligendum *secundùm quid* respectu gratiarum, quæ vel Angelis vel hominibus communicatur, quibus gratiæ Christi longè sunt majores: In aliis est *plenitudo sufficientiæ*, quatenus tantum gratiarum obtinent à Deo, quantum ipsis ad salutem sufficit; Sed in Christo est *plenitudo abundantiæ*, quæ non ipsi tantùm, sed & aliis sufficit, ut de ejus plenitudine hauriamus omnes Joh. 1:16. 2. ratione *graduum*, quia gratiæ Christi omnes habuerunt gradus, quicunque ex Dei lege haberi possunt, supra quos nihil dari potest, vel quibus inter homines nihil par aut æquale potest occurrere. Nec obstat, quòd nullum finitum sit, quod ab alio non dici possit exæquari. Quia hoc valet quidem in iis quæ sunt ejusdem generis & rationis. At Christi gratia non talis est respectu gratiarum aliarum Creaturarum, quia illa fuit universalis, sed istæ particulares.

QUÆST. XII.

IV. Dona ista Spiritus Sancti in plenitudine suâ, sive *extensiva* quoad *partes* & species, sive *intensiva* quoad *gradus* recensentur ab Isa. 11: 1. 2. *sapientia*, *intelligentia*, *consilium*, *fortitudo*, *scientia*, *timor*, quibus à Scholasticis additur ex V. V. sed sine fundamento & necessitate, *pietas*, quæ in timore Dei jam includitur; non quod numero illo omnia contineantur, cùm alibi fiat mentio aliorum donorum; sed præcipua indicantur, quæ ad impositi Christo muneris administrationem præcipuè requirebantur. Nec tantùm conserendus dicitur Spiritus iste cum donis suis Christo, sed *quieturus super eum*, quo notatur, non tantùm vera & realis communicatio; sed & diuturnitas & perpetuitas donorum, quippe quæ Christus possedit, non tanquam actum, & ut motum quendam transeuntem, aut labilem, sed ut permanentem & fixum, quo liberrimè usus est, quantumcunque & quotiscunque libuit.

Is. 11: 1. 2.

An Christus habuerit fidem & spem?

V. Quæstio hîc movetur à Scholasticis, An Christus fidem & spem habuerit? Et non pauci ex ipsis dicam scribunt Calvino, & Feuardentius inprimis lib. 8. θεομαχίας, quòd fidem Christo tribuat, quem errorem vocat impium, & Scripturæ contrarium. Sed non esse simpliciter denegandam fidem Christo, Scriptura non uno loco ostendit, dum Christum vocat fidelem Hebr. 2: 17. & 3: 2. Petrus Act. 2. refert ad Christum verba Psal. 16. *Caro mea requiescet in spe*, & Mat. 27: 46. Christus Patrem Deum suum vocans, fidem suam in ipsum testatur. Sed non potest competere illi sub omni illo formali, quo hominibus competit, cùm eo modo imperfectionem involvat.

Et quomodo

VI. *Fides* ergo tribuitur Christo, non quatenus est apprehensio fiducialis misericordiæ Dei, quia sic tantùm peccatoribus competit: Nec ratione *modi cognitionis*, quantum ad ænigmatis obscuritatem, & quatenus opponitur εἴδει aspectui 2 Cor. 5: 7. quod non sine imperfectione fieri potest, quæ in Christum non cadit. Sed quoad *cognitionis substantiam*, & quoad assensum in rem cognitam, id. doctrinam à Deo revelatam; & quoad fiduciam quæ recumbit in Dei bonitatem nobis omnia necessaria providentem.

VII. Idem de *Spe* dicendum, Quicquid in ea perfectionis est quoad *certitudinem*, per quam firmiter innitimur promissioni divinæ de re futura rectè Christo tribuitur: sed quod involvit defectum & imperfectionem, quatenus est expectatio adhuc obscura rei quæ nondum habetur Rom. 8: 24. non debet illi adscribi.

VIII. Licet anima Christi ab initio jam beatitate gavisa sit, & Deo ipso ex vi Unionis hypostaticæ fruita sit. Non habuit tamen adhuc ejus plenitudinem, propter passionis necessitatem; sed demum eam consequi debuit post resurrectionem & ascensionem, quum factus comprehensor, plenè glorificatus est & quoad animam & quoad corpus; Ideo nihil obstitit quominus in Deum crederet, & speraret gloriam sibi promissam Heb. 12: 2.

QUÆ-

QUÆSTIO XIII.

DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

An Christi Anima ab ipsa Creatione, ita repleta fuerit scientia, ut nihil ignoraverit, vel didicerit? Neg. contra Pontificios.

I. SCholastici scientiam Christi distinguunt in tres præcipuas species, Beatam, Infusam, & Acquisitam, pro triplici lumine gloriæ, gratiæ, & naturæ. *Beatam* vocant eam, quâ Christus Deum videt secundùm essentiam, ut beati ejus faciem in cœlo intuentur. *Infusa* illis est, quâ supernaturali habitu cognoscit res cœlestes, & quicquid per lumen gratiæ videri potest. *Acquisita* est, quâ intelligit quæcunque lumine naturæ sive rationis cognosci queunt. Sed minus rectè, quia scientia beatifica, quæ est comprehensorum, non potest commodè tribui Christo adhuc Viatori in terris versanti, ut postea dicetur. Duplicem ergo naturæ humanæ Christi in mundo degenti scientiam agnoscimus, infusam, & acquisitam seu experimentalem; *Infusam* accepit per grâtiam Spiritus S. humanam naturam sanctificantis, & eam donis suis replentis, de qua agitur Isa.11: 1.2. *Acquisita* est cognitio actualis, quam Christus acquisivit, tum per ratiocinationem, conclusiones deducendo ex principiis scientiæ insusæ, tum per propriam experientiam Heb.4: 15. & 5. 8.

II. Quæstio hic intercedit cum Pontificiis, De naturâ & extensione istius scientiæ; Non de scientia Christi glorificati, sed in terris agentis. 2. Non, An Omniscientia illi data sit per gratiam Unionis, quod antea refutavimus. Non An crassâ multarum rerum ignorantiâ laboraverit, quod per calumniam nobis imputatur ab Adversariis, quia sic non posset eximi à peccato, cujus ne umbram quidem in ipso fuisse agnoscimus. *Status Quæstionis.*

III. Sed quæstio eò redit. An Anima Christi tantâ scientiâ imbuta fuerit ab initio, ex vi Unionis hypostaticæ, ut nihil ignoraverit, vel de novo discere potuerit. Quod Pontificii affirmant Bell. Tom. 1. contr. gene. 2. de c. 1. 2. *Catholicorum communis sententia semper fuit, Christi animam ab ipsa sua creatione repletam scientiâ & gratiâ, ut nihil postea didicerit quod antea nesciret.* Nos verò negamus. Et Christum quidem quà Deum omniscium agnoscimus, sed quà hominem scientiâ, magnâ quidem supra cæteras omnes creaturas, sed finitâ tamen & creatâ, & cui aliquid addi potuerit, & revera additum sit, præditum confitemur.

QUÆST. XIII.

Probatur Sententia Orthodoxa.

1. Ex Luc. 2:52.

IV. Rationes sunt. 1. Quia Christus dicitur *profecisse sapientiâ & staturâ* Luc. 2:52. At ubi est perfectio, ibi nullus est profectus. Nec dici potest profecisse tantùm *opinione hominum*, ut vult *Bellarm.* c. 5. quia magis indies aperiebat sapientiam suam: Quia ut verè profecit ætatis accessu, & quoad staturam; ita & dotium incrementis & quoad sapientiam, ut Toletus bene probat. Unde *Ambros.* de Incar. cap. 7. *Sicut proficiebat ætate hominis, sic proficiebat sapientiâ hominis*, quod agnoscit *Stapleto* in Antido. Evang. ad h. l. Confirmatur ex eo quod non dicitur tantùm profecisse apud homines, sed etiam *apud Deum*, quod ad opinionem meram non potest referri, sed rei veritatem importat.

2. Ex Marc. 13:32.

V. 2. Quia *Filius* dicitur *ignorare diem judicii* Marc. 13:32. non utique quatenus Λόγος seu Filius Dei, quia non potest ignorare diem, quem ipse præfinivit cum Patre Act. 17:31. & ut tempus fecit, nec principium nec finem ejus ignorare potuit. Sed quatenus homo & respectu naturæ humanæ tantùm, ut Veteres se ab Arianorum objectione inde petita contra divinitatem Filii non aliter expediverunt. Non tantùm, quia non sciebat ad dicendum aliis, ut Bell. Beca. Tiri. & alii vellent, quod æquivocationem Jesuïticam saperet, quis enim citra mendacii culpam potest absolutè negare se scire, quæ scit eo quòd non debeat aliis revelare? Deinde hoc sensu nihil fere esset, quod non posset dici Christus ignorare, quia non revelat mysteria sua Ethnicis & Turcis. Imò Pater ipse dicendus esset ignorare diem judicii, cùm eum nulli revelet. Non tantùm quia noverat quidem theoreticè, sed non practicè & secundùm experientiam. Sic enim nec Pater ipse eum novit, cùm nondum advenerit. Sed simpliciter, quia Verbum hoc illi non revelaverat. Atque ita Christus vult curiositatem discipulorum compescere, ne ultra quam oportet penetrare auderent, nec de judicii ullius tempore quæstiones scrupulosas necterent, quoniam membra eam cognitionem affectare non debent, quæ ne ipsi quidem Capiti concessa est secundùm humanitatem ipsius. Nec propterea statuendi sunt duo Christi, quorum unus sciverit, alter ignoraverit diem judicii, sed duæ tantùm naturæ, in uno Christo, quæ ut conjunctæ sunt in unitatem personæ, ita & proprietates suas retinent inconfusas; ut multa de *toto Christo* seu persona dicuntur, quæ ad *totum Christi*, seu ad utramque naturam non pertinent, sed ad alterutram tantùm. Istæ ergo propositiones possunt esse simul veræ, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, Christus ignorat diem judicii, & Christus non ignorat diem judicii, quia fit oppositio inter naturas conjunctissimas, quarum una non includitur in conceptu alterius. Sed alia ratio est propositionum, quæ fiunt de iis, quæ non distinctione reali, sed tantùm formali differunt, & quæ ita se habent, ut unum subordinetur alteri, & includatur in altero. Unde non potest commodè dici, quòd homo aliquid ignoret secundùm esse animale,

male, quod ſcit ſecundùm eſſe rationale, quia τὸ rationale includitur in animali. QUÆST. XIII.

VI. 3. Quia factus eſt *nobis ſimilis in omnibus* Hebr. 2: 17. *excepto peccato* cap. 4: 15. Neque hîc ignorantia quam Chriſto tribuimus excipi poteſt. *3. Ex Heb. 2: 17.* Licet enim ignorantia pravæ diſpoſitionis, & univerſalis rerum quas ſcire neceſſe ſit, vitiis bene accenſeatur, quibus caruit Chriſtus; non tamen negativa, & particularis rei alicujus pro illo ſtatu & tempore non neceſſariæ, quò faciunt iſta Athanaſii Serm. 4. contra Arrianos, *ὡς ἄνθρωπος οὐκ οἶδεν, ἀνθρώπων γὰρ ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν.*

VII. Si Chriſtus omnia ſcire dicitur Joh. 21: 17. & Matt. 12: 25. vel ad *Fontes Solutionum.* ſcientiam divinam pertinet, vel ad humanam extenditur, non abſolutè debet intelligi, aliàs omniſcientia naturæ ejus humanæ tribuenda eſſet, quod *Joh 21: 17.* nolunt Adverſarii; ſed tantùm ſecundùm quid & comparatè reſpectu ſcien- *Mat 12:25.* tiæ hominum, quâ longè fuit perfectior.

VIII. *Theſauri ſcientiæ & ſapientiæ* qui in *Chriſto dicuntur abſconditi* *Col. 2: 3.* Col 2: 3. non omnimodam ſcientiam omni tempore ſemper & abſolutè fuiſſe in ipſo evincunt; Sed fuiſſe eam omnem ſcientiam, quæ ad rationem Officii Mediatorii pertinere potuit, quæ omnino eminentior fuit ſcientiâ hominum & Angelorum. Adde, quod ut alibi viſum, hoc poteſt optimè referri vel ad perſonam Chriſti, vel ad Evangelium, de quo proximè locutus fuerat.

IX. Chriſtus ut Filius Dei ad omnia bona paterna ab ipſa Incarnatione jus habuit, ſed poſſeſſione quorundam ex voluntaria diſpenſatione ad tempus carêre potuit. Debuit ſanè repleri omnibus donis ad Muneris Mediatorii adminiſtrationem neceſſariis; Verùm ſuo ordine & gradu ſecundùm œconomiam voluntatis divinæ. Unctio facta quidem eſt ab ipſo conceptionis momento, ſed ejus unctionis actus diſpenſati ſunt per temporum momenta, ut & per objecta varia: Ut natura divina in Chriſto primò comprimebat aliquomodo majeſtatem ſuam, & illam quaſi occultabat ſub velo Carnis, quam poſtea clariùs exeruit in exaltatione. Sic Spiritus ſapientiæ, quo unctus eſt, cohibebat actus ſuos, nec ſtatim radios ſuos pleniſſimè in intellectum Chriſti effudit. Unde licet pleniſſimam imò infinitam cognitionem haberet, non tamen eam totam Chriſto homini communicavit.

X. Ad finem Incarnationis aliquid poteſt conducere dupliciter, vel *mediatè* & communi ratione, vel *immediatè* ratione ſingulari. Quamvis ignorantia negativa Chriſti, non diceretur utilis fuiſſe ad Incarnationis finem ſingulariter & immediatè, ut fuit neceſſaria mors & reſurrectio; ſatis eſt, quòd fuerit talis mediatè & communi ratione; ut Chriſtus declararet ſe verè participem naturæ noſtræ cum infirmitatibus ſuis ἀδιαβλήτοις; Ignorantia quippe iſta eſt conditio annexa naturæ noſtræ animali.

QUÆST. XIII.

XI. Perperam sententia nostra confertur cum Agnoëtarum hæresi, cùm nihil nobis sit commune cum illis, qui ignorantiam Verbo, sive Christo quà Deus est tribuebant, ut Alph. à Castro lib. 5. advers. hæreses hære. 8. notat; Et Isido. orig. lib. 8. cap. 5. Unde Niceph. lib. 12. c. 30. fuisse eos Arianismi propaginem docet.

An Christus fuerit simul Viator & Comprehensor? Negativa probatur.

XII. Hinc non obscurè colligi potest, Quid statuendum sit circa aliam Quæstionem, quæ hîc movetur à Pontificiis, An Christus fuerit Viator simul & Comprehensor? Quod illi pertendunt, ut faciliùs negent passiones spirituales in anima Christi locum habuisse. Nos verò negamus. Quia status isti ita sunt oppositi, ut sint ἀσύςατοι, Viator est in via, Comprehensor in meta, Viator laborat & patitur, Comprehensor finitis laboribus perfectâ beatitudine fruitur. Cùm ergo Christus fuerit hîc in via ad decurrendum stadium ipsi propositum, ut opus redemptionis nostræ perficeret, in quo variis ærumnis & certaminibus obnoxius fuit; Imò & maledictionem & pondus iræ Dei sustinuit, non potuit hoc temporis intervallo Comprehensoris beneficio frui in plenissima naturæ humanæ beatitudine, quàm per exaltationem suam demum obtinuit, licet perfectissimâ sanctitate semper præditus fuerit, absque ulla peccati labe.

XIII. Beatitudo Comprehensorum est status gloriosus & felix, doloris & ignominiæ expers. At tota historia vitæ passionis & mortis Christi clamat non fuisse talem statum Christi in terris gloriosum Phil. 2. 7. 8. & felicem Matt. 20. 28. Luc. 9. 58. doloris aut ignominiæ expertem Matth. 26. 39. & 27. 32. sed post mortem tantùm & obitum ejus ex mundo illi contigisse Luc. 24. 26. Phil. 2. 8. 9.

Fontes Solutionum.

XIV. Quod Deo arctissimè est unitum, debet esse undequaque & omni modo perfectum ratione sanctitatis ut nulla peccati macula in eo deprehendatur. Sed non statim quoad beatitatem; quod vel exemplo Corporis Christi cum Λόγῳ etiam uniti constare potest, quod non potuit dici perfectè beatum, siquidem passioni & morti fuit obnoxium. Unio ergo animæ cum Deo infert quidem beatitatis possessionem, sed non statim adeundam, vel constanter semper fruendam; cùm ex dispensatione Dei passio gloriam & felicitatem debuerit præcedere.

XV. Alia est gloria & *beatitas* divinitatis *intrinseca & essentialis.* Alia *extrinseca & participata.* Per Unionem hypostaticam Personæ θεανθρώπου communicata est cum natura divina, gloria & beatitas intrinseca & essentialis, quæ infert communionem omnium perfectionum divinarum. Sed naturæ humanæ communicari tantùm debuit beatitudo externa & participata, quæ Deitati non adhæret, sed ab ea tanquam effectum manat in creaturam, & quidem tanquam accidens, quod aliquando abesse & adesse potuit.

Joh. 6. 46.

XVI. Si Christus vidisse Patrem dicitur Joh. 6. 46. non agitur de natu-

râ humanâ præcisè, sed de Personâ Λόγυ, quæ ut unita intimè semper fuit Patri, non potuit non semper ejus visione beatificâ frui. Nec si anima Christi arctiùs unita est cum Deitate, quàm animæ beatorum, sequitur beneficio Comprehensorum jam frui: quia per dispensationem hoc jure se abdicavit, ut Sponsoris munus implere posset, quod vadimonium inter animas Cœlitum & earum unionem cum Deo non intercedit.

QUÆST. XIV.

QUÆSTIO XIV.

DE PASSIONIBUS CHRISTI.

An Christus pœnas tantùm corporales in corpore, aut animâ quidem, sed tantùm quoad partem inferiorem & sensitivam passus sit pro nobis? An verò ipsas etiam spirituales & gehennales peccati pœnas, tam in superiori, quàm inferiori parte, propriè in se, & ex sensu iræ Dei sustinuerit? Neg. Prius. Poster. Affirm. contra Pontificios.

I. UT Passio Christi potissima est pars λύτρυ pro nobis à Christo persoluti, & præcipuum fiduciæ & consolationis nostræ fundamentum; Primarium etiam debet esse fidei nostræ objectum, & meditationis argumentum, ut cum Paulo nihil nobis proponamus, nisi scientiam Jesu Crucifixi. Atque eò diligentiùs in id incumbendum est, quò Satan impotentiùs furit ad veritatem Passionum istarum obscurandam, & fructum earum salutarem nobis intercipiendum.

II. Non quæritur hic, An Christus aliquid passus sit? Licet enim jam olim fuerint nonnulli, qui, cùm divinâ Christi gloriâ indignum censerent doloribus & mœstitiâ corripi, eò usque progressi sunt, ut dixerint Christi corpus fuisse impassibile, adeoque non verè, sed tantùm κτ̀ δόξαν passum fuisse, quæ fuit hæresis *Aphtartodocetarum*, de quibus Niceph. hist. Eccles. lib. 17. cap. 29. Ad quos non parum videtur accedere Hilarius, dum lib. 10. de Trin. pertendit humanam naturam in Christo propter Unionem cum Verbo, nullis passionibus fuisse obnoxiam, si tamen ea est Hilarii sententia, qui hîc à Lombardo li. 3. sent. dist. 15. excusatur, quasi non tam passionis sensum Christo ademerit, quàm causam & meritum patiendi. Ita tamen jampridem explosa est ista sententia tanquam historiæ Evangelicæ *Status Quæstionis.*

&

QUÆST. XIV.

& Redemptionis nostræ veritati contraria, ut nihil necesse sit eam in scenam reducere. Sed quæritur de natura & subjecto passionum, Quales scilicet fuerint ejus passiones, & in quo subjecto? An in Corpore tantùm, An etiam in Anima? Et si in Anima, An in inferiori tantùm ejus parte, quæ sensitiva dicitur, An verò in superiore etiam & rationali?

Passiones Christi spirituales probantur.

1. Ex Scriptura.

III. Pontificii enim, ut dogma suum tueantur de perfecta beatitudine animæ Christi in toto Exinanitionis statu, & cum historia Passionis possint eam conciliare, pertendunt Christum esse passum corpore, non animâ; Et si urgentur, distinguunt partem animæ inferiorem & sensitivam, à superiori & rationali. Quoad illam, ad quam affectus & perturbationes referunt, concedunt Christum passum esse; sed quoad hanc minimè: Vel si quid in ea passus est, non passum esse propriè & in se, ex sensu iræ Dei, sed tantùm, vel διὰ παράστασιν per assistentiam, vel διὰ συμπάθειαν *sympatheticè*, propter communionem animæ cum corpore. Orthodoxi contrà, passiones Christi referunt tam ad animam quam ad corpus, tam ad partem superiorem quàm inferiorem; Et Corpore quidem dolores & cruciatus corporeos, & mortem præ cæteris crudelissimam temporalem tulisse; Animâ verò spirituales & internos, gravissimum scil. illud, & summè horrendum iræ divinæ pondus, & κατάραν nobis debitam. Rationes sunt.

IV. Primò. Quia Scriptura Passiones Christi utrique parti tribuit & animæ potissimùm, quum anima Christi dicitur turbata fuisse Johan. 12. 27. & περίλυπος *tristitia undique obsessa*, & veluti obruta, Mat. 26. 38. non ergo tantùm in parte inferiori, sed etiam superiori. Eò vel magis, quòd cùm anima sit ἀμέριστος & indivisibilis, fieri non potest, quin affectâ unâ qualitate, cæteræ omnes afficiantur. Gravitas verò istius tristitiæ demonstratur ex eo, quòd dicatur esse *usque ad mortem*, id est extrema; ad *pondus tribulationis* notandum, ut habet Glossa; quòd describatur per τάραξιν animæ conturbationem Johan. 12. per ἀδημονίαν Matth. 26. 37. & ἐκθάμβησιν Luc. 22. quum animus præ horrore veluti concidit, & sub mœroris pondere quasi fatiscit, per ἀγωνίαν, talem scilicet anxietatem & animi angorem, qui sudorem sanguineum illi expressit Luc. 22. 44. & preces ferventissimas, quas cum clamore valido & lachrymis Patri obtulit, ut calix ille ab ipso transiret, ubi Angelo paracleto opus habuerit. Quorsum verò extrema illa dejectio & perturbatio, horror ille & pavor ingens, & lucta illa acerrima cum iræ divinæ & maledictionis sensu referretur, nisi ut passiones istas non in corpore tantùm, sed anima, nec in parte animæ inferiori duntaxat, sed & superiori fuisse dicamus? nisi velimus Christum fuisse innumeris Martyribus inferiorem, qui mortem corpoream, & dirissimos cruciatus, non modò patienter, & placidè, sed & cum gaudio & exultatione sustinuerunt.

2. Ex salutis necessitate.

V. Secundò. Quia salutis nostræ necessitas hoc requirebat. Nam ut animâ &

& corpore peccaveramus; Ita in utraque parte patiendum fuit Christo Sponsori, ut λύτρον sufficiens justitiæ divinæ solveret, & animæ & corpori redimendis. Confirmatur ex eo, quòd passiones, quæ peccatoribus ex Lege denunciantur, non sunt tantùm corporeæ & externæ, sed præcipuè spirituales & internæ in sensu iræ & maledictionis divinæ Lev. 26. Deut. 27. & 28. Gal. 3: 12. 13. Hinc Iren. lib. 5. cap. 1. *Proprio sanguine redemit nos Dominus, qui dedit animam suam pro animis nostris, & carnem suam pro carne nostra.* Unde non modò vocatur ἀντίλυτρον, sed & ἀντίψυχος, qui animam pro anima spondet & commutat. QUÆST. XIV.

VI. Tertiò, Pœna *derelictionis*, quam passus est Christus, de quâ quæritur Matt. 27: 46. non fuit passio corporea, sed spiritualis & interna, orta, non ex quolibet cruciatu, quantumvis dirissimo, quem in corpore sentire poterat, tales enim non pauci experiri potuerunt ex Martyribus, qui tamen de hac derelictione non leguntur conquesti; sed ex sensu gravissimo iræ Dei illi incumbentis propter peccata nostra. Ista autem *desertio*, non concipienda est absoluta, totalis, & æterna, qualis in Dæmonas & reprobos tantùm cadit, sed *temporalis*, & *secundum quid*, non ratione *unius naturæ*, nam quod semel assumpsit Filius Dei nunquam dimisit; Vel *unionis gratiæ & sanctitatis*, quia fuit semper ἄκακος & ἀμίαντος, sanctitate illibatâ præditus; Vel *communionis & protectionis*, quia Deus illi fuit semper à dextris Ps. 110: 5. nec unquam relictus est solus Joh. 16: 32. Sed quoad *participationem gaudii & felicitatis*, Deo præsentiam favorabilem gratiæ, & influxum solatii & beatitatis tantisper suspendente, ut posset pati pœnas omnes nobis debitas; quoad *subductionem visionis*, non quoad *dissolutionem unionis*, quoad carentiam sensus dilectionis divinæ, per sensum iræ & vindictæ divinæ illi incumbentis intercepti, non quoad ejus realem privationem, vel extinctionem; Et ut loquuntur Scholastici, quoad *affectionem commodi*, ut destitueretur solamine & gaudio ineffabili, quod oritur ex sensu amoris & paterni Dei, & visione beatificâ ejus vultus Psal. 16. sed non quoad *affectionem justitiæ*, quia nihil propterea sensit in se inordinati, quod tenderet ad desperationem, impatientiam, vel blasphemiam in Deum. *Mat.* 27: 46.

VII. Quartò, Christus pro nobis factus est maledictio Gal. 3: 13. dum illi propter vadimonium susceptum imposita est Legis maledictio nobis debita, non tantùm ἐπικατάρατος, *maledictus*, sed κατάρα, abstracto posito pro concreto ad ἐπίτασιν, quia omnem maledictionem, quam Lex denunciabat peccatoribus pertulit; quod utique non respicit tantùm corpus, sed præcipuè animam, quæ tali sensu potest affici, quod non pauci ex Pontificiis agnoverunt, *Maldonatus* in c. 26. Matt. *Ferus* in c. 26. & 27. Mat. & alii. *Gal.* 3: 13.

VIII. Licet Scriptura Cruci, Sanguini, ac Morti Christi salutem plerumque adscribat; hoc non fit ad exclusionem passionum spiritualium, & in- *Fontes Solutionum.*

QUÆST. XIV. internarum, nec synecdo. à parte sensibili & externâ, quæ oculis exposita erat, denominando totum. Nec crux vel mors possunt commemorari, quin involvatur eo ipso notio maledictionis, quæ illis annexa erat, quia non alia mors est, quàm quæ denunciabatur per Legem.

IX. Quamvis cruciatus interni & spirituales non potuerint figurari in specie, & in particulari per mortem & sanguinis fusionem victimarum, potuerunt tamen in genere sub illis contineri. Cùm enim ignis sit iræ divinæ symbolum; nihil obstat quominus combustio sacrificiorum per ignem, ad iræ divinæ sensum, quem in anima pertulit Christus referri possit. Ita sanguis sacrificiorum, ut animæ sedes, optimè etiam animæ symbolum dici potest. Adde quod nec typus particularis defuit in passionibus Davidis, quæ describuntur Psal. 22. & 69. quæ non modò fuerunt externæ, sed & internæ.

X. Non necesse est ut sacramenta omnes partes passionum Christi repræsentent, sufficit ut partem quandam, quæ potuit talibus symbolis significari, sed ex qua reliquæ facilè colligantur, exhibeant, cùm sese invicem comitentur necessariò in Christo; nec mors Christi possit adumbrari, quin maledictio illi adjuncta, menti nostræ obversetur.

XI. Sacrificium Christi vocatur *oblatio corporis* Heb. 10. non in oppositione corporis ad animam, quam etiam posuisse pro nobis dicitur Isa. 53:10. & Joh. 10:15. sed per antithesin ad Sacrificia Levitica toties iterata, de quibus loquebatur Apostolus. Unde hoc genus loquendi aptissimum fuit.

XII. Atque hinc non obscurè colligitur, quid judicandum sit de passionibus Christi, An gehennales & tartareæ bene dicantur, ut volunt Nostri. Cùm enim *infernus* in Scriptura, non tantùm sepulchrum, aut damnatorum sedem, sed etiam extremam miseriæ & calamitatis conditionem notet, ut bene observat *Arias Montanus*, & *inferni dolores* ponantur pro gravissimis; nihil obstat Christi passiones hoc sensu infernales dici propter earum diritatem & intensionem.

XIII. Nec tamen propterea rectè dixeris, Vel damnatorum locum subiisse, & damnatum fuisse: Quia potuit quidem ferre *pœnas damnandorum*, sed non *damnatorum*, ut in locum infernalem ipsis paratum descenderet, ex quo nulli datur reditus. Vel æternæ pœnæ fuisse addictum, quia *æternitas* pœnarum nobis debitarum per earum gravitatem & extremitatem in Christo abundè compensata est.

XIV. Multò minus *Desperatio* Christo debet tribui, quæ cadit in damnatos: Quia non est de *essentia pœnæ* in se consideratæ, & prout à Judice infligitur, sed de vitio subjecti patientis, quòd cùm æternitatem mali dirissimi attendit, & impossibilitatem ex ea eluctandi, non potest quin in desperationem cadat, quæ alienissima fuit à Christo, qui licet diritatem crucia-

ciatuum sibi ferendorum sentiret, certus erat tamen de felici exitu, & fine ipsorum. Unde patet falsitas atrocis calumniæ, quæ iniquissimè impingitur ab Adversariis in Calvinum nostrum, ut à Bell. lib. 4. de Christo cap. 8. Genebr. in Ps. 22. Maldon. in Matt. 27. & aliis, quia ait in Matt. 27:46. *Sed absurdum est Christo elapsam desperationis vocem.* Quis enim non videt esse objectionem, quam sibi proponit ex verbis Christi *Deus mi &c.* quamque ita diluit, ut alienissimum à desperatione, & fiduciæ plenum semper fuisse clarissimè asserat? *Solutio*, inquit, *facilis est*, *quanquam sensus carnis exitium apprehenderet*, *fixam tamen stetisse fidem in ejus corde*, *quâ Deum præsentem intuitus est*, *de cujus absentia conqueritur.* At si fides fixa fuit in ejus corde, quomodò in eum potuit cadere desperatio? Quod fortiùs adhuc confirmat Inst. lib. 2. c. 16: §. 12. ut ex loci inspectione patet. Sed si libêret recriminari, quantò justiùs hoc posset impingi Adversariis, ex quibus non pauci criminis istius rei deprehenduntur? ut *Maldonatus* in Matt. 27. *Ferus* in eundem locum, qui desperationem Christo expresse tribuunt, *Cusanus* de Cruciatibus Christi & alii. Vide Disp. Nostr. de Satisf. p. 283. QUÆST. XIV.

XV. Non absimili calumniâ accusatur magnus Vir Dei, quòd Christum *damnatum* fuisse dixerit, quia Sectione 10. Catech. *in tali damnatione constitutum* dicit, ut à Deo se derelictum conquestus sit. Verùm quis non videt hîc *damnationem* pro *condemnatione* poni, ex stylo linguæ gallicæ tunc temporis usitatissimo? 2. Si Christus dicitur *maledictio*, cur non damnatio illi tribui potest? 3. Patres & non pauci ex Adversariis ita sunt locuti, *Cyprian.* de passione Christi, *damnatus est*, *ut liberaret damnatos*, *doluit ut sanaret infirmos*, *timuit ut faceret securos.* Greg. Naz. orat. 2. de Filio, *univit id quod condemnatum erat*, *ut totum à condemnatione liberaret.* Athan. de Incarn. *Opus erat illo ipso Judice*, *qui decretum tulerat*, *ut ipse sententiam solveret in specie condemnati.* Gregor. M. l. 3. Mora. in Job. cap. 11. *Formam damnati hominis sumpsit*, *& eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat.* Biblia Vulgata habent vocem damnationis Luc. 23:4. & Lovaniensia ann. 1533. Cusanus lib. 11. Exercit. non aliter loquitur.

QUÆST. XV.

QUÆSTIO XV.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

An Anima Christi, statim post separationem sui à Corpore, & translata fuerit in Paradisum? An verò localiter descenderit ad Inferos? Prius Affir. Poster. Neg. cont. Pontif. & Luther.

I. Quæstio de Descensu Christi ad Inferos duplex est. Alia cum Pontificiis & Lutheranis nonnullis, qui descensum localem Christi urgent. Alia inter ipsos Orthodoxos de vero sensu istius Articuli. An ad spirituales Christi angores referendus sit, An ad sepulturam, & statum ejus abjectissimum sub dominio mortis? De hac dicetur proximè, Nunc prima nobis excutienda.

Status Quæstionis. II. Pontificii Pertendunt Christi animam, ex quo separata fuit à corpore, ilicò descendisse localiter ad inferos usque ad resurrectionem. In Catech. Trident. credendum proponitur, *Christo jam mortuo, ejus animam ad inferos descendisse, ibique tamdiu hæsisse, quamdiu ejusdem Corpus in sepulchro fuit.* Et ne hoc intelligatur factum *virtute* tantùm & *potentiâ*, non verò *essentiâ*, ut Durandus censuit, additur ibidem, *Omnino credendum esse ipsam animam re & præsentiâ ad inferos descendisse.* Ideò autem descendisse eò volunt, ut animas Patrum V. T. in limbo detentas liberaret, & in coelum secum eveheret.

III. Lutherani ad eos accedunt, descensum substantialem Christi ad Inferos asserendo, non tantùm in Limbum, sed in ipsum locum damnatorum, ut ibi victoriam suam ostentaret, & triumphum exhiberet: atque ideo volunt ad statum Exaltationis referendum esse, non verò ad statum Exinanitionis, ut *Brochmannus* statuit Sect. 14. Qu. 6. & 7.

IV. Hinc Quæstio nata. An Christus localiter ad inferos descenderit, sive ad solum Limbum Patrum, & Purgatorium ad animas Piorum inde educendas, sive ad ipsum damnatorum locum ad victoriam suam ostentandam? Quod vellent Adversarii, Nos negamus.

Luc. 23:43. V. Primò, Quia anima Christi statim post solutionem à corpore migravit in paradisum, juxta promissionem latroni factam Luc. 23:43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Frustra adversarii verba intelligi vellent de *Deitate tantum*, cum qua latronis anima debuit esse in paradiso: Quia futuritionem

tionem in paradiso, seu translationem non tantùm animæ latronis, sed & Christi involvunt, ut sicut Christus & latro verè passi; ita una quoque essent transferendi in cœlum, ut utraque conditio, utrique communis esset. Atque ita consolatoria sunt, non modò in ordine ad latronem, sed & ad Dominum ipsum, fore ut brevi emersuri sint ambo ex his angustiis. Ut eo modo sint in cœlo quoad animam, quomodo in cruce unà fuerant quoad corpus. Unde Cypria. de Passi. *Latro est factus particeps Regni, per confessionem factus collega Martyrii.* Verba ipsa hoc evincunt, non dicit Christus, *Ego ero tecum*, quod præsentiam Deitatis in Paradiso designasset, sed *tu eris mecum*, ut humanitatis suæ consortium illi polliceatur. 3. promittitur consortium cum Christo in regno ejus; At hoc de Deitate non potest intelligi, quæ consortium regni nemini concedit, sed de Christo θεανθρώπῳ, qui fideles in communionem regni sui vocat. II. Non melius alii volunt voculam *hodie, ad sermonem Christi referri, non ad evectionem in paradisum*, ut sensus sit, *hodie tibi dico*, quod mecum eris in paradiso. Quia ut bene observat *Suarez* hæc elusio est, non interpretatio; nihil enim opus erat Christum hoc indicare, quod verbum præsentis temporis, & oratio ipsa Christi satis indicabat, sed vult latronem in agone constitutum, & ad gratiam Christi anhelantem, hoc solatio erigere, quòd petitio ejus eo ipso die implenda sit. III. Gratis etiam fingit Thom. p. 3. q. 12. art. ad 3. *Paradisum hic generaliter notare locum beatitudinis, ubi is demumcunque sit, in quo esse dicuntur quicunque divinâ gloriâ perfruuntur, unde latro quoad locum in inferno cum Christo erat, quoad præmium in paradiso.* Ut *Paradisus sit ubicunque Christus sit, & undecunque Deus videtur.* Sed quid hoc est nisi cœlum non terræ tantùm, sed & inferno miscere? sic in cruce latro jam fuisset in paradiso, quia erat ibi cum Christo. At Christus de eo paradiso loquitur, ubi tum ipse non erat. Deinde non alio modo intelligendus paradisus, quàm quomodo de eo alibi loquitur Scriptura, ut de Beatorum sede 2. Cor. 12. 4. Apocal. 2. 7. quod agnoscunt Bell. contr. 7. lib. 1. c. 3. Suarez in Tho. 3. q. 52. Res ipsa hoc evincit, quia promissio Christi debet respondere petioni latronis, *memor esto mei quum veneris in regnum*, cui Christus respondet, *Hodie mecum eris in Paradiso*, id. regno meo.

VI. Secundò. Quia Anima Christi fuit in manu Patris Luc. 23. 46. *Pater in manus tuas depono Spiritum meum.* Ergo non in inferno: Quia ex stylo Scripturæ manus Patris est intelligendo, non respectu potentiæ, secundùm quam manus Dei est ubique Psalm. 139. vel ut est manus terribilis Dei Judicis, sed ut manus consolans Patris misericordis respectu gratiæ & gloriæ, seu Beatorum conditionis, quæ describi solet per esse in manu Dei. Confirmatur ex eo, quòd Christus hac phrasi indigitare voluit, nihil sibi amplius peragendum restare, tum quoad liberandos alios, tum quoad novos

QUÆST. XV.

2. *Ex Luc. 23. 46.*

QUÆST. XV. ſubeundos cruciatus; ſed ſicut corpus ſuum ſabbathum erat habiturum in ſepulchro; Ita animam quoque in cœlis requieturam ab omnibus laboribus, & maximis gaudiis perſundendam eſſe. Nam τὸ *commendare ſeu deponere animam*, relationem habet ad antegreſſos labores. Non potuiſſet verò Chriſtus dicere *depono Spiritum*, ſi poſt mortem adhuc deſcenſurus fuiſſet in infernum, & graviſſimos labores exantlaturus. 3. eo modo commendat animam ſuam in manus Patris, quomodo David & Stephanus animos ſuos commendarunt, quia hæc ipſa verba fuerunt Davidis antea Pſal. 31: 6. à quibus ea Chriſtus mutuatur, & Stephani fuerunt poſtea Act. 7: 59. qui Chriſtum imitabatur. Imò & quomodo Petrus cap. 4. 1. jubet fideles omnes commendare ſuas animas fideli Creatori; non utique ut deſcendant in infernum, ſed ut recipiantur in cœlum, ut habet Gloſſa ordinaria, *In manus tuas commendo ſpiritum meum, ut egredientem de corpore ſuſcipias ipſum.* Hinc apud Patres manus Patris & infernus opponuntur, Cyrill. Alexand. homi. de exitu animi, *Inſontes ſupra, ſontes infra, Inſontes in cœlo, ſontes in profundo. Inſontes in manu Dei, ſontes in manu Diaboli.*

VII. Tertiò, Si ſecundùm animam Chriſtus verè & localiter deſcendit ad inferos, vel id factum, ut aliquid ibi pateretur, vel ut Patres liberaret, vel ut mortuis evangelizaret, vel ut victoriam ſuam oſtentaret diabolis. Sed nec primum dici poteſt, quia in cruce omnia conſummavit Joh. 19: 30. & unicâ oblatione conſecravit in perpetuum ſanctificatos Heb. 10: 14. Nec ſecundum, quia jam in cœlum recepti erant, nec unquam in limbo fictitio fuerunt, ut ſupra probatum. Non tertium, quia Evangelizatio pertinet tantùm ad ſtatum hujus vitæ, non ad conditionem mortis. Nec ſi Petrus c. 4. 1. dicit *Evangelizatum eſſe mortuis*, hoc intelligendum eſt in *ſtatu compoſito*, quaſi prædicatum eſſet mortuis quà talibus, quia cùm non ſint in ſtatu viæ, non egent amplius ullo præconio; ſed in *ſtatu diviſo*, id. illis qui jam mortui ſunt, ſed qui olim vivebant, dum illis evangelizatum eſt. Non quartum, quia deſcenſus iſte debuit eſſe pœnalis, non triumphalis, & pertinet ad ſtatum Exinanitionis, non Exaltationis.

1 Pet. 4: 6.

VIII. Talem autem eſſe deſcenſum Chriſti varia docent. 1. Quia ex ſtylo Scripturæ deſcenſus ad inferos ſignificat graviſſimas adverſitates & dolores exquiſitiſſimos Gen. 37: 35. Job. 14: 13. Pſalm. 6: 6. & 86: 13. & 130: 1. 2. loca quæ de deſcenſu ad inferos agunt, extremam miſeriam ejus notant, non triumphum, in quo ſcil. non ſit ideo relinquendus, ſed à Patre liberandus Act. 2: 30. 31. 3. deſcenſus in infimas partes terræ opponitur aſcenſioni ſupra omnes cœlos, quæ pars eſt Exaltationis Eph. 4: 9. Ergo debet eſſe pars Exinanitionis.

Fontes Solutionum. *Mat. 14: 20.*

IX. *Cor terræ* ex ſtylo Hebræorum nihil aliud innuit, quàm quod intra terram eſt, לב enim ponitur pro תוך, quod medium eſt, medium autem ſæ-

ſæpe dicitur, quod internum eſt, ſive ſit in meditullio, ſive non, Ezech. 27. 4. Tyri termini dicuntur fuiſſe *in corde maris*, quia mari undique alluebatur, & Deut. 4. 11. Mons dicitur *ardere uſque ad cor cœli*, id eſt, uſque ad mediam aëris regionem. Ita *eſſe in corde terræ* Matt. 12. 40. nihil aliud notat, quàm intra terram eſſe, ſive illud ſuperficiei ejus ſit propius, ſive remotius, & hac ratione innuitur ſtatus Corporis Chriſti in ſepulchro, quod in terrâ fuit, in quo uſque ad tertium diem quievit. QUÆST. XV.

X. Quum Chriſtus dicitur *deſcendiſſe* εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς *partes infimas terræ* Eph. 4. 9. non notatur deſcenſus localis, ſed ejus exinanitio & manifeſtatio in carne, quam in terra aſſumpſit, ut nihil aliud ſit quàm deſcendere in terram, quæ eſt infima mundi pars, conſtructione Hebræis ſatis familiari, quâ regimen ponitur pro appoſitione, Pſ. 139. 15. *In imis partibus terræ* id. in terra, quæ eſt pars inferior reſpectu cœli. Ita non partes terræ inter ſe, ſed partes mundi cœlum & terra inter ſe conferuntur. Nec alium ſenſum eſſe poſſe verba textus innuunt, ubi oppoſitio fit inter aſcenſum è terra in cœlum, & deſcenſum de cœlo. Sicut autem aſcenſus pro termino à quo habuit terram, & pro termino ad quem cœlum, ita viciſſim deſcenſus pro termino à quo habet cœlum, & pro termino ad quem terram. Hoc vidit Caietanus, qui per inferiores partes terræ intelligi vult *terram quæ infima eſt pars mundi, ad differentiam inferiorum partium cœli quæ ſunt in aëre. Ac ſi apertiùs dixiſſet, quia deſcendit primùm ad inferiorem partem terræ.* *Eph. 4. 9.*

XI. Quum Petrus ait Act. 2. ex Pſal. 16. *Animam Chriſti non relinquendam fuiſſe in inferno.* Non poteſt intelligi deſcenſus localis, ſed detentio in ſepulchro, quia hoc refertur à Petro ad reſurrectionem, quod colligitur 1. ex connexione, *Caro*, inquit, *mea commorabitur*, ſcilicet in ſepulchro, *ſubſpe, quoniam non derelinques.* 2. ex phraſi addita ad exegeſim, *Non ſines Sanctum tuum*, id. me, *videre corruptionem* ſcilicet in corpore, quam alioqui relictum in ſepulchro ſentiret. 3. ex colla. cum Act. 13. 34. 35. ubi Deus dicitur ſuſcitaſſe Chriſtum ex mortuis, ne videret corruptionem. Nec obſtat, vel vox ψυχῆς, quæ, ut notat Ema. Sà de phraſibus Scripturæ, ſynecdo. partis pro toto, pro perſonâ ipsâ totâ ponitur, non ſemel alibi Pſ. 3. 3. & 17. 13. Act. 7. 14. vel partis pro parte, pro ipſo corpore, ut Lev. 19. 28. & 21. 1. 11. Num. 5. 1. & Luc. 6. 9. ut Virgi. Æneid. 3. *Animam ſepulchro condimus*; Vel vox ᾅδης, quam ſæpe pro ſepulchro ſumi conſtat, ut infra probabitur. *Act. 2. 31.*

XII. Locus Petri 1ª cap. 3. 19. quum *Chriſtus profectus Spiritu* dicitur *prædicaſſe ſpiritibus* τοῖς ἐν φυλακῇ, non favet deſcenſui locali in infernum. 1. Quia Petrus non loquitur de *animâ*, ſed de *Spiritu*, Ergo non poteſt intelligi de ullo animæ deſcenſu. Spiritum enim hic pro anima non poſſe ſumi, *1. Pet. 3. 19.*

ſed

QUÆST. XV.

ſed pro divinitate, colligitur ex verſ. præced. non alius intelligitur Spiritus, quàm ille *quo vivificatus eſt*, quod non poteſt de anima dici, nec *ſubjectivè*, quia id tantùm vivificatur, quod mori poteſt, quod in animam non cadit, nec *efficienter*, quia vivificatio eſt opus infinitæ virtutis. Ideo neceſſariò intelligenda ipſa divinitas, quæ ſic alibi non ſemel deſignatur Rom. 1:4. Heb. 9:14. & 1 Tim. 3:16. ubi *juſtificatus Spiritu* dicitur, quod de divinitate & Spiritu Sancto intelligunt Cajeta. Gagnæus, Thomas, Lyranus, & alii. 2. agitur de *ſpiritibus* ἀπειθήσασι id. *rebellibus*, qui bene monentibus non paruerunt, quales non poſſunt dici Patres, quos volunt in limbo detentos Chriſtum in cœlum deduxiſſe. Nec dici poteſt eos initio quidem incredulos fuiſſe, ſed poſtea pœnituiſſe, quia hoc non habetur in textu, ſed ei potius repugnat, quia octo ſolùm ſervati, reliqui periiſſe dicuntur, at ſi quidam pœnitentes fuiſſent, Petrus non vocaret eos ἀπειθεῖς. 3. nulla hic liberationis, ſed tantum prædicationis mentio. 4. φυλακὴ de qua hic agitur bifariam tantùm ſumitur in Scriptura, vel pro vigilia nocturna, vel pro carcere in quo detinentur ſontes Luc. 3:20. cùm verò primo ſenſu uſurpari hic non poſſit, debet neceſſariò pro carcere ſumi, ut Gloſſa interli. dicit *carcerem tenebrarum & infidelitatis*, ſed nuſquam in Scriptura carcer dicitur locus aliquis, ubi Spiritus beati concluſi ſint. 5. prædicatio non dicitur facta ſpiritibus in carcere exiſtentibus, quaſi prædicationis tempore in carcere eſſent, quorſum enim fieret, cùm ex eo non detur reditus? ſed dicitur facta olim tempore Noachi, quo patientia Dei expectabat homines, illis, qui hoc tempore quo Petrus ſcribit, ſunt in carcere: Unde Petrus non dicit ἐκήρυξε τοῖς πνεύμασι ἐν φυλακῇ, ſed τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι ἐκήρυξε, ut neceſſariò ſupplendum ſit verbum ſubſtantivum, non ut Vulgata reddit *iis qui in carcere erant*, quaſi prædicationis tempore in carcere eſſent, ſed *qui ſunt* τοῖς οὖσι, eo ſcilicet tempore quo Apoſtolus ſcribebat. Illud enim ποτὲ Petrus jungit, non cum verbis ἐν φυλακῇ, ſed cum ἀπειθήσασι hoc modo, τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι ἀπειθήσασί ποτε, tempora non obſcurè diſtinguens, quibus rebelles fuerant in diebus Noë, & quibus in carcerem detruſi ſunt propter rebellionem. Ita ſenſus loci planus eſt, ut Beza noſter feliciſſimè illum expoſuit, Chriſtus, inquit, quem dixi vivificatum Spiritu, profectus, non mutatione loci, ſed ſingulari quadam præſentiæ ſuæ teſtificatione, per revelationem & operationem ſuam, quomodo ſæpe Deus dicitur venire in Scriptura, non literaliter, ſed figuratè & metaphoricè, non corpore, quod nondum aſſumpſerat, ſed illo ipſo Spiritu ſeu divinâ virtute, quâ reſurrexit & vivificatus eſt, & quâ afflati locuti ſunt Prophetæ 1 Pet. 1:11. prædicavit ſpiritibus illis, qui nunc ſunt in carcere infernali, ubi meritas dant pœnas rebellionis, quam tempore Noachi ejus prædicationi exhibuerunt. Quod Andradius vidit lib. 2. Defenſ. Trident. hunc loci planum eſſe ſenſum dicens, *In quo Spiritu jam olim ipſe veniens*

niens prædicavit spiritibus illis, qui nunc in carcere meritas jam infidelitatis suæ pœnas luunt, quippe qui Noë recta monenti, & Arcam Dei jussu construenti, fidem habere nunquam voluerunt. QUÆST. XV.

XIII. Si Christus dicitur Act. 2: 24. per resurrectionem *exolutus à doloribus mortis*; Non sequitur sustinuisse dolores usque ad momentum resurrectionis, & animam ejus abiisse in inferos, ubi talibus doloribus posset affici. Quia locus potest bifariam intelligi, 1. ut *dolores mortis* per figuram grammaticam ἓν διὰ δυοῖν ponatur pro morte dolorificâ, ut Matt. 3: 11. Christus *baptizaturus* dicitur, *Spiritu* & *igne*, id. igne spirituali. Et Virg. Æn. 1. *Arma virumque cano*, id. virum armatum; Quia certum est mortem Christi conjunctam fuisse cum doloribus exquisitissimis, nec fuisse mortem illam solutam nisi momento resurrectionis. 2. Locus Psal. ad quem Petrus alludit Ps. 18: 5. 6. adhibet vocem חבלי מות quæ propriè notat *funes* & *vincula*, quibus homo detinetur veluti captivus in morte, à quibus solvitur per resurrectionem, nihil ut opus sit fingere propterea passionem aliquam animæ post mortem. Petrus tamen secutus 70. retinet vocem ὠδῖνας; quæ utrumque potest connotare, & cruciatus quos in morte passus est, & vincula mortis, quibus in sepulchro quodammodo ligatus est, ut sensus sit. *Quem*, nempe Christum, *suscitavit Deus*, *solvendo mortis vincula*, *cùm non posset κρατεῖσθαι detineri semper instar captivi ab ipsa.* Act. 2: 24

XIV. Carmen Triumphale, quod Paulus 1 Cor. 15: 54. 55. post Hoseam canit, rectè refertur ad resurrectionem Christi, quâ de peccato, morte & inferno, victoriam reportare cœpit; sed ad descensum ad inferos non potest pertinere, qui fuit extremus Exinanitionis ejus gradus, in quo tantùm non à morte absorptus videbatur. 1 Cor. 15: 54. 55.

QUÆSTIO XVI.

An Descensus ad Inferos rectè ad Cruciatus infernales, & ad statum abjectissimum sub dominio mortis in sepulchro referatur? Affir.

I. Quæstione præcedenti confutata est falsa Pontificiorum de Descensu locali Christi ad inferos, sententia. Nunc verus & genuinus ejus sensus adstruendus. Circa quem rursus Orthodoxi inter se non omnino conveniunt, dum alii ad spirituales Christi angores, & cruciatus gehennales, quos sustinuit, referunt, ut *Calvinus*, *Beza*, *Danæus*, *Ursinus* & alii, imò & variæ Confessiones Ecclesiarum. Alii ad sepulturam & triduanam ejus in sepulchro detentionem pertinere contendunt, ut *Zanchius*, *Piscator*, *Pierius*, & alii.

QUÆST. XVI.

Status Quæstionis.

II. Observandum verò ante omnia; Non quæri hìc De *Origine istius Articuli*, An ab initio fuerit relatus in Symbolum Apostolicum, & constanter ab Ecclesiis agnitus & receptus? Constat enim, nullam mentionem ejus fieri in Symbolo Nicæno, & Romano, teste Ruffino Expos. Symb. c. 20. & Veteres, qui Confessiones ediderunt, & regulam fidei exposuerunt, quales sunt Irenæus, Origenes, Tertullianus, Augustinus, & alii, de eo silere; Et referri tantùm à Ruffino Aquileensi circa finem seculi quarti. Habetur quidem hic articulus in symbolo Athanasii, sed omisso articulo sepulturæ, indicio non obscuro pro uno eodemque sumptos esse. Ita verisimile est ex Symbolo Athanasii hunc articulum in Symbolum Apostolicum translatum esse, & primò forte in margine appositum esse explicationis gratiâ, deinde ex margine in ipsum textum, qui deinceps retentus sit & uno tenore recitatus. Sed missâ nunc istâ quæstione, agitur hìc tantùm De *vero ejus sensu*, de quo non convenit inter omnes.

III. Cùm autem causa istius discrepantiæ non alia sit, quàm ambiguitas vocis שאול & ᾅδης, & multiplex sensus phrasis *descendere ad inferos*, paucis excutiendus est. Vox שאול in Scriptura quadrifariam sumitur, 1. pro sepulchro Ps. 16:10. & 49:15. 2. pro loco damnatorum Luc. 16:23. 3. pro maximis cruciatibus Ps. 18:6. & 116:3. 4. pro extremâ humiliatione Isa. 14:15. Hinc descendere ad infernum quatuor modis usurpatur, 1. notat sepeliri Gen. 37:35. & 42:38. 2. descendere in locum damnatorum Num. 16:33. 3. dolores infernales sentire 1 Sam. 2:6. 4. extremè humiliari Matt. 11:23. Juxta quadruplicem istum significatum, quadruplex potest esse sensus istius articuli. Ut vel referatur ad descensum localem in locum damnatorum, quod volunt Pontificii & Lutherani, & à nobis supra refutatum est; vel ad sepulturam Christi, vel ad dolores ejus infernales, vel ad extremum Exinanitionis gradum.

Rationes pro sepultura & statu mortuorum.

IV. Qui volunt articulum istum non deferre à sepulturâ, his potissimùm rationibus nituntur. 1. quòd Petrus ex Ps. 16. Act. 2. apertè videatur ad sepulturam Christi referre v. 31. *David prævidens locutus est de resurrectione Christi, quod non derelicta sit anima ejus in inferno* &c. 2. quia passim in Scriptura שאול ponitur pro sepulchro, & descendere in infernum, pro descendere in sepulchrum, ut *Arias Montanus*, *Emanuel Sà*, & alii ex Pontificiis, & Lexicographi docent. 3. Quia in variis symbolis mentio fit descensus ad inferos, nullâ factâ sepulturæ mentione, ut in Athanasii Symbolo, quod evincit, ab ipso pro uno eodemque sumi. Et eò referri potest, quòd Paulus 1 Cor. 15:3.4. mentionem quidem facit mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi secundùm Scripturas, sed nihil dicit de descensu ad inferos, quod dicendum tamen fuisset, si talem articulum aliud quid à sepulturâ importare credidisset.

V. Non fit tamen verisimile hunc articulum idem esse cum sepulturâ. Quia

esset

esset ταυτολογία, quæ vix esset ferenda in tam succincto & brevi Symbolo. QUÆST. XVI.
2. non potest dici articulum istum appositum esse priori de sepultura ad ejus exegesim, cùm obscurior sit priore. Ideo non ad sepulturam præcisè referendus est, sed ad *statum mortis*, seu detentionem ejus in sepulchro sub dominio mortis, quomodo sæpe phrasis ista sumitur ad describendum mortuorum statum, Gen. 37:35. Jacob lugens filium Josephum, quem credebat dilaniatum à feris, *descendam*, inquit, *lugens* לשאול *cum filio meo*, non quidem in sepulchrum, quia putabat à feris esse discerptum, & non humo contumulatum, sed simpl. ad *mortem* seu *statum mortuorum.* Sic Ps. 6:6. *In morte non est tui memoria*, *quis in* שאול *laudabit te?* Vide Job. 17:13.14. 15. Ps. 30:4. & 49:16. Isa. 14:11. 19. 20.

VI. Secundò. Hoc necessariò videtur exigere locus Petri Act. 2:27. petitus ex Oraculo Ps. 16:10. *Non relinques animam meam* εἰς ᾅδου, supple οἶκον, qui adhibetur ab ipso ad probandam resurrectionem; dum ait Prophetiam hanc impletam esse per Christi resurrectionem; ut sit sensus, *non relinques animam meam*, id. *vitam meam*, seu *me in morte*, sed me suscitabis ex morte per resurrectionem. Eò pertinet, quod dicitur v. 24. de *doloribus* seu *funibus mortis*, quibus detentus fuit, velut captivus à morte, à quibus exolutus est per resurrectionem; cùm impossibile foret, tum propter gloriam divinitatis, tum propter sanctitatem humanitatis, ab ea ulteriùs ipsum detineri.

VII. Sed nec repudianda est altera sententia, quæ descensum hunc intelligit de summis angoribus Christi, quos tum in horto, tum in cruce pertulit. *Rationes pro Cruciatibus.* Quia convenit *cum stylo Scripturæ*, quæ per *infernum*, & *dolores inferni* solet gravissimos cruciatus designare, ut jam dictum. 2. *cum Symbolo*, ne reticeantur gravissimæ & præcipuæ passiones Christi, quæ reticerentur, nisi descensus Christi ad inferos intelligeretur de internis passionibus animi Christi; Nam præcedentes articuli loquuntur tantùm de externis passionibus corporis.

VIII. Si quæratur, utra ex duabus istis sententiis retinenda sit? Respondemus, utramque posse admitti, & optimè inter se componi, ut per descensum ad inferos intelligatur extremus passionis & exinanitionis Christi gradus, tam quoad animam, quàm quoad copus, & ut extremus gradus humiliationis quoad corpus, fuit detentio in sepulchro; Ita quoad animam fuerunt diri illi cruciatus, quos pertulit: Atque ita appositus erit ultimus ille articulus ad exprimendum ultimum gradum exinanitionis Christi, sive quoad ignominiam corporis, sive quoad angores animæ. Nec mirum videri debet, si duæ istæ partes à se invicem diversæ in uno eodemque articulo conjungantur; cùm non insolitum sit in Scriptura unicum sensum variam σχέσιν induere, & multa simul complecti, maximè quum res sunt sibi invicem subordinatæ & inter se connexæ. Cùm ergò phrasis ista modò ad objectionem corpo- *Conciliatio duarum sententiarum.*

 ris,

QUÆST. XVI.

ris, modò ad dolores animæ referatur, & Christus utramque conditionem sustinere debuerit; non abs re, Veteres hunc articulum addiderunt præcedentibus, ad hunc Christi statum distinctiùs exprimendum.

Fontes Solutionum.

IX. Constans & indissolubilis naturæ humanæ cum divina unio in Christo; Non impedit, quominus pati potuerit & in anima & in corpore pœnas nobis debitas. Unio cum Verbo facit quidem ut sit semper sancta, & omnis peccati expers; sed non ut fuerit semper beata & gloriosa, quandoquidem propterea veniebat ut pateretur. Habuit Christus semper *gloriam Personæ*, ut θεάνθρωπος; sed non semper debuit habere *gloriam naturæ humanæ*, quam demum post resurrectionem consecuturus erat, quia debuit tentari in omnibus pariter nobiscum, & fieri maledictio ad salutem nostram.

X. Ut *damnatus* propriè is dicitur, qui in inferno sustinet pœnam peccatis suis debitam; Non potest nomen hoc Christo tribui, qui non pro suis unquam, sed pro nostris peccatis passus est, nec in inferno, sed in terra. Nihil obstat tamen dici Filium Dei condemnatum pro nobis à Deo fuisse, quemadmodum alibi dicitur factus κατάρα & maledictio pro nobis. Nec magis absurdum est dicere Christum condemnatum fuisse, quàm Dominum gloriæ passum & crucifixum fuisse, & propter nos afflictum & castigatum, ut toties dicitur.

XI. *Visio Dei* alia est Beatorum in cœlis per gloriam; Alia fidelium in terris per gratiam. Qui priori modo Deum vident nullis pœnis & doloribus possunt ulteriùs subjici, quia sunt in patria, constituti in statu felicitatis; sed non eadem est ratio fidelium, qui licet videant Deum per fidem, non desinunt variis afflictionibus exponi. Christus in terris quà homo vidit Deum posteriori sensu, & longè perfectiùs fidelibus; Sed hæc visio non obstitit, quominus pateretur, & se a Deo derelictum quereretur.

QUÆSTIO XVII.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

An Christus propriâ virtute resurrexerit? Affirm. cont. Socin.

Status Quæstionis.

I. PRimus gradus Exaltationis Christi in Resurrectione ponitur; De qua hîc Quæstio movetur à Socinianis. Non quidem *De Veritate ejus*. Licet enim eam in dubium revocent Judæi, imò & negare sustineant; Tot testibus & testimoniis comprobata fuit, & tot signis & miraculis confirmata, ut de

ea

ea adhuc dubitare inexcusabilis sit incredulitatis, maximè post Apostolorum irrefragabile testimonium, qui in eo reddendo, nec decepti sunt, nec decipere voluerunt, aut potuerunt, ut probatum fuit P. I. Lo. 2. Q. 4. Et post miracula quæ Christi resurrectionem secuta sunt, quæ eum vivere & gloriosè in cœlis regnare evincunt. Ut nihil jam dicamus de Justitiâ Dei, Gloriâ Christi, & Salute nostrâ, quæ eam necessariò postulabant, juxta Oracula pridem de eâ edita. Sed quæritur *de ejus modo*; An propriâ virtute resurrexerit, An alienâ? Quæst. XVII.

II. Sociniani enim, ut volunt Christum fuisse ψιλὸν ἄνθρωπον, ita pertendunt Christum non seipsum excitasse à mortuis virtute propriâ, sed excitatum fuisse à Deo virtute alienâ. Hinc Socinus Disp. de unius Filii Dei existentiâ, *hanc doctrinam vocat ridiculam, absurdam, & impossibilem*, & Catech. Rako. cap. 2. de Officio Christi, *insignem errorem dicit*. Sed Orthodoxi causam Resurrectionis Christi, non minus ipsi quàm Patri tribuunt; Et quemadmodum una est potentia Patris & Filii, eadem tam Patrem suscitasse Christum, quàm Christum seipsum suscitasse censent.

III. Primò, Quia Christus expressè hoc sibi tribuit, Joh. 2:19. *Destruite Templum hoc*, loquens de Templo Corporis sui, *& triduo illud ædificabo*, Et cap. 10:17. testatur se *potestatem habere ponendi animam, & rursus eam resumendi*. Quod dicere non potuisset, si virtutem resurgendi à mortuis non habuisset. Nec si prior locus est tropicus, minus stringit, quia clarè expositus est à Christo. *Christum seipsum suscitasse probatur* *1. Ex Joh. 2:19.*

IV. Secundò, Quia Scriptura refert Resurrectionem Christi inter præcipua argumenta, quibus Divinitas ejus probatur. Paulus Rom. 1:4. dicit eum fuisse ὁρισθέντα id. publico veluti decreto *declaratum* & comprobatum *Filium Dei*, potentem, vel *potenter juxta Spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis*. Non posset autem hoc dici de *resurrectione passivâ*, ad quam Christus merè passivè se habuisset, ut hoc de Lazaro, filia Jaïri, & aliis suscitatis à Deo dici non potest. Unde necesse est hic intelligi *resurrectionem activam*, quâ seipsum propriâ divinitatis virtute excitavit, quam hîc per *Spiritum sanctificationis* designari, non modò loca parallela, in quibus divina natura Christi per Spiritum solet denotari 1 Pet. 3:18. 1 Tim. 3:16. Marc. 2:8. sed præcipuè antithesis, quæ fit ad carnem clarè evincit. Nam ut dicitur Filius Davidis κατὰ σάρκα, id. respectu naturæ humanæ; Ita κατὰ Πνεῦμα Filius Dei dicitur declaratus per resurrectionem, id. secundùm naturam divinam; aliàs manca esset antithesis, nec ostenderet secundùm quid Filius Dei non sit factus ex semine Davidis. *2. Ex Rom. 1:4.*

V. Tertiò, Quia Christus eadem opera cum Patre facit pariter, & *quoscunque vult suscitat* Joh. 5:21. At si potest excitare quos libet; quis dubio potest locus esse, quin seipsum etiam excitârit? Confirmatur ex eo quòd seipsum vocat Resurrectionem & Vitam Joh. 11:15. *Ego sum*, inquit, *Resur-* *3. Ex Joh. 5:21.*

QUÆST. XVII. *rectio & Vita, quisquis in me credit, licet sit mortuus, vivet*, ubi abstractum positum pro concreto innuit causam esse præcipuam resurrectionis, & fontem ipsum vitæ, qui proinde cæteris vitam dando, ipse sit αὐτοζωὴ & resurrectionis suæ author.

4. Ex Col. 1:18. VI. Quartò, Quia est *primogenitus à mortuis* Coloss. 1: 18. quod non modò ordinis prærogativam, sed etiam ipsius resurgentis virtutem ac potestatem importat, ut qui habeat naturâ, quod alii fratres ipsius per gratiam adoptionis tantùm obtinent.

Fontes Solutionum. Rom. 6: 4. Act. 2: 24. Eph. 1: 19. 20. VII. Licet Resurrectio Christi sæpius tribuatur Patri, Rom. 6: 4. Act. 2: 24. & 13: 30. Eph. 1: 19. 20. Non sequitur eam non posse adscribi Filio, quia quæcunque Pater facit, Filius pariter facit Joh. 5: 19. & ut Resurrectio est opus ad extra, debet esse indivisum toti Trinitati. Sed peculiaris est ratio, cur Patri tribuatur propter vadimonium quod Christus susceperat, à quo debuit liberari à Patre, ut Judice, qui ut Christum morti tradiderat propter peccata nostra; Ita debuit eum suscitare ad nostri justificationem, ut testaretur sibi plenè satisfactum esse per ipsum. Aliàs cùm agitur de confirmandâ vocatione Christi, & vindicandâ ejus divinitate, Resurrectio ipsi tribuitur sæpius, ut dictum est.

VIII. Absurdum est & ridiculum ψιλὸν ἄνθρωπον, qui mortuus est, seipsum excitare à mortuis; Sed θεάνθρωπον virtute divinitatis suæ, humanitatem suam suscitare, tantùm abest ut sit absurdum, ut blasphema & impia sit ejus negatio.

Heb. 5: 7. IX. Christi potuit obtinere suam Resurrectionem à Patre Heb. 5: 7. per preces à se ut homine fusas, & tamen eam effecisse, ut Deus eâdem cum Patre potentiâ. Cum enim Christus Lazarum & alios suscitare potuerit, cùm Pater dederit Filio habere vitam in seipso, & Filius, sicut Pater, quos vult vivificet; Quis illi potestatem seipsum in vitam revocandi denegare vellet?

X. Porrò quum Christus seipsum excitavit; non putandum est Corpore suo saxum sepulchro impositum penetrasse, quod vellent Pontificii errori suo patrocinaturi. Nam corpus quod resurgit spirituale, non magis vertitur in spiritum, quàm corpus in animam. Et virtus divina non in evertendis, sed in conservandis rerum naturis se conspiciendam præbet. Materialitas & finitudo, non est ex infirmitatibus vitæ animalis, sed ex proprietatibus essentialibus corporis. Potuit ergo creatura cedere creatori in Resurrectione citra penetrationem dimensionum, vel usus est Christus Angeli ministerio ad amovendum saxum ex ore sepulchri Mat. 28: 2. antequam egrederetur, non ex indigentiâ, sed *Matt. 28: 2.* indulgentiâ ut testaretur potestatem suam stipatam esse satellitibus ex omnibus creaturis, vel quia in statu Vadimonii adhuc constitutus, voluit expectare sententiam Patris ab Angelo ipsi significandum.

QUÆ-

QUÆSTIO XVIII.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

An Ascensio Christi facta sit proprie per motum localem ex locis inferioribus ad cœlum supremum Beatorum, An metaphoricè per disparitionem? Aff. Prius, Poster. Neg. contra Lutheranos.

Status Quæstionis.

I. Quæstio hæc movetur propter Lutheranos, & quidem illos, qui Ubiquitatem Corpori Christi tribuunt. Nam, ut faciliùs elevent argumentum petitum ab Ascensione Christi ad probandam circumscriptionem Corporis Christi, negant Christum verè & propriè ascendisse; sed tantùm figuratè, quatenus subduxit præsentiam suam visibilem mundo, licet in mundo adhuc maneat invisibiliter. Et cœlum in quod ascendit, pertendunt, non esse cœlum supremum, seu tertium cœlum, dictum cœlum Beatorum, sed beatitudinem & Regnum Dei, quod sit ubique, Vide Brentium de Ascensu Christi.

II. Verum est non inter se per omnia consentire. Quidam enim, ut *Brochmannus* de Christo Sect. 16. non negant Ascensionem Christi consistere in vera & reali ex inferioribus hujus mundi partibus, sursum versus latione & motu, & loci mutatione. Imò & intrasse in cœlum, quod ex Scripturæ variis locis ille probat. Sed quodnam sit illud cœlum, à quoquam mortalium non posse capi aut explicari. Certum esse vult, non esse locum quendam corporeum supra cœlos aspectabiles constitutum; & locali distantiâ ab hisce terris separatum, & non tam locali quodam situ, quàm gaudio & gloriâ Spiritu Sancto definiri.

III. Nos verò Christum localiter, visibiliter, & corporaliter è terrâ in cœlum tertium, seu sedem Beatorum supra cœlos aspectabiles evectum fuisse statuimus, non per præsentiæ visibilis, vel familiaris conversationis tantùm subductionem, sed per veram & localem naturæ suæ humanæ translationem, ubi mansura sit usque ad diem Judicii, ut licet præsens semper sit nobiscum gratiâ sua, & Spiritu, ac divinitate, non ampliùs sit tamen nobiscum præsentiâ corporali carnis suæ.

Ascensionem Christi factam fuisse motu locali probatur.

IV. Probatur 1. ex historia Ascensionis, quæ veram & realem loci mutationem innuit Marc. 16. 19. dicitur quòd ἀνελήφθη εἰς οὐρανὸν, sursum receptus sit in cœlum: Luc. 24. 51. quòd διέστη ἀπ' αὐτῶν, & ἀνεφέρετο εἰς οὐρανὸν,

QUÆST. XVIII. ὐρανὸν, *receſſit ab ipſis, & evehebatur in cœlum*; Act. 1. 9. 10. *aſpicientibus ipſis elevatus eſt, & nubes ſuſceptum eum abſtulit ab oculis eorum.* Ubi deſcribitur Aſcenſionis iſtius *terminus à quo*, nimirum terra, & mons Oliveti in ſpecie, *per quem* aër & nubes, *ad quem* cœlum, & voces ἀνάληψις, ἀναφορὰ, διάστασις, ἔπαρσις, quibus exprimitur, realem translationem & loci mutationem inferunt. Nec quicquam juvat reponere hæc dici de familiari tantùm convictu è terrenâ converſatione, non verò de reali & inviſibili præſentiâ, quæ fidelibus ſit ſublata, quam confirmat ſolennis Chriſti promiſſio Matth. 28. Quia verba ipſa ſatis docent, non minus realem corporis in terra præſentiam, quàm familiarem converſationem ſublatam eſſe, ſiquidem tranſlationem ex loco inferiori in ſuperiorem neceſſariò ſupponunt.

Marc. 16. 19. *Luc.* 24. 51. *Act.* 1. 9. 10.

2. *Ex Jo.* 16. 28.

V. Secundò, Quia dicitur *reliquiſſe mundum*, & *rediiſſe ad Patrem* Joh. 16. 28. quod dici non poſſet, ſi viſibilem præſentiam tantùm ſuam mundo ſubduxiſſet: Et circumſtantiæ locorum oſtendunt innui præſentiam localem, partim ex antitheſi terminorum à quo & ad quem, *relinquo*, inquit, *mundum*, id. terram, & proficiſcor ad Patrem id. aſcendo in cœlum, partim ex oppoſitione *adventus*, & *abitus*; *veni in mundum* per Incarnationem, nunc *relinquo mundum*, quoad carnem ſcili. juxta quam dicitur ἀναληφθεὶς, & viſus à diſcipulis πορευόμενος εἰς τὸν ὐρανὸν Act. 1. 11. Nec ſi dicitur veniſſe in mundum quà Λόγος per manifeſtationem tantùm, & non per loci mutationem; Idem de carne ejus dici poteſt, quia alia ratio eſt divinitatis, quæ immenſa cùm ſit locum mutare non poteſt; alia humanitatis, cujus proprium eſt ab uno loco in alium tranſire.

VI. Tertiò, Cœlum in quod Chriſtus evectus eſt, deſcribitur nobis, ut locus aliquis, in quem ingreſſus eſt, & in quem poſt ipſum ingreſſuri ſumus, vocatur *domus Patris*, in quâ ſunt multæ manſiones, quò Chriſtus aſcendit *paraturus nobis locum* Joh. 14. 2. 3. *cœlum tertium* & *paradiſus* 2. Cor. 12. in quem Chriſtus intravit tanquam præcurſor noſter Heb. 6. 20. & in quem oculos attollere debemus, ea *quæ ſurſum ſunt quærendo*, *ubi Chriſtus ſedet ad dexteram Dei*, *non verò ea quæ ſunt ſuper terram* Coloſſ. 3. 1. Perperam ergo Brentius, & alii ex Lutheranis pertendunt Cœlum iſtud nihil aliud eſſe quàm ipſam felicitatem, quæ nobis eſt incomprehenſibilis. Quia aliud eſt quærere quid ſit cœlum iſtud, Aliud verò quale.

Fontes Solutionum. *Eph.* 4. 10.

VII. Chriſtus dicitur *aſcendiſſe ſupra omnes cœlos* Eph. 4. 10. nimirum aſpectabiles, Cœlum ſcilicet aëreum, & firmamentum, ut ſcilicet in cœlum tertium ſeu paradiſum ingrederetur; quia ita dicitur aſcendiſſe ſupra omnes cœlos, ut nihilominus eſſe dicatur in cœlo Eph. 1. 20. Nec ſi eò aſcendiſſe dicitur, *ut impleret omnia*, hoc intelligendum de repletione omnium locorum per Corporis omnipræſentiam, ſed de repletione omnium membrorum Eccleſiæ per effuſionem donorum Spiritus; ut ibidem explicatur.

VIII.

VIII. Christus fuit in medio septem Candelabrorum, adeoque in terris Apoc. 1:13. Spiritu suo, gratiâ, præsidio, & regimine; sed non præsentiâ corporis. Nec Johannes eum vidit ambulantem *visione oculari* in terra, sed tantùm *visione intellectuali & extaticâ*, ut notatur v. 10. quum dicitur fuisse ἐν πνεύματι *in spiritu*, id. in exstasi, ut Act. 10:10. quomodo & Paulus sibi adstantem conspexit Act. 23:11. QUÆST. XVIII. *Apoc. 1:13. Act. 23:11. Eph. 4:10.*

IX. Idem qui descendit, etiam ascendit Eph. 4:10. quoad Personam, sed non quoad naturam; Nam divina descendit, sed humana ascendit; illa quidem metaphoricè & figuratè, quia aliter non potuit; ista verò propriè & localiter; ut sit verè in cœlis, ubi antea non erat, ut non amplius est in terris, ubi antea fuerat. Licet autem Christus non descenderit propriè & localiter è cœlo, quia quà Λόγος est ubique: Non sequitur cœlum illud non esse locale, sed allegoricum, cùm talia ipsi tribuantur, quæ non possunt nisi in verum & proprium locum quadrare. In istis ergo locutionibus, tropus non est in voce *cæli*, sed in verbo *veniendi & descendendi*.

X. Quamvis Christus abiverit per Ascensionem ad Patrem, qui ubique est; Non sequitur istam Ascensionem nihil aliud esse, quàm abitum ad summam beatitudinem, quæ sit ubique in Patre, non in certo aliquo loco. Quia dicitur abivisse ad Patrem, non ut esset ubique cum Patre, sed eò, ubi gloriâ & honore coronandus fuit, nimir. in cœlum, ubi Deus thronum suum habet, & ubi Christus ipse manere debuit usque ad restitutionem omnium. Ita quum dicit se abire, *mutationem loci* innuit, quum addit, se abire ad Patrem, *mutationem conditionis*, naturæ humanæ convenientem.

XI. Quamvis fideles beati sint ubicunque sint, quia semper sunt cum Deo. Non tamen perfecta eorum est beatitudo, donec in cœlum recipiantur, in quod ad Christum anhelans Stephanus respiciebat. Unde Paulus, licet jam esset cum Christo per fidem, optat tamen relictâ terrâ abire in cœlum, & esse cum ipso per aspectum Phil. 1:23. & fideles, qui jam in cœlis sedere dicuntur cum Christo per fidem & spem, abhuc peregrè absunt ab ipso 2 Cor. 5:6. *Act. 7:56.*

XII. Ut de Stephano dicitur Act. 7:56. quòd Christum in cœlo viderit, dum *vidit cœlos apertos, & Christum stantem à dextris Dei*, extraordinariâ scilicet oculorum acie à Spiritu Sancto donatus. Eadem ratione potuit Paulus illum videre Act. 9:27. Unde Act. 26:19. vocat eam *cœlestem apparitionem*. Et *lux quæ illum circumfulsisse* dicitùr *cœlitus* v. 13. erat quidem gloriosæ majestatis ejus symbolum, sed non corporis in terra, vel in aëre præsentis argumentum. Nec si in via dicitur fuisse Paulus, quum vidit Dominum, sequitur Christum visum à Paulo, in via etiam fuisse. *Act. 9. 27.*

QUÆST. XIX.

QUÆSTIO XIX.

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM DEI.

Quid sit Sessio Christi ad Dextram Dei, secundùm quam naturam Christo conveniat, Et An ad situs rationem pertineat? Neg.

I. QUæstio ista necessaria est propter Lutheranos, qui ut naturæ humanæ Christi omnipræsentiam & omnipotentiam probent, Christum secundùm humanam naturam ad dextram Dei sedere pertendunt. Ut verò faciliùs intelligatur, primò de ipsa Sessione paucis dicendum, unde nullo negotio colligetur, quomodo Christo competat.

Sessio ad dextram Dei non est intelligenda literaliter, sed figuratè.

II. *Sessio ad dextram Dei* non propriè & literaliter intelligi potest, cùm Deus nec dextram nec sinistram habeat, sed figuratè & metaphoricè ad summam dignitatem & imperium Christi designandum, metaphorâ ductâ à Regum & Magnatum consuetudine, qui ad dextram suam collocare solent, quibus proximum à se tum honoris, tum potentiæ gradum in gubernatione concedunt. De *proximo honoris gradu* intelligitur hæc phrasis 1 Reg. 2: 19. ubi Salomon matrem suam singulari honore affecturus ad dextram suam collocat. Et Ps. 45: 10. Conjux Regis id. Ecclesia dicitur stare à dextra Messiæ, id. proximo ab illo dignitatis gradu. De *Imperio* verò seu regni administratione usurpatur Matt. 20: 21. ubi mater filiorum Zebedæi petit, ut filii sedeant ad dextram & sinistram Christi in regno ipsius, id. primaria munia obeant.

1 Reg. 2: 19. Ps. 45: 10. Mat. 20: 21.

III. Hinc natura Sessionis Christi ad dextram Patris facilè deprehenditur, Duo enim hîc præcipuè designantur, 1. *summa majestas & gloria*, per quam summè exaltatus est à Deo, & nomen supra omne nomen accepit Phil. 2: 9. 10. Eph. 1: 20. Heb. 1: 3. 2. *summum imperium*, quod potenter exercet in omnes Creaturas, & quod ostendit inprimis in gubernatione & defensione Ecclesiæ, quomodo explicatur à Paulo 1 Cor. 15: 25. ubi τὸ sedere ad dextram Psalm. 110: 2. exponit per βασιλεύειν *regnare*, *oportet eum regnare donec posuerit inimicos* &c. Sic Eph. 1: 22. Sessio ista exponitur per subjectionem omnium ejus pedibus, & 1 Pet. 3: 22. *qui profectus in cælum, est ad dextram Dei, subjectis ipsi Angelis & Potestatibus ac Virtutibus.*

Phil. 2: 9. 10. Heb. 1: 3. 1 Cor. 15: 25. Eph. 1: 22. 1 Pet. 3: 22.

IV.

IV. Ex hac verò Sessionis Christi declaratione, proclive est colligere, Quomodo Christo competat, seu quodnam sit *Sessionis istius subjectum*? An natura humana simpliciter, ut Lutherani vellent, hypothesi suæ de πανταχουσίᾳ Carnis Christi patrocinaturi? An verò natura divina? ut alii. An verò Persona? quæ recepta est apud Orthodoxos sententia, quam sequimur, statuentes Sessionem propriè Personæ Christi competere secundùm utramque naturam, sed cum aliquo discrimine.

QUÆST. XIX.

Sessio propriè non est naturarum, sed Persona.

V. Ratio est, Quia Sessio ad dexteram non est proprietas naturæ, vel divinæ vel humanæ, sed *dignitas Personæ*; status puta gloriosus Personæ Christi, & Officii Mediatorii administratio, cujus ἀποτελέσματα sunt communia toti Personæ, respectu utriusque naturæ. Unde Λόγος non dicit Carni, sede ad dexteram meam, sed Pater Filio ad Officium Mediatorium vocato. Atque hìc *potestas*, ab *exercitio* ejus distinguenda est. *Potestatis* enim subjectum est Persona, seu Christus θεάνθρωπος in carne manifestatus, non verò naturæ simpliciter, quippe quòd illa potestas non sit accidens absolutum, quod necessariò insit naturis, sed simplex relatio, ut potestas Regia, nec animæ nec corpori Regis competit, sed supposito. *Exercitii* verò subjectum est utraque natura, Divina quidem per suam omnipotentiam & omnipræsentiam; humana verò per dona illa eximia & gloriam, quà supra omnes Creaturas eminet.

VI. Sessio ergo ista ratione *Personæ* consistit in summa illa gloria in potestate ipsi concessâ per Exaltationem, per quam inauguratus est Rex & Caput Ecclesiæ. Ratione *Naturæ humanæ*, In gloria & honore, quo ornata est supra omnes Creaturas, & quo antea destituebatur. Ratione verò *divinæ* in manifestatione potentiæ & majestatis, quæ antea sub velo carnis infirmæ, & servilis conditionis latuerat.

VII. Ut Passio, Mors, & Crucifixio ita pertinent ad naturam humanam *subjectivè*, ut tribuantur etiam Personæ *denominativè*; quo sensu *Actiones & Passiones sunt Suppositorum.* Ita Sessio, quæ realem infert communicationem honoris & gloriæ ratione naturæ humanæ, notat etiam relationem Dominii & Potestatis, quæ Personæ propria est.

VIII. Quum Christus spectatur Theologicè, ut Λόγος simpliciter, rectè dicitur ipsa Dei dextra, quatenus eandem cum Patre omnipotentem Dei essentiam participat. Sed quum œconomicè consideratur ut Mediator, rectè dicitur sedere ad dextram Dei. Priore sensu dextra Dei dicitur de divina omnipotentia, sed posteriori metaphoricè de imperio & dominatione, quæ Personæ propriè competit. Potest etiam tribui naturæ divinæ in tempore, si non quoad novam rei nondum habitæ collationem; at quoad manifestationem rei antea quidem habitæ, sed adhuc latentis.

QUÆST. XIX. IX. Licet ad Potestatis Christo concessæ exercitium, requiratur omnipotentia & omnipræsentia; Non sequitur eas naturæ humanæ Christi datas esse; sufficit ut Christi Supposito competant ratione naturæ divinæ. Et ita natura humana facta est particeps istius Imperii, sed pro modo creaturæ, qualis semper manet. Potentia & operationes Deitatis, quibus regnum suum gloriosè administrat, sunt divinæ, æquales Deo; quia ipse quà Deus æqualis est Patri. Sed Humanitatis actiones, perfectiores quidem sunt actionibus cæterarum Creaturarum, non tamen æquales divinis, quia sedet quidem ad dextram Dei secundùm utramque naturam, sed salvâ utriusque naturæ veritate.

Quando sedere cœperit Christus ad dextram Dei?

X. Hinc facilè respondetur ad Quæstionem, quæ hîc moveri solet de Tempore Sessionis Christi, seu Quando sedere cœperit. An ab æterno? ut *Thomas*, *Maldonatus*, & alii volunt, qui sessionem interpretantur de æqualitate Filii cum Patre. An verò ab ipso Incarnationis momento? ut *Brentius*, & qui eum sequuntur, Sessionem istam exponendo de Unione personali carnis cum Λόγῳ, & communicatione Proprietatum in carnem. An verò tantùm post resurrectionem & ascensionem? quod cum Orthodoxis statuimus.

XI. Primò, quia Scriptura expresè Sessionem Christi post ejus resurrectionem & ascensionem collocat Ephes. 1. 20. Marc. 16. 19. Heb. 10. 12. 1. Pet. 3. 21. 22. Secundò quia est fructus Exinanitionis & Mortis ejus Hebr. 1. 3. & 12. 2. Tertiò, quia non potuit Regnum Mediatorium gloriosè administrare, nisi victus hostibus in Cruce & Ascensione.

XII. Christus quidem quà Λόγος ab æterno fuit cum Patre, sed non ideo potest dici sedisse ad dextram Dei, eo sensu quo Sessio illi tribuitur post resurrectionem, pro glorioso statu Mediatoris. Regnabat ut Filius in regno naturæ, sed non ut θεάνθρωπος in regno œconomico. Christus quà Mediator potest dici quodam sensu sedisse ad dextram Dei ut ἄσαρκος, etiam ante Incarnationem, inde ab initio mundi, quia semper fuit Caput & Rex Ecclesiæ, qui eam gubernavit & defendit Ps. 2. 6. Heb. 13. 8. Sed ut ἔνσαρκος sedit tantùm post passionem & resurrectionem Luc. 24. 26. Habuit quidem jus regni ab Unione hypostatica, sed actualem possessionem non obtinuit nisi post Ascensionem Ps. 110. 1. Act. 2. 34.

Heb. 10. 12. Psal. 110. 1.

XIII. *Tempus Sessionis* à posteriori nullum datur limitatum, quia debet esse εἰς τὸ διηνεκὲς in perpetuum, teste Apost. Heb. 10. 12. Nec obstant verba Ps. 110. 1. ubi sessurus dicitur עד כי *donec ponantur inimici ejus in scabellum pedum ipsius:* Quia notum est particulam istam ita asserere certum tempus, de quo agitur, & de quo dubitari potest, ut non neget continuationem in futurum; ut colligitur ex Gen. 28. 15. Matth. 28. 20. 1. Timoth. 4. 13. Ita hîc asseritur dominium Christi in medio inimicorum, id est in tempore difficillimo. Sed non negatur in futurum, quia regnum debet esse æternum;

muta-

mutatio quidem debet esse in modo regnandi, sed non in regno ipso, ut suo loco vibebitur. QUÆST. XIX.

XIV. Porrò Sessio ista Christi ad dextram Patris non notat situm vel ubicationem Corporis Christi, cum sit Status Personæ Christi. Nec hoc nobis, nisi per calumniam potest affingi; quasi dextra Dei nobis sit locus, & sessio ad ejus dextram situs quidam localis. Cœlum quidem, in quo dicitur sedere ad dextram Dei, nobis est locus, in quo tanquam in palatio regio, & Sanctuario non manufacto sedet ad dextram Dei; Sed nemo nostrum dicit, Dextram Dei esse locum.

XV. Quem verò Ubiquitistæ nobis falsò impingunt errorem, hunc ipsis meritò tribuimus juxta ipsorum hypothesim. Quia ex Sessione Christi ad dextram Dei, colligunt ubiquitatem Corporis Christi, eo quòd dextra Dei sit ubique. Sic enim non possunt argumentari, quin supponant & concipiant dextramDei per modum loci cujusdam,& Sessionem per modum situs localis.

XVI. Ad argumentum, quod petitur ex Sessione Christi ad dextram Dei pro Ubiquitate, præter ea quæ jam dicta sunt supra Q. 8. th. 29. & ut nihil dicamus de forma syllogismi, quæ apertè est vitiosa propter quatuor terminos, quum ex dextra Dei, quæ est ubique, concluditur eum, qui sedet ad dextram Dei, debere esse ubique; cùm tamen longè differant dextra Dei, & sedere ad dextram Dei, nec statim qui sedet ad dextram Dei, debeat esse ubicunque est illa dextra; maximè cùm sessio illa non sit situs localis designatio, sed imperii & gloriæ collatio. Certum est 1. hìc confundi *statum* & *officium Personæ*, cum *proprietate naturæ*, quia ubiquitas est proprietas naturæ: at Sessio ad dextram est status & officium Personæ. 2. confundi locutionem figuratam & metaphoricam cum propriâ; Nam τὸ sedere ad dextram figuratè dicitur; at esse ubique propriè intelligitur. 3. confundi gloriam & dignitatem cum omnipræsentia; Nam non statim quod gloriosum est, debet esse omnipræsens, si omnipræsentia naturam ejus propriam destruit, quod hìc fit; Corpus quippe omnipræsens statuere, est dicere corpus non corpus. 4. confundi carnem Christi cum ejus imperio, ut tam latè pateat essentia Carnis, quàm ipsius Regnum ac Imperium, quod in Deo quidem verum est, in carne verò quantumvis glorificatâ, non item. Nec opus est carnem esse præsentem ubicunque regnat, non magis quàm Rex debet corpore præsens esse in omnibus Regni Provinciis; maximè cùm Christus sit ubique præsens quoad Personam resp. naturæ divinæ.

XVII. Licet Nominis supra omne nomen acceptio naturæ assumptæ etiam suo modo competat; Ita tamen est intelligenda, ut secundùm Scripturam, proprietates naturarum serventur. Ita Filius est etiam glorificatus secundùm carnem, sed non ut caro exæquetur λόγῳ. Nec tamen propterea Christum magis dividimus, aut duas illi glorias & potestates tribuimus, quàm quum hominem dicentes fuisse ad imaginem Dei conditum, & postea

 cor-

QUÆST. XIX.

corruptibilem factum, non propterea, vel corpus animæ exæquamus, vel animam ad Corporis usque ignominiam dejicimus.

XVIII. Aliud est Christum ubique præsentem dicere, æquali cum Patre gloriâ præditum, & omnia implere. Aliud hoc Carni Christi tribuere. Quia quod de Persona dicitur in concreto, non statim potest vel debet trahi ad naturas in abstracto. Licet enim verum sit Christum hominem esse Deum, malè tamen dixeris hanc Carnem esse Divinitatem, quia non commixtione, aut confusione, sed inconfusâ & impermixtâ duarum naturarum unione, Filius Dei factus est homo.

XIX. Aliud est Corpus glorificatum fieri spirituale quoad qualitates ratione claritatis, agilitatis, subtilitatis & sim. Aliud verò fieri spiritum, seu mutari in naturam spiritus, & spiritus immensi & infiniti. Christi Corpus per exaltationem & sessionem ad dextram Dei, factum quidem est spirituale quoad qualitates, sed non mutatum est in spiritum quoad substantiam, vel proprietates essentiales, multò minus in spiritum omnipræsentem.

XX. Cæterùm si diversitas quædam occurrere videtur inter Theologos nostros in explicatione Sessionis Christi ad dextram Dei, dum alii eam ponunt in quatuor. 1. in æqualitate τȣ̃ λόγȣ seu Personæ Mediatoris cum Patre, quam in Sessione quidem non acceperit, sed tempore humiliationis occultatam manifestârit. 2. in perfectione Officii Mediatoris, per quod constitutus fuit Rex & Caput Ecclesiæ. 3. in perfectione humanæ naturæ Christi ad summam gloriam evectæ. 4. in perfectione honoris & cultus, per quem Christus tanquam Dominus & Rex Ecclesiæ colitur & adoratur. Alii unicè in communicatione honoris & Imperii ipsi post ascensionem collati. Non tam est dissensus in reipsa, quàm in docendi modo. Quia primi *latiùs* considerant sessionem istam, & eam describunt, non modò à propria forma, sed etiam à *principio* seu fundamento; æqualitate nimir. cum Patre, sine qua non capax fuisset tanti honoris & imperii, ab *antecedentibus* & *consequentibus*, quæ cùm ea conjuncta sunt necessariò. Alii verò *strictius* eam spectant quoad formam Sessionis simpli. quæ propriè consistit in perfectione Officii Mediatoris, quô gloriâ & honore coronatus Christus dominatur in medio inimicorum.

LO-

LOCUS DECIMUS QUARTU DE OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO.

QUÆSTIO PRIMA.

Quo sensu nomen Mediatoris Christo competat?

POstquam de *Personâ*, & *Statu* Christi dictum est; Jam de ejus *Officio Mediatorio*, propter quod factus est θεάνθρωπος, & duplicem subire debuit Statum, agendum est. Ubi primò occurrit expendenda vis nominis *Mediatoris*, quod solet in hoc negotio illi tribui.

II. *Mediator*, qui μεσίτης apud Græcos, à *medio* deducitur. Et is vulgò dicitur, qui medius est inter partes dissidentes, & qui μεσιτεύει, siquidem *Mediator non est unius*, ut ait Apost. Gal. 3:20. sed plurium inter se contendentium, ad eos scilicet reconciliandos. Unde Suidas μεσίτην explicat per εἰρηνοποιόν. Dicitur & Latinis *Sequester*, quâ voce utitur Tertull. adversus Praxeam ad designandum Christum. Est autem Sequester, qui medius est inter duos altercantes, & apud quem res ponitur de qua controvertitur; Ita dictus à sequendo, quòd fidem ejus uterque contendentium sequatur. *Mediatoris vox unde deducatur.*

III. Ut autem Christi *Mediatio*, spectari potest, vel ratione *Personæ*, vel ratione *Officii*, vel quatenus *medius* est, vel quia *mediat*; Hinc factum, ut à quibusdam Mediatio in duas species distincta sit, quarum primam *substantialem* dixerunt, per quam Christus medius est inter Deum & hominem, alteram verò *efficacem* & *operativam*, per quam Munus sibi à Patre demandatum exequitur. Illa notat statum Personæ. Ista ejus operationem. Illa unionem naturarum; Ista Officii executionem in Persona designat. Sed prior illa, ut minus propria à nobis hic non attenditur, sed demum posterior, quæ est hujus loci.

QUÆST. I.

Quot modis dicatur.

IV. Mediator ergo Christus propriè dicitur *actu* & *exercitio*, quia Officium Mediatoris exercet, ad unionem Dei & Hominum à se invicem propter peccatum separatorum instituendam. Ut verò Mediator inter homines multiplex est, vel per modum *meri Internuncii*, qui interpres est utriusque partis, quomodo Moses Mediator dicitur in Veteri Testamento, quia stabat medius inter Deum & populum Deut. 5. 5. vel per modum *Arbitri*, qui à litigantibus seligitur, & totius rei habet potestatem, ut eam componat, non stricto jure, sed κατ' ἐπιείκειαν. Vel per modum *Intercessoris & Advocati*, qui deprecatur & patrocinatur pro altera parte erga alteram. Vel per modum *Sponsoris & Satisfactoris*, qui dissidentes conciliat, satisfaciendo parti offensæ; & spondendo in posterum pro fidelitate & obsequio partis offendentis, ut nulla in posterum dissidii inter ipsas causa oriatur. Ita Christus juxta varias istas σχέσεις Mediator rectè dicitur.

Christus Mediator ut Internuncius.

ut Arbiter.

ut Intercessor.

ut Pacificator.

V. Primò fuit *Internuncius* ratione doctrinæ, quatenus fuit interpres utriusque partis, & præcipuè quatenus voluntatem Dei hominibus declaravit Johan. 1. 18. Luc. 4. 18. quo sensu vocatur Angelus Fœderis Malac. 3. 1. & Consiliarius Is. 9. 5. Secundò potest & *Arbiter* dici, ut vocat eum Ambrosi. in 1. Tim. 2. & Aug. in Psalm. 103. Conc. 4. quia in procuranda nostra cum Deo reconciliatione non stricto jure egit, sed justitiam gratiâ & misericordiâ temperavit. Tertiò, Quia res nobis est cum supremâ Potestate offensâ, Ideo *Intercessoris* & Patroni munus obire debuit, qui causam nostram coram Deo contra Diabolum ageret, & gratiam nobis necessariam obtineret, quo sensu vocatur παράκλητος 1. Johan. 2. 1. Quartò, ut dissidium ex peccato inter nos & Deum ortum non potuit tolli nisi satisfactione Justitiæ Dei, & peccati expiatione; Mediator noster non tantùm Internuntii & Intercessoris partes sustinere debuit, ut vellet Socinus; sed præcipuè *Reconciliatoris* & εἰρηνοποιοῦ, qui pacem sanguine suo, nobis apud Deum pararet, & ἀντίλυτρον pro nobis solvendo nos à peccati reatu & dominio liberaret; & quia non satis fuit semel homines Deo reconciliasse, si subinde idem dissidium per hominis peccatum renovaretur, debuit idem sponsionis suæ efficaciâ reconciliationem semel factam constanter firmare, ut in æternùm uniremur Deo. Primus & secundus modus pertinent ad Prophetiam, Tertius & Quartus ad Sacerdotium, & Regnum.

VI. Ut verò Mediator utrinque agere debuit, & cum Deo offenso, & cum Homine offendente, ad tollenda reconciliationis obstacula, utroque modo reipsa egit, & *pro Nobis apud Deum* satisfaciendo, & intercedendo, quà *Sacerdos*, Et *pro Deo apud nos*, docendo & dirigendo, quà Propheta & Rex, primò *pro nobis* agendo, deinde *in nobis* operando, ut fusiùs dictum antea Lo. 12. de Fœd. Gra. Qu. 2. th. 16. Hinc omnes illi *actus* distinguuntur in *impetratorios*, quibus illa reconciliatio fuit acquisita, & quæ ab illa pendent; & *applica-*

catorios & *conservatorios*, quibus omnia illa applicantur & conservantur: Per illos Christus Mediator & Servator est *merito*, per hos verò *efficaciâ*. QUÆST. I.

VII. Res nobis hîc est cum Socinianis, qui, ut totam doctrinam Satisfactionis evertant, Christum quidem *Mediatorem* fatentur, sed tantùm divinæ *institutionis* seu revelationis, per quam Christus viam salutis, quæ secundùm ipsos consistit in obedientia mandatorum Dei, declaravit. 2. *exempli*, quia eandem viam est ingressus, & perfectissimum exemplar suis præbuit. 3. *confirmationis*, quia illam obedientiam suâ morte & passione sancivit. Nos verò, licet non negemus Christum has partes obiisse, negamus tamen in eo tantùm Officium ejus Mediatorium positum fuisse; sed præcipuè in ratione Reconciliationis & Satisfactionis, quatenus fuit εἰρηνοποιὸς, qui pace per sanguinem factâ, nos Deo reconciliavit. *Status Quæstionis.*

VIII. Rationes sunt 1. Quia Scriptura describit eum, non ut merum Internuncium, sed ut verum Εἰρηνοποιὸν, & Pacificatorem, ejusque Mediationem, ut Redemptionem & Reconciliationem; quum dicitur Mediator, quatenus se ἀντίλυτρον dedit pro nobis 1 Tim. 2:6. qui εἰρηνοποιήσας pace per sanguinem crucis factâ Deum nobis reconciliavit Col. 1: 10. Et ἔγγυος & Sponsor novi Fœderis Heb. 7: 22. qui proinde solvere & satisfacere pro nobis debuit, Et Mediator, qui morte redemptionem procuraret Vocatis, & sanguine suo æternam salutem obtineret Heb. 9: 12. 15. Unde Mediatori jungitur *sanguis* ῥαντισμοῦ allusivè ad sanguinem victimarum legalium pro peccatoribus morientium Heb. 12: 24. Quæ omnia non simplicem declarationem, sed veram satisfactionem inferunt, ut suo loco fusiùs probabitur. *Probatur Christum esse εἰρηνοποιὸν 1 Tim. 2: 6.*

IX. 2. Necessitas salutis hoc requirebat, quia cùm dissidium inter Deum & hominem per peccatum ortum, homines θεοστυγεῖς reddidisset Rom. 1: 30. id. non tantùm *osores Dei* activè, sed etiam *exosos Deo* passivè, non simpliciter doctrinâ, vel exemplo id tolli potuit: sed verum λύτρον postulabat, quo non homo tantùm Deo conciliaretur per pœnitentiam & sanctitatis studium, ut pertendunt Sociniani, sed etiam Deus homini, cui ex justitiæ suæ vindicatricis naturâ meritò irascebatur, quique adeo nonnisi adæquatâ satisfactione placari potuit, per substitutionem Mediatoris in ejus locum, qui se pro eo devovendo pœnas ipsi debitas in se reciperet, & eas ferendo illum ab iis liberaret.

X. 3. Si Christus non aliter esset Mediator, quàm doctrinâ & exemplo, in eodem ordine collocaretur cum Prophetis & Apostolis, illis præcipuè qui martyrium passi sunt, qui doctrinâ & exemplo suo viam salutis manifestârunt, & omne consilium Dei nobis exposuerunt Act. 20: 27. quod tamen Apostolus negat posse dici, quum Christum vocat unum Mediatorem nostrum 1 Tim. 2: 5. 4. Non aliter esset Servator, quàm moraliter & per accidens, quia salus uniuscujusque realiter penderet ab illo, qui mandatis divinis obtemperaret, ut plenius ostendetur, quum de Satisfactione agetur.

QUÆST. I.

Fontes Solutionum.

1 Tim. 2: 6.

XI. Christus dicitur Mediator εἰς μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις 1 Tim. 2:6. *ut det testimonium* scilicet veritati *proprio tempore*, non tantùm quia testimonium dedit veritati Evangelicæ per Prophetiam, sed quia morte insuper suâ fidem nobis fecit partæ nobis benevolentiæ, & factæ cum Deo reconciliationis. Vel μαρτύριον potest intelligi *passive* de re cui testimonium perhiberi debuit, quia de ea omnes Viri Dei testari debuerunt.

XII. Similitudo, quæ intercedit inter Mosem & Christum, non infert statim paritatem; ut non aliâ ratione Christus Mediator fuerit, quàm Moses per modum Internuncii Deut. 5:5. Act. 7:38. Quia fuit tantùm Mediator typicus, atque adeo longè imperfectior antitypo, Christus autem verus & propriè dictus, Ille homo merus, Christus verò homo Deus, Ille quidem ad eloquia Dei ad populum deferenda, non verò ad populum Deo conciliandum, vel sanguine suo iram Dei placandam, cùm ad vocem Dei Legislatoris contremuerit Heb. 12:21. Sed iste sanguine suo pacem fecit, & se stitit Deo ἔγγυον pro nobis. Itaque ut typus partialis & inadæquatus potuit Christum in nonnullis partibus Mediatoris adumbrare, puta quoad Prophetiam vel Regnum, sed non quoad omnes, & præsertim quoad functiones Sacerdotales, quæ aliis typis, scilicet Sacerdotibus & victimis, significatæ sunt.

Gal. 3: 19.

XIII. Nec juvat Adversarios locus Gal. 3: 19. ubi Lex dicitur data ἐν χειρὶ μεσίτου, *In manu Mediatoris.* Nam, præterquam quod rectè ad Christum referri potest, quod plerique fecerunt Græci & Latini, tàm veteres quàm recentiores, & inter eos Calvinus noster; tum quia nuspiam alibi Mediatoris nomen nisi Christo tribuitur, qui etiam unicus vocatur 1 Tim. 2: 5. tum quia Moses alibi Act. 7:35. dicitur constitutus Princeps & Liberator Populi ἐν χειρὶ Ἀγγέλου *in manu*, id. authoritate & directione *Angeli*, illius scilicet, qui illi apparuerat in rubo, Filii æterni Dei, qui etiam v. 38. dicitur dedisse Mosi λόγια ζῶντα, *Oracula viva*, Legem puta quam populo traderet, ut sensus sit, vel Legem Israëlitis traditam per manum id. potestatem & directionem Mediatoris Christi populum illum in suum adventum hoc modo præparantis, vel sua manu Christum Legem proferendo, quasi Vadem se medium interposuisse, qui & Legem aliquando perfectè præstaret, & Legis execrationem in se derivando nos ab ea liberaret. Si ad Mosem referatur, ut placuit Epiphanio & aliis, quos sequitur hîc Beza, quia ἐν χειρὶ ministerium potius, quàm summam potestatem notat, quod minus conveniret Christo, & quia constat Legem à Mose datam Joh. 1: 17. ut alibi dicitur data à Deo *per manum Mosis* Lev. 26: 46. nihil inde decedit sententiæ nostræ; Quia Moses typicus tantùm dicetur Mediator, quomodo Lex typus erat Evangelii, non ut adæquet Christum in omnibus, sed ut tenuiter ipsum in quibusdam tantùm adumbret. Cæterùm quod additur v. 20. μεσίτης δὲ ἑνὸς οὐκ ἔστι, ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστι, *Mediator non est unius, Deus autem est unus*, ut obiter aliquid

Vers. 20.

quid dicamus de loco obſcuro & difficili; Sic poteſt non incommodè illuſtrari ex ſcopo Apoſtoli, qui eſt, oſtendere non dari vitam & juſtificationem per Legem, quia cùm in ea ferenda opus fuerit Mediatore, inde liquet eam non eſſe vinculum noſtræ cum Deo conjunctionis, ſed potius indicem noſtræ ab illo abalienationis & diſſidii. Quia, inquit, *Mediator non eſt unius*, ſcilicet partis, ſed plurium vel ſaltem duarum, & quidem diſſidentium; nam ubi unio eſt, nihil opus eſt intercedere Mediatorem. Quod verò additur, *Deus autem unus eſt*, non tam refertur ad unitatem & ſimplicitatem Dei, quàm ad ejus conſtantiam & immutabilitatem, non minus in natura, quàm in conſiliis & decretis, id. *conſtans* & ſibi ſemper ſimilis. Cùm ergo perfectam juſtitiam ad vitam obtinendam in Lege præſcripſerit, nec illa ab homine peccatore dari potuerit, patet conjunctionem duarum iſtarum partium diſſidentium, Dei ſcil. & hominis, non potuiſſe fieri per Legem, ſed per ſolam juſtitiam & Satisfactionem Chriſti, quam Evangelium nobis annunciat, ut hoc Apoſtolus notaverat v. 13. Quidam ex Æthiopico Interprete ſic exponunt, *Mediator unius non eſt, Deus autem eſt unus*, ſcil. *duorum*, qui inter ſe diſſident. Sed hoc frigidiuſculum videtur, quia nemo ignorare potuit, Deum eſſe unum ex diſſidentibus, cùm ageretur de Mediatione apud ipſum. QUÆST. II.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus ſit Mediator ſecundùm utramque Naturam? Affir. cont. Pontif. & Stancarum.

I. Quæſtio hæc nobis intercedit cum Pontificiis, qui ut faciliùs obtineant plures dari poſſe Mediatores, pertendunt Chriſtum Mediatorem fuiſſe ſecundùm naturam humanam tantùm, ut poſt Lombar. lib. 3. diſt. q. 19. l. 9. Thom. p. 3. q. 26. art. 2. Bell. contr. 1. de Chriſto lib. 5. c. 3. Becanus in manu. lib. 3. cap. 2. & alii aſſerunt. Quos hîc *Stancarus* ſequitur, qui dum ſe opponit vehementius Oſiandro Collegæ ſuo in Academia Regiomontana ſtatuenti Chriſtum non eſſe Mediatorem niſi ſecundùm naturam divinam, adeoque nos juſtificari æternâ & eſſentiali ejus juſtitiâ, non ſatis diſtinguendo efficaciam Chriſti ab ejus merito; In contrarium errorem Pontificiorum incidit, affirmans Chriſtum tantùm ſecundùm naturam humanam Mediatorem eſſe.

II. Non quæritur, An Perſona Mediatoris ſit divina? Hoc enim non negant Adverſarii. Sed An Actiones vel Paſſiones Mediatoris profectæ ſint ab ea ſecundùm humanam tantùm naturam; An ſecundum utramque? Pontificii *Status Quæſtionis.*

 tificii

QUÆST. II.

tificii distinguunt inter *Principium quod*, & *Principium quo* seu formale. Illud dicunt esse suppositum seu Personam, non Naturam. Hoc verò volunt esse Naturam tantùm humanam, *Nam licet Deus erat*, inquit Bell. lib. 1. *qui patiebatur, obediebat, & satisfaciebat, tamen hæc omnia faciebat secundum formam servi, non secundum formam Dei.*

III. Quatuor hic sunt accuratè distinguenda circa actiones Christi, quæ observavit Damasce. li. 3. orth. fid. c. 18. 1. est ὁ ἐνεργῶν *Agens* seu *Principium quod* agit, quod est Suppositum seu Persona Christi. 2. τὸ ἐνεργητικὸν seu *Principium formale quo* agit, Illud per quod agens, seu Persona Christi operatur, duæ scilicet naturæ, quarum unaquæque citra ullam confusionem operatur. 3. ἐνέργεια seu *operatio*, quæ pendet à principio quo, & naturam sui principii refert, ut sit divina, si principium quo sit divina natura, humana verò si sit humanitas. 4. ἐνέργημα, seu ἀποτέλεσμα, quod pendet à principio quod, estque *opus* externum, quod Mediationem vocamus. Datur ergo duplex Mediationis *principium*, commune & proprium, *Commune* unum est, nempe Persona Mediatoris, *Proprium* verò duplex, divina scilicet & humana natura, Divina quidem proprium & formale principium actionum divinarum, Humana verò humanarum. Non ita autem principiis formalibus seu naturis sunt tribuendæ actiones propriæ, quasi separatim agant, agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est, ut Leo loquitur epist. 10. ad Flau. Ita unum est Agens principale nim. Persona Christi, & unum ἀποτέλεσμα seu Opus Mediatorium; Sed operatur per duas naturas, ut duo principia, unde fluunt duæ ἐνέργειαι seu operationes ad unum illud opus concurrentes.

IV. Rursus Actiones Christi in triplici ordine spectari possunt, prout Christus sub triplici σχέσει attendi potest, vel ut Deus, vel ut Homo, vel ut θεάνθρωπος. Aliæ sunt merè *divinæ*, quas nonnisi quà Deus efficit, qualis est Creatio, Conservatio. Aliæ merè *humanæ* qualis est esus, ambulatio, somnus. Aliæ *mixtæ*, quæ θεανδρικαὶ dicuntur, qualis est Redemptio, ad quam perficiendam suæ fuerunt tum divinæ tum humanæ naturæ partes. Quæritur ergo ad quam harum actionum speciem pertineat Mediatio, An ad actiones verè humanas, ut vellent Pontificii, An ad θεανδρικάς? quod asserimus.

Christum esse Mediatorem secundùm utramque naturam probatur 1. ex Act. 20: 28.

V. Rationes sunt 1. Quia Scriptura Mediationem Christi ad utramque naturam refert Act. 20: 28. *Deus* dicitur *acquisivisse Ecclesiam sanguine suo*, & 1 Corint. 2: 8. *Dominus gloriæ crucifixus.* Heb. 9: 14. *per Spiritum æternum se obtulisse*, quod non tantùm pertinet ad indicandam Personæ majestatem, sed etiam efficaciam Sacrificii, quæ à Divinitate profluit. Licet enim hæc per communicationem idiomatum explicentur, designant tamen etiam suæ divinitatis, non minus ac humanitatis fuisse partes; unaquâ-

quâque naturâ quod suum est conferente, humanâ quidem *substantiam operis* vel passionis, divinâ verò ejus *valorem* & pretium infinitum. QUÆST. II.

VI. Secundò, Omnes partes Muneris Mediatorii, utramque naturam postulant; Secundùm quam naturam Christus est Propheta, Sacerdos, & Rex, secundùm eandem est Mediator. At secundùm utramque triplex illud Officium potuit & debuit exercere. Patet primò de *Prophetia*, nam quà Propheta debuit nobis revelare Patrem, & ejus voluntatem patefacere. At quis nobis potuit revelare Patrem, nisi Filius, qui solus eum novit Matth. 11. 27.? Quis enarrare voluntatem ejus, & sapientiam divinam in mysterio absconditam patefacere, nisi qui est in sinu Patris Johan. 1. 18. & Λόγος ac Sapientia æterna Dei? Homines quidem divinam voluntatem interpretantur, & ad nos referunt, sed ministerialiter tantùm; sed supremum & ἀνυπεύθυνον Interpretem agere rerum cœlestium, idque non externâ tantùm suasione & prædicatione, sed internâ illuminatione & persuasione, Dei est, non hominis. Rursus quà Propheta Legem debet cordibus inscribere, & ita docere efficaciter, ut det cor novum, & aperiat mentes ad intelligendas Scripturas, ut fideles sint verè θεοδίδακτοι Joha. 6. 45. hoc verò non potuit quà homo, sed quà Deus. Ad quem solum multò magis pertinet scribere in corde, quàm in lapide. *2. Ex partibus Mediationis Christi. Prophetiâ.*

VII. Quà *Sacerdos* debuit satisfacere pro nobis perfectè justitiæ divinæ, & pro Peccatoribus intercedere, debuit morte sua mortem, & eum qui habebat imperium mortis abolere, Et nos à Deo alienatos reconciliare & ipsi in æternùm unire. Quis verò nisi Deus potuit peccatorum infinito demerito infinitum meritum opponere, & ἀντίλυτρον infiniti valoris justitiæ Dei exsolvere? Quis nisi Deus potuit pondus iræ ἀβάςακτον ferre, & eo non absorberi? Quis nisi Deus habuit potestatem ponendi animam per mortem voluntariam, & rursus eam assumendi per resurrectionem Johan. 10. 18.? Quis nisi Deus potuit per Spiritum æternum se offerre, partes *Sacerdotis*, & *Victimæ* simul implendo Heb. 9. 14.? morte sua mortem vincere, diabolum debellare, æternam redemptionem sanguine suo obtinere, & suos in æternùm servare Heb. 7. 25.? *Sacerdotio.*

VIII. Quà *Rex* debuit regere universam Ecclesiam Verbi sui sceptro, Spiritum Sanctum cum omnibus suis donis mittere, vocare efficaciter, corde aperire, Diabolum conterere, & hostes omnes salutis in scabellum pedum ponere, & Ecclesiam glorificare. Quis verò nisi potentiâ invictâ præditus id. verus Deus potuisset? Ergo quomodocunque spectetur Christus Mediator, debuit hoc Officio defungi, non minus secundùm naturam divinam, quàm humanam. *& Regno.*

IX. Tertiò, Secundùm eam naturam debuit esse Mediator, secundùm quam se exinanivit, & formam servi assumpsit, quia non aliâ de causâ se exinanivit, quàm ut hoc Officio defungeretur. At se exinanivit secundùm na- *3. Ex Exinanitione.*

 tu-

QUÆST. II.

turam divinam, non reali gloriæ essentialis imminutione, sed externâ gloriæ accidentalis occultatione.

4. Ex Mediatione V.T.

X. Quartò, Debuit esse Mediator secundùm illam naturam, secundùm quam potuit jam operari ut Mediator à principio mundi, siquidem idem debuit esse heri, hodie, & in secula. At non potuit operari secundùm naturam humanam, sed tantùm secundùm divinam, secundùm quam, ut jam existebat, ita potuit regere Ecclesiam suam, & donis omnibus ad salutem necessariis locupletare.

5. Ex effectis Mediationis.

XI. Quintò, Quia Præcipua effecta Mediationis Christi pertinent æquè ad naturam divinam ac ad humanam. Qualia sunt *Redemptio & Salus*, *Remissio peccatorum*, *Vitæ æternæ largitio*, quæ talia sunt, ut Dei solius sint opera & beneficia. Nec dicendum actiones istas à Christo homine pendere per modum instrumenti, à Trinitate verò ut à causa principali. Quia Christus non tantùm habet rationem instrumenti; sic enim nihil plus operaretur ministris, quibus talia opera quandoque tribuuntur, sed etiam causæ principalis, tam meritoriæ, quam efficacis. Hinc August. Sermone de Ovibus, *Divinitas sine humanitate non est Mediatrix, nec humanitas sine divinitate, sed inter divinitatem & humanitatem solam, Mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas.*

XII. Sexto, Quia Incarnatio facta est inconfusis proprietatibus, & actionibus, non minus ac naturis. Actiones igitur ad Mediationem pertinentes Divinitati sunt adscribendæ, tanquam principio formali; Siquidem Christus ideo incarnatus est, ut esset Mediator; absurdum est autem Divinitatem Christi cohibuisse se ab opere propter quod potissimùm missus est Christus; & si in miraculis se exeruit, multò magis inclaruit Redemptionis opere, omnibus miraculis illustriora; nec alia de causâ tot miraculis coruscavit, quàm ut hoc ipso se verum Servatorem comprobaret.

Fontes Solutionum.

1. Tim. 2. 5.

XIII. Quum *Christus homo* dicitur esse Mediator, 1. Timot. 2. 5. non evincitur esse tantùm secundùm humanam naturam. Quia exclusiva non additur quà homo tantùm. 2. additur hoc exegeticè, non ad excludendam Divinitatem, sed ad includendam humanitatem, ut ad eum majori cum fiducia accedamus, utpote qui ejusdem naturæ nobiscum sit particeps, & quia de traditione ejus in mortem statim erat verba facturus. 3. argumentum Pontificiorum nihil concludit, nisi supponatur ubicunque occurrit nomen concretum Dei, vel hominis in Scriptura Christo attributum, ibi designari naturam ejus divinam vel humanam, quod dici non potest, cùm Concretum personam notet, non naturam. 4. Nomen *Dei* quod hîc opponitur, vel personaliter sumitur ad Patrem designandum œconomicè, inter quem & homines Christus Mediator est, vel si latiùs sumitur pro tota Trinitate; non excluditur tamen natura divina à Mediatione. Aliud est quippe Christum esse Mediatorem secundùm naturam divinam absolutè,

lutè, quatenus est communis tribus Personis; Aliud secundùm eam spectatam œconomicè, ratione voluntariæ suæ Exinanitionis. QUÆST. II.

XIV. Nihil est absurdi partem læsam fieri voluntariè Mediatricem sub diverso respectu, Talem se nobis proponit Christus in parabola Matth. 21:37. & hoc fieri vult à suis, Matth. 5:24. & 18:15. Nec insolitum, ut reconciliationem offensus instituat apud offendentes, ut Deus apud primos parentes Gen. 3. 2 Cor. 5:18. 19. 20. Israelitæ apud Benjamitas Jud. 20. & David apud rebelles subditos 2 Sam. 19:12. Ut Senator agens causam rei, qui Senatui est reconciliandus, quod olim Menenius Agrippa præstitit inter Senatum & plebem Romanam. Unde nihil obstat Christum quà θεάνθρωπον œconomicè consideratum, esse Mediatorem ad seipsum, quà Deus est ὁμοουσιώς. Licet enim Deus Filius, vel Λόγος, non distet à Christo Mediatore, vel Personâ, vel naturâ in se & absolutè spectatis, distat tamen œconomiâ & relatione muneris Mediatorii: Aliud quippe est Deum Filium esse, Aliud esse Mediatorem: Aliud offensum esse ut Deum, Aliud Mediatorem agere θεάνθρωπον. Sic Mediatio semper erit ad alterum, tum quia Filius & Λόγος differt à θεανθρώπῳ, si non φύσει, saltem οἰκονομίᾳ, tum quia Filius differt à Patre, apud quem appropriativè dicitur Mediator, primò personaliter, quia est alia Persona à Patre, secundò dispensativè, quia solus Filius, non Pater, factus est homo & se exinanivit.

XV. Etsi Officium Mediatorium competit Christo secundùm Naturam Divinam, non sequitur Patrem & Spiritum Sanctum æquè esse Mediatores cum Filio. Quia Mediatio competit Naturæ, non quà communis est Personis, sed quà characterizata est, & subsistit distinctè in Persona Filii. Externæ operationes sunt quidem totius Trinitatis & omnium Personarum communes, quà rationem habent unius principii communis, sed Persona illa ad quam operatio aliqua terminatur, non desinit habere rationem principii singularis, ut patet ex Incarnatione, quæ licet si totius Trinitatis originaliter, est tamen solius Filii terminativè, à quo tanquam à termino hoc opus denominatur. Idem de Mediatione dicendum.

XVI. Unitas Apotelesmatis arguit quidem unitatem principii quod, sed non semper principii quo; idem enim opus potest à variis principiis formalibus oriri, sed κατ' ἄλλο ϗ ἄλλο, verbi gr. Locutio est unum opus, quod ab homine tanquam principio communi producitur, quod tamen duo habet principia formalia, corpus & animam; Ita hìc dantur distinctæ ἐνέργειαι, sed unum, ἐνέργημα, Unde malè colligas sequi confusionem operationum, & per consequens naturarum.

XVII. Licet Sacerdotis & Intercessoris munus sit ministrare: Non sequitur Naturam Divinam in Christo inferiorem statui Patre, sequitur tantùm Christum factum esse minorem Patre, non φύσει, sed οἰκονομίᾳ, non abso-

QUÆST. II. solutè & in se, sed ratione voluntariæ dispensationis, per quam se sponte exinanivit.

XVIII. Quamvis *ponere animam* passivè sit mori, & *assumere eam* sit resurgere, & rectè utrumque dicatur de natura humana, si tamen activè sumantur istæ phrases, ut necessariò sumi debent Johan. 10. 17. 18. ubi agitur de potestate ponendi & assumendi animam suam, seu de arbitrio vitæ & mortis, tum ponere animam est liberè disponere de anima sua tanquam Dominum membrorum suorum, & eam assumere est seipsum excitare, quod non humanæ, sed divinæ naturæ est.

Johan. 10. 17. 18.

XIX. In Sacrificio Christi, substantia operis distinguenda est ab ejus valore & dignitate. Natura humana sola contulit prius, sed Natura divina debuit conferre posterius; ita ut humanitas quidem Victimæ, Divinitas verò Sacerdotis partes egerit, quo sensu Christus dicitur seipsum obtulisse per Spiritum æternum Heb. 9. 14. licet autem efficacia & valor Sacrificii non sit per se actio realis & physica, tamen agnoscendum est eam in actione reali semper ab agente reali procedere. Si ergo efficacia est à Natura Divina quà tali, colligendum est naturam divinam quà talem, operatam fuisse in Christi Sacrificio, atque in Opere Mediatorio Divinitatem partes suas habere.

XX. Mediator debet esse medius inter partes dissidentes, non negativè per remotionem extremorum, sed positivè per participationem naturarum; nec enim Mediator esse posset ad uniendos homines cum Deo, nisi communionem haberet cum utrisque; Ut ergo duas naturas copulavit in Persona per Unionem hypostaticam; ita debuit illas copulare in Officio per unionem mysticam voluntatum & operationum. Non sufficit ergo ad Mediationem, ut aliquis distet ab utraque parte, sic enim Angeli possent esse Mediatores, distantes quippe à Deo & hominibus, sed requiritur ut sit æqualis distantia & proximitas, id est, tam accedat & recedat ab eo apud quem fit mediatio, quàm ab eo pro quo illa fit. Jam Christus non æquè distat à Deo & homine, quà homo justus, ut vult Bellarm. à Deo enim differt essentiâ, sed ab hominibus peccatoribus tantùm qualitatibus. Ergo, ut inveniatur & distantia, & proximitas Mediatoris, quærenda est in Christo θεανθρώπῳ, qui ut ad Deum accedit, & à nobis recedit respectu Divinitatis, ita ad nos accedit, & à Deo recedit respectu humanitatis.

XXI. Cùm Patres negant Christum esse Mediatorem quatenus est Deus, nihil aliud volunt, quàm necessitatem Unionis hypostaticæ in Christo Mediatore indicare, ut ostendant eum esse Mediatorem, non simpliciter quà Deus est, sed quà Deus in carne manifestatus.

XXII. Licet Moses Mediator Veteris Testamenti fuerit tantùm merus homo; Non sequitur & Christum potuisse secundùm naturam humanam hoc officio defungi. Quia alia ratio est Mediatoris typici, qui Me-

merus est internuncius. Alia ejus, qui verus est εἰρηνοποιὸς, qui nonnisi λύτρῳ infinito potuit nos Deo reconciliare, qualis debuit esse Christus. QUÆST. III.

XXIII. Licet Christus statuatur Mediator secundùm naturam divinam; Non ideo Λόγος minor Patre statuitur, vel ejus ὁμουσία negant. Aliud enim est Personas secundum essentiam facere inæquales, cum Arrianis. Aliud Filium à Patre distinguere secundùm œconomiam voluntariam, quà seipsum exinanivit, quod perperam dissimulant, qui nobis Arianismum per calumniam impingunt.

QUÆSTIO III.

An Christus sit Mediator Angelorum? Neg.

I. VAriant hic Theologorum sententiæ; Quidam putant Christum posse & debere vocari Mediatorem Angelorum, sed Conservationis & Confirmationis tantùm, non Redemptionis, per quam factum sit, ut cùm alii Angeli laberentur, isti substiterint, & ita confirmati sint in justitia per creationem acceptâ, ut labi in posterum non potuerint. Ideo distinguunt duplicem *miseriam*, aliam *actu*, aliam *potentiâ*, illam quæ ad malos Angelos & homines lapsos pertineat, istam, quæ spectet Angelos & homines labiles in natura integra; Ab hac potentia autem, ne in actum exiret, statuunt debuisse confirmari quotquot in integritate perstiterunt, nec per alium fieri potuisse quàm per Christum. *Status Quæstionis.*

II. Quamvis verò hæc sententia ita exposita nihil absurdi involvat, & videatur facere ad amplificationem gloriæ Mediatoris Christi. Contraria tamen sententiâ, quæ negat Christum Mediatorem fuisse Angelorum, verior nobis videtur, & S. Scripturæ convenientior; Ut si confirmati fuerunt Angeli, quemadmodum confirmari eos necesse fuit, ut extra periculum lapsùs constituerentur, per novam Dei Gratiam, quæ statui naturæ semper mutabili superadderetur, hoc obtinuerint; Et per Dei Filium, non quà Mediatorem, sed quà Creatorem & Conservatorem, per quem & in quo omnia subsistere dicuntur Col. 1:17.

III. Rationes cur hoc statuamus, sunt. 1. Quia scriptura vocat Christum Mediatorem inter Deum & homines, nunquam verò inter Angelos. 2. Quia non opus est Mediatore, ubi nullum est dissidium, Mediator enim, ut loquitur Paulus, non est unius, Gal. 3:20. sed nullum fuit dissidium inter Deum & Angelos. 3. Christus non est conjunctus Angelis, sed hominibus, quia non assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ; Ubi Apostolus rationem reddit Incarnationis Christi, nimirum quia homines debuit salvare, non Angelos. *Christus non est Mediator Angelorum.*

QUÆST. III. 4. Quia quorum est Mediator, eorum est ἱλασμὸς 1. Johan. 2. 2. quod ad Angelos non pertinet. 5. Quia si datus fuisset Angelis in Mediatorem, debuisset & dari homini in statu integro, quod dici nequit, cùm Mediatio pertineat ad novum Fœdus, & in eum finem directa sit ut tollantur peccata.

Fontes Solutionum.

Heb. 12. 23.

IV. Christus dicitur Mediator totius Ecclesiæ hominum, collectæ ex omnibus gentibus tam Judæorum quàm Gentium, non verò Angelorum, qui distinguuntur ab Ecclesia Eph. 1. 21. 22. Licet ergo pertinere possint ad panegyrim Glorificatorum Hebr. 12. 23. & sint conservi fidelium, æquè servientes Deo, non possunt propriè vocari membra Ecclesiæ, quæ constituunt Corpus mysticum Christi ab ipso redemptum.

V. Licet Christus factus sit in Regno œconomico Mediatoris, Caput & Rex Angelorum supra quos exaltatus est, ut iis utatur tanquam Ministris ad salutem fidelium Heb. 1. 14. & subsint ipsi tanquam Domino, quem adorare tenentur, Hebr. 1. 6. & Phil. 2. 10. Non posset tamen bene dici *Caput vivificum*, ratione influxûs vitalis, qui à Spiritu regenerante Christi diffunditur ad solos homines sanguine Christi redemptos & efficaciter vocatos.

VI. Quamvis Angeli non potuerint mereri gloriam strictè loquendo, cùm sit supra meritum cujuscunque Creaturæ, non statim necesse fuit Christum eam mereri pro ipsis, quia Deux ex pacto voluit eos remunerati ultra condignum.

VII. Omnis gratia medicinalis & liberatrix est à Mediatore; in ordine Redemptionis. Sed non eadem est ratio Gratiæ conservatricis & confirmatricis, quæ pertinet ad ordinem Creationis. Ejus enim est conservare, cujus fuit creare.

VIII. Ad loca Scripturæ, quæ petuntur ex Job. 4. 18. & 15. 15. & ex Ephes. 1. 10. & Col. 1. 20. responsum fuit P. I. Lo. 4. Q. 8. à Th. 14. usque ad 16.

QUÆSTIO IV.

DE UNITATE MEDIATORIS.

An Christus solus sit Mediator noster apud Deum? Aff. contra Pontifi.

I. CUm Pontificiis res nobis hîc est, Qui ut commentum suum de Invocatione Sanctorum fortiùs stabiliant, pertendunt Sanctos defunctos apud Deum fungi Officio Mediatorum & Intercessorum pro viventibus. Nec tantùm precibus, sed & meritis suis conciliare nobis favorem Dei.

II. Non quæritur, De simplici Oratione, vel Intercessione impropriè dictâ, quæ consistit in mutua aliorum pro aliis inter viventes precum communione. Fatemur enim fideles posse alios pro aliis orare, & Pastores præsertim hoc pro populo apud Deum defungi debere officio. Sed agitur de *Mediatione propriè dictâ*, per quam censeatur aliquis propriâ virtute intercedere, & non tantùm preces ad Deum deferat, sed etiam qui eas oblatas Deo commendet, & gratas efficiat meritis suis. QUÆST. IV. *Status Quæstionis.*

III. Non quæritur, An Sancti sint nostri Mediatores apud Deum in æquali gradu cum Christo? Hoc enim à se removent Pontificii, qui ideo Mediatorem distinguunt in primarium, & secundarium, Mediatorem Redemptionis, & Intercessionis. Sed An aliquo saltem sensu propriè dici possint nostri Mediatores? Quod affirmant illi, Nos negamus.

IV. Quæstio eò redit. An præter Christum Sancti sint nostri apud Deum Mediatores, non qui precibus tantùm suis pro nobis intercedant, sed qui patrocinio & meritis suis favorem ejus nobis concilient? An verò Christus solus Munus Mediatoris & Advocati pro nobis obeat? Hoc asserimus; Adversarii prius statuunt.

V. Quia verò in Christi Officio Sacerdotali duæ partes distingui solent, Satisfactio, & Intercessio; Utrasque Sanctis tribuere non verecundantur. Et quoad *Intercessionem*, notum est eam tribui Sanctis, cum ab iis preces suas deferri contendunt, imò eorum precibus veniam sibi dari, seque exaudiri postulant. Missale Roman. in Festo S. Thomæ, *Deus, pro cujus Ecclesiâ gloriosus Pontifex, gladiis impiorum occubuit; præsta quæsumus, ut omnes qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.* Et ibidem pro Innocentibus, *Sanctorum tuorum, Domine, pia nobis non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam obtineat*; In Festo omnium Sanctorum, *Quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis Intercessoribus largiaris.* Quoad satisfactionem verò notum est per merita Sanctorum bona à Deo postulari. In Festo Nicolai Episcopi petunt, *Ejus meritis & precibus à gehennæ incendiis liberari.* In Festo Leonis Papæ, Athanasii, Basilii, sic ajunt, *Ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis.* In octava Petri & Pauli, *ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur.* Nec abludit Bell l. 1. de Indulg. c. 4. *Non est absurdum*, inquit, *si sancti Viri Redemptores nostri aliquo modo dicuntur*, & addit ibidem, non ineptè dici sanctos Viros aliquo modo suis passionibus delicta nostra redimere. Unde falsum deprehenditur quòd idem de Ponti. lib. 3. c. 21. negat se colere Sanctos ut Mediatores, sed tantùm ut suas preces nostris adjungant.

Sanctos non esse Mediatores nostros, probatur.

VI. Nos Mediationem Sanctorum impugnamus. Primò disertis Scriptu-

QUÆST. IV. pturæ verbis, quæ uni Christo hoc Munus tribuunt 1 Tim. 2: 5. *Unus Deus, unus Mediator Dei & hominum, Christus homo*; Ubi Mediator unus dicitur, non plures, & quidem Christus, non Sanctus aliquis, aut Angelus, qui
1. ex 1 Tim. 2: 5. se dedit ἀντίλυτρον pro nobis. Frustra hic reponitur. 1. *Unum dici non Unicum.* Quia vox εἷς non modò *unum*, sed & *unicum* sæpe notat, ut apud Homer. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεὺς, & apud Virg. *Una salus victis*, id. unica, sic passim in Scripturâ Eph. 4: 6. Rom. 3: 10.12. 1 Tim. 3: 2. 12. quod non diffitetur Bellar. lib. 1. de Christo cap. 3. Hanc etiam significationem exigit sermo Pauli, quia eo modo dicitur εἷς μεσίτης, quomodo θεὸς vocatur εἷς, non tantùm unus, sed & unicus, exclusivè ad alium quemvis.

VII. II. Exc. Agi de *Mediatore Redemptionis, qui sit unicus, sed non de Mediatore Intercessionis, qui socios possit admittere.* Resp. distinctio est ignota Scripturæ, quæ unicum Mediatorem notat, non plures. 2. perperam distinguitur Mediator Redemptionis, & Intercessionis, quia nemo potest esse Mediator Intercessionis, qui non sit & Redemptionis. Duo enim ista munia ἱλασμὸς, & ἐμφανισμὸς, sunt duæ partes Mediationis, quæ ad idem officium pertinent, nec separari unquam debent, ut conjunguntur in Scriptura 1 Joh. 2: 1. 2. Rom. 8: 34. Heb. 7: 25. ut sub Lege ad solum Pontificem pertinebat in Sacrarium ingredi, & deprecari pro populo, ad quem pertinebat sacrificare. 3. Pontificii ipsi distinctionem istam convellunt, dum Sanctos Redemptores quodammodo agnoscunt, & volunt eos non tantùm orare ut salvemur, sed & meritis suis obtinere nobis salutem. Unde petunt ab ipsis id ipsum, quod à Christo Redemptore, remissionem peccatorum, & vitam æternam, idque ex vi meritorum, ut antea visum, quod utique ad redemptionem pertinere nemo non videt. Nihil frequentius est apud ipsos, quàm B. Virginem vocare *Redemptricem* & liberatricem peccatorum. 4. Paulus non agit tantùm de Mediatore Redemptionis, sed & Intercessionis, quia agit de oblatione precum, quæ pro quibusvis hominibus concipi debent, nec possunt ritè concipi, nisi in solius Christi nomine, qui unus est Mediator noster.

VIII. III. Paulum loqui *de Mediatore Primario, principali, & immediato; sed non excludi ideo secundarios, ministeriales, & mediatos, quomodo licet Deus solus bonus dicatur, & Christus unus Magister, non obstat quominus & alii sint Doctores, & alii boni.* Resp. Distinctio est ἄγραφος, imò & ἀντίγραφος, Scriptura enim nusquam plures Mediatores nobis proponit, vel ad eos fideles remittit. Imò cùm hoc officium uni Christo tribuat, eo ipso aliis esse ἀκοινώνητον docet. Nec simile allatum eò respicit; nam Deus ita bonus dicitur, ut hoc illi soli proprium sit κατ' ἐξοχὴν, nec ulli nisi analogicè & longè dissimili ratione competere queat. Et si Doctores ad nos mittit Christus, nemo tamen Magistri nomen, quod Christo soli competit, illis, tribuere potest vel debet.

IX. Secundò, Ex 1. Jo. 2. 1. *Si peccavimus habemus Advocatum apud Patrem Jesum Christum justum, qui est ἱλασμὸς* &c. Ubi tria latent argumenta 1. quod παράκλητος seu Advocatus dicitur in singulari; quod perperam dixisset Johannes, si plures dantur, & non unicus tantùm. 2. Iste Advocatus expressè vocatur Christus Jesus justus, ut nullus alius hoc Munus sibi tribuat. 3. Advocatus est talis, qui sit etiam ἱλασμὸς seu propitiatio pro peccatis. At nemo præter Christum hoc præstitit. Ne quicquam regeritur, dici quidem Advocatum Christum, sed non solum. Nam licet particula exclusiva non addatur διαῤῥήδην, necessariò tamen includitur in epithetis additis, tum justi, tum ἱλασμȣ̃. Deinde si plures agnovisset Advocatos, Cur unum Christum memorat, Et non addit alios ad quos confugere possint? Eò pertinent, quod dicitur *Via, Veritas & Vita, & nemo veniat ad Patrem nisi per ipsum* Jo. 14. 6. & quod *in nullo alio sit salus* Act. 4. 12. QUÆST. IV. 2. *Ex 1. Jo. 2. 1.*

X. Tertiò, Quia Mediatio Sanctorum cedit in contumeliam Christi, quasi non sufficeret solus, & posset socios in hoc munere ferre, quod sine grandi blasphemia dici nequit. Nec juvat quod dicitur, Non fieri injuriam Christo, quia Sancti vim intercedendi & impetrandi habeant à Christo. Nam gratis supponitur Christum talem vim pro nobis intercedendi & salutem impetrandi illis promeruisse & conferre velle; quod nec Scriptura dixit unquam, nec ullà ratione probari potest. Imò si Christus est perfectus Mediator, qui per seipsum planè potest omnes muneris istius partes implere, quid opus alios sibi fingere? Nec reponi debet nullum inde præjudicium creari Christo, quia Sancti non tam sint Mediatores Dei & hominum, quàm Mediatores hominum ad Christum, ut Hesseli. in 1. Tim. 2. observat. Quia sic Mediatore opus esset ad Mediatorem, cùm tamen ipse ἀμέσως & benignissimè nos ad se vocet, nec ad alios amandet; *Venite ad me*, Matt. 11. 28. Accedit quod isti Mediatores ad Christum, vel opus habebunt alio Mediatore, qui ad ipsum aditum illis faciat, vel non. Si asseritur, quæretur rursus; An apud hunc tertium opus sit alio Mediatore? & sic res abiret in infinitum. Si negatur, ratio dari non potest, cur isti Mediatores ad Christum nobis faciliores credantur, quàm ipse Christus, Cùm non minori affectu, sed longè ferventiori nos prosequatur, & factus sit nobis similis in omnibus, ut posset compati infirmitatibus nostris Heb. 2. 14. *3. Quia hoc est injurium Christo.*

XI. Quartò. Quia Sancti non possunt necessitates nostras cognoscere, & corda & renes scrutari, ut cogitationes & desideria distinctè & sigillatim perspecta habeant, absque quo Mediatorum & Intercessorum munus obire non possunt. Quid hic excipiant Adversarii pro cognitione Sanctorum. Vide supra discussum Loc. XI. de Lege Qu. 7. *4. Quia non possunt necessitates nostras cognoscere.*

XII. Quintò, Quia hoc dogma sapit superstitionem Ethnicam, & haustum est ex erroribus Gentilium, qui Deos suos distinguebant, in prima- *5. Quia hoc dogma superstitionem Ethnicam redolet.*

QUÆST. IV.

marios, & secundarios, qui inferioris essent ordinis, puta dæmones, qui Mediatores essent inter Deos summos & homines. Unde Plato in Symposio, *Deus*, inquit, *ab hominibus non acceditur, sed omne commercium & negociatio inter Deum & homines fit per dæmonas*: Unde Provincias, Urbres, Artes, Morbos inter dæmonas distribuebant, & varia variis munia assignabant: quomodo Papicolæ Sanctos Imperiis, Urbibus, Artibus, Morbis, præficiunt, & tanquam Patronos, & Deos tutelares ad quos subinde confugiant, asciscunt.

Fontes Solutionum.

XIII. A *communione Sanctorum*, ad *communicationem officiorum* inter eos, non valet consequentia. Sancti in cœlum admissi, communionem quidem habent cum Viventibus, quatenus sunt ejusdem Corporis mystici membra. Sed non propterea datur officiorum communicatio, cùm nec illi necessitatibus nostris intersint, nec cogitationes nostras ac preces audire & exaudire possint, nec ullum habeamus amplius cum illis commercium, cujus beneficio eorum suffragia implorare queamus.

XIV. Non quicunque orat Deum pro nobis, is statim est Mediator apud Deum; aliàs tot haberemus propemodum Mediatores, quot fratres: & cùm Scriptura sæpissimè mutuas hominum preces commemoret; tamen nunquam docet homines Mediatores esse apud Deum. Is ergo Mediator dicendus, primò qui non tantùm orat in genere, sed & pro singulis, secundò qui orat ex vi meritorum suorum, nobisque impetrat remissionem peccatorum & salutem; Quod de solo Christo dici potest.

Ierem. 15. 1.

XV. Aliud est Mosem & Samuelem viventes orare pro populo. Aliud eosdem defunctos hoc officio pro ipso defungi. Jerem. 15. 1. non provocatur ad intercessionem defunctorum; sed hypotheticè ostenditur inutilitas orationum ipsorum, si adhuc essent in vivis, & precarentur pro populo, ut ab ipsis non semel factum fuerat; *Si starent coram me Moses & Samuel, & orarent pro populo, anima mea non erit ad populum istum*, sensus est, si Moses & Samuel adhuc essent superstites, & pro hoc populo supplicarent, nihil effecturos sua intercessione, ut olim placaverant Deum suis precibus Exod. 32. 14 1. Sam. 7. 9. Innuit ergo salutem istius populi esse desperatam, & exitium ejus certum & determinatum. Confer Ezech. 14. 13. 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Iob, ipsi justitia sua liberabunt animas suas*; Ita hic agitur, non de defunctorum precibus, sed vivorum, si redirent ad populum.

Apoc. 5. 8. 9.

XVI. Quod de citharis & phialis aureis in manu 24. Seniorum Apoc. 5. 8. 9. dicitur, non favet Intercessioni Sanctorum. Quia si ad Sanctos defunctos hoc referatur, non significabit preces, quas ipsi pro vivis offerant, sed τὴν εἰς θεὸν δοξολογίαν, ut Aretas, & Andreas Cæsariensis observant, Dei scilicet laudes & suffitus gratiarum actionis, quos con-

continuò Deo offerunt, quod statim exponitur v. seq. per *canticum novum*. Ita quod dicitur phialas istas aureas plenas suffituum, fuisse preces Sanctorum, ἅι εἰσιν αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων, *quæ sunt* id. symbolicè designant preces Sanctorum, illorum scilicet qui citharas & phialas aureas habebant, vel indefinitè Sanctorum omnium, quorum preces suffitu describuntur. Si verò ad laudes & preces viventium Sanctorum refertur, ut verisimilius est, nec diffitetur Estius, nihil inde pro defunctorum orationibus elicietur. Ita scilicet describitur cultus Evangelicus laudum & precum, vocibus è cultu legali desumptis, ut citharæ instrumenta laudem laudes, & phialæ aureæ preces fidelium in corde fide purificato oblatas notent. Sic ostendunt se esse verè Reges & Sacerdotes, ut dicunt postea, Reges enim citharæ decent, ut Davidem, phialæ verò Sacerdotes. QUÆST. IV.

XVII. Licet apud Reges terrenos Parariis & Mediatoribus opus sit, ut ad ipsorum conspectum admittamur; Non eadem est ratio Regis cœlestis, qui immediatè ad se nos vocat, nec unquam ad Sanctos propterea fideles dimisit. Si Rex terrenus subditos ad se directè evocaret, quis liberè & cum fiducia ad eum non accederet? quis vellet Aulicos patronos sibi eligere, qui ad ipsum aditum facerent?

XVIII. Loca Job. 5. 1. & 19. 21. & 33. 23. Exod. 32. 13. Zach. 1. 12. Apoc. 8. 3. Tob. 12. quæ hic afferuntur pro Intercessione Sanctorum; Vide discussa Lo. 5. de Angelis Q. 9. & Lo. 11. Q. 7.

XIX. Aliud est orare in genere pro Ecclesia. Aliud pro singulis. Quamvis Sancti orarent in genere pro Ecclesia militante, quam sciunt adhuc premi ab Adversariis, & exponi variis certaminibus; Non sequeretur statim, vel orare pro singulis, quorum necessitates & preces non norunt, vel esse ipsorum Mediatores, qui & precibus & meritis suis gratiam Dei illis obtineant.

XX. Locus 2. Maccab. cap. 15. v. 14. ubi Judas dicitur vidisse in visione Oniam Pontificem, & Jeremiam, qui jam obierant, orantes pro populo Judæorum, non potest juvare Adversarios. 1. quia Liber iste est Apocryphus, & fabulis refertus, testibus ipsis Pontificiis, & nominatim Gelasio Papa Dist. 15. Cano. *Sancta Romana*, ubi admittit solum primum Maccab. & rejicit secundum. 2. locus probat tantùm orare Sanctos in genere, non sigillatim ad modum Mediatorum. 3. Pontificii ipsi volunt Patres ante mortem Christi fuisse adhuc in Limbo exclusos à facie Dei, ergo non idoneos ad orandum pro aliis. *2. Macc. 15. 14.*

XXI. *Clamor animarum, quæ sunt sub Altari*, Apocal. 6. 10. non pertinet ad Intercessionem pro aliis, sed ad preces pro seipsis. Non dicunt, quare non liberas fratres nostros, sed *quare non vindicas sanguinem nostrum*? Nec propriè debet intelligi, cum animarum non sit clamare, sed allegoricè, ut notetur desiderium extremi judicii & resurrectionis, *Apoc. 6. 10.*

ut

tur, Unctionem, & Inaugurationem. *Unctio*, ex qua nomen *Messiæ* & *Christi* natum, quod κατ' ἐξοχὴν proprium fuit Redemptori nostro, licet impropriè & alii Uncti & Christi dicantur ratione officii vel Prophetiæ, vel Sacerdotii, vel Regni, duo notat. 1. *Consecrationem* ad munus, quæ Personæ Christi etiam secundùm naturam divinam competit, per quam ad Mediatoris munus reipsa consecratus est Ps. 2:6. quam Scriptura *sanctificationis* nomine designare solet Joh. 10:36. 2. *Gratiarum & donorum* omnium ad illius muneris executionem necessariorum *collationem*, quæ ad humanam tantùm naturam spectat, per quam unctus dicitur oleo lætitiæ supra consortes, & donatus Spiritu ἀμέτρως Ps. 45:8. Isa. 61:1. 2. Joh. 3:34.

QUÆST. V.

Quæ constat unctione.

Joh 10:36.

IV. *Inauguratio* est per quam, licet jure nativitatis, & beneficio Unionis hypostaticæ, Dominus & hæres omnium esset reipsa, voluit tamen solenni ratione ad Munus suum inaugurari, quomodo Reges etiam hæreditarii solenni inauguratione solent in plenam Regni possessionem mitti, ut ab omnibus agnoscantur. Hæc verò primò quidem in *Baptismo* Christi facta est Matt. 3:17. ubi illustri ratione & planè extraordinariâ ad publicum muneris exercitium consecratus est, quod non modò apertione cœlorum, Spiritus Sancti missione super ipsum, sed & cœlesti voce confirmatum est, quæ excellentiam Personæ, & Officii testantur. *Personæ* quidem, dum vocatur *Filius Dei*, non adoptivus, quales Deus multos habet, sed naturalis, unigenitus, & proprius, qui propterea ἀγαπητὸς *dilectus* & charissimus dicitur. *Officii* verò, dum dicitur, Patrem in ipso εὐδοκῆσαι id. non tantùm Patrem in Christo planè acquiescere, eoque planè delectari, sed etiam in eo & propter eum nos Deo placere & acceptos esse Eph. 1:6. Excellentia porro istius Officii ex eo clarè demonstratur, quòd non sine juramento constitutus sit Mediator noster Ps. 110:4. *Juravit Dominus* &c. ex quo Paulus præstantiam & æternitatem Sacerdotii Christi supra Leviticum colligit Heb. 7. Secundò in *Transfiguratione*, in qua pariter ad triplex Munus confirmatus fuit cœlesti voce Matt. 17. Tertiò, ista inauguratio plenè facta est post resurrectionem & exaltationem, quando *Dominus & Christus factus est* Act. 2:36. *& nomen supra omne nomen illi datum est, ut in nomine Jesu flectatur omne genu* &c. Phil. 2:9. 10. quum potestas illi omnis data est in cœlo & terra, Matt. 28. & quum sedit ad dextram Majestatis in Excelsis Heb. 1:3.

Et Inauguratione.

V. Munus hoc Mediatorium Christi distribuitur in tria Officia, quæ sunt totidem ejus partes, *Prophetiam*, *Sacerdotium*, *Regnum*. Quas Christus sustinuit, non seorsim, sed conjunctim, quod uni ipsi datum. Nam quæ in aliis divisa fuerunt propter infirmitatem, in Christo uniuntur propter summam ejus perfectionem. Tanta quippe fuit Munerum istorum dignitas & onus ut nemo mortalium ea solus obire potuerit. Dari quidam potuerunt Reges

Triplicis Muneris Christi ratio.

QUÆST. V. & Sacerdotes, ut Melchisedek, Reges & Prophetæ, ut David, Sacerdotes & Prophetæ, ut summi Sacerdotes aliquando. Sed nullus unquam occurrit, qui tria ista solus perfectè impleverit. Hoc uni Christo reservabatur, qui veritatem variis istis typis adumbratam sustinere potuit. Si Moses utcunque eum adumbrasse legitur, quia non modò fuit Propheta Dei, & Dux & Liberator Populi, sed & ante Aaronem inauguratum Sacerdotio nonnunquam functus est, ut Exo. 24. hoc præter ordinem, & ad actum tantùm factum est, nec in exemplum potest vel debet trahi.

Fundatur I. in Scriptura. VI. Hujus autem distributionis variæ assignari possunt causæ. 1. *Scriptura*, quæ triplici hoc nomine solet Christum indigitare, dum eum, modò ut *Prophetam* proponit Deuter. 8. Is. 61. 1. 2. ut *Sapientiam* Patris, & Λόγον, per quem nos Deus alloquitur Prov. 8. Johan. 1. 1. modò ut *Sacerdotem* Ps. 110. 4. & passim in Ep. ad Hebræ. modò ut *Regem* Psalm. 2. & 110. 1. Isa. 9. Luc. 1. Nec modò seorsim tria ista Officia describuntur, sed & conjunctim proponuntur, ut
Isa. 9. 6. Isa. 9. 6. qui Puer ratione humanæ conception is, & Filius ratione æternæ generationis dicitur, vocatur *Admirabilis* ratione Personæ, *Consiliarius* ratione Prophetiæ; *Pater æternitatis* ratione Sacerdotii, & *Princeps pacis*, cujus humeris imperium impositum est, ratione
& 61. 1. 2. Regni. Ita cap. 61. unctionis Christi triplex finis notatur, *evangelizare pauperibus*, quod est Prophetæ, *sanare contritos corde*, *& solari lugentes*, quod est Sacerdotis, & *libertatem captivis afferre*, *& vindictam Domini*
Psal. 110. 4. *exercere*, quod est Regis. Psalm. 110. Regia Christi dignitas, & ejus victoria & triumphus de hostibus asseritur per totum Ps. Prophetia v. 2. adstruitur, quum sceptrum Verbi dicitur exiturum è Sione, & Sacerdotium sancitur v. 4. *Dominus juravit*, *& non pænitebit eum*, *Tu es Sacerdos in*
Zach. 6. 13. 14. *æternùm* &c. Zach. 6. 13. 14. Homo Germen, qui dicitur ædificaturus Templum Domini per Verbum Evangelii, quod est Prophetæ, dicitur dominaturus in solio suo, quod est Regis, & Sacerdos sessurus in solio suo, idem qui Rex erit, futurus est etiam Sacerdos, Et *consilium pacis erit inter ista duo*, id. inter duas istas dignitates Regiam & Sacerdotalem, quia unus & idem erit Rex & Sacerdos, qui pacem Ecclesiæ acquisiturus est per Sacerdotium, & defensurus per Regnum.

VII. Ita in Novo Testamento tria ista Officia sæpe conjunguntur, ut Jo-
Johan. 14. 9. han. 14. 6. quando Christus dicitur *Via*, *Veritas*, *& Vita*, Via ducens, Veritas docens, Vita salvans, Via in Sacerdotio, dum per sanguinem suum viam nobis fecit in cœlum Heb. 10. 20. Veritas in Prophetia, qui Verbum Evangelii, quod sola est veritas salutaris, nobis revelat. Vita in Regno, quo nos per efficaciam suam vivificat & protegit. Via in morte, Veritas in Verbo, Vita in Spiritu. Unde Emissenus in h. l. *Ego sum Via*, *quia nemo venit ad Patrem nisi per me*, *Ego sum Veritas*, *quia nemo cognoscit Patrem nisi*

ex me. Ego sum Vita, quia nemo vivit nisi in me. Idem ostenditur celebri loco 1 Cor. 1: 30. ubi Christus à Patre dicitur nobis factus, *sapientia*, *justitia*, *sanctificatio & redemptio.* Dicitur *factus*, id. constitutus à Deo, ut sit *Sapientia* nobis, id. Autor & Doctor infallibilis cœlestis sapientiæ per Prophetiam. *Justitia*, id est, largitor justitiæ æternæ & infinitæ, per quam liberamur à reatu & justificamur coram Deo per Sacerdotium. *Sanctificatio*, id. causa veræ & spiritualis sanctitatis, per quam purgamur à dominio & sordibus peccati per Regnum, Et *Redemptio*, quæ in tribus istis se exerit; vel si strictè sumatur, ut est redemptio à miseria & morte. Sic Heb. 1: 2. 3. Deus dicitur nobis locutus in Filio, tanquam in summo Propheta, qui postquam purgationem peccatorum nostrorum fecit quà Sacerdos, sedit in dextra Throni Majestatis in Excelsis, quà Rex.

QUÆST. V. *1 Cor.* 1: 30. *Heb.* 1: 2. 3.

VIII. Secundò, Hanc triplicis Officii conjunctionem requirebat *triplex hominum miseria* per peccatum accersita. Ignorantia, Reatus, Tyrannis & servitus peccati, *Ignorantia* sanatur per Prophetiam, *Reatus* per Sacerdotium, *Tyrannis & corruptio peccati* per Regnum. Lumen Propheticum tenebras erroris discutit, Meritum Sacerdotis reatum tollit, & reconciliationem nobis parat, Potentia Regis servitutem peccati & mortis aufert. Propheta ostendit nobis Deum, Sacerdos adducit nos ad Deum, & Rex conjungit & glorificat cum Deo. Propheta Spiritu illuminationis intellectum illustrat, Sacerdos Spiritu consolationis tranquillat cor & conscientiam, Rex Spiritu sanctificationis rebellantes affectus domat.

2. In triplici hominum miseriâ.

IX. Tertiò, Eandem exigebat *natura salutis nobis conferendæ*. Tria enim omnino ad eam requirebantur, *Annunciatio*, *Acquisitio*, *Applicatio*: Ut revelaretur nobis, quibus naturâ est ignota, Ut nobis acquireretur, & ut acquisita applicaretur. Christus ergo triplici Officio suo, tria ista debuit præstare, salutem nobis annunciare per doctrinam Prophetæ, salutem promissam acquirere per meritum Sacerdotis, & acquisitam applicare per efficaciam Spiritus Regii.

3. In natura salutis conferendæ.

X. Quartò, *Mediatoris actus* non poterant aliter perfici. Duo enim necessaria erant, ut ageret à parte nostri apud Deum, & à parte Dei apud nos, τὰ πρὸς τὸν θεὸν, & τὰ πρὸς ἡμᾶς. *Pro nobis ad Deum* satisfaciendo & intercedendo, quod fecit quà Sacerdos. *Omnis enim Sacerdos instituitur in iis quæ sunt apud Deum, offerendo dona & sacrificia* Heb. 5: 1. *Pro Deo ad nos* loquendo & operando, prius per annunciationem gratiæ Dei & officii nostri, quod egit quà Propheta, posterius per potentem redemptionem ab omnibus hostibus nostris, & efficacem salutis plenæ procurationem, quod fecit quà Rex.

4. In Mediatoris actibus.

XI. Quintò, *symbolica* Vet. Test. *Unctio*, Triplex enim hominum genus fuit sub Vet. Test. quod unctione sacrâ consecrari debuit, Prophetæ scilicet, Sacerdotes, & Reges, ut visum in Elisæo, 1 Reg. 19: 16. In Aarone Ex. 29.

5. In Typorum impletione.

QUÆST. V. in Regibus passim. Ut verò omnes Typi ad unum Christum respiciebant, & in eo complementum suum sortiebantur, debuit Christus veritatem triplicis istius Muneris in seipso exhibere, sed longè perfectiùs quàm in aliis, non tantùm ratione conjunctionis trium istarum partium, quas nullus hominum simul implerere potuit, ut supra dictum, sed etiam ratione eminentiæ, & dignitatis, tum Officii, tum Donorum.

6. In Tribus Dei virtutibus. XII. Sextò. Hoc etiam non obscurè innuebant tres præcipuæ Dei virtutes, quæ in Opere Redemptionis se erga nos exerebant, Sapientia, Misericordia, Potentia. Quippe sapientiam Dei revelat nobis Filius, ut Propheta, misericordiam ejus nobis promeretur, ut Sacerdos, & potentiam depromit ad nostri liberationem & salutem, ut Rex noster. Hinc nascitur objectum trium Virtutum Cardinalium, Fidei, Spei, & Charitatis, Fides enim amplectitur doctrinam Prophetæ, Spes nititur merito Sacerdotis, & Charitas se per voluntarium obsequium sceptro Regis subjicit.

XIII. Tria autem ista officia ita in Christo conjunguntur, ut non solùm eorum operationes distinctas exerat, sed eadem actio à tribus simul prodeat, quod rei admirabilitatem non parum auget. Sic *Crux* Christi, quæ est *Altare* Sacerdotis, in quo se in victimam Deo obtulit, est etiam *Schola Prophetæ*, in qua nos docet mysterium salutis, unde Evangelium vocatur Verbum Crucis, Et *Trophæum Regis*, in qua sc. triumphavit de Principatibus & Potestatibus Col. 2:14. *Evangelium, est Lex Prophetæ*, Is. 2:2. *Sceptrum Regis* Psal. 110:2. *Gladius Sacerdotis*, quo penetrat ad intimas cordis divisiones. Heb. 4:12. & Altare, cui imponi debet sacrificium fidei nostræ. Ita Spiritus, qui ut Spiritus Sapientiæ est effectus Prophetiæ, ut Spiritus consolationis est fructus Sacerdotii, ut Spiritus roboris & gloriæ est Regis donum.

QUÆSTIO VI.

An Christus raptus fuerit in Cælum ante inchoatum publicum Ministerium, ut ibi à Patre doceretur? Neg. contra Socin.

Status Quæstionis. I. SEntentia Socinianorum, ut eam explicant *Smalcius* de Divinitate Christi cap. 4. *Ostorod.* Instit. cap. 16. *Catech. Rako.* de Prophetico Christi Munere, est, Christum utpote nudum hominem, initio rudem & ignarum fuisse illius doctrinæ, quam promulgare ministerio suo ad hominum salutem debebat. Ideo annos jam triginta natum, & à Johanne baptizatum, priusquam Munus suum publicè auspicaretur, corpore in cœlum subvectum fuisse, ibi per-

perfectissimè de Dei voluntate ab ipso Deo esse edoctum, & sic remissum in terram, eandem doctrinam hominibus plenè & sufficienter enarrare cœpisse. Tempus istius raptus, etsi non audent præcisè definire, putant tamen optimè referri posse ad moram illam, quam Christus jejunus egit in deserto per quadraginta dies & noctes. Scopus eorum est eludere loca Scripturæ, quibus probamus Christum fuisse antequam nasceretur ex Virgine, propterea quod dicatur à Patre exivisse & descendisse de cœlo. QUÆST. VI.

II. Orthodoxi Raptum hunc Christi in cœlum tanquam merè fictitium, & nuspiam in Scriptura traditum rejiciunt, & non alium descensum de cœlo agnoscunt in diebus Carnis suæ, quàm metaphoricum factum pet incarnationem ejus.

III. Rationes sunt. Primò *Silentium Scripturæ*, quæ nullam hujus raptus mentionem facit: meminit quidem ascensionis unius in cœlum, & ingressus in Sacrarium, postquam resurrexit Heb. 9: 12. sed alterius, nec vola nec vestigium occurrit. Loca enim quæ huc trahuntur aliò pertinere postea ostendetur. Quænam verò silentii istius causa esse potuit, si reverà contigit, cùm hoc non parum faceret ad commendandam Christi doctrinam? Cur potius meminit subductionis Christi à Tentatore in excelsum montem, quàm raptus ejus in cœlum ab ipso Deo? Nec hìc dicendum Evangelistas non memorâsse raptum istum, quia clam factus est & non palàm, ipsi autem memorent ea quæ viderunt vel audiverunt; quia sic reticenda etiam esset resurrectio Christi, quæ facta est nemine præsente nisi custodibus, nec Matthæus Transfigurationem narrare potuisset, cujus ipse αὐτόπτης non erat. Referre ergo debuerunt non simpliciter quæ viderant ipsi & audiverant, sed quæ à Spiritu S. ipsis revelabantur de gestis Christi, quæ faciebant ad institutionem fidelium. *Probatur Sententia Orthodoxa.*

IV. Secundò, Christus non eguit hoc raptu ad cognitionem mysteriorum, nec secundùm naturam divinam, quia erat Λόγος Patris Joh. 1: 1. qui erat in sinu ejus, quique ideo omnia ejus arcana perspecta habebat, nec secundùm naturam humanam, quia juxta eam accepit Spiritum sine mensura Joh. 3: 34. quo sufficienter instructus fuit ad munus suum, & thesauri sapientiæ & intelligentiæ in ipso fuerunt absconditi Col. 2: 3. Confirmatur ex eo, quòd puer adhuc duodecennis mirabilia dedit sapientiæ suæ specimina, docens in Templo & disputans cum Pharisæis Luc. 2: 47. Et quòd in baptismo ante fictitium illum raptum Pater cœlitus testatur se in eo acquiescere, quomodo autem posset in eo acquiescere, qui voluntatem ejus perspectam nondum haberet? Tertiò si Christus ascendisset in cœlum post baptismum, Scriptura præmittere deberet ejus ascensum descensui, cùm contra descensum præmittat ascensui Eph. 4: 9.

V. Aliud est Christum ascendisse in cœlum *propriè & localiter* ratione humanitatis, Aliud *ascendisse metaphoricè & mysticè* per sublimen mysterio- *Fontes Solutionum.*

QUÆST. VI. rum cœlestium cognitionem. Christus non dicitur ascendisse in cœlum priori sensu Joh. 3:13. *Nemo ascendit in cælum, nisi ille qui descendit de cælo, Filius hominis qui in cælo*, quia idem qui ascendit, descendisse dicitur, & sic non posset dici esse adhuc in cœlo; sed de ascensu mystico, ut ascendere in cœlum dicitur, qui arcana coeli penetrat Prov. 30:4. quia quantum cœlum à terra distat, tantùm consilia divina ab humanis Isa. 55:9. quod prope nos est obvium & planum, id dicitur non esse in cœlo, ut eò sit ascendendum Deut. 30:12. Rom. 10:6. Sic sensus erit neminem nosse res coelestes & conscium esse consilii divini præter se; & series sermonis eò referenda esse ista verba docet, quia v. præcedenti de revelatione mysteriorum egerat, *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo credetis, si dicam cælestia?* Et ut rationem reddat, cur & ipse cœlestia possit suo jure docere, & nemo ea nosse possit, nisi ipso docente, addit, *Nemo ascendit in cælum* &c. Cæterùm quod Filius hominis dicitur esse in cœlo, hoc de Persona in concreto, non de natura humana in abstracto est intelligendum.

Joh. 3:13.

VI. Quum Christus dicitur descendisse è cœlo, & exivisse à Patre Joh. 6:38. & cap. 16:28. agitur de metaphorico ejus descensu per manifestationem in carne, non ut esset ubi non erat prius, sed ut ibi operaretur; Sed non supponitur localis ejus descensus secundùm humanitatem, nec unquam Christus dicitur rediisse è cœlo, sed venisse tantùm. Nec si Filius hominis dicitur ascendere post resurrectionem, ubi erat prius Joh. 6:62. hoc intelligendum non secundùm humanitatem, sed secundùm divinitatem, ubi ante fuit ὁ Λόγος, cùm esset πρὸς τὸν Θεὸν Joh. 1:1.

Joh. 6:38. *Joh. 6:62.*

VII. Quamvis Christus ea loquatur, quæ edoctus est à Patre, Joh. 8:38. quia loquitur quæ audivit Joh. 8:32. & nihil facit quod non viderit Patrem operantem, Joh. 5:19. ut innuatur Filium intimè habere perspecta omnia opera Patris; Non sequitur raptum fuisse in cœlum, ut talia audiret, vel videret, quia hoc habuit ex intima communione cum Patre, propter quam dicitur esse in sinu Patris Joh. 1:18. & quia est in sinu ejus, eum nobis revelare.

Joh. 8:38. *Joh. 5:19.*

VIII. Licet Christus non fuerit raptus in cœlum, non propterea censendus est Mose & Paulo inferior, qui in cœlum rapti sunt, ut à Deo instituerentur. 1. Quia etsi eò rapti fuissent, Christus longè præstantiori ratione à Deo edoctus est, ex vi Unionis hypostaticæ. 2. Quia alia est ratio Servorum, & Domini, Illi opus habuerunt singulari & extraordinariâ institutione, ad ea cognoscenda quæ ignorabant. Sed Christus à momento conceptionis unctus Spiritu S. plenissimè hæc habuit perspecta. 3. Moses non dicitur in cœlum raptus, sed in montem. Paulus dicitur quidem raptus in tertium cœlum, sed an spiritu, an corpore raptus fuerit, dici non potest, ipso Paulo fatente se hoc ignorare.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De Officio Christi Prophetico.

In quo consistat ratio Prophetiæ Christi, seu Quænam partes, & quis modus ejus fuerit?

I. PRima Officii Christi pars est *Prophetia*, quæ hîc non *latè* & *impropriè* sumitur pro qualibet Dei agnitione & celebratione, quomodo fideles dicuntur prophetaturi sub N. Test. Joël. 2:28. Vel pro publica institutione, quæ competit Interpretibus Sacrorum, seu publicis Ecclesiæ Doctoribus & Ministris, quo sensu 1 Cor. 14:32. *Spiritus Prophetarum dicuntur subjecti Prophetis.* Vel *strictius* de iis quos Deus immediatè & extra ordinem vocabat, non tantùm ad docendum populum, sed & ad cultum Dei corruptum instaurandum, & futura multa prædicenda, quæ maximè ordinaria est istius vocis significatio in V. Test. quæ peculiari quadam ratione Mosi vendicatur Num. 12. ut postea videbitur. Sed *strictissimè & maximè propriè*, pro plenissimâ & augustissimâ mysteriorum salutis revelatione, quam Christus, ut supremus Ecclesiæ Doctor nobis exhibuit.

Quotupliciter Prophetia sumatur.

& quo sensu Christo tribuatur.

II. Quidam vellent Propheticum hoc Munus comprehendi sub Regio, ad quod pertinet Legislatio, aut sub Sacerdotali contineri, cui vis vaticinandi, & facultas Deum consulendi & responsa dandi annexa erat. Sed non satis accuratè loquuntur; Quia hoc non impediebat, quominus hæc tria Munera olim fuerint distincta. Ut sanè aliud est ordinarium esse Pastorem, aliud verò Prophetam; aliud responsa referre, aliud nova non audita nec quæsita proferre. Prophetæ excitabantur extra ordinem aut ad instituendum, aut ad instaurandum Dei cultum, quorum verba pii Reges & Sacerdotes avidè excipiebant. Ex alia etiam Tribu quàm Leviticâ assumebantur, ad quam pertinebat Sacerdotium, & ad hunc præcipuè finem consecrati erant, ut sacrum apud Ecclesiam deponerent Canonem, quod Verbum est, non Sacerdotum, aut Regum, sed Propheticum 2 Pet. 1:19. cui superstrui debuit Ecclesia Eph. 2:20. Ita aliæ sunt in Christo Prophetæ, aliæ Sacerdotis, & Regis partes, ut supra dictum.

Non comprehenditur sub Sacerdotio, nec sub Regno.

III. Necessitas istius Muneris patet ex tribus 1. ex *revelationis necessitate*, quia nulla potest esse Dei & rerum divinarum cognitio sine revelatione, quia homo animalis non capit quæ sunt Dei 1 Cor. 2:14. & nulla datur revelatio salu-

Necessitas ejus probatur.

QUÆST. VII. salutaris nisi per Christum Johan. 1. 18. Matt. 11. 27. Nec ratio, aut Lex potuerunt nobis mysterium pietatis patefacere, sed solus Christus in Evangelio. 2. Ex *salutis ratione*, quia nullum dabatur medium salutis præter fidem, *fides autem ex auditu*, *auditus verò ex Verbo Dei* Rom. 10. 17. 3. Ex *Oraculis Vet. Test.* quæ Prophetiam istam promittunt, quæ necessariò impleri debuerunt.

& Veritas. *Deut.* 18. 15. *Is.* 42. 1. 2. 3. 6. IV. *Veritatem* Muneris Christi Prophetici docet sæpiùs Scriptura, in Oraculo Mosis Deut. 18. 15. *Prophetam suscitabit tibi Jehova*, &c. quod ad Christum pertinere docet Petrus Act. 3. 22. & Isa. cap. 42. 1. 2. 3. 6. ubi dicitur Christo inditus à Patre Spiritus, ut *judicium Gentibus proferat*, id. Prophetam agat inter Gentes, & per justas Evangelii leges, & justum Dei cultum, eas ad veram justitiam adducat. Unde datus dicitur in *Fœdus populi*, *& Lumen Gentium*, *ad aperiendum oculos cæcorum* &c. quod confirmatur cap. 49. 12. sed præcipuè cap. 61. 1. 2. ubi loquens introducitur, *Cap.* 61. 1. 2. *Spiritus Domini est super me*, *ideo unxit me Dominus ad evangelizandum mansuetis*, quod impleri in seipso docet Luc. 4. Eò pertinent elogia Christi, quum dicitur *Angelus Fœderis* Mala. 3. 1. *Consiliarius* If. 9. 5. *Sapientia* æterna quæ vocat homines Prov. 9. 1. Λόγος per quem Deus nos alloquitur Heb. 1. 1. *Magister & Doctor* Matth. 23. qui solus est audiendus Matth. 17. 5. quæ sententia ita invaluerat apud Judæos, ut ad Samaritanos etiam transierit, *Messias veniet*, *& nos docebit omnia*, Johann. 4. 25. Nec si Christus Johan. 1. *Johan.* 1. 21. 21. à Propheta distinguitur, propterea Prophetam esse simpliciter negatur, sed plusquam Prophetam esse ostenditur. Non negatur absolutè esse Prophetam, sed esse τὸν Προφήτην, Prophetam scil. illum eximium, quem Judæi Christum antecessurum putabant, vel unum ex Prophetis, quos arbitrabantur in adventu Messiæ resuscitandos.

Natura attenditur, vel in materia doctrinæ, vel in modo prædicationis. V. *Natura istius Prophetiæ*, in duobus potissimùm spectanda est 1. In *materia* doctrinæ prædicatæ. 2. In *modo* prædicationis. *Materia* ad tria capita refertur, ad Legis expositionem, Evangelii promulgationem, & futurorum prædictionem. Ut enim munus Prophetarum tribus istis partibus potissimùm absolvebatur, Legis explicatione & applicatione, promissionum gratiæ inculcatione; & futurorum quæ ipsis à Deo revelabantur prædictione. Ita Christus perfectissimè tria ista implevit, Legem ex mente Legislatoris verissimè interpretando, Evangelium prædicando, & futura, quæ faciebant ad Ecclesiæ consolationem prædicendo.

Prima Pars Prophetiæ in Legis explicatione. VI. Prima pars Officii Prophetici respicit *Legis doctrinam*, in quâ explicandâ & inculcandâ operam suam posuit, tum ut homo impotentiæ suæ convictus ad Christum eò ardentiùs confugeret, ut ad sacram anchoram, ubi à Legis fulminibus & maledictione tutus esse posset, tum ut à falsissimis Pharisæorum sui temporis interpretationibus & glossis eam vindicaret, & suum ipsi sen-

sensum à Deo Legislatore intentum restitueret; spiritualem & internam cordis obedientiam, quam Lex spiritualis exigebat, inculcando, rejectâ externâ justitiâ, quam Pharisæi sufficere arbitrabantur Matt. 5:6.7. cap. Legem cæremonialem morali, & cultum illius hujus cultui, tanquam potiori, subjiciendo, Matt. 12:1. & seq. & Traditiones Seniorum, ut inutiles & exosas Deo, rejiciendo Matt. 15:3. & c. 23. QUÆST. VII.

An Christus possit dici Legislator?

VII. An verò Christus in hac Legis prædicatione Vet. Legem tanquam imperfectam correxerit, & novis præceptis auxerit, ut pertendunt Sociniani & Pontificii, supra disputatum fuit Loco XI. de Lege Q. IV. & V. quas consule.

VIII. Ad Quæstionem, quæ hic moveri solet, *An Christus sit, vel dici possit Legislator?* Respondemus paucis, Christum spectari posse bifariam, vel *absolutè* & Theologicè, quatenus est Λόγος, & idem Deus cum Patre & Spiritu Sancto, vel *relatè & œconomicè*, quatenus est θεάνθρωπος, & Mediator inter Deum & homines. Priori respectu est unus ille Legislator, qui potest servare & perdere Jac. 4:12. Posteriori, nec propriè est Legislator, ut Moses fuit, quia Mosi, ejusque Legi opponitur, ut gratiæ & veritatis author Joh. 1:17. nec principaliter, quia præcipuum ejus officium fuit, revelare nobis mysterium Evangelii. Nihil obstat tamen eum dici Legislatorem secundariò, & minus principaliter, tum quia fuit restaurator & vindex Legis, tum quia Rex est & Caput Ecclesiæ suæ, Regum autem est leges condere, unde vocatur מחוקק Isa. 33:22. Et doctrina Christi suam etiam habet Legem, quæ fidem & obedientiam vitæ nobis præscribit, quo sensu Lex subordinatur Evangelio, & Evangelium ipsum vocatur Lex fidei, Lex Regia libertatis, Lex Spiritus & vitæ. Rectè tamen Nostri negant contra Pontificios, & Socinianos, Christum esse Legislatorem, quatenus Legislator denotat illum, qui fert novas leges & nova præcepta moralia, quæ in ipsa Lege non continentur, neque in ea suum fundamentum habent.

IX. Licet fides in Christum, quæ in Evangelio præscribitur, possit dici novâ ratione objecti, quod à solo Evangelio revelatur, pertinet tamen ad Legem, ratione actus & obligationis, quia tenemur credere Deo & omni ejus Verbo. Resipiscentia etiam pertinet ad Legem, non prout primo homini fuit lata, sed prout peccatori repetita, & ab Evangelio illustrata, & materialiter, si non formaliter, quia modum resipiscentiæ docet & præscribit.

Secunda, in Evangelii prædicatione.

X. Altera pars Officii Prophetici, & quidem præcipua, est *Evangelii Prædicatio*, seu annunciatio gratiæ per Christum allatæ. Unde Evangelium vocatur *doctrina Christi* Act. 13:12. & *Christi testimonium* 1 Cor. 1:6. Apoc. 1:2. Non tantùm quia Christus est proprium istius doctrinæ objectum 1 Cor. 2:2. sed etiam quia est ejus causa principalis & primarius Author. Evangelium autem hic non intelligimus latè pro qualibet promissione gratiæ, quæ etiam in Vet. Testam. locum habuit; sed strictè pro Evangelio completo,

QUÆST. VII. quod Christi manifestationem in Carne continet, ubi Christus, se *Personâ*, non solùm Filium hominis esse docuit, Matt. 8: 20. & 9: 6. sed etiam Filium Dei Joh. 3: 16. & 5: 19. & alibi; *Munere* verò esse Christum illum, qui promissus fuerat sub Vet. Test. Matt. 16: 16. Prophetam Joh. 10: 11. 14. Sacerdotem v. 15. & cap. 17. Et Regem Ecclesiæ suæ Joh. 18: 36: 37. qui veniebat ad ministrandum, & ut animam suam poneret ἀντίλυτρον pro multis Mat. 20: 28. ut salvaret populum à peccatis eorum Matt. 1: 21. & ut novum cultum Evangelicum institueret diversum à veteri legali, tum quoad *locum*, quia nullum jam peculiarem selegit locum Deus, ut olim, ubi colatur, tum quoad *colendi modum*, quia vult coli *Spiritu*, absque carnalibus cæremoniis, *&* *Veritate* absque umbris Legis Mosaïcæ, idque quia *Spiritus est*, atque ideo cultu magis ad ipsius naturam accommodato.

3. In Prædictione futurorum. XI. Tertia pars est *Prædictio futurorum*, vel *generalis*, qualis est prædictio excidii Jerosolymæ, & finis mundi Matt. 24. vocationis Gentium Joh. 4: 21. & abrogationis cultus cæremonialis, ut locus fieret spirituali & Evangelico ibid. v. 23. Joh. 10 16. futuræ crucis & persecutionum fidelium ferè continuatum Matt. 24. Joh. 15: 20. & 16: 20. 22. quæ tamen prædictiones dulcissimis promissionibus temperantur de gratiosâ Christi, & Spiritus Sancti præsentiâ in mediis calamitatibus Joh. 14: 18. & 17: 9. de beato afflictionum exitu Joh. 16: 20. 22. Vel *speciales*, tum de suis passionibus, crucifixione, morte, & resurrectione Matt. 16: 21. & 26: 23. de discipulorum scandalo & fuga, Petri abnegatione, & martyrio, de Proditione Judæ, de adventu Pseudo-Christorum & Impostorum, ac falsorum Prophetarum. Quò pertinent etiam Prophetiæ Apocalypseos, in quibus Christus suggessit Servo suo ea quæ futura erant usque ad consummationem seculi, sive quoad certamina & calamitates Ecclesiæ, sive quoad ejus victorias & triumphos.

Modus Prophetiæ. XII. *Modus Prophetiæ* Christi in variis attenditur 1. In *docendi modo* duplici, tum *immediato* per se ipsum in diebus carnis suæ, tum *mediato* per Ministros suos, Tum ante Incarnationem per Prophetas in Vet. Testamento qui Spiritu prophetico Christi acti locuti sunt 1 Pet. 1: 11. & 2 Pet. 1: 21. Unde dicitur prædicâsse per Spiritum in Noacho 1 Pet. 3: 19. & si Deus dicitur tantùm locutus in Filio Heb. 1: 1. novissimis diebus, hoc intelligendum, *Hebr. 1: 1.* non simpliciter sed comparatè, id. sensibili ratione, & per eum ut ἔνσαρκον: Tum post adventum ejus per Apostolos & Pastores, illos quidem extraordinariè vocatos & inspiratos, cum dono infallibilitatis ad tempus. Istos verò ordinario hominum ministerio vocatos, & inspiratione communi tantùm donatos usque ad finem seculi. 2. *Externo* & *interno*, per quem, non extrinsecus tantùm aures corporis pulsabat per Verbum, sed & intus corda flectebat & aperiebat per Spiritum, & ducebat in omnem veritatem Joh. 16: 13. quo sensu verba Christi dicuntur *Spiritus & Vita* Joh. 6: 63. non tantùm

tùm respectu intelligentiæ verborum, quæ de carnis suæ manducatione dixerat, quæ non sumenda erant crassè & carnaliter, sed spiritualiter & mysticè, sed etiam respectu efficaciæ invictæ, quam exerit in conversione cordium. Unde Evangelium dicitur scribi non in tabulis lapideis, sed in *tabulis cordis carneis* 2 Cor. 3: 3. quod est privilegium N. Fœderis, in quo Deus debet scribere Legem in cordibus, & fideles sunt futuri θεοδίδακτοι Is. 54: 13. QUÆST. VII.

XIII. 3. In variis *Characteribus*, qui comitabantur ejus prædicationem, quia in docendo ubique summam *authoritatem* exerebat, quæ supremum & infallibilem Doctorem decet, & aliis Doctoribus inferioribus erat inusitata, docebat enim ὡς ἐξουσίαν ἔχων, non sicut Scribæ & Pharisæi Matt. 7: 28. 29. ut nemo posset illi resistere, & fateri cogerentur neminem ita locutum esse Joh. 7: 46. 2. admirabilem *sapientiam*, quâ doctrinam suam ita temperabat, ut à cavillis adversariorum eam vindicaret, & sæpe eos proprio gladio jugularet Matt. 22. cui adde divinam illam scientiam, quâ se καρδιογνώστην & futurorum præscium testabatur. 3. generosam *libertatem* citra προσωποληψίαν veritatem Dei docendo, & unumquemque officii sui monendo. 4. *facundiam* eximiam, per quam ex ejus ore fluebant λόγοι τῆς χάριτος Luc. 4: 22. & alios omnes eloquentiâ antecellebat, ut majestas cum simplicitate, & grandiloquentia cum suavitate certarent. 5. *invictam constantiam*, nihil morando Adversariorum authoritatem & molimina, quorum flagitia eò acriùs increpabat, quo magis sanctimoniæ larvam simplicibus imponere conabantur Matt. 23: 6. *ferventissimum zelum*, quo motus non quærit recessus, sed apertè loquitur, & capiendi cibi sæpe tempus prætermittebat Marc. 3: 20. & Joh. 4: 32. cujus exemplum dedit Joh. 2: 15. 16.

3. In variis characteribus.

XIV. 4. In *Efficacia doctrinæ* planè divinâ, quâ Christus exteriùs quidem docebat maximâ cum gravitate & majestate, per quam ipsi Auditores maximè commovebantur, & ejus prædicatio alia planè erat ab illa Scribarum Matt. 7: 29. interiùs verò se potenter insinuabat in animos, eosque miris modis afficiebat, alios convertendo, vel convincendo, & in omnes vim humanâ majorem exercendo Joh. 7: 46. Luc. 24. Unde colligitur necesse esse, ut vi divinâ sit præditus Propheta noster, cùm non modò nos luce perfundat, sed & oculos subministret, corda aperiat, & mentes cœlesti fulgore irradiet 2 Cor. 4: 6.

4. In efficacia doctrinæ.

XV. 5. In *Authentiâ* & *perfectione doctrinæ*, quæ talis fuit, ut post revelationem doctrinæ, quam Christus attulit, nulla alia in posterum sit expectanda, ut Apostolus Heb. 1. & 2. ostendit. Et si Spiritus post Christum docturus dicitur Ecclesiam, hoc non referendum est ad majorem perfectionem *extensivè* & *objectivè*, sed *intensivè* & *subjective*. Unde dicitur accepturus de doctrina Christi, *de meo accipiet*, inquit Christus Johan. 16: 14. quia non alia fuit docturus, quàm quæ à Christo

5. In Authentia, & perfectione doctrinæ.

QUÆST. VII. jam fuerant propoſita, & quæ pertinent ad Perſonam ejus & officium.

6. In vita ſanctitate, & miraculis.

XVI. 6. In *Vitæ Sanctitate*, & *Miraculorum patratione*, Doctrinam enim ſuam, non modò vitæ ſanctitate perfectiſſimâ, & patientiâ admirabili, ſed & variis ſtupendis miraculis ſancivit & confirmavit, tum ut divinitatem Perſonæ ſuæ aſſereret, tum ut veritatem doctrinæ ſuæ obſignaret. Nam, qui propriâ virtute tot & tanta edit opera totius naturæ creatæ vires ſuperantia; cum divinâ potentiâ inſtructum eſſe oportet, quippe qui opera quæ ſolus Deus facere poteſt, præſtat; Eundem Verba Dei loqui & conſtat doctrinam ἀυτόπιστον & divinam afferre cenſendum eſt. Nec enim ſummam potentiam mendacium decet, vel arbitrandum Deum virtutem ſuam commodaturum Impoſtori & Pſeudoprophetæ. Scio Adverſarios Chriſti multa reponere ad oppugnanda Chriſti miracula; Sed vana eſſe & falſiſſima oſtenſum ſupra Lo. 13. Qu. 2. Th. 18. 19.

Quomodo Christus differat ab aliis Prophetis.

XVII. Atque hinc non obſcurè colligitur diſcrimen multiplex, quod intercedit inter Chriſtum, & cæteros Prophetas. Nam illi fuerunt tantùm Miniſtri in domo Dei, qui nomine Chriſti loquebantur, & à quo mandata habebant. Sed Chriſtus Filius & Dominus Heb. 3. Ἀρχιποίμην 1. Pet. 5. 4. & ſupremus Magiſter, Doctor Doctorum, cujus Spiritu aguntur quotquot loquuntur, & qui ſolus audiendus, ut fidei arbiter, Matth. 17. 5. Illi externè tantùm prædicare poterant, ſed nihil ulteriùs, Johannes baptizat aquâ, Paulus plantat & rigat, ſed non poteſt addere incrementum; Ideoque *nihil* eſſe dicuntur 1. Cor. 3. 7. reſpectu virtutis & efficaciæ internæ. Sed Chriſtus & externè & internè operatur, Legem ipſam inſcribit in cordibus, & *baptizat Spiritu* & *igne* Matth. 3. 11. id. inſpirat internam efficaciam, & intus operatur per Spiritum ſuum agentem inſtar ignis, cujus eſt non modò purgare ſordes, & externam ſuperficiem lavare ut aqua, ſed & ad intima penetrare. Alii lumine divino illuſtrabantur, ſed per coruſcationem, & modum actus tranſeuntis, unde nec futura, nec arcana quoties libebat poterant revelare. Sed Chriſtus inſtar habitus permanentis, quô quoties voluit, uti potuit; quamvis quandiu fuit in terris, non ad omnia ſimpliciter futura pertineret, ſed ad ea quæ ratio ipſius officii, & ſalutis noſtræ exigebat, unde dicitur neſciviſſe diem judicii Marc. 13. 32. 4. Aliis Spiritus dabatur, ſed ad menſuram; Sed ἀμέτρως Chriſto datur Johan. 3. 34. Spiritus quieſcere dicitur ſuper ipſum cum omnibus donis ſuis Iſ. 11. 1. 2. theſauri ſcientiæ & intelligentiæ in ipſo ſunt abſconditi Col. 2. 3. Alii ad certum tempus vocantur, Chriſtus verò in æternùm.

Matth. 3. 11.

XVIII. Aliis πολυμερῶς & πολυτρόπως variis gradibus & modis Deus ſe patefaciebat, per viſiones, & ſomnia, per immediatas & arcanas inſpirationes, & varios alios modos, quibus vel vigilantibus, vel dormientibus ſe exhibebat, vel ſenſibus internis in phantaſia, vel externis oculorum, vel aurium,

vel

vel menti ipsi intellectuali repræsentatione, in raptu, & extasi. Sed Christus perfectissimè omnia novit, non quæ aliunde accepit, sed quæ ipse vidit & audivit in sinu Patris Joh. 1: 18. Unde revelatio, quæ facta est à Christo novissimis diebus, tanquam perfectissima, atque adeo ultima opponitur variis aliis revelationibus, quæ per Prophetas locum habuerant Heb. 1: 2. Quæst. VII. *Heb. 1: 2.*

XIX. Sed non cæteris Prophetis superior tantùm fuit Christus, sed & ipsum Mosem superavit, licet aliis longè præstantiorem & familiariùs cum Deo versantem, & quem Deus, non in visione & ænigmate, vel somnio alloquebatur, ut alios, sed *ore ad os*, id. coram & familiarissimè, ut amicus amicum alloquitur Num. 12:6. Similis quidem dicitur futurus Mosi Deuter. 18: 15. & *sicut ipse*, & talis fuit in variis. Moses & Christus statim ab ortu malè habentur, Mosem Pharao, Herodes Christum persequitur, Moses populum ex Ægypto, Christus ex peccato liberat, Moses Mediator fuit inter Deum & populum, Christus inter Deum & homines, uterque doctrinam suam miraculis confirmavit, uterque quadraginta dies jejunavit, uterque faciem divino splendore illuminatam habuit. Sed Christus tamen longè major Mose, iste fuit tantùm servus in domo Dei, sed Christus ut Filius & Dominus Heb. 3. Moses Legem, Christus Evangelium promulgat. Moses fuit simplex internuncius, sed Christus verus εἰρηνοποιός. Moses gloriam habuit in ministerio, sed καταργουμένην, qualis fuit splendor faciei ejus; Sed gloria Christi est constans & æterna 2 Cor. 3: 11. *Et nominatim à Mose.* *Num 12:6.* *Deut. 18:15.*

XX. *Objectum Muneris Prophetici*, quatenus Christus illud immediatè exercuit, fuerunt Judæi, quâ de causâ dicitur *Minister circumcisionis*, Rom. 15: 8. & profitetur se missum ad oves perditas domus Israel Matt. 15: 24. Quatenus verò illud mediatè exercet in Vet. Test. fuerunt iidem Judæi, Rom. 9: 4. exceptis paucis Ethnicis, qui ut primitiæ Gentium vocati sunt, quales Melchisedecus, Jethro, Rahab, Nahaman, & sim. Sed in Novo Testamento sunt omnes Gentes indiscriminatim, quæ vocantur ad communionem salutis. *Rom. 15: 8.*

QUÆSTIO VIII.

DE OFFICIO SACERDOTALI CHRISTI.

An Christus fuerit veri nominis Sacerdos, qui in terris Sacerdotium suum jam inchoaverit, An figuratè tantùm dictus, qui in cœlis demum post Ascensionem Munus suum impleverit? Aff. Pr. Neg. Poster. cont. Socin.

I. SEcunda Pars Officii Mediatorii Christi est *Sacerdotalis Dignitas*, quæ est basis omnium beneficiorum, quæ Christus per mortem acquisivit. De quo, quia variæ moventur à variis controversiæ, distinctè de iis agendum. Ut primò de Sacerdote dicamus. Deinde de Sacerdotio, quoad geminum ejus gradum, Satisfactionem scilicet, & Intercessionem.

Quid sit Sacerdotium Christi?

II. Sacerdotium Christi est functio Muneris Mediatorii, secundùm quam Christus ea peregit apud Deum, quæ pro peccatoribus erant peragenda, tum seipsum semel offerendo in victimam pro ipsis, tnm pro ipsis semper apud Patrem intercedendo. Cujus functionis quanta sit præstantia, vel hinc apparet, quòd nullum mysterium vel luculentioribus vaticiniis olim prædictum sit, vel frequentioribus typis adumbratum.

Status Quæstionis. De Christo Sacerdote.

III. Prima Quæstio nobis intercedit cum Socinianis, qui, licet Christum Sacerdotem oretenus confiteantur, reipsa tamen negant, dum Sacerdotium ejus ex proprio in figuratum mutant, ut ita faciliùs veritatem Satisfactionis ejus convellere possint. Sic mentem suam explicant *Catech. Rako*. de Munere Christi Sacerdotali, *Smalci*. li. de Divinitate Christi cap. 23. *Volkel*. li. 3. cap. 37. Primò negant Christum propriè fuisse Sacerdotem, sed tantùm ita dici figuratè & analogicè; Nec aliter differre hoc munus à Regno, quàm quod istud sit facultas, illud verò voluntas nobis subveniendi, quod ut Rex possit, ut Sacerdos velit etiam nobis opitulari. Secundò statuunt Sacerdotem non fuisse in terra, sed factum demum esse in cœlis, & mortem ejus non fuisse oblationem seu sacrificium veri nominis, sed præparationem quandam istius Sacerdotii in cœlis demum administrandi. Tertiò nullam expiationem peccatorum fecisse per sacrificium aliquod in terra oblatum, sed expiationem, quæ in cœlis peragitur, esse nostri liberationem, tum à pœnis, ne propter peccata damnemur, tum à peccatis ne iis serviamus.

IV. Orthodoxi verò constanter affirmant Christum esse veri nominis Sa-

Sacerdotem, & ejus Sacerdotium propriè dictum Sacerdotium, quod partim in terris peregit per oblationem Corporis sui, & verum ac reale sacrificium ad expiationem peccatorum nostrorum, partim in cœlis peragit intercedendo pro nobis, ut ita Sacerdotium à Regno distinguatur formaliter, illud oblatione sacrificii & intercessione constans, hoc gubernatione & defensione populi per oblationem acquisiti, quod distinctè probatur. QUÆST. VIII.

V. Primò. Quòd Christus fuerit veri nominis Sacerdos, qui propriè dictum sacrificium obtulerit patet. 1. Quia vocatur non semel Sacerdos Psalm. 110.4. Heb. 5.5. & passim cap. 7. 8. 9. 10. & accensetur Sacerdotibus propriè sic dictis Heb. 5.1. qui constituuntur ad offerenda donaria, & ad peragenda ea quæ fieri debent apud Deum. Nec obstat quòd contradistinguatur Sacerdotibus Leviticis. Hebr. 7. & 8. quia à negatione speciei ad negationem generis non valet consequentia. Hinc quidem elicitur Sacerdotium hoc differre à Levitico, & esse longè præstantius, sed malè quis inde concluderet, esse Sacerdotium improprium & figuratum. Imò quia eminet supra Sacerdotium Leviticum, debet esse maximè proprium & perfectissimum, quomodo Sacerdotium Melchisedeci non desinit esse verum Sacerdotium, licet longè differat à Levitico. 2. Quia actus Sacerdotales omnes illi tribuuntur, oblatio, & intercessio Heb. 7.26. & 9.24. & 10.7. 3. Quia typis variis fuit adumbratus, tum communibus, quales erant Sacerdotes Levitici, qui in variis deficiebant, tum singulari in Melchisedeco, qui peculiari ratione illum significavit, ut postea videbitur. Ut E. tales fuerunt veri Sacerdotes, verum etiam & propriè dictum Sacerdotem Christum esse necesse fuit. *Christum verum fuisse Sacerdotem probatur.*

VI. II. Quod in terra jam fuerit Sacerdos & non demum in cœlo, constat, tum ex eo quod in terra vocatus est ad Sacerdotium Matt. 3. 17. Heb. 5.5. Tum quia actus Sacerdotales in terra jam exercet per oblationem precum Johan. 17. Heb. 5.7.8. & sacrificium sui ipsius Ephes. 5.2. Heb. 1.3. & 10.6.7. in quo se dedit ἀντίλυτρον pro nobis, & expiationem peccatorum fecit, Tum quia Sacerdos, qui fuit typus Christi, non fiebat tum tantùm Sacerdos, quum ingrediebatur in Sanctuarium, sed jam erat Sacerdos ante oblationem victimæ, quod in Christo veritatem suam obtinere docet Apostolus Hebr. 9. 11. 12. Confirmatur ex natura Sacerdotii, quod constituitur ad dona & hostias pro peccatis offerendas Heb. 5. 1. At hoc non in cœlis, sed in terra fieri debuit, quia alibi hostiæ non offeruntur. Deinde ubi est verum sacrificium, ibi debet esse verus Sacerdos, At in Cruce verum oblatum est sacrificium, ex Apostolo Hebr. 7. 27. & 9. 25. 28. quod non potest referri ad oblationem intercessionalem, quæ fit continuò in cœlis. 1. Quia agitur de oblatione, quæ respondet oblationi victimarum, quæ fiebat sub Veteri Testamento per earum mactationem & sanguinis fusionem. 2. Et quia agitur de oblatione quæ facta est ἐφάπαξ, & *2. Et jam fuisse in terris.*

QUÆST. VIII.

& quæ in passione & morte Christi consistit, non de ea quæ continuò fit in cœlis, nec enim quod fit ad consummationem seculi, potest dici fieri semel. 3. De ea sermo est, in qua visibiliter apparuit, quod de diebus Carnis suæ in terra debet intelligi, non verò de ejus morâ in cœlis, in quâ nunc latet, donec ad judicium redeat. 4. Illa oblatio intelligitur, quæ antecedere debuit illius Sessionem ad dextram Dei, siquidem dicitur Heb. 10: 12. unâ pro peccatis oblatâ victimâ consedisse ad dextram Dei, ubi una oblatio opponitur Sessioni in perpetuum. At si oblatio ista consisteret in jugi comparitione Christi pro nobis, non amplius foret μία θυσία, sed θυσία æquè εἰς τὸ διηνεκὲς, ac ejus sessio. Nec posset dici ista sessio sequi istam oblationem, cùm in ea potissimùm consisteret.

3. Sacerdotium distingui à Regno.

VII. Tertiò, Quòd Sacerdotium distinguatur formaliter à Regno, nec consistat tantùm in voluntate generali nobis subveniendi, sed in voluntate speciali Corpus divinitus sibi aptatum offerendi in sacrificium pro peccatis nostris, patet. Quia licet Munus Regium & Sacerdotale in Christo amicè conspirent ad eundem finem communem, salutem puta hominum, functionibus tamen peculiaribus distinguuntur, ut inter homines differunt thuribulum, & sceptrum, infula, & diadema. Reges à Deo præficiuntur inter homines ad eos regendos, tuendos, & in officio continendos; Sed Sacerdotes pro hominibus constituuntur apud Deum, ut ei offerant dona & oblationes pro peccatis Heb. 5: 1. Ita actus formales Sacerdotii Christi sunt oblatio, & intercessio, Regni verò defensio, gubernatio, & liberatio Ecclesiæ. Rex agit in populum & adversus hostes, Sacerdos nomine populi ad Deum. Regni propria est potentia ad protegendos suos, & hostes vincendos. Sacerdotii verò justitia ad placandum Deum & Legi satisfaciendum. Unde typi Sacerdotii & Regni diversi fuerunt in Sacerdotio Levitico, & Regno Davidico. Perperam verò Sacerdotium constituitur tantùm in voluntate nos juvandi, quod non minus est Regni, quàm Sacerdotii; Cùm Scriptura expresè illud ponat in oblatione Corporis sui Heb. 10: 5. 6. 7. quam sequatur propriè dicta expiatio, quæ non fiat modò per peccatorum condonationem absolutâ quâdam potestate, sed per veram & propriam satisfactionem per sanguinem & mortem Sponsoris in terris factam.

Fontes Solutionum. Heb. 8: 4.

VIII. Quum Paulus ait Heb. 8: 4. *Christum, si in terris esset, ne futurum quidem Sacerdotem manentibus illis Sacerdotibus, qui secundum Legem dona offerunt*, Non negare vult absolutè Christum fuisse Sacerdotem in terra, quod prolixè asserit & confirmat c. 7: 9. & 10. sed hoc intelligit secundùm quid, de actu altero Sacerdotii ipsius, nimirum de apparitione & intercessione apud Patrem, quæ alibi quàm in cœlis fieri non potuit. Ita hoc ad tempus præsens quo loquebatur Apostolus pertinet, ut sensus sit, si nunc in terris esset Christus, non posset esse Sacerdos, siquidem in Vet. Test. Pontifex

non

non in Atrio semper hærebat, sed aliquando oportuit ipsum ingredi Sacrarium cum sanguine, nam si hoc non fecisset, non omnes partes officii sui implevisset. Sed non sequitur, si Christi ingressus in cœlum requisitus fuit ad continuationem vel consummationem ipsius Sacerdotii, requisitum fuisse ad ejus constitutionem; Imò contra in cœlum non fuisset ascensurus, nisi jam Sacerdos fuisset. QUÆST. IX.

IX. Licet Sacerdotium in terra compleri non potuerit; Non sequitur ibi non potuisse inchoari, Nec quæ pertinent ad Sacerdotium continuandum, continuò ad ejus constitutionem spectant. Aliud est non esse perfectum & consummatum ejus Sacerdotium in terris, quod concedimus. Aliud verè & perfectè non fuisse Sacerdotem jam in terra, quod negamus. Imò vel ad illa auspicanda jam de facto Sacerdos esse debuit. Aaron perfectè erat Sacerdos etiam tum quum subsistebat in Atrio, licet muneris partes omnes non implevisset.

X. Passio & Mors Christi debuerunt quidem præparatorie & antecedenter se habere ad Intercessionem, qui fuit alter Sacerdotii actus in cœlis peragendus. Sed non possent dici præparatio Sacerdotii in cœlo demum administrandi, cùm in ista morte propriè oblatio sacerdotalis & traditio Christi pro nobis posita sit.

XI. Heb. 5. 5. Non docetur quando constitutus fuerit Sacerdos Christus, sed à quo, nimirum à Patre, qui illum agnovit pro Filio. Notatur ergo divinitas Vocationis, non tempus. Nec si declaratio Sacerdotii Christi pertinet ad resurrectionem, statim negandum est eum jam antè fuisse Sacerdotem. Non confundenda enim res est cum ejus manifestatione. Cætera quæ huc pertinent possunt peti ex Disp. de Satisfact. P. VI. à Th. 19. usque ad 33. *Heb. 5. 5.*

QUÆSTIO IX.

De natura, & Unitate Sacerdotii Christi, & Cur dicatur secundùm Ordinem Melchisedeci?

Duplex Sacerdotium typicum figura Sacerdotii Christi.

I. SAcerdotii Christi natura & dignitas non meliùs potest cognosci, quàm ex collatione duplicis *Sacerdotii typici*, quo in Veteri Testamento adumbratum fuit, *Levitici* scilicet, & *Melchisedeciani*, quod utrumque ad Christum respexisse, & in ipso complementum suum obtinuisse indubium est: licet in posteriori longè perfectior ejus imago exhibita sit, quàm in priori; Unde secundùm ordinem Melchisedeci dicitur, non verò secundùm ordinem Aaronis.

Collatio, & discrimen Sacerdotii Levitici, & Christi.

II. Licet enim Sacerdotium Leviticum non alium in finem præcipuè institutum sit, quàm ad adumbrandum Christi Sacerdotium, & similitudo in variis attendi possit; Certum tamen istud longè esse illo augustius & per-

QUÆST. IX. sectius, & discrimen in pluribus occurrere, sive personarum, sive institutionis, sive efficaciæ, sive perfectionis, & durationis habeatur ratio.

1. Quoad Personas. III. Nam ad *Personas* quod attinet, Sacerdotes Levitici ex sola Tribu Levi desumebantur; Sed Christus ex Tribu Judæ oriundus fuit; Heb. 7. 13. 14. Illi meri homines, Iste verus & æternus Dei Filius. Illi peccatores, qui opus habebant offerre pro seipsis. Iste sanctus & immaculatus, qui pro nobis tantùm offerre debuit, & non pro se Heb. 7. 26. 27. ¶Illi differebant ab hostiis quas offerebant, & alieno sanguine expiationem facere debuerunt. Iste Sacerdos & Victima simul fuit, qui seipsum pro nobis tradidit, & proprium sanguinem in Sacrarium intulit æternam redemptionem nobis adeptus. Illi plures erant, quia singuli non poterant partes omnes istius muneris implere. Sed Christus, quia perfectissimè omnia per seipsum peregit, unicus est, qui nec Successore, nec Vicario eget.

2. Quoad Institutionem. IV. 2. Respectu modi *Institutionis* Licet enim utrumque à Deo sit institutum, diversa tamen longè fuit institutionis ejus ratio. Leviticum quidem sine juramento, Christi verò Sacerdotium μετ᾽ ὁρκωμοσίας Heb. 7. 20. 21. & Psalm. 110. 4. quatenus adhibita sacramenti religione æternum & ἀμεταμέλητον cœlestis Pater Christo sacerdotium pollicitus est. Illud κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς Hebr. 7. 16. *secundùm legem mandati carnalis*, id. variis adhibitis cæremoniis externis & corporalibus, quæ mutabiles essent, & abolendæ. Sed istud κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, *ex vi indissolubilis vitæ*, id. non ea lege & omine, ut paulò post moriturus Sacerdotium ad posteros transmitteret, sed cœlesti virtute per Spiritum S. consecratus, & ad immortalem vitam inauguratus, ut esset Sacerdos in æternùm.

Heb. 7. 16.

3. Quoad efficaciam. V. 3. Ratione *Efficaciæ*, Leviticum fuit ἀσθενὲς & ἀνωφελὲς, quod per se nullam vim habuit ad expiandum peccatum & purgandam conscientiam, Hebr. 9. 13. 14. & 10. 3. 4. Ideo Lex nihil consummasse dicitur Heb. 7. 19. At quod innumeræ non potuerunt victimæ sæpius oblatæ; Id præstat unica hæc Victima semel oblata Heb. 10. 10. Christi Sacerdotium efficacissimum est, tum ad justificationem per meritum infinitum justitiæ suæ, tum ad sanctificationem, per virtutem Spiritus. Unde rejectis Victimis omnibus legalibus in isto solo Sacrificio acquievit Deus Heb. 10. 6. 7. 8. & 1. Johan. 1. 7.

4. Quoad Perfectionem. VI. 4. Ratione *Perfectionis*, Quia enim Leviticum fuit inefficax, ideo imperfectum etiam fuit, eatenus ut sacrificia eadem quotannis, & quotidie iteranda essent, Heb. 10. 11. Sed quia Sacerdotium Christi valoris & efficaciæ fuit infinitæ, Ideo perfectissimum & absolutum omnibus numeris fuit, ita ut oblatio semel facta, iterari nec possit nec debeat, ut fusè docet Ap. Heb. 10.

5. Quoad Durationem. VII. Denique quoad *Durationem*, Leviticum enim temporale fuit, tum respectu ordinis; qui ad certum tantum tempus debuit dùrare, & postea aboleri Dan. 9. 27. Hebr. 7. 16. tum respectu Personarum, quæ mortales

cùm

cùm essent, non poterant diu durare, sed opus habuerunt successoribus, qui in locum defunctorum succederent, ut ab uno Sacerdotium transmitteretur ad alium. Sed ut Christus immortalis est & vivens in secula, Ita æternum & ἀπαράβατον habet Sacerdotium, in quo nec decessorem habuit, nec successorem, quodque non modò in terris administravit, sed & in cœlis perpetuò exercet semper vivens, ut interpellet pro nobis Heb. 7: 24. 25. QUÆST. IX.

VIII. Alterum Sacerdotium typicum, sed præcedenti longè præstantius, & à quo Sacerdotium Christi denominatur, est Melchisedecianum, cujus historiam breviter recitat Moses Gen. 14. Typum David uno verbo attingit Ps. 110: 4. & Apostolus fusiùs explicat in ep. ad Hebræos, quod argumentum cùm sit δυσερμήνευτον difficile explicatu Heb. 5: 11. nec aliunde quàm ab ipso fax nobis alluceat ad mysterii istius notitiam assequendam, in iis sine dubio acquiescendum nobis est, quæ Deus hoc loco nobis exposita voluit. *Sacerdotium Melchisedeci quodnam fuerit?*

IX. Ut verò de Persona aliquid dicamus, quamvis facilius sit dicere, quis non fuerit, quàm quis fuerit definire, Scripturæ silentio nobis hîc quodammodo silentium imponente, & fibulam curiositati nostræ injiciente. Primò κατ' ἄρσιν non possumus illis assentiri, qui Melchisedecum, non hominem, sed vel *Spiritum Sanctum*, ut Veteres nonnulli hæretici, qui *Melchisedeciani* propterea dicti, de quibus Epiphanius in Pana. hær. 55. & Sixtus Sen. Bibl. lib. 5. ann. 90. vel ipsum *Dei Filium*, se in hoc futuræ Incarnationis præludio sistentem Abrahamo, ut voluit Cunæus de Rep. Heb. l. 3. c. 3. Quia 1. non major est ratio symbolicè intelligendi quæcunque de eo recensentur Gen. 14. quàm quæ referuntur de aliis Regibus Cananæis. 2. Moses omne dubium nobis eximit, cùm ipsum à nomine, à sede, loco in Palæstina notissimo, ab officio, & ab actionibus tàm expresè describit. 3. Non posset dici Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, nisi ab ipso distingueretur, nec Melchisedecus ipse diceretur verè Filio Dei ἀφωμοιωμένος Heb. 7: 3. nisi à Christo ut typus à prototypo differret. Nec quod dicitur ἀπάτωρ & ἀμήτωρ evincit non fuisse hominem mortalem, quia hoc non absolutè, sed comparatè est intelligendum, non tam *positivè*, quasi fuerit simpliciter talis, quàm *negativè*, quia de eo Scriptura silet, ut postea dicetur. Nec aliâ ratione intelligendum quod dicitur Heb. 7: 3. manere *Sacerdos* in æternùm, quia unicus fuit, nec successorem habuit, & quod testimonium illi perhibetur *quòd vivit*, v. 8. quia Moses nec natales nec obitum ejus describens, videtur quodammodo eum proponere ut immortalem, ut vera & propriè dicta æternitas utcunque adumbretur. *Quis fuerit Melchisedecus.* *Heb. 7: 3.*

X. Secundò, Nec ad eos accedere possumus, qui putant fuisse *Semum* Noachi Filium, ut Judæi plerique censent, & visum est post Epiphanium Hieronymo, & aliis non paucis. Quia non posset dici ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, cùm ejus genealogia, ortus, & obitus tam accuratè recen-

Quæst. IX.

ſeantur. Nec ulla ratio dari poſſet cur Moſes nomen mutaſſet. Deinde Semo non ceſſit Canaan in hæreditatem, ſed Canaani Gen. 10:15.16. Denique nihil commune debuit habere Melchiſedecus cum Levitico genere; alias non minus decimas accepiſſet Levi in Semo, quam dediſſet in Abrahamo. Nec credibile eſt Avum in Nepote decimas accepturum, vel in Avi Patria & ſub illius oculis Patriarcham peregrinum dici potuiſſe. Hinc Joſephus & Philo ſententiam iſtam ſuorum gregalium apertè rejiciunt.

XI. Tertia ergo ſententia nobis hic ſola retinenda videtur, quæ ſtatuit Melchiſedecum verum hominem fuiſſe, ex hominibus ſatum, Regem Salem, qui tempore Abrahami vixit, & Regium munus cum Sacerdotali obtinuit. Ulterius verò, quærere, quis ille fuerit, eſt in illud inquirere, quod Deus à nobis ſciri noluit. Imò ſi hoc notum eſſet & perſpectum, typo & myſterio non fuiſſet locus, cujus omnis ratio inde pendet, quòd Deus non fruſtra tanti Viri genus, nativitatem, & mortem deſignari noluerit, quod ſolet ſedulò aliàs fieri, quoties agitur de Perſonis publicis, Sacerdotibus puta, aut Regibus. Nec ulla alia ratio reddi poteſt, cur id factum non fuerit, quàm ſpecialis myſterii ratio, quam Apoſt. in Ep. ad Hebræos proſequitur.

XII. Hoc ergo jam expendendum, ut vera ratio iſtius figuræ cognoſcatur. Ad cujus clariorem notitiam, Primò videndum, quid Pſaltes Pſ. 110. & ex eo Paulus c. 7. ad Heb. intelligant per τάξιν Μελχισέδεκ. Vox דברת quæ in Hebræo habetur, redditur à Paulo per τάξιν, quæ *ordinem*, *conſuetudinem*, ſeu *conditionem* notat, ut hic י ſit paragogicum, non affixum, ut Eccl. 3:18. דברת בני ארם *conditio rerum humanarum*: ita τάξις Ἀαρὼν, nihil aliud deſignat, quàm conditionem Sacerdotii Aaronici Lege præſcriptam, ut ex v. 16. colligitur, ubi quod dixerat κατὰ τὴν τάξιν, interpretatur, οὐ κατὰ νόμον, ἐντολῆς σαρκικῆς, *ſecundum legem mandati carnalis*, & quod dixit, κατὰ τάξιν Μελχισέδεκ, exponit κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, *ſecundum vim vitæ indiſſolubilis*. Ita nihil aliud notatur, quàm conditio Sacerdotii Melchiſedeciani, & convenientia ac ſimilitudo, quæ Chriſti Sacerdotio hac in parte intercedit cum eo, ut Apoſt. v. 15. exprimit κατὰ τὴν ὁμοιότητα, *ſecundum ſimilitudinem*.

Heb. 7:16. Quid ſit τάξις Melchiſedeci.

XIII. Similitudo autem iſta in variis ponitur ab Apoſtolo 1. In *Nomine*, quia vocabatur Melchiſedecus Rex Salem, quod, interprete Apoſtolo, ſignificat *Regem juſtitiæ*, & *Regem pacis* Heb. 7:2. quod utrumque Chriſto propriè convenit, qui eſt *Jehova juſtitia noſtra*, & *Princeps pacis* 2. In *origine*, quia Melchiſedecus nobis deſcribitur à Moſe, ut ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, & ἀγενεαλόγητος v. 3. non abſolutè & ſimpliciter, quaſi poſitivè talis eſſet, quod reſpuit communis hominum, ex quorum genere fuiſſe antea dictum eſt, conditio; ſed ſecundùm quid ratione deſcriptionis Moſaïcæ, quia de Melchiſedeco Moſes loquitur, ac ſi de cœlo delapſus fuiſſet, nullâ factâ mentione

Chriſtus cum Melchiſedeco convenit. 1. in nomine. 2. in origine. Heb. 7:3.

ortus

ortus vel interius, vel parentum ejus, ut per tale silentium utcunque adumbraretur vera Christi æternitas. Dicitur ergo ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, non in *natura*, ut homo naturalis, & filius Adæ, sed in *œconomia*, ut homo mysticus, & figura secundi Adæ, prout hic consideratur, non ratione generationis, sed commemorationis, quia de parentibus ejus nihil habetur in Scriptura. Item quòd *initio & fine vitæ careat*, quia de ejus nativitate, vel morte altum est in ea silentium. Quòd sit ἀγενεαλόγητος, quia genus ipsius nusquam describitur, *cujus nec pater, nec mater scripti sunt in genealogiis*, ut Syrus rectè exponit, id. cujus nec majores, nec posteri recensentur in Scriptura, ut dicatur à quibus sit ortus, vel quinam ab eo sint oriundi. Nam γενεαλογεῖν est genus & prosapiam alicujus recensere, ut apud Justi. Mart. γενεαλογεῖν θεοὺς est, *Deorum genealogiam texere*. Sed quæ umbraticè tantùm & imperfectè in illo occurrunt, In Christo verè & perfectè implentur, sive personæ, sive officii respectu. Nam quoad *Personam* verè fuit ἀπάτωρ quà homo, verè ἀμήτωρ quà Deus; Quoad *Officium* nec à Patre Sacerdote natus, nec à Matre, quæ à Sacerdotibus originem duxerit, nec ullum legitur habuisse vel decessorem, vel successorem in hoc munere, quomodo verè est ἀγενεαλόγητος. 3. Quoad *durationem*, quia proponitur ut immortalis, utpote cujus mortis nulla mentio fiat apud Mosem Heb. 7. 8. Sed hoc de Christo verissimè dicitur, quia Sacerdos est in æternùm juxta vim Legis indissolubilis Heb. 7. 16. *3. In duratione.*

XIV. 4. Quoad *Officium*, quia unita fuerunt in eo duo munera Regium & Sacerdotale, idem Rex hominum, Sacerdos fuit Dei Altissimi, quod in Vet. Testamento licitum non fuit, in quo Deus utrique illi officio limites suos ita circumscripsit, ut non posset una eademque persona, utrumque munus ordinariè gerere. Sed hoc in Christo verè impletum, qui ut Rex & Sacerdos nobis describitur Ps. 110. 5. Quoad *Dignitatem*, quia proponitur nobis ut Abrahamo superior, ex eo quòd benedixisse ipsi dicitur, benedictione scilicet solenni & sacerdotali, secundùm quam minor à majori benedicitur Heb. 7. 7. quod Abrahamus ipse publicè confessus est, solutis Melchisedeco decimis, quas Deo tantùm & ipsius Ministris debitas fuisse constat Gen. 28. 22. Ita Christus munus longè præstantius obtinuit supra Leviticum. Nec si Christus fuit ex Abrahamo oriundus, ut Levi, potest dici decimatus in ipso, ut Levi, quia ibi fuit tantùm secundùm carnem & humanam naturam, non verò secundùm personam, & naturam divinam, quæ hîc præcipuè attendenda. 6. Quoad *Unitatem*, quia Melchisedecus unicus proponitur, qui nec decessorem habuerit, nec successorem. Ita Christus unicus est Sacerdos Novi Testamenti, qui nec Vicariis, nec Successoribus eget, utpote in æternùm vivens, & Sacerdotium habens ἀπαράβατον opposité ad Sacerdotes Leviticos, qui quia infirmi erant & mortales, plures esse debuerunt Heb. 7. 22. 23. 28.

4. In Officio. *5. In dignitate.* *Heb. 7. 7.* *6. In unitate.* *Heb. 7. 22. 23. 28.*

Quæst. IX.

XV. Hæc sunt potissima similitudinis istius Capita, quæ ostendunt Sacerdotium Melchisedeci esse Levitico longè præstantius. Sed Pontificii negant in his rationem istius ordinis esse constituendam, sed quærendam in *Sacrificio incruento panis & vini*, quod offeratur quotidie in Missa ad instar oblationis Melchisedeci per ministerium Sacerdotum Novi Testamenti, qui in eum finem à Christo sint instituti. Nam nec benedictionem & decimationem posse discrimen istud constituere, cùm utraque fieret à Sacerdotibus Leviticis, nec ejus unitatem & successionis carentiam, quia & Abeli nemo successisse legitur, nec Jobi aut Eliæ genus recensetur. Sed frustra sunt qui ita ratiocinantur. 1. Quia licet ista, quæ Melchisedeco tribuuntur, possent divisim in aliis inveniri, nuspiam tamen nisi in ipso conjunctim deprehenduntur. 2. Benedictio, & decimatio in genere pertinuit etiam ad Sacerdotes Leviticos, sed non eo modo, quò tribuuntur Melchisedeco, dum ipsum Abrahamum, & in eo Levitas ipsos decimâsse & benedixisse, ut superior inferiores, dicitur. 3. Abel non potest dici ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, nec Jobi & Eliæ genus absolutè reticetur, præterquam quòd isti non fuerunt Sacerdotes, de quibus hîc agitur.

An dentur multi Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedeci? Negatur.

XVI. Sed videamus ulterius, quàm falsò obtrudatur Sacerdotium aliquod Novi Testamenti secundùm ordinem Melchisedeci, quod excerceatur à Ministris Christi in Sacrificio Missatico. Hoc verò non obscurè colligitur ex variis. Primò quia in eo discrimen constituitur ab Apostolo inter Sacerdotium Leviticum & Melchisedecianum, quòd illi quidem plures essent, tam simul, quàm successivè; Iste verò unicus sit, qui nec socium debuit habere, nec successorem, *Et illi quidem*, inquit Apost. Heb. 7. 23. 24. *plures erant juxta Legem, quia per mortem non poterant durare, sed iste quia in æternum manet, Sacerdotium habet* ἀπαράβατον, quod sanè dici non posset, si Sacerdotium Melchisedecianum plures haberet mortales & infirmos Sacerdotes sibi succedentes, non secus ac Sacerdotium Leviticum.

Heb. 7. 23. 24.

XVII. Nec juvat hîc reponere cum Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 25. *Paulum quidem excludere Sacerdotes ejusdem ordinis & dignitatis, sed non Sacerdotes inferiores, qui respectu Christi sint reipsa Ministri. Neminem quidem succedere posse Christo in eodem ordine, quia vixit in æternum, sed nihil obstare quominus sub illo alii instituantur, ut ejus Vicarii & Ministri, ut licet Christus sit unicus Pastor & Doctor noster* Matth. 23. 8. *possunt tamen sine ejus præjudicio alii Doctores inferiores & Pastores dari.* 1. Quia hæc distinctio apertè in os contradicit Apostolo dicenti Hebr. 7. 24. Sacerdotium Christi esse ἀπαράβατον, id. non modò perpetuum, sed quod ad alium non possit transmitti. At si plures essent Sacerdotes secundarii, haberent Sacerdotium participatum à Christo ad ipsos transmissum. 2. Repugnat etiam typo; Nam Sacerdotium Melchisedeci tale fuit, ut nullos ha-

Heb. 7. 24.

habuerit adjunctos, sive ut Successores, sive ut Vicarios, & Sacerdotes secundarios, sed in uno Melchisedeco fuerit inclusum, excluso quolibet alio. Cùm ergo Christus sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, debet esse unicus, ut nemo ipsi in hoc munere possit adjungi quocunque nomine, aut prætextu, socius, successor, aut Sacerdos secundarius. Si enim figura restringitur ad unam personam, cur non potiori jure veritas? Et si ex eo quòd Melchisedec nullum successorem habuit, bene colligitur nec Christum ullum habere, Cur non pariter ex eo quòd nullum inferiorem habuit, concluditur pariter Christum nullos habere? Confirmatur ex eo, quod in vocatione Aäronis semper fiat mentio filiorum, & posterorum ejus, sed respectu Melchisedeci fiat tantùm mentio personæ ipsius, non aliâ certè de causâ, quam ut ostendatur Sacerdotium Aaronicum *uni Familiæ*, sed Melchisedecianum *uni Personæ* destinatum esse. 3. Sacerdotes isti secundarii, vel sunt ejusdem speciei cum primario, vel diversæ, sed neutrum dici potest. Non posterius, quia sic diversum oporteret esse sacrificium, quod offerrent, à Christi Sacrificio, quod Adversarii nolunt. Non prius, quia sic deberent Reges & Sacerdotes esse, ἀπάτορες, ἀμήτορες, ἀγενεαλόγητοι, & habere Sacerdotium perpetuum & ἀπαράβατον, quod ad alium non transmitteretur, & in quo nec decessores, nec successores haberent, & similia, in quibus ordo iste Melchisedeciani Sacerdotii consistit ex Apostolo. Quod nemo non videt de illis dici non posse. Rursus deberent constitui cui juramento, & per vim vitæ indissolubilis, ut Christus, esse puri & immaculati, qui non opus habeant offerre pro seipsis, sed tantùm pro populo, qui essent ipsi Sacerdotes & victimæ, qui semel tantùm offerrent, non quotidie, qui per mortem non prohiberentur manere, qui in vero Sanctuario nimir. cœlo possent ministrare, ut de Christo dicitur, quod quàm alienum sit ab ipsis, per se patet. 4. Si non dantur sub N. Test. Sacerdotes ejusdem dignitatis & ordinis cum Christo, quia ratio propter quam plures fiebant sub Lege nulla est, nimirum *moriendi necessitas*: Ita nec plures dari possunt inæquales & secundarii, quia ratio propter quam plures erant sub Lege cessat, nimirum *infirmitas*, quia unus non poterat sufficere tot functionibus obeundis. Ideo plures debuit habere suffraganeos, qui illum sublevarent. Sed neutra ratio locum habet in Christo immortali, & perfectissimo, qui proinde nec per mortem prohibetur durare, nec per infirmitatem impar est tanto muneri, quæ Apostoli est ratiocinatio Heb. 7: 23. 24. 28.

QUÆST. IX.

Heb. 7: 23. 24. 28.

XVIII. Nec contrarium evincere potest instantia, petita à Prophetia Christi, quæ potest admittere Pastores & Doctores secundarios, licet Christus maneat semper supremus Pastor & Doctor Ecclesiæ. Quia alia ratio est Prophetiæ, quæ agit nomine Dei apud hom ines, alia Sacerdotii, quod nomine hominum apud Deum: Quoad illam Christ us in cœlis manens requirit Ministros,

QUÆST. IX. ſtros, qui præſentiam ſuam corpoream ſupplentes homines viſibibiliter alloquantur, & ſæpius doceant, ſed quoad illud, cùm Chriſtus ſemper adſit Patri, & Sacrificium ſemel oblatum infinitæ ſit virtutis, non requirit Miniſtros, qui ejus loco ſacrificent. 2. Chriſtus, qui ſe ſummum Doctorem noſtrum vocat, Apoſtolos inſtituit & Miniſtros, qui prædicarent Mat. 28. 19. Eph. 4. 11. ſed nuſpiam Sacerdotes inferiores inſtituiſſe legitur. 3. Paſtores inferiores ſub Chriſto non repugnant ulli typo, quod faciunt Sacerdotes ſecundarii. 4. Quum Chriſtus unicus Doctor vocatur excluſivè ad alios omnes debet intelligi, quia docet externè & internè, & quia attulit nobis Evangelium cœlitus, ita ut nihil doceant Paſtores, quod non acceperint ab ipſo, quod nulli mortalium convenire poteſt. Sed hoc de Sacerdotio dici nequit, quia ex hypotheſi Adverſariorum Sacerdotes debent eſſe ejuſdem ordinis cum Chriſto.

2. Non eſt inſtitutum à Chriſto.

XIX. Secundò, Quia Sacerdotium iſtud nuſpiam inſtitutum legitur in Novo Teſtamento, nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis. Paulus quidem varios ordines recenſet Munerum ſacrorum, tum ordinariorum, tum extraordinariorum, Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4. Sed de Sacerdotibus Novi Teſt. altum apud illum ſilentium. An credibile eſt Paulum, qui tam accuratè exponit quæcunque pertinent ad ſacrum Miniſterium etiam minutiora & minus neceſſaria, ut videtur in Epiſto. ad Timoth. & ad Titum, omiſſurum fuiſſe hanc Muneris iſtius ſpeciem & partem, quæ præcipua eſt & primaria, & præ quâ cæteræ exigui videntur momenti? Ita Chriſtus vocat quidem ſuos ad Apoſtolatum & Miniſterium, ut doceant, Evangelium prædicent, & Sacramenta adminiſtrent; Sed ut Sacerdotali munere fungantur, & ut ipſum quotidie offerant in ſacrificium ἱλαςικὸν, nuſquam præcipit. Nec eò pertinere poteſt quod in inſtitutione Euchariſtiæ, jubet diſcipulos *hoc facere in ſui commemorationem*, quia hoc ad omnes fideles reſpicit Interprete Paulo 1. Cor. 11. 26. qui exponit per edere panem, & bibere poculum, *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & biberitis hoc poculum, annunciabitis mortem Domini* &c. Unde Bellarm. lib. 4. de Euch. cap. 16. agnoſcit hoc commune eſſe omnibus Chriſtianis. Deinde inauditum eſt eadem verba duobus diverſis, & à ſe valde ſeparatis ſacramentis inſervire poſſe, quod hîc fieret, nimirum ad Euchariſtiæ, & Sacerdotii inſtitutionem. 3. Gratis ſupponitur τὸ *facere*, hîc poni pro *ſacrificare*, quo nihil alienius eſſe poteſt à mente Chriſti, qui hîc nec ullum ſacrificandi ritum obſervaſſe legitur, nec Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ut ſuo loco fuſiùs oſtendetur.

1. Cor. 11. 26.

3. Sacerdotium hoc nulli homini poteſt competere.

XX. Tertio, Quia Sacerdotium hoc ſecundùm ordinem Melchiſedeci, iis characteribus & notis inſignitur, quæ nemini niſi Chriſto competere poſſunt; Ut quòd Sacerdos ſit vocatus & conſtitutus à Deo cum juramento Heb. 7. 21. qui non opus habeat offerre pro ſeipſo, ſed pro populo Heb. 7. 27. qui non ſæpius, ſed ſemel tantùm, non alienum ſanguinem, ſed proprium offerre de-

debuerit, ad tollendum peccatum Hebr. 9. 26. qui per proprium sanguinem æternâ redemptione peractâ in cœleste Sacrarium debuit ingredi Heb. 9. 12. qui in æternùm vivens perfectè posset servare accedentes ad Deum per ipsum Heb. 7. 25. Denique qui ad hæc omnia præstanda purus esset, impollutus, segregatus à peccatoribus Heb. 7. 26. QUÆST. IX.

XXI. Quartò, Quia Apostolus, qui tam sollicitè agit de convenientia Sacerdotii Melchisedeciani & Christi, verbum nullum facit sacrificii istius incruenti, seu oblationis panis & vini, in qua præcipuè sitam esse volunt istam similitudinem, quod non fuisset omissurus, si in eadem fuisset cum Pontificiis sententia. Nec hîc dicendum cum Bellarmino, vel hoc non fecisse ad propositum Apostoli, quod erat excellentiam Sacerdotii Christi extollere supra Leviticum. Nam si Apostolus intendebat Sacerdotii istius duplicis collationem instituere; An potuit vel debuit potissimam ejus partem omittere? Vel mysterium Eucharistiæ altius fuisse, quàm ut ab Hebræis percipi posset, quod Apostolus vocat δυσερμήνευτον Heb. 5. Nam si hæc ratio valeret, nihil debuit dicere de tot aliis mysteriis non minus arduis, imò longè difficilioribus mysterio Eucharistiæ, verbi gratiâ, de Divinitate Christi, de ejus Incarnatione, Sacrificio *&c.* Imò cap. 6. 1. testatur Apostolus, non debere Hebræos hærere in rudimentis Religionis, sed relicto sermone principii tendere ad perfectionem.

4. Quia Paulus de eo non loquitur.

XXII. Quintò, Quia sic Sacerdotium Aaronicum & Melchisedeci non differrent hac in parte, ut proponuntur tamen ab Apostolo, tanquam diversissima, siquidem in illo etiam occurrebat oblatio panis & vini, ex Exod. 29. 24. Lev. 2. toto Num. 28. 5. 12. ubi oblationes Similæ præcipiuntur, non tantùm ut pars quædam sacrificii alterius, vel illius condimentum, verùm etiam ut oblatio per se, ex Lev. 2. 1. 2. Imò Melchisedecianum infra Leviticum abjiceretur, si quod illic partem sacrificii, hîc totum sacrificium constituit. Nec juvat reponere Sacerdotium Melchisedecianum in eo differre à Levitico, Quòd istud quidem omnis generis sacrificia offerret cruenta & incruenta; Illud verò solum incruentum. Nam tantùm abest, ut ulla inde præstantia accedat Melchisedeciano, ut contrà Leviticum longè excellentius eo ipso censendum esset. Adde quod Christus sic potius dicendus esset Sacerdos secundùm ordinem Aaronis, quàm Melchisedeci, siquidem utrumque hoc sensu & cruentum & incruentum obtulit, cruentum in Cruce, incruentum in Eucharistia.

5. Quia non differunt Sacerdotium Aaronis, & Melchisedeci hac in parte.

XXIII. Nihil habetur Gen. 14. in historia Melchisedeci, unde colligi possit eum sacrificium incruentum panis & vini Deo obtulisse. Nec quod dicitur de *prolatione panis & vini* facta Abrahamo reduci ex cæde Regum eò pertinet. Quia non agitur de functione Sacerdotali, sed de munificentia Regia, quâ milites Abrahami defatigatos reficere voluit, & amicum victorem regio epulo excipere, ut

Fontes solutionum. *Gen. 14. 18.*

QUÆST. IX.

Veteribus hoc moris fuiſſe, redeuntibus ex prælio, & victoria potitis panem & vinum offerre ad eos refocillandos, notat Fagius in Gen. 14. & exemplum occurrit Jud.8:5. ubi incolæ Succoth obviam eunt Gedeoni poſt debellatos Madianitas cum pane. Sic ex ſtylo Heb. *panis* omne genus ciborum ſignificat, & *edere panem*, cum aliquo eſt ad menſam aſſidere & convivari. Non aliam eſſe mentem Moſis hoc in loco probatur 1. ex verbo הוציא quod eſt *proferre*, *in medium afferre*, *educere*, *extrahere*, non verò *offerre*. Unde LXX. illud vertunt paſſim per ἄγειν, ἐξάγειν, ἐκφέρειν, & nunquam per θύειν. Nec alio ſenſu poteſt ſumi Jud.6:18. Imò ſi alicubi in Scriptura acciperetur pro actione ſacerdotali, non ſequeretur, & hîc pariter ita ſumendum eſſe. 2. Rei natura hoc poſtulat, quia oblatio ſacrificialis poſtulat altare aliquod in eum finem erectum, cujus nulla apud Moſem mentio, ut alibi ſollicitè hoc Moſes refert, quoties de ſacrificio Noachi, Abrahami, Jacobi, & aliorum loquitur. Unde patet oblationem iſtam non factam eſſe Deo in ſacrificium, ſed Abrahamo in convivium. 3. Sic exponit Joſeph. lib. 1. Antiq. c. 11. ἐχορήγησε δὲ οὗτος ὁ Μελχισεδὲκ τῷ Ἀβραάμου στρατῷ ξένια, καὶ πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων παρέσχε. *Subminiſtravit hic Melchiſedec Abrahami exercitui dona, & magnam rerum neceſſariarum copiam præbuit.* LXX. reddunt per ἐξήνεγκε, & in multis codicibus nominatim Complutenſi additur exegeticè αὐτῷ *ipſi*, ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον, *produxit ipſi panem & vinum.* Ita reddit Onkel. Vulgata, quæ Pontificiis eſt authentica, habet *protulit.* Ita ſentire Hebræos veteres notant Hieron. ad Evagri. & Ambroſ. in h. l. Cajetanus fatetur nihil hîc ſcribi de ſacrificio ſive oblatione, ſed de prolatione & extractione panis & vini, quam Joſephus dicit factam ad reficiendum victores.

XXIV. Inſtantiæ, quæ ab Adverſariis afferuntur, contrarium non evincunt. 1. Quòd cauſa oblationis ſtatim reddatur petita à Sacerdotio, dum additur, *Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi.* Quia ו quod eſt in Heb. non eſt particula cauſalis, ſed copulativa, ut redditur à Pagnino, Montano, Vatablo, & LXX. ἦν δὲ ἱερεὺς; Nec pertinet ad antecedentia, ut ratio reddatur, cur protulerit panem & vinum; cùm id fecerit quà Rex amicus & fœderatus, ſed ad ſequentia, ut intelligatur quo jure benedixerit Abrahamo, & ab eo decimas acceperit. Nec ſi Sophpaſuch additur, oſtendit finiri orationem, ſed tantùm verſum, ut alibi fieri ſolet non ſemel Pſ. 95:7.8. Gen.23:17.18. Ier.33:10.11. 2. Nihil opus fuiſſe panem & vinum militibus Abrahami cibandis deſtinari, quia ex præda jam erant ſaturi v. 24. Quia non ſequitur, ipſo Pererio judice ad Gen. 14. *Parum*, inquit ille, *in hac confutatione videtur eſſe roboris, quia vel hoc neſcivit Melchiſedec, vel ſi ſcivit, voluit nihilominus eo munere ſuam erga Abrahamum benevolentiam, & ex victoria ejus ſingularem lætitiæ ſuæ voluptatem declarare.* Adde quod ſpolia omnia non ſunt eſculenta, quæ deglutiri

glutiri possint. 3. Nuspiam alibi fieri mentionem sacrificii Melchisedeci, ejusque ritum describi nisi hîc; Ergo verba ista bene huc trahi, vel si ad convivium referuntur, esse convivium sacrum & religiosum ad probandam suam communionem in veri Dei cultu, ut fieri solebat post sacrificia. Sed non necesse fuit Mosem agere de Sacrificio Melchisedeci magis, quàm de ejus genealogiâ & parentibus. Nam, præterquam quod Sacerdotium latiùs patet sacrificio, cùm orare & benedicere ad illud pertineat; Scopus Spiritus Sancti non fuit recensere omnes actus Sacerdotii Melchisedeci, sed eos tantùm in quibus præstabat Sacerdotibus Leviticis, quod non potuisset fieri per Sacrificii rationem, quod commune fuit ipsis. Quid quod mysticum potuit esse Scripturæ silentium in hoc ut in aliis, ut innueretur Christum nihil habuisse extra se, qno sacrificium notaretur, quia debuit esse Sacerdos & Victima. Quod verò additur de convivio sacro & religioso, quod secutum fuerit ejus sacrificium, ut prius sacrificati fuerint panes, quàm Abrahamo appositi, mera est suppositio, cujus nec vola nec vestigium apud Mosem occurrit. Imò ἀσύςατα ponit; Cùm enim sacrificium teste Bellarm. destructionem afferat rei sacrificatæ, si panis & vinum semel destructa sunt in sacrificio, quomodo idonea possunt esse quæ ab hominibus participentur? pecudum quidem caro potuit comedi post immolationem earum, in qua destructionem sui, id. mortem patiebantur. Sed idem de inanimatis dici non potest, quæ destrui non possunt, nisi quum vel flammis absumuntur, vel effunduntur, ut in cibum amplius apponi non possint.

Quæst. IX.

XXV. Sacerdotii æternitas, non infert statim perpetuitatem oblationis sacrificii, quasi otiosum esset Sacerdotium, si sacrificium continuò ab ipso non offeratur. Sed sufficit ut sacrificium sit perpetuum ratione efficaciæ & continuæ applicationis. Ita Sacrificium Christi semel oblatum, quod actu oblationis cessavit, perpetuò tamen durat ratione virtutis & valoris æterni, quia sanguis ejus est semper vivus & recens coram Deo. Licet ergo sacrificii actus in terris cessaverit, non propterea Sacerdotium est otiosum, cùm Sacerdos non instituatur tantùm ad offerendum, sed etiam ad intercedendum, & alias functiones obeundas; imò si Christus adhuc esset in terris, ne Sacerdos quidem esset Heb. 8: 4. Nec necesse est ut Sacerdos habeat semper aliquid, quod offerat novi, Heb. 8: 3. modò aliquando obtulerit; ut Sacerdotes Levitici peracto sacrificio non desinebant esse Sacerdotes: Vel si oblatio quædam requiritur, non est semper sacrificii iteratio, sed efficacissima repræsentatio per intercessionem, ad instar Sancti Sacerdotis, qui peractâ oblatione in Tabernaculo in Sancta Sanctorum sanguinem expiationis inferebat intercessurus pro populo.

XXVI. Cùm Apostolus dicat Christum Sacerdotem esse in æternùm

 absque

absque ulla mentione sacrificii, non potest Sacerdotii æternitas in eo consistere, sed ad tres alias causas refertur ab Apostolo. Primò ad *Personæ æternitatem*, quia Christus ut Filius Dei in æternùm vivit Heb. 7. 3. 16. 17. 2. ad *sacrificii virtutem & efficaciam*, quæ semper durat, & ad omnes cujuscunque temporis fideles pertingit Heb. 7. 25. & 10. 10. 19. 3. ad *intercessionis perpetuitatem*, quia semper vivit ad interpellandum pro nobis Heb. 7. 25.

XXVII. Religio Christiana non potest esse sine sacrificio aliquo externo & visibili, quo semel placata sit Dei ira, & peccatum expiatum; sed non necesse est ut sacrificium illud externum quotidie offeratur; sufficitur ut semel oblatum, vim & efficaciam æternam habeat, quod in Christi Sacrificio occurrit.

XXVIII. Sicubi apud Prophetas Sacerdotes & Levitæ dicuntur futuri sub Novo Testamento, vel refertur ad Sacerdotium spirituale & mysticum, quod commune est omnibus fidelibus, per quod facti Sacerdotium regium debent offerre hostias spirituales gratas Deo per Christum 1. Pet. 2. 5. Rom.
Isa. 61. 6. 12. 1. Hebr. 13. 15. quo sensu Is. 61. 6. dicitur, *Fideles vocandos esse Sacerdotes & Ministros Dei.* Vel intelligitur Ministerium Evangelicum, quod phrasi legali exprimitur, propter utriusque analogiam, quia ut Ministerio Sacerdotum Deus utebatur ad conservandam divini cultus rationem; Ita in Ecclesia Christiana uti vult Ministerio sacro, quo Electi ad Christum adducantur, & adducti in ejus cultu constanter perseverent. Sic intelligendus lo-
Isa. 56. 21. cus Isa. 56. 21. ubi ait *assumturum Deum ex Gentibus Sacerdotes & Levitas*, id est, Ministros sacros; Ut verò Levitæ propriè hìc non sunt intelligendi, qui sint ex Tribu Levi; Ita nec vox Sacerdotis propriè, sed mysticè intelligenda est.

XXIX. Si Veteres Sacerdotum nomine solent insignire nonnunquam Evangelii Ministros; Non ideo fit ab ipsis, ut aliquod reale & propriè dictum sacrificium externum præter sacrificium cruentum Christi in Cruce oblatum in Ecclesia dari significent; nam eo nomine non rarò solent & fideles ipsos sæpius designare. Sed duplici potissimùm de causa. Primò, quia Ministri sese consecrant ad opus Ministerii. Secundò, quia Evangelii prædicatione defungentes, populum Dei quasi mactant, & offerunt Deo in hostiam εὐπρόσδεκτον
Rom. 15. 16. τῷ Θεῷ, quò respicit Paulus Roman. 15. 16. quum ait se ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον, ut *oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum.* Ut ita sacrificium sit aliquod, sed mysticè & figuratè dictum, non proprium & visibile.

XXX. Distinctio oblationis cruentæ & incruentæ est ἀσύστατος. Nam si Christus non tantùm semel cruento, sed incruento etiam sese obtulit, & quotidie offertur sacrificio; non unicum, sed plura ejusdem Christi sunt sacrificia, contra expressa Scripturæ loca Heb. 9. 25. & 10. 10. 14. 2. Sic cadit Apostoli argumentum concludentis Christum sæpius passurum fuisse, si sæpius se of-

offerre necesse habuisset. 3. Repugnat Oraculo Paulino testanti sine sanguinis effusione non dari remissionem peccati Heb. 9: 22. Unde cùm sacrificii propria qualitas fuerit esse cruentum, quisquis incruentum aliquod statuit Christi sacrificium, eo ipso verum sacrificium Christi negat. QUÆST. IX.

XXXI. Sacrificii jugis ablatio, de qua Dan. 8: 11. agitur, historicè & quoad literam ad Antiochi persecutionem referri debet, qui Templum profanavit, & cultum legalem, & inprimis sacrificium juge cessare fecit; mysticè verò, si ad Anti-Christum referatur, sacrificium juge non potest ad Missam pertinere, quia fuit sacrificium cruentum, quod quotidie bis solebat offerri, & in uno tantùm loco, quod de Missa dici nequit. Sed ad Sacrificium ipsum Christi, quod continuò præsens est Deo ad propitiationem, & fidelibus ad consolationem, & quod per Anti-Christum revera ablatum potest dici, per sacrificii Missatici cum eo ἀσυςάτυ institutionem. Dan. 8: 11.

XXXII. *Oblatio munda*, de qua Mala. loquitur cap. 1: 11. non magis potest ad sacrificium propriè dictum, quod in oblatione panis & vini consistat referri, quàm *suffitus*, de quo ibidem fit mentio. Ut verò constat per istum suffitum mysticè intelligendas esse preces & laudes fidelium, quæ sæpe hac voce designantur Psalm. 141: 2. Apo. 5: 8. Ita per oblationem mundam nihil aliud notatur, quàm spiritualis cultus Dei inter Gentes præconio Evangelii instituendus sermone cultui legali accommodato, ut passim alibi Rom. 12: 1. & 15: 16. 1 Pet. 2: 5. Phil. 4: 18. Mal. 1: 11.

QUÆSTIO X.

DE NECESSITATE SATISFACTIONIS.

An necesse fuerit Christum pro nobis satisfacere Justitiæ Divinæ? Affir. cont. Socin.

I. UT Sacerdotium Christi juxta descriptionem Apostoli, & Levitici adumbrationem duabus præcipuè partibus absolvitur, ἱλασμῷ seu *Satisfactione* datâ pro nobis in Cruce, & ἐμφανισμῷ, seu *Comparatione & Intercessione* pro nobis in cœlo 1 Joh. 2: 2. Heb. 9: 12. Doctrina de *Satisfactione Christi*, ut primaria & potissima pars magni mysterii Pietatis, & præcipuum fidei & spei nostræ fundamentum, ante omnia adstrui, & adversus ignita Satanæ tela, quibus ab innumeris Adversariis impeti solet, vindicari & confirmari debet.

QUÆST. X.

II. Quicquid de ea in controversiam venit, ad quinque capita referri potest. 1. ad *Necessitatem ejus*. 2. ad *Veritatem*. 3. ad *Unitatem* & *Perfectionem*. 4 ad *Modum & Partes*. 5. ad *Objectum*, de quibus distinctè totidem quæstionibus dicendum erit.

Quo sensu Satisfactio sumatur hic.

III. *Satisfactio* de quâ hîc quæritur, non sumitur *latè* pro simplici & qualicunque *offensæ reparatione*, quum aliquis se purgat & excusat apud eum, qui offensam aliquam passus est. Sed *strictè* pro *solutione debiti*, quâ solvitur quod alius debet, & quâ satisfit Creditori, vel Judici, debitum, vel pœnam repetenti.

Status Quæstionis. De ejus Necessitate.

IV. De *Necessitate Satisfactionis* tres sunt præcipuæ Theologorum sententiæ. Prima *negantium* simpliciter, quales sunt Sociniani, qui non modò Christum satisfecisse pro nobis negant, sed & non opus eâ fuisse contendunt, siquidem Deus gratis & possit & velit peccata remittere sine satisfactione. Socin. de Serva. lib. 1. cap. 1. Secunda *distinguentium* necessitatem *absolutam & hypotheticam*, & quoad istam quidem, asserentium constanter contra Socinianos Satisfactionis necessitatem, quia Deus hoc ita decrevit, cui addunt & *necessitatem congruentiæ*, quia maximè congruum erat satisfieri justitiæ divinæ, ne impunè violari dicerentur ejus Præcepta; Sed quoad illam negantium ita necessariam fuisse absolutè, quia, si Deo libuisset, alii modi liberationis possibiles non illi defuissent: quâ in sententiâ videtur fuisse Augusti. lib. 13. de Trini. cap. 10. Et nonnulli ex Nostris, maximè qui ante Socinum scripserunt. Tertia *affirmantium* qui necessitatem absolutam ita statuunt, ut Deus non modò noluerit peccata nobis remittere sine satisfactione, sed ne potuerit quidem per Justitiam. Quæ communis est Orthodoxorum sententia, quam sequimur.

V. Quia verò multifariam hîc peccatur ab Adversariis, ex perversâ sententiæ nostræ explicatione: Quædam præstruenda sunt in antecessum fundamenta, ex quibus tota de Satisfactione Christi doctrinâ faciliùs percipi poterit, & lux magna, tum huic quæstioni, tum sequentibus inferetur. Ista verò respiciunt, vel *peccatum*, pro quo satisfactio requirebatur, vel *Satisfactionem* ipsam, quæ danda fuit, vel *Deum* cui satisfactio præstanda fuit, vel *Christum*, qui satisfacere debuit.

VI. Primò *Peccatum*, quod reatum post se trahit, quo exosi Deo reddimur, & pœnæ debitores constituimur, sub triplici σχέσει potest spectari, vel *debiti*, quo obstringimur justitiæ divinæ ad ejus solutionem, quo sensu Lex dicitur chirographum Col. 2. 14. vel *inimicitiæ*, per quam, non modò sumus θεοστυγεῖς osores Dei, sed Deus ipse nos odio habet & cum indignatione respicit. Vel *criminis*, quo rei sumus mortis & maledictionis æternæ coram Deo mundi Rectore & supremo Judice. Unde peccatores modò *debitores* vocantur Matth. 6. 12. modò ἐχθροὶ & *inimici* Dei, tam activè quàm passivè, Col. 1. 21. modò *Rei* & ὑπόδικοι τῷ θεῷ Rom. 3. 19. Unde colligitur tria ad Redemptionem

nem nostram fuisse requisita, Ut debitum peccati solveretur, ut odium Dei & ira placaretur, & ut reatus expiaretur. QUÆST. X.

VII. Atque hinc secundò natura *Satisfactionis*, quæ pro peccato præstari debuit, percipi potest, nimirum in qua tres istæ σχέσεις simul concurrant, quæ sit & *debiti solutio*, & *iræ divinæ*, per nostri cum eo reconciliationem *placatio*; & *reatus* per pœnæ perpessionem *expiatio*. Sed ut potissima ratio, quæ in peccato attendenda est, est σχέσις criminis; Ita Satisfactio habet rationem pœnæ à supremo Judice impositæ.

VIII. Hîc verò accuratè distinguenda est duplex *solutio*, quæ obtinet apud Jurisconsultos. Alia, quæ *ipso facto* reum & debitorem *liberat*, quum illud ipsum solvitur quod est in obligatione, sive fiat ab ipso debitore, sive ab alio ejus nomine. Alia, quæ *ipso facto non liberat*, quum non idem omnino, quod est in obligatione, sed æquivalens solvitur, quæ licet obligationem ipso facto non perimat, admissa tamen, cùm recusari posset, pro satisfactione habetur. Quod in debito pecuniario & pœnali patet; nam in debito pecuniario solutio debiti ipso facto liberat debitorem à quocunque fiat; quia non attenditur hîc *quis solvat*, sed tantùm *quid solvatur*. Unde creditor acceptâ solutione nullâ dicitur uti erga debitorem indulgentiâ & remissione, quia tantumdem accepit, quantum debebatur. Sed in debito pœnali eadem non est ratio, quia obligatio non tantùm est de re, sed de persona, id est non attenditur tantùm *quid solvatur*, sed etiam *quis solvat*, id. ut pœna feratur à persona peccante; Lex enim ut obedientiam propriam & personalem postulat, talem etiam pœnam exigit. Ideo ut liberetur reus positâ satisfactione alienâ seu vicariâ, debet actus Rectoris & Judicis intercedere, qui respectu Legis dicitur *relaxatio*, respectu Debitoris, & Rei, *remissio*, quia remittitur pœna propria, & admittitur in ejus locum & acceptatur vicaria. In hoc autem negotio, quia peccatum non habet tantùm rationem debiti; sed & criminis, satisfactio non est ejus generis, quæ possit ipso facto debitorem liberare, nisi accedat Judicis ἐπιείκεια & remissio, quia non solvitur id ipsum quod est in obligatione, nimirum pœna propria, quam Lex juxta ἀκριβοδίκαιον postulabat, sed tantùm vicaria. Unde facilè patet, quàm bene hîc inter se conveniant, *Remissio*, & *Satisfactio*, quicquid clamitent Adversarii, quia in pœnæ perpessione, quæ lata est à Christo est *Satisfactio*, sed in admissione & acceptatione Vicarii est *Remissio*; Illa respicit Christum, à quo Deus pœnam, non numero, sed specie eandem cum ea quæ à nobis debebatur exigit. Ista verò fideles, quibus pœnam propriam remittit Deus, dum vicariam admittit, atque ita admirabile videtur justitiæ & misericordiæ temperamentum, Justitia, quippe in peccatum se exerit, & Misericordia erga peccatorem, Satisfactio quæ fit Justitiæ Dei à Sponsore, & Remissio nobis fit, à Deo.

IX.

QUÆST. X.

IX. Hoc tertiò confirmatur ex *σχέσει Dei*, cui satisfactio dari debet. Nam, ut triplex hìc est peccati *σχέσις*, ut diximus; Ita Deus potest spectari, vel ut *Creditor*, vel ut *Dominus* & *Pars* offensa, vel ut *Judex* & *Rector*. Sed in hoc negotio, licet duæ priores suum etiam locum hìc habeant, præcipuè tamen tertia hìc attendenda est. Deus quippe hìc non se habet tantùm ut Creditor, qui potest pro libitu de jure suo remittere, nec tantùm ut Pars offensa, & Dominus qui de suo potest facere quod vult sine cujusquam injuria, sed ut *Judex*, & *Rector* Universi, ad quem solum pertinet pœnæ inflictio, vel à pœna liberatio, quia ut agnoscunt omnes Jurisconsulti, hoc tantùm est supremi Magistratus & τῆς ὑπερεχούσης ἐξουσίας. Licet enim Creditor possit debitum repetere & Pars offensa jus habeat postulandi restitutionem, & damni compensationem. At potestatem cogendi, vel pœnam sumendi, nemo nisi Judex, qui est in authoritate constitutus. Quòd ritè hìc tenendum contra Adversarios, quorum hoc est πρῶτον ψεῦδος, Peccatum ut simplex debitum, & Deum ut merum debitorem esse hìc spectandum, qui pro arbitrio possit vel pœnam exigere, vel remittere sine satisfactione. Cùm certum sit hìc Deum induere σχέσιν Judicis & Rectoris Mundi, qui jus Majestatis sustinet, & se Custodem & Vindicem Legum profitetur; atque adeo Jus habet non crediti tantùm, aut Dominii, quò possit uti vel non uti pro libitu, sed *Jus regiminis*, & pœnæ, quod est naturale & indispensabile.

X. Verùm hìc rursus *pœna ipsa*, quam Judex exigit, distinguenda est accuratè à *pœnæ modo* & *circumstantiis*, nec enim eadem est utriusque ratio. Nam quod pœnam ipsam spectat in genere, Jus Dei hac in parte planè est indispensabile, fundatum quippe in ipsa justitia Dei. Sed quoad pœnæ istius modum & circumstantias, ut exigatur à tali personâ, & tali modo, non est pariter juris naturalis, sed positivi & liberi, potest enim hìc ἐπιείκεια quædam ex Dei sapientissimi bonitate admitti, vel respectu *temporis* per dilationem pœnæ, vel respectu *graduum* per mitigationem, vel respectu *personarum* per substitutionem. Licet enim persona peccans omnino mereatur pœnam, & justè puniri possit, non est tamen ita necessarium & indispensabile, quin certis quibusdam gravibus de causis possit translatio fieri pœnæ in Vadem. Et hoc sensu dicitur à Theologis pœnam omni peccato *impersonaliter* infligendam esse necessariò; sed non statim *personaliter* omni peccatori; siquidem Deus singulari gratià nonnullos potest eximere ab ea, substituto in eorum locum Vade.

XI. Hoc verò ut concipiatur exequi posse Deum, spectandus est, non ut Judex inferior & subalternus sub Lege constitutus, qui de Legis rigore dispensare non posset pœnam in alium transferendo. Sed ut Judex summus & ἀνυπεύθυνος, qui ut justitiæ suæ vult satisfieri per peccati pœnam; Ita pro summâ suâ sapientiâ & misericordiâ, potuit de ἀκριβοδικαίῳ Legis relaxare eximen-

mendo peccatores à pœnâ debita, & transferendo eam in Sponsorem. Atque hinc patet, Cuinam satisfactio ista persolvi debuerit, An Diabolo detinenti, ut cavillatur Socinus, An verò Deo supremo Judici? Cùm enim Diabolus hîc sit tantùm Minister Dei, & præfectus Carceris, qui nullam nisi ex Dei justo judicio potestatem habet in peccatores, satisfactio ipsi præstari non debuit, sed Deo Judici, qui primariò & principaliter nos detinebat. Adde quod perperam hîc supponitur in pœnarum latione dandam esse personam aliquam cui solutio debeat fieri, ut in debito pecuniario numeratur pecunia creditori; Cum sufficiat Judicem esse, qui pœnas exigat ad Majestatem Legum sartam tectam conservandam. Quæst. X.

XII. Quartò, *Persona* ipsa *quæ satisfacit* hîc est attendenda. Nam ut peccata habebant rationem debiti, inimicitiæ, & criminis, & Deus se habuit ut Creditor, Pars offensa, & Judex. Ita Christus debuit triplicem relationem induere; *Sponsoris*, qui pro nobis debitum solveret; *Mediatoris* & εἰρηνοποιοῦ, qui inimicitias tolleret, & Deum nobis conciliaret; & *Sacerdotis & victimæ*, qui se loco nostro substitueret ad satisfactionem pœnalem. Rursus ut Satisfactio, quæ à Justitia Dei exigebatur, duo præcipuè postulabat, 1. Ut ab eadem natura quæ peccaverat persolveretur. 2. Ut valoris tamen & pretii infiniti esset ad demeritum infinitum peccati tollendum: In Christo duæ naturæ necessariæ fuerunt ad Satisfactionem persolvendam, humana, quæ pateretur, divina, quæ valorem & pretium passionibus adderet infinitum.

XIII. Denique, cùm *substitutio* Christi fieri debuerit loco nostro, justitia ejus demonstranda est, ut constet quo in casu, & quibus conditionibus positis, legitimè talis substitutio innocentis pro nocentibus fieri potuerit, quod prima fronte non modò insolitum, sed & injustum videtur. Licet autem substitutio ista, quæ in debito pecuniario subinde fieri solet, rariùs occurrat in debito pœnali, imò aliquando prohibeatur, ut apud Romanos fidejussiones in pœna capitali vetabantur, quia nemo est Dominus membrorum suorum, nec hoc fieri potest sine aliquo Reipublicæ damno. Non ignotam tamen absolutè Ethnicis fuisse, exempla Damonis & Pythiæ amicorum, quorum alter se pro altero vadem stitit apud Dionysium in causa capitali, & Curtii, Codri, Decii, se pro patria devoventium satis testantur, ut & jus occidendorum obsidum humanissimis populis usitatum, ubi Principales à promissis deficiebant: qui ideo ἀντίψυχοι dicebantur; Quo respiciens Paulus Rom. 5. 7. dicit *pro viro bono forsan aliquem mori posse.* Scriptura sanè eam adstruit sæpe, non modò ex imputatione peccati, in qua alter alterius pœnam ferre solet, sed & ex publico sacrificiorum usu, in quo peccatoris locum subire debuit victima, mortem pro ipso luitura, quem in finem manus capiti ejus imponebantur, & peccati confessio fiebat.

QUÆST. X.

XIV. Sed ut substitutio ista legitimè & absque ulla injustitiæ notâ fieri possit, variæ conditiones in Sponsore requiruntur, quæ omnes in Christum perfectè competunt. 1. *Communio naturæ*, ut peccatum puniatur in ea natura, quæ rea erat Heb. 2: 14. 2. *Consensus voluntatis*, ut sponte & ultro nemine cogente onus illud in se recipiat, Heb. 10: 9. *Ecce venio ut faciam voluntatem tuam.* 3. *Potestas & dominium membrorum suorum*, ut sit sui juris, qui de seipso statuere possit, Joan. 10: 18. *Nemo tollit animam à me, sed ego depono eam per me ipsum, authoritatem habeo eam deponendi, & eam rursus sumendi.* 4. *Potentia pœnas omnes nobis debitas ferendi, & auferendi tam à se quàm à nobis*, aliàs, si detineri potuisset à morte, neminem ab ea liberare potuisset. Quod in Christo θεανθρώπῳ fuisse nemo dubitare potest. 5. *Sanctitas & puritas immaculata*, ut nullo peccato inquinatus, opus non haberet offerre pro se ipso, sed pro nobis tantùm Heb. 7: 25. 26. 27.

XV. His positis conditionibus, injustum non fuit Christum justum pro nobis injustis substitui. Sic enim nulla facta est cuiquam injuria. Non *ipsi Christo*, tum quia volens hanc pœnam in se recepit, tum quia potestatem habuit de se statuendi, & potentiam sese à mortuis excitandi. Non *Deo Judici*, quia hoc voluit & jussit, vel juri ipsius naturali, cui cautum est pœnâ Sponsoris. Non *Reipub. mundi* per mortem innocentis, quâ optimo cive privata sit; Christus enim à morte liberatus in æternùm vivit. Nec per vitam Reorum, qui in perniciem Reipub. sint superstites, quia per Christum convertuntur, & novæ fiunt Creaturæ. Non *Legi divinæ*, cui prospectum est perfectissimâ impletione ejus à Christo factâ, & duplici *unione* nostrâ cum Christo, *naturali* & *forensi* seu *mysticâ*, per quam ut unum factus est nobiscum, & nos cum ipso, ita potuit peccatum & mala nostra in se recipere, & justitiam ac bona sua in nos derivare. Atque ita nec Legis facta est abrogatio, vel derogatio, sed explicatio κατ' ἐπιείκειαν, ut quod nobis debebatur ex rigore juris, id ex speciali Dei gratiâ in Christum transferretur.

XVI. Hisce ita præstructis, ut ad Quæstionem propositam descendamus, Quæritur, An necesse fuerit Christum pro nobis satisfacere, tam absolutè à parte justitiæ, quàm hypotheticè vi decreti Dei? An verò, vel non necesse fuerit omninò Christum satisfacere pro nobis, Deo gratis absque ullâ satisfactione peccata remittere valente, vel necesse fuerit tantùm hypotheticè propter Dei decretum? Sociniani quidem nullam hîc necessitatem agnoscunt. Quidam è Veteribus & Nostris, necessitatem tantùm hypotheticam urgent, & sufficere arbitrantur hæretico refellendo. Sed Nos cum plerisque utramque retinemus, & Christi satisfactionem tam à parte justitiæ Dei, quàm voluntatis necessariam fuisse pertendimus. Non tamen urgemus necessitatem simpliciter naturalem, qualis est in igne ad urendum; quæ nec est voluntaria, nec ullam modificationem in sui exercitio admittit. Sed

mo-

moralem & *rationalem*, quæ, ut à ſanctitate & juſtitiâ Dei fluit, nec niſi liberâ intercedente voluntate exerceri poteſt, ita variam pro ſapientiâ & ἐπιεικείᾳ Dei, poteſt modificationem admittere; modò ſalvum illi maneat jus ſuum naturale. QUÆST. X.

XVII. Talem autem eſſe *Satisfactionis Christi neceſſitatem* multa probant. 1. *Juſtitia Dei vindicatrix*; Cùm enim ſit Deo naturalis & eſſentialis, ut probatum fuit P. I. Lo. III. Qu. 19. in qua Jus Dei Judicis æternum & naturale fundatur, de quo non magis diſpenſare poteſt Deus, quàm ſe-ipſum abnegare; exercitium ejus non poteſt non eſſe neceſſarium, poſito peccato, licet liberâ fiat intercedente voluntate: maximè cùm non conſiſtat in actu merè gratuito & indebito, quæ eſt ratio miſericordiæ, quæ ſive exeratur ſive non, nemini fit injuria, ſed in actu debito reddendi cuique quod ſuum eſt, à quo non poteſt Deus abſtinere, ſine aliquo juſtitiæ detrimento. Cùm autem juſtitia iſta nihil aliud ſit quàm voluntas conſtans puniendi, & voluntas iſta non poſſit irrita eſſe in Deo, cujus ſumma eſt Majeſtas, & infinita potentia, neceſſariò pœnæ inflictionem exigit, vel in peccatore ipſo, vel in Vade illius loco ſubſtituto. Nec huic juri intercedere poteſt, Vel ratio libertatis Dei, qui ſeſe exerit tantùm in jure poſitivo, non naturali; Vel ratio miſericordiæ, quia in eo quidem poſita eſt, ut peccator ſubducatur pœnæ, ſed non ut peccatum ipſum inultum maneat. Exceptiones, quæ afferuntur, excuſſæ ſunt loco citato.

Probatur Satisfactionis neceſſitas 1. à Juſtitia Dei.

XVIII. Secundò, *Peccati natura*. Cùm enim ſit malum morale, quod intrinſecè & à parte rei differt à Sanctitate, ut ſupra Lo. XI. de Lege Qu. 2. oſtenſum fuit: Neceſſaria etiam & naturalis debet dari connexio inter illud & malum phyſicum, ut ſe neceſſariò conſequantur, & quemadmodum non poteſt dari malum phyſicum & pœnale, ſine malo morali, vel proprio, vel imputato: Ita non poſſit dari malum morale, quod poſt ſe non trahat malum phyſicum. Ut bonum ethicum cum phyſico, ſanctitas cum felicitate indiſſolubili vinculo conſociatur, non modò ratione ſapientiæ divinæ, cui conſentaneum eſt ea ſimul componi, quæ conveniunt in genere boni vel mali, ſed etiam ratione bonitatis & juſtitiæ; nam, ut per illam non poteſt à ſe impetrare quin bonis benè ſit, quia bonus eſt & beneficus imagini ſuæ; Ita non poteſt facere, quin malis malè ſit; quia juſtus: atque eò magis, quod ſi quid boni rependit ſanctitati creaturæ, facit id ex merâ liberalitate, ſine ullo ipſius merito; ſed ſi plectit peccatorem, reddit illi quod debet, & quod vitio ſuo commeritus eſt.

2. à Peccati natura.

XIX. Tertiò, *Legis Sanctio*. Quia Lex pœnam mortis comminatur peccatori, Gen. 2:17. Deut. 27:26. Ezech. 18:20. Rom. 1:18. 32. & 6:23. Cùm verò Deus ſit verax & mentiri neſcius, neceſſe eſt ut impleatur tandem, vel in ipſo peccatore, vel in Vade. Fruſtra regeritur comminationem

3. à Legis ſanctione.

QUÆST. X. tionem illam esse hypotheticam, non absolutam, id est, quæ relaxari possit positâ pœnitentiâ. Quia supponitur gratis quod probandum fuit, dari ullam talem conditionem, vel tacitam, vel expressam. Imò cùm non alia possit esse actio Sanctionis Legalis, quàm Legis ipsius, cùm Lex ipsa sit juris naturalis & indispensabilis, ut suo loco probatum est', & ipsam sanctionem immutabilem esse oportet. Nec hîc confundendæ *comminationes particulares* & *œconomicæ*, seu paternæ & Evangelicæ, quæ per peculiarem dispensationem denunciantur hominibus, ad eos revocandos ad pœnitentiam; quæ positâ pœnitentiâ revocari possunt, qualis proposita fuit Ezechiæ Isa. 38. & Ninivitis Jon. 3. cum *comminationibus Judicialibus*, & immotâ Legis sanctione, quæ in ipsa Dei naturâ fundatur, & cui hominum conscientia adstipulatur.

4 ab Evangelii Praeconio.

XX. Quartò, *Evangelii præconium*, quod Mediatoris & Sponsoris mortem cruentam & diram pro nobis passi nunciat, Idem confirmat solidissimè ab *eventu* à posteriori. Cùm enim Deus Entia sine necessitate non multiplicet, nec patiantur bonitas & sapientia ejus, ut credamus Patrem, innocentissimum & dilectissimum Filium crudelissimæ & ignominiosissimæ morti exponere voluisse absque gravissima quadam & indispensabili necessitate; Nec ulla necessitatis ratio excogitari & reddi possit tam insolitæ dispensationis; præter satisfactionem, quæ pro nobis pendenda fuit justitiæ suæ; Nemo non videt eam absolutè necessariam fuisse. Scio hic afferri ab Adversariis alias tam diræ mortis causas, doctrinæ confirmationem, & virtutum omnis generis, & charitatis imprimis & constantiæ exempla. Sed cum doctrinam suam variis miraculis confirmasset, & per totam vitam multiplicia virtutum istarum exempla dedisset, quis in animum induxerit Deum eâ unâ de causâ Unigenitum Filium tot diris cruciatibus expositurum fuisse? Ergo alia procul dubio causa subesse debuit istius dispensationis, nimirum Justitiæ ipsius ratio, cui satisfieri debuit, quod Paulus testatur Rom. 3:25. quum ait, Christum constitutum fuisse à Deo in propitiatorium εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ad *declarationem justitiæ suæ*, quæ scilicet tam fuit inexorabilis, ut non passa sit peccata nobis remitti nisi interventu mortis Christi.

XXI. Rursus si Deus solo verbo potuit & voluit peccata nobis remittere sine ullius satisfactionis interventu, Quî fit quòd Paulus justificationem nostram & salutem toties sanguini Christi fert acceptam? quum profitetur nos *justificari per redemtionem quæ est in ejus sanguine*, Rom. 3:24. *Nos redemptionem habere in ejus sanguine*, scilicet *remissionem peccatorum* Eph. 1:7. *& eum reconciliasse omnia Deo per sanguinem Crucis* Col. 1:20. Nihil enim opus erat sanguinem ejus propterea fundi, si hoc pendebat à sola Dei voluntate. Ita perperam Apostolus toties exegerit in Epist. ad Hebræos sanguinem taurorum & hircorum, id est, Sacrificia legalia tollere non potuisse

tuisse peccata, id. reatum abolere, & veniam obtinere, sed solam Oblationem Christi, si omnino aliquâ purgatione opus non fuit, & si sola pœnitentia potuit sufficere ad reatum tollendum sine ullo sacrificio? Nam quod nullo planè sacrificio facilè tolli potuit; Cur non potuerit tolli sanguine victimarum legalium? Et si sola Dei voluntas hîc intercessit, Cur Paulus eam non attingit, sed ad naturam ipsius rei assurgit, quum ait impossibile esse sanguinem taurorum tollere peccata; nimirum quia tam abominabilis & Deo exosa res est peccatum, ut ejus labes nullo nisi ipsius Filii Dei sanguine elui potuerit.

QUÆST. X.

XXII. Quintò, Si nihil necesse fuit Christum mori, ut Justitiæ satisfieret, magnitudo charitatis illius, per quam Filio suo non pepercit, ut eum pro nobis traderet, quam tantopere commendat Apostolus Rom. 5. & 8. non parum videretur minui. Nam si nullum à parte Justitiæ occurrebat obstaculum saluti nostræ, gratia quidem fuisset ingens, si Deus condonare voluisset nobis peccata; sed longè tamen subsidisset infra ὑπερβολὴν charitatis, per quam factum, ut justitiâ pœnam peccati inexorabiliter postulante, vicerit tamen salutis nostræ desiderium, reperto in eam rem in thesauro sapientiæ admirabili justitiæ cum misericordia temperamento. Nec Christus posset dici iram placasse, si quidem Deus ipse satisfactionem nullam exigendo, iram per se facilè potuisset.

5. Ex magnitudine dilectionis Dei.

XXIII. Denique, Sententia de Satisfactionis necessitate non derogat ulli perfectionum divinarum, Non *absolutæ Potestati*; Quia Deus non potest se & virtutes suas abnegare; nec ita se gerere, quasi peccato delectetur, indulgendo peccatori sui communionem. Non liberrimæ *Voluntati*, quia nihil vult aut velle potest contra suam justitiam & sanctitatem, quæ non parum læderetur, si peccatum maneret inultum. Non *Misericordiæ* immensæ, quia illi locus semper datur erga peccatorem, licet satisfactio à Vade exigatur. Sed facit ad illustrationem gloriæ præstantissimarum Dei virtutum, *Sanctitatis*, per quam nullam cum peccatore communionem colere potest sine prævia satisfactione, quâ & reatus ejus deleatur, & maculæ ablutio procuretur, *Justitiæ*, quæ ita inexorabiliter peccati pœnam postulat, ut etiam in proprio Filio suo Deus illud punire voluerit, ne inultum maneret, *Sapientiæ*, quæ quod omni creato intellectui impossibile fuit, admirabile justitiæ & misericordiæ temperamentum invenit, quò misericordiæ locus erga nos dari potuit, sine ullo justitiæ præjudicio. *Charitatis*, quâ proprio Filio non pepercit, ut nobis parceret. 2. Facit ad incrementum pietatis, augendo peccati horrorem, quod tantæ atrocitatis fuit, ut non potuerit alio, quàm sanguine Filii Dei elui, & inflammando corda nostra mutuo amore erga Deum, ut eum pro virili redamemus qui tantopere nos dilexit.

6. Ex Gloriâ Virtutum Divinarum.

XXIV. Licet Deus necessariò satisfactionem exegerit. Non sequitur,

Fontes Solutionum.

 non

QUÆST. X. non liberè hoc fecisse. Quia necessitas ista non fuit physica, sed ethica & rationalis, ut dictum; quæ nata est ex hypothesi, tum peccati, quod voluit permittere, tum decreti Dei de salute hominum, quo posito non potuit non convenienter justitiæ suæ agere; ut si Deus velit homines alloqui, non potest illud aliter, quàm verè facere, quod tamen facit voluntariè.

XX. Aliud est remittere de *Jure* suo, Aliud de *Justitia*. Deus potest de jure suo remittere, sed non absolutè, sed quatenus id patitur Justitiæ ratio, ne scilicet quid injustum fiat. Non patitur autem justitia remitti peccatum sine satisfactione, quia sic Majestas Legum violatur, & peccato non redditur suum. 2. Non licet semper de jure suo remittere, si jus sit publicum, non privatum, Judiciale, non Dominicum, naturale non liberum, honesta tis, non utilitatis. At Ius pœnæ in Deo non est Ius privatum Crediti, aut Dominii, non liberum & positivum, non utilitatis privatæ, sed honestatis publicæ, Ius Rectoris & Iudicis, quod in ipsâ naturâ fundatur, ut suprà visum. Ideoque Deus non potuit de illo jure dispensare, quamvis non sit Legi obnoxius, quia est sibi Lex; aliàs etiam impœnitentibus, quatenus tales manent, posset peccata remittere, quod negat tamen hæreticus. Nec si per talem dispensationem nemini facta fuisset injuria, potuisset hoc Deus, quia Iustitia Dei & Majestas Legum læderetur.

XXVI. *Satisfactio & remissio* sunt incompatibiles, quum agitur de solutione debiti pecuniarii, sive fiat per ipsum debitorem, sive per alium, quia non in ea respicitur quis solvat, sed quid solvatur, si tantundem solvitur quantum debetur. Sed hoc locum pariter non habet in *solutione debiti pœnalis*, quia hîc non respicitur tantùm res quæ solvitur, sed etiam ipsa persona quæ solvit. Datur etiam de solutione propriâ, quia qui solvit per se quod debet, non opus habet remissione; sed de solutione alienâ & vicariâ, quæ in hoc negotio locum habet, quia licet justitiæ fiat satis per satisfactionem, quia tamen est satisfactio aliena non propria, quam ex rigore juris Lex exigebat, requiritur hîc actus Iudicis, qui, acceptando pœnam vicariam Vadis, remittat reo pœnam propriam quam debebat.

XXVII. Gratia Dei & meritum Christi non opponuntur, sed subordinantur, quia κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο hic spectantur, Gratia respectu nostri, tum in datione Vadis, tum in acceptatione ejus satisfactionis ad nostram justificationem. Sed meritum respectu Iustitiæ Dei, quæ non potuit peccatum inultum relinquere, ut Apost. Rom. 3:24. 25. hæc inter se optimè convenire asserit.

XXVIII. Licet *Remissio Dei, & hominum*, in variis similes sint quoad rem, potissimùm verò in offensarum condonatione sincerâ & non fucatâ; Non sequitur esse omnimodam paritatem; quia homines sunt privati, ad quos proinde Ius pœnæ non spectat; sed Deus rationem habet Iudicis, cujus est in peccatores animadvertere.

XXIX.

XXIX. Si Deus promittit remissionem peccatorum in Novo Fœdere, hoc non negat, sed supponit satisfactionem Christi, quia promittitur in nomine Christi Act. 10: 43. id. per ejus virtutem & meritum. Nec ulla datur remissio sine αἱματεκχυσία Heb. 9: 22. Et si Veteres dicuntur veniam consecuti per fidem Heb. 11. non excluditur, sed includitur necessariò Christus, quem fides respicit ut proprium objectum, & quidem quatenus crucifixus est, qui animam ponere debuit in sacrificium pro peccato Is. 53: 10. & peccatum ac κατάρα fieri 2 Cor. 5: 21. Gal. 3: 13. Cætera quæ huc pertinent petantur ex P. L. L. 3. Q. 19. & ex Disp. 1. & 2. de Necessitate Satisfactionis. Quæst. XI.

QUÆSTIO XI.

De Veritate Satisfactionis.

An verè & propriè Christus loco nostro Justitiæ Dei satisfecerit? Affir. cont. Socin.

I. Assertâ Satisfactionis Necessitate, de ejus *Veritate* disputandum est, quæ hîc à Socinianis, non in dubium vocatur tantùm, sed expressè negatur; licet de cætero nomen Satisfactionis retinere velle videantur, & non semel, ut fucum faciant, illud usurpare soleant, sed longè alio sensu, quam Orthodoxi, ut ex Statu Quæstionis liquebit.

II. Non Quæritur, De *Satisfactione qualicunque, & impropriè ita dictâ*, quâ Christus satisfecerit conditionibus omnibus, quæ illi à Dei voluntate ad salutem nostram procurandam impositæ fuerant. Hactenus enim non negant, sed admittunt Christi Satisfactionem, ut Crellius adversus Grotium cap. 6. profitetur. Sed de *Satisfactione pœnali, & propriè ita dictâ*, per quam non tantùm voluntati divinæ, sed & justitiæ satisfecit, assumptis in se peccatis nostris, quam Illi negant, Nos asserimus. *Status Quæstionis.*

III. Secundò, Non Quæritur de *Satisfactione metaphoricâ*, quæ fit per partis læsæ acceptilationem, quæ precariò impetrat aliquid per meram Dei indulgentiam. Hanc enim non diffitentur Adversarii, & sæpe obtendunt, ut simplicioribus imponant. Sed de *verâ & propriâ*, quæ fit per pretii æquivalentis solutionem, & quæ obtinet meritoriè ex justitiâ Judicis liberationem Rei, quam ex Verbo Dei prædicamus. Illi verò pertinaciter rejiciunt.

IV. Tertiò, Non Quæritur, An Christus *pro nobis utiliter* mortuus sit,

QUÆST. XI. sit, id. *bono nostro*, ut mors illius nobis prosit diversimodè quod non illibenter largiuntur. Sed An mortuus sit *pro nobis substitutivè*, id. *loco nostro*, ut in vicem nostram substitutus pœnas nobis debitas in se receperit? Quod pertendimus.

V. Denique, non quæritur, An Christus sit Servator noster, vel *doctrinæ præconio*, quia viam salutis nobis annunciavit, vel *vitæ exemplo*, quia eam & virtutibus & miraculis confirmavit, vel *potentiâ & efficaci communicatione*, quia eam reipsa daturus est suo tempore. Socinus enim lib. 1. de Servat. cap. 5: 6. hæc omnia Christo concedit. Sed An maximè propriè Servator fuerit satisfactione & merito? Quod magno molimine & apertè oppugnant Adversarii, Orthodoxi constanter tuentur, & variis argumentis invictè probant.

Veritas satisfactionis probatur 1. *Ex Redemptione Christi.* VI. Primum Argumentum petitur ab illis locis, in quibus Christus dicitur nos redemisse; & quidem pretio sanguinis, quia ubi pretium propriè dictum, & quidem sufficientissimum intercedit, ubi veram & propriè dictam satisfactionem dari necesse est; pretium enim dicit σχέσιν ad justitiam distributivam. Loca verò quæ id probant sunt varia 1 Cor. 6: 20. ἠγοράσθητε τιμῆς, *redempti estis pretio*, 1 Pet. 1: 19. *redempti estis à vana conversatione vestrâ, non rebus corruptibilibus, auro & argento, sed pretioso sanguine Christi, ut agni inculpati*, Tit. 2: 14. *Christus seipsum dedit pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*, Eph. 1: 7. *In quo redemptionem habemus per ejus sanguinem.* Et Matth. 20: 28. *Filius hominis venit ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν, pretium solutionis pro multis.* Ideo nomen Jesu illi datum, quia *salvaturus erat populum à peccatis eorum* Matt. 1: 21.

1 Cor. 6: 20. *1 Pet. 1: 19.* *Tit. 2: 14.* *Mat. 20: 28.*

VII. Licet verò *Redemptio* nonnunquam in Scriptura sumatur pro simplici liberatione, quæ fit gratis nullo intercedente pretio, quomodo Moses λυτρωτὴς vocatur Act. 7: 35. & Deus dicitur redemisse populum suum ex Ægypto Deut. 7: 8. Psal. 77: 16. & alibi. Non sequitur eodem sensu sumendam esse in hoc argumento. Imò multa probant propriè & strictè intelligendam esse. 1. Quia hæc est primaria & maximè propria significatio verborum λυτρῶν ἀπολυτρῶν, à qua recedendum non est sine necessitate. Nec hoc diffitetur Adversarius lib. 2. de Serva. cap. 1. *Redimere aliquem, nihil aliud propriè significat, quam captivum e manibus illius qui illum detinet dato pretio liberare.* 2. Quia conditio hominis redimendi hoc postulat, utpote qui, non modò Diaboli & mortis, sed & peccati, tam quoad reatum, quàm quoad maculam, Legis ac Justitiæ divinæ sit captivus, ὑπόδικος nimirum τῷ Θεῷ, & Filius iræ, à qua proinde liberari non potuit, nisi datâ satisfactione. 3. Talis est redemptio, quæ facta est interventu pretii, 1 Cor. 6: 20. quorsum vero λύτρου, vel τιμῆς fieret mentio, si nullum pretium datum est? nam quod additur, hoc dici impropriè, quia ad præsentiam ejus liberamur, gratis supponitur,

QUÆST. XI.

nitur, non probatur: imò contrarium ſolidè colligitur, ex eo quod pretium iſtud confertur cum rebus quibusque cariſſimis auro, argento, & gemmis, quæ verè & propriè dicti pretii rationem habent 1 Petr. 1:18. 4. Nec modò λύτρȣ fit mentio, ſed & ἀντιλύτρȣ, quod non quodvis pretium notat, ſed æquivalens debito, & tale quod commutationem debitoris, & veram compenſationem debiti notat, quæ vis eſt præpoſitionis ἀντὶ, quæ hîc ſubſtitutionem notat. Huc pertinet quod ἀντιλυτρȣ̃ν apud Ariſtot. Ethic. lib. 9. cap. 2. eſt Caput alterius Capite ſuo redimere.

VIII. Hinc patet Redemptionem iſtam, nec factam eſſe ſimpliciter *gratuitâ manumiſſione*, qualis eſt ſervorum, qui à Dominis in libertatem mittuntur, nec per *meram virtutem* & potentiam, quomodo captivi eruuntur ex manibus hoſtium, non *nudâ permutatione*, quæ in bello fieri ſolet, ſed *juſtâ ſatisfactione*, qualis eſt Sponſoris, qui pro debitore ſolvit. Licet enim gratuita liberatio locum habeat reſpectu *noſtri*, qui gratis & per gratiam Dei ſervamur Rom. 3:24. Eph. 2:8. & liberatio per potentiam hîc obtineat, reſpectu *Diaboli*, è cujus tyrannide per Chriſti Victoris & triumphantis virtutem educti ſumus, Col. 2:15. & permutatio reſpectu *Chriſti*, qui in locum noſtrum ſubſtitutus eſt; Tamen reſpectu *Dei Judicis* juſta ſatisfactio intercedere debuit.

2. Quia Chriſtus pro nobis eſt mortuus

IX. Secundum deducitur ex illis locis, ubi *Chriſtus pro nobis mortuus* dicitur, non tantùm *bono* & commodo *noſtro*, ſed etiam *loco* per propriè dictam ſubſtitutionem Rom. 5:6. 7. & 8:32. 1 Petr. 3:18. Hunc autem & non alium ſenſum eſſe iſtius phraſis in hoc negotio colligitur. 1. Quia hæc eſt ordinaria ſignificatio præpoſitionis ὑπὲρ, quæ hîc uſurpatur, quæ quum agitur de perſona, ſubrogationem notat apud Græcos Rom. 9:3. ἀνάθεμα ὑπὲρ ἀδελφῶν, id. loco fratrum. Rom. 5:7. *vix eſt ut pro juſto quis moriatur*, id. ejus loco, ut Syrus vertit per חלף. 2. quia alibi exprimitur per ἀντὶ Mat. 20:28. & per ἀντίλυτρον, 1 Tim. 2:6. quod neceſſariò ſubſtitutionem importat, ita datum eſt Caput pro Capite, ut ex lege Talionis debebat dari, ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμȣ̃ Matt. 5:38. 3. Quia mortuus dicitur pro nobis modo quodam ſingulari, & aliis omnibus incommunicabili, quo nec Paulus, nec Petrus poſſunt dici pro nobis mortui & crucifixi 1 Cor. 1:13. At uterque bono noſtro poteſt dici mortuus, puta ad noſtram ædificationem, & fidei confirmationem. Ergo intelligenda eſt *mors vicaria*, quæ nec in Apoſtolos, nec in Martyres potuit cadere. Licet verò Apoſtoli poſſint dici etiam pati pro Eccleſia Col. 1:24. Non ſequitur parem eſſe rationem cum morte Chriſti, quia patiebantur pro Eccleſia ædificanda, confirmanda, & conſolanda, ut exprimitur 2 Corinth. 1:6. ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, *ad veſtri conſolationem*; ſed Chriſtus ſolus pro ea redimenda. Et ſi jubemur animas ponere pro fratribus 1 Johann. 3:16. ut Chriſtus pro nobis vitam ſuam poſuit, ita ut periculum mortis adire, imò & mortem ipſam conſtanter ſubire

Rom. 5:6. 7.
1 Pet. 3:18.
1 Cor. 1:13.
Col. 1:24.
1 Joh. 3:16.

QUÆST. XI. non recusemus, quoties vel Dei gloria, vel proximi salus, & Ecclesiæ ædificatio, id postulare videtur, ut in Martyribus visum. Inde quidem bene colligitur, nos hac in parte exemplum Christi imitari debere; sed non inde sequitur planè eandem esse rationem mortis nostræ pro fratribus, quæ fuit mortis Christi pro nobis. Nam nec possumus pro fratribus dare ἀντίλυτρον, ut ab æterna morte eos liberemus Ps. 49:8. nec sanguine nostro eos Patri reconciliare, & à peccatis mundare, quod Christus præstitit. Itaque mors nostra confertur cum morte Christi secundùm aliquem finem, non secundùm omnes, secundùm *charitatis exemplum*, non verò secundùm *satisfactionis meritum*, & particula καθὼς similitudinem importat, non æqualitatem, ut alibi sæpe Matt. 5:48. & 6:12.

3. Quia peccata nostra portavit. *1 Pet. 2:24. Isa. 53:4.5.* X. Tertium, Ex locis in quibus Christus *peccata nostra portasse* dicitur, & propterea afflictus, vulneratus, & mortuus, ut 1 Pet. 2:24. *tulit peccata nostra super lignum in corpore suo*, quod ex Isaia petiit c. 53. ubi de Messia agi Chald. Paraph. & Veteres Judæi agnoscuut, *morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros bajulavit, ille atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ super eum, Jehova fecit ut in eum incurreret iniquitas*, id. pœna iniquitatis omnium nostrûm & v. 10. *postquam posuerit animam suam* אשם *victimam pro peccato* &c. Quæ omnia satisfactionem importare ex variis colligitur, 1. ex phrasi *portandi peccata*, quamvis enim τὸ *ferre* & *portare*, aliquando per metonymicam translationem ponatur pro auferre & condonare ut Exod. 34:7. & Num. 14:18. Non sequitur eo sensu hic phrasim istam sumendam esse; imò rationes sunt gravissimæ propter quas non debemus recedere à primaria & usitatissima significatione, secundùm quam ipse Socinus agnoscit Prælect. cap. 21. *peccata portare*, idem esse quod *peccatorum pœnas ferre*, quia non tantùm occurrit verbum נשא quod ad simplicem ablationem peccati aliquando refertur, sed & verbum סבל, quod oneris impositi gestationem & bajulationem notat, & sic clarè pœnæ lationem innuit. 2. ex *modo portandi*, qui describitur per attritionem & vulnerationem v. 5. 6. & *conjectionem in eum*, quod dici non posset, nisi pœnam peccati in se suscepisset. Item quod dicitur apud Petrum *portasse in corpore suo super lignum*, scilicet per pœnæ perpessionem. 3. à simili, quia eo modo portasse dicitur, quo Victimæ peccata portabant, siquidem dicitur posuisse animam suam אשם victimam pro peccato v. 10. scilicet per mortis perpessionem & sanguinis fusionem loco peccatorum. 4. Omnia quæ veram satisfactionem indicant hic occurrunt, *causa impulsiva & meritoria*, peccata nimirum nostra non sua, attritus est à defectionibus nostris v. 4. 5. 6. & *pœnarum latio*, quia dolores nostros portavit v. 4. *Dei Judicis imputatio*, Jehova fecit in eum incurrere iniquitates omnium nostrûm. v. 6. *Christi Vadis voluntaria susceptio*, quia afflictus fuit nec aperuit os suum. &c. v. 8. *Peccati expiatio*,

&

& debiti plena solutio, quia animam posuit pro delicto & ex judicio & coarctatione assumptus est v. 8. 10. Quorsum verò ista omnia dicerentur, si patientiæ & charitatis exemplum tantùm nobis in eo præbuisset, non verò satisfactionis pretium? QUÆST. XI.

XI. Licet verò Matth. 8: 17. Oraculum Isaiæ impletum dicatur quum Christus morbos corporeos sanabat, quos non ferebat, sed auferebat tantùm. Non sequitur idem & de morbis animi seu peccatis dicendum esse, quia alia est ratio utrorumque. Nam ad illorum sanationem non necessè erat Christum ipsum ægrotare, sola Christi potentia postulabatur; sed ad istos curandos requirebatur insuper justitia, debuit eos prius ferre, & in se recipere, ut eos à nobis auferret. Unde inducitur à Propheta ut vulneratus & attritus, quod ad sanationem morborum corporis non necesse erat, sed tantùm ad morborum animi lationem. Atque hinc non difficile est colligere, quid respexerit Spiritus Sanctus in hoc Oraculo, & quomodo impletum dici possit, quum morbos corporis curabat. Nimirum agit primariò & directè de languoribus & morbis spiritualibus seu peccatis, quorum pœnæ Christo fuerunt impositæ, ut eas lueret loco nostro: sed quia morbi corporei pertinent ad pœnas peccatorum, secundariò & subordinatè ad ipsos etiam spectavit, quia jus habebat eos sanandi. Itaque quod Propheta dixerat in genere de quibuslibet morbis, Petrus ad morbos animi in specie, Matthæus applicat ad morbos corporis, ubi non excludit, sed includit potius curationem morborum animi, ut sublatâ causâ effectum tolli demonstret, quia ista se invicem ponunt, morbi animi post se trahunt morbos corporis, ut morbi corporis supponunt morbos animi. Ita Christus utrosque tulisse dicitur, sed diversimodè pro diversâ naturâ subjecti, illos quidem auferendo tantùm per efficaciam, non ferendo per passionem; sed istos utroque modo, & ferendo & auferendo. Nec si Matthæus dicit Christum sanasse morbos corporis, ut impleretur Prophetæ Vaticinium; inde legitimè potest inferri ad illos solùm Spiritum Sanctum respexisse; quia notum est in Scriptura *res* dici *impleri*, non tantùm quum perfectè & ultimatè complentur, sed etiam quum incipiunt impleri quoad aliquam sui partem. *Matt.* 8: 17.

XII. Huc referri debent loca, in quibus Christus dicitur factus *peccatum* & *execratio* pro nobis Gal. 3: 13. 2 Cor. 5: 21. Quorsum enim diceretur *factus peccatum* à Deo Judice, id. Victima pro peccato Lev. 5: 9. & *execratio*, id. subjectum maledictionis & execrationis, quam Lex peccatoribus interminabatur, & quidem non pro se, qui sanctissimus & Patri summè dilectus semper fuit, sed *pro nobis*, nisi quia loco nostro substitutus, omnem execrationem Legis, quæ peccatis nostris erat debita in se recepit, ut eam ferret, & ferendo auferret; atque ita benedictionem, id est, remissionem peccatorum, *Gal.* 3: 13. *2 Cor.* 5: 21.

QUÆST. XI. & jus ad vitam apud Deum nobis procuraret? Quid hoc faciebat ad patientiæ exemplum, vel doctrinæ confirmationem? Quis non videt potiùs hic *subrogationem veram* Christi in locum nostrum, & ex ea veram satisfactionem, & peccati expiationem innui? Nec excipi hîc potest, *Christum dici factum execrationem, non quòd execrationem illam proprie tulerit, quæ in ipsum utpote benedictum & innocentissimum cadere non potuit. Sed quia supplicium crucis tulit, quod sub Lege fuit maledictum.* Nam verba ipsa Apostoli, & redemptio ab execratione Legis, quam nobis procuravit morte suâ, contrarium evincit: Quomodo enim posset dici factus execratio, & quidem ad nos ab ea redimendos, nisi quia eam in se suscipit? Nec obstat ratio Filii unigeniti & benedicti Dei, quia eam non sustinuit in se & pro se quà Filius Dei, sed quà Sponsor noster pro nobis, quorum personam sustinebat, quorum respectu, ille qui benedictus fuit in secula, potest dici maledictionis pœnam sustinuisse propter peccata nostra.

XIII. Atque hinc non obscurè colligitur, quonam sensu dicatur traditus *propter peccata nostra* Rom. 4: 25. id. non tantùm *occasionaliter*, ut vellet Socinus, quia peccata nostra occasio fuerunt mortis, quam passus est; vel *finaliter*, quasi Christus tantùm mortuus esset, ut à peccatis nos abstraheret, vel ut de earum remissione certos redderet; sed *meritorie*, ut peccata fuerint causa impulsiva meritoria, propter quam morti addictus est ad eorum pœnam ferendam, & reatum tollendum, quia eo modo dicitur traditus propter peccata, quomodo Sacrificia pro peccatis offerebantur, nimirum propter reatum eorum, & ad ejus ablationem. Ita *reatus* peccatorum nostrorum fuit causa meritoria mortis Christi, & *ejus expiatio & abolitio* causa finalis.

Rom. 4: 25.

XIV. Quod ulterius confirmatur quartò ex *Sacrificio Christi*, quod in Cruce obtulit, de quo toties Spiritus S. loquitur Isa. 53: 10. Joh. 1: 29. Eph. 5: 2. & passim in Epistola ad Hebræos. Cur enim toties, & tam expressè proponeretur nobis Christus, ut verus & propriè dictus Sacerdos, longè præstantior Sacerdotibus omnibus Leviticis; qui per sui Oblationem iram Dei placavit, & æternam salutem nobis est adeptus, nisi ut plena peccati expiatio per ejus satisfactionem præstita, ut veritas veterum figurarum clariùs repræsentaretur? Cùm enim victimis istis piacularibus, nec doctrina confirmaretur, nec exemplum obedientiæ & charitatis ederetur, nec fœdus percuteretur, nec ira Dei per se placaretur, necesse est institutas fuisse primariò ad Sacrificium & Satisfactionem repræsentandum: quod probatur in specie 1. ex *Sacerdotis* ratione, quam hic sustinuit Christus; quia constituitur ἐν τοῖς πρὸς τὸν Θεόν, in iis quæ apud Deum peragenda sunt, puta ad ipsum sacrificio aliquo ἱλαστικῷ placandum. 2. ex ratione *Victimæ*, quæ in locum peccatoris substituebatur, ad ferendam pœnam mortis ipsi debitam, quod ritus *impositionis manuum*, & *confessionis* pec-

4. Ex Sacrificio Christi Isa. 53: 10. Eph. 5: 2. Joan. 1: 29.

peccatorum ſuper caput victimæ ad ea portanda evincit. 3. ex triplici effectu Sacrificii, reſpectu *Dei*, per ἱλασμὸν ſeu *placationem* ejus iræ, reſpectu *peccati*, per καθαρισμὸν & ἁγνισμὸν, *expiationem* & oblationem reatus, reſpectu *hominis*, per ἄφεσιν, ſeu *remiſſionem* quæ ex propitiatione Dei, & expiatione peccati ſequebatur. Nec enim perſona potuit liberari & veniam obtinere, ſine victimæ ſubrogatione, nec Deus placari ſine ſanguinis fuſione, nec peccatum expiari ſine pœnæ perpeſſione. QUÆST. XI.

XV. Nequicquam hîc obtenditur à Volkelio & aliis. 1. *Non omnia ſacrificia hilaſtica Sacrificium Chriſti adumbraſſe; ſed ſolenne & anniverſarium, quod die expiationum offerri ſolebat* Lev. 16. *quod nullam continuit ſatisfactionem, utpote quæ nec ab ipſiſmet victimis, nec à Pontificis perſona manare potuerit.* Quia Paulus non unum aliquod Sacrificium hilaſticum, ſed omnia opponit Sacrificio Chriſti, & illorum ex iſto abrogationem colligit Heb. 7:27. & 10:4. 5. 11. Nec aliò reſpicere potuit ſacrificium juge, quod quotidie offerebatur, vel alia ſacrificia ἱλαστικὰ Agnorum, quæ in uſum privatorum cedebant, quàm ad adumbrandam oblationem pro nobis Agni Dei immaculati. Nec obſtat, quod pro omnibus in commune non offerrentur, ſed pro ſingulis in particulari. Nam ut Sacrificia, quæ fiebant pro omnibus in communi, Chriſtum omnium ſuorum propitiationem facturum ſignificabant: ſic quæ fiebant pro ſingulis in particulari, deſignabant ſingulos peccati onere preſſos propitiationem debere quærere, & conſequi in Sacrificio Chriſti. Licet verò Sacrificia iſta propriè dictam ſatisfactionem coram Deo non continuerint, cùm anima hominis carior ſit, quàm ut ſanguine pecuino redimi poſſit; typicam tamen & cæremonialem quoad puritatem carnis dederunt Heb. 9:13. quæ nec victimæ oblatæ ſeorſim, nec Sacerdoti offerenti adſcribenda eſt, ſed utrique conjunctim ex Dei ipſius ordine.

XVI. 11. Excip. *Expiationem nihil aliud eſſe, quàm liberationem plenam à peccati morte, quæ non meritoriè tribuenda ſit morti, ſed tantùm exemplariter, & declarativè.* Sed hîc confunditur cauſa cum effecto, & quod eſt Judicis liberantis, cum eo quod eſt Sponſoris pro Reo ſolventis; Liberationem enim Judex facit, ſed expiationem Reus, vel alius quis ejus nomine. Unde ſequitur, purgatio noxæ, & reatus oblatio per pœnæ vel propriæ vel alienæ lationem. Deinde ſi mors declarativè tantùm ſe habuit ad expiationem peccati faciendam, nihil magis contuliſſet, quàm Victimæ legales, quæ & idem teſtari poterant, quibus diſertè negat Paulus expiari potuiſſe peccata. Sic reſurrectioni ipſius non minus ac morti adſcribenda eſſet iſta expiatio, quod tamen nunquam facit Scriptura. Adde quod declaratio reſpicit homines, At expiatio Deum. Illa ad Officium Propheticum potiùs pertinet, Iſta verò ad Sacerdotale. Nec ſi expiatio aliquando Deo ipſi tribuitur ut Deut. 21: 8. & Pſ. 51: 9. qui tamen non

 ſatis-

QUÆST. XI

satisfacit, eadem statim debet esse ratio expiationis, quæ Christo ut Victimæ tribuitur. Quia pro ratione subjecti, cui expiatio tribuitur, diversimodè intelligenda est. Nam respectu Dei, τὸ *expiare* est expiationem à Sacerdote factam admittere, per placationem & peccati remissionem. Sed in Sacerdote, & Victima, est eam procurare meritoriè per sanguinis fusionem, & pœnæ vicariæ perpessionem.

XVII. Exc. III. *Sacrificia pro levioribus tantùm peccatis, quæ vel per incogitantiam, vel per errorem committerentur oblata fuisse, non verò pro gravioribus & ultroneis, pro quibus nullum sacrificium institutum fuerat. At mortem Christi pro omnibus peccatis sine discrimine, latam fuisse.* Sed hoc supponitur gratis, non probatur: imò expresè in anniversario Sacro expiationum *omnes iniquitates* filiorum Israël dicitur hircus portasse Lev. 16: 21. 22. & alibi sacrificia oblata leguntur, non tantùm pro iis, quæ committebantur בשגגה *per errorem*, sed etiam *ultro*, quæ nominibus פשע,
Heb. 9: 6. 7. אשם, חטא, בליל, & simili. denotantur. Nec si Heb. 9: 6. 7. *Sacerdos* dicitur *offerre* ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων *pro populi ignorantiis*; sequitur ultronea peccata excludi, quia ἀγνόημα nomen est, quod quibuslibet peccatis datur, quia *omnis peccans est ignorans*, unde vocantur *stulti* & ἀνόητοι passim in Scriptura; apud LXX. ἄγνοια sæpe respondet τῷ פשע & אשם, quod scelus & rebellionem notat. Quod si pro quibusdam peccatis ultroneis gravioribus nullum legitur institutum sacrificium, qualia erant homicidium, idololatria, adulterium, & similia quæ רמה ביד *elatâ manu* & per superbiam fiebant, ideo hoc factum est, quia puniri ea Deus voluit supplicio capitali, atque adeo peccantes non opus habuerunt hoc remedio, cùm eorum mors fuerit instar expiationis cujusdam publicæ.

5. Ex reconciliatione cum Deo.

XVIII. Quintò, Argumentamur ex *nostra cum Deo reconciliatione*, quam Christus per mortem suam nobis procuravit. Nam cùm reconciliatio ista supponat dissidii, quod inter Deum & creaturam intercedebat propter peccatum, compositionem; Non potuisset fieri sine satisfactione, quæ duplex obstaculum occurrens removeret, à parte Dei, justitiam, cui satisfieri debuit, à parte hominum, peccatum, cujus reatus expiari debuit per pœnæ debitæ perpessionem. Christum istam reconciliationem nobis procurasse docet passim Apostolus Rom. 5: 10. 2 Cor. 5: 18. 19. Col. 1: 20. 21. &c.

Rom. 5: 10. 2 Cor. 5: 18. 19. Col. 1: 20. 21.

XIX. Exceptiones Adversariorum eò redeunt, ut ista reconciliatio *dicatur fieri per nostram ad Deum conversionem, non verò per iræ divinæ placationem, quia non dicatur Deus nobis reconciliari, sed nos Deo, imò dicatur ipse reconciliationem nostram procurare, quod signum est non irati, sed placati.* Sed πρῶτον hoc ipsorum ψεῦδος multa sunt quæ revincant. 1. Quia Scriptura duplicem inimicitiam & alienationem proponit, non modò à parte hominum, qui per peccatum facti sunt θεοστυγεῖς, id. Dei osores

Ro-

Roman. 1. 30. & inimici ejus in malis operibus Col. 1. 21. sed etiam à parte Dei per iram, quæ revelatur cœlitus adversus omnem impietatem Rom. 1. 18. ex qua homines naturâ sunt *filii iræ*, Ephes. 2. 1. & Deus oculos dicitur habere puriores, quàm ut videat malum Habac. 1. 13. imò dicitur non posse ferre mendacium *&c.* Psal. 5. 4. 5. Ut ergo utrinque fuit abalienatio; ita utrinque reconciliatio præstari debuit, à parte Dei per iræ aversionem, à parte hominum per conversionem, quod Apostolus clarè docet 2. Cor. 5. 18. 19. dum ex eo quòd Deus nos sibi reconciliavit per Christum v. 18. ostendit Apostolos nomine Christi hortari peccatores, ut & ipsi reconcilientur Deo. 2. Si reconciliatio nihil aliud esset quàm conversio, melius vitæ Christi gloriosæ, quàm cruentæ morti ferretur accepta, & nulla ratio afferri posset, cur ab Apostolo sanctificatio proponeretur, ut finis reconciliationis Coloss. 1. 22. cùm nihil possit esse sui ipsius medium & finis. 3. *Reconciliatio* talis intelligitur, quæ fit per *non imputationem peccati* fundatam in imputatione ejus in Christum factâ, quum peccatum pro nobis factus est 2. Cor. 5. 18. 21. & per substitutionem Christi loco nostro, pro nobis moriendo, ut ex collatione ejus, qui pro viro probo mori sustinet colligitur Rom. 5. 7. quod satisfactionem infert, non simplicem conversionem. 4. Reconciliatio fit per pacificationem in sanguine Col. 1. 20. & ἱλασμὸν 1. Joan. 2. 2. At hoc conversionem non innuit, sed primariò iræ Dei placationem, quæ morte victimæ procuratur. QUÆST. XI.

XX. Quamvis verò Scriptura ferè soleat reconciliationem istam referre ad homines cum Deo, potius quàm ad Deum cum hominibus, quia offendentes reconciliatione opus habent ad offensum. Hoc tamen non excludit, sed supponit reconciliationem Dei nobiscum. Siquidem offensio non potest esse sine justitiæ læsione, quæ placari prius debet, antequam possit Deus homines sibi reconciliare, & ad gratiæ suæ communionem admittere. Nec si Deus ipse dicitur procurasse reconciliationem istam, sequitur non fuisse iratum, sed nobis placatum & propitium, quia hoc quidem infert ipsum amore benevolentiæ erga nos motum fuisse, ut reconciliationem istam decerneret, sed non statim ut censeatur placatus & reconciliatus, sed tantùm reconciliandus & placandus peccatis nostris, quibus non poterat non esse iratus.

XXI. Frustra verò additur, *Christum, ἱλασμὸν & ἱλαστήριον nostrum dici, non quòd Deum iratum nobis placet, sed quia eum jam placatum & minimè iratum esse testificetur.* Quia sanguis Christi effusus est in remissionem peccatorum non contestandam, sed obtinendam, ut fiebat in Sacrificiis hilasticis Veteris Testamenti, aliàs Christum mori & sanguinem suum fundere nihil opus fuisset; Cùm hoc satis & doctrinâ & vitâ suâ potuisset testari. Nec si operculum Arcæ ἱλαστήριον dictum est impropriè & declarativè, quia suam erga po-

QUÆST. XI.

populum ex illo benevolentiam declarabat, Idem de Christo dici debet, cui hoc tribuitur maximè propriè, non tam passivè, quàm activè, quia propitiationem nostram fecit suo sanguine, ut quod typicè tantùm & symbolicè in Propitiatorio adumbrabatur, sanguinis Victimarum aspersionem, Id Christus verè & propriè præstiterit, per proprii sanguinis fusionem. Quamvis verò propitiationis istius applicationem & fructum nobis obtineat jugi suâ Intercessione in cœlo, non propterea potest dici eam in cœlis tantùm fecisse. Nec eò spectat locus Hebr. 2. 17. in quo non dicitur Christus in cœlis ἱλάσκεσθαι seu expiare peccata, sed tantùm debuisse ideo per omnia fratribus similis fieri, ut evaderet fidelis Sacerdos τὰ πρὸς τὸν Θεὸν εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ, quod fecit suâ morte & passione, ut sequentia innuunt.

6. Ex natura mortis Christi.

XXII. Sextò, Idem confirmatur, Ex *natura & adjunctis passionum* Christi, & *specie mortis* ab ipso latæ, cui nihil ad veram & plenam satisfactionem defuit. Non *essentia* seu *species pœnæ*, quia illi inflicta est mors à Lege denunciata, non vulgaris & ordinaria, sed violenta, & acerbissima, ad modum supplicii inflicta, & à Deo ipso maledicta, in qua præter summam ignominiam, & acutissimos dolores corpori sanctissimo inflictos, anima horribili pavore & tristitia correpta fuit, & tanto cum angore & metu conflictata est, ut & ipsi Angelum confortantem apparere oportuerit, & sudor è corpore manarit, quasi grumi sanguinis, preces & supplicationes cum clamore valido & lachrymis obtulerit illi, qui eum poterat à morte servare, Hebr. 5. 7. & se à Deo Patre tristissimâ voce, si non, quoad dissolutionem Unionis, sanctitatis participationem, & sustentationem virtutis: At quoad substractionem visionis, gaudii & solatii suspensionem, & felicitatis plenæ fruitionem & sensum, derelictum conquestus fuerit. Quæ talia sunt, ut nullam aliam legitimam causam habere possint, nisi in justitia vindicatrice satisfactionem pro nobis plenissimam à Christo exigente: Nisi velimus Christum molliorem & timidiorem fuisse innumeris Martyribus, qui eandem mortem corpoream acerbissimam, si non acerbiorem quoad exquisitissima tormenta, animo intrepido & alacri & sine ulla tristitiæ & pavoris testificatione sustinuerunt, quod aures Christianæ ferre non possunt. 2. Non *Tempus*, quia licet finita fuerit duratione, infinita tamen fuit valore ex Personæ patientis dignitate. 3. Non *identitas personæ peccantis*, quia licet hoc Lex exigat κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον, Evangelium juxta ἐπιείκειαν paternam admittit substitutionem, ut antea dictum, & illi satis est peccatum puniri, etsi peccator non semper puniatur.

7. A proprietatibus Dei.

XXIII. Septimò, Assertâ Satisfactione, mirum in modum illustratur *Misericordia*, quæ tanta fuit, ut proprio Filio non pepercerit, ut nobis parceret: *Justitia* quæ ut illibata maneret, sanguinem ipsum Filii Dei petiit: *Sapientia*, quæ admirabilem rationem invenit misericordiam cum

ju-

justitia conciliandi, & nodum aliàs insolubilem solvendi, tranquillatur conscientia, sensu peccati & judicii ac maledictionis divinæ territa. Negatà verò, præterquam quod *Veritas* ipsa Dei, qui toties mortem & maledictionem peccatoribus intentavit, in dubium vocatur, & *Justitia* ipsa non parum obscuratur; ut quæ reum convictum, impunito peccato, non justificet modò, sed præmiis etiam amplissimis donet; Non pauca sequuntur Absurda. 1. Apostolorum & Martyrum morti non minus posse tribui Redemptionem nostram, quàm morti Christi, siquidem & illi sanguine suo doctrinam Evangelii confirmarunt, & exempla patientiæ & obedientiæ eximia nobis dederunt. 2. Christum nos servasse potius vitâ & miraculis, quàm morte; cùm præconium doctrinæ, & exemplum vitæ longè illustrius fuerit. 3. Officium Sacerdotale in terris tolli, & confundi cum Prophetico & Regio. 4. Fideles Vet. Test. non servatos fuisse per Christum, ad quos puta exempla virtutum ejus, & præconium doctrinæ non pervenerunt. QUÆST. XI.

XXIV. Quamvis vox *Satisfactionis* expressè & αὐτολεξεὶ non occurrat in Scriptura, sufficit ut æquivalenter & implicitè contineatur, sub aliis vocibus, quæ vel nullum sensum habent, vel satisfactionem veram & propriè dictam important, quales sunt ἀπολύτρωσις, ἀντίλυτρον, ἱλασμὸς, τιμὴ, κατάρα, θυσία, προσφορὰ & sim. de quibus suprà dictum. *Fontes Solutionum.*

XXV. Ut Christus duplicem σχέσιν præcipuè induit respectu fidelium, *Vadis & Sponsoris*, qui pro ipsis solvere debuit, & *Capitis* & *Domini*, qui in ipsis operari voluit, Spiritu suo eos animando & regendo: Ita geminum finem in morte & passionibus sibi proposuit, primum, ut *redemptionis pretium* pro nobis justitiæ divinæ solveret; alterum ut *imitationis exemplum* præberet, ad sequenda ejus vestigia. Hinc passiones ejus spectari possunt, vel ut *satisfactoria*, vel ut *exemplares*. Licet ergo nobis proponantur in exemplum 1 Pet. 2:21. & mors Christi pro nobis conferatur cum morte, quam pati debemus, Deo ita jubente, pro fratribus 1 Joh. 3:16. Non sequitur in morte ejus non fuisse veram satisfactionem, quia positio unius finis, non excludit, imò supponit alium. *1 Pet. 2:21.* *1 Joh. 3:16.*

XXVI. Aliud est loqui de satisfactione & solutione propria, Aliud de aliena & vicaria. Illa tollit omnem remissionem & gratiam. Sed ista non item, & sic potest satisfactio cum gratia consistere, ut gratia fiat alicui, dum satisfactio ab alio exigitur. Ita quando ad idem referuntur remissio & satisfactio, sunt ἀσύςατοι, sed quando ad diversa, non item. Satisfactio Deum habet pro termino, Remissio homines, satisfit Dei justitiæ, atque ideo remittitur gratis peccatum peccatori. Ita justitia & misericordia se invicem osculantur, dum illa in peccatum exeritur, ista in peccatores exercetur, gratuita est remissio respectu nostri, quia justa satisfactio exacta est à Vade, nihil à nobis exigitur, quia plenaria solutio facta est.

QUÆST. XI.

XXVII. Si Christus satisfecit, non statim satisfecit sibi ipsi præcisè loquendo ut Christo, sed ut Deo, & Dei Filio: Non ergo idem, & secundum idem dat & accipit solutionem; dat eam, ut θεάνθρωπος, accipit eam ut λόγος, dat eam ut Mediator, accipit eam ut Judex. Non absurdum est autem eundem sibi ipsi satisfacere, quando non agitur de satisfactione privatâ, quâ compensatur damnum privatum, vel pecunia debita solvitur, quia sic de suo acciperet, & sibi ipsi solveret; Sed de publicâ, quâ reparatur injuria publica, quomodo Judex, qui Legem violavit, ut privatus potest sibi ipsi ut Judici satisfacere, pœnam Lege denunciatam, vel per se, vel per alium luendo, quomodo hîc se res habet.

XXVIII. Si Christus mortem æternam non tulit, sed temporalem tantùm & triduanam, non minus tamen solvit quod à nobis debebatur quoad infinitatem pœnæ. Quia si non fuit infinita quoad durationem, fuit tamen talis æquivalenter quoad valorem, propter personæ patientis infinitam dignitatem, quia non fuit passio meri hominis, sed veri Dei, quia suo sanguine Ecclesiam acquisivit Act. 20:28. ut quod deest finito tempori, suppleatur per personæ divinæ conditionem, quæ passioni temporali pondus addit infinitum. Perperam tamen quis inde colliget, siquidem Persona patiens fuit infinita, unicam sanguinis Christi guttam potuisse sufficere ad redemtionem nostram, quia, licet quælibet passio habeat *valorem infinitum subjective* ratione patientis, sola tamen mors habuit valorem infinitum *objectivè* respectu Judicis infligentis. Dignitas Personæ potest augere pœnæ, quam patitur dignitatem, ut eo gravior censeatur, quo illustrior est Persona quæ patitur; sed non potest ipsam speciem pœnæ à Lege sancitam compensare. At mors sola respondet Legi & justitiæ convenit.

XXIX. Licet *desperatio* & *fremitus* conjungantur cum pœnis damnatorum; Non sequitur Christum ferendo pœnas peccato debitas debuisse illis exponi, quia non sunt de essentia pœnæ, prout à Judice infligitur, vel à Sponsore sanctissimo fertur; sed habent rationem adjuncti, quod eam comitatur, propter vitium subjecti patientis, quod cùm videt impossibilitatem eluctandi ex pœna sibi inflicta, facilè in desperationem & fremitum cadit; quod alienissimum fuit à Christo, qui de liberatione & resurrectione sua fuit securus, atque adeo in mediis cruciatibus suam in Deum fiduciam semper testatus est.

XXX. Quamvis mors infiniti valoris pro singulis peccatoribus deberetur; Non minus tamen sufficere potuit redimendis omnibus electis. Quia alia ratio est solutionis pecuniariæ, alia satisfactionis pœnalis. Illa æstimatur tantùm à re quæ solvitur à quocunque solutio fiat; nec pluribus potest sufficere. Sed quia ista æstimatur ex ratione personæ satisfacientis, ideo pro dignitate ejus crescit etiam dignitas pretii, & pluribus potest sufficere.

Li-

Licet nummus non plus valeat in manu Regis, quàm Captivi; tamen caput & vita Regis longè superat pretio vitam vilis mancipii, ut vita Davidis plus æstimatur dimidio exercitu 2 Sam. 18. 3. Sic unus Christus pluris æstimari debet, quàm omnes simul. Dignitas infinitæ Personæ exhaurit & absorbet omnes infinitates pœnæ nobis debitas. 2. Non novum est, ut quod uni necessarium est, possit etiam pluribus sufficere, quando agitur de iis quæ indivisim communicantur. Unus Sol, qui necessarius est ad singulorum illuminationem, universis tamen illuminandis sufficit. Una victima sufficiebat & pro Sacerdote & pro Populo. Uno sacrificio propitiatorio anniversario totius populi peccata expiabantur, licet tot expiationes requirerentur, quot erant Israëlitæ, quia unica illa expiatio sic erat universorum, ut ex Dei destinatione foret etiam singulorum. 3. Scriptura ita expressa est in hoc negotio, ut nemo, nisi obloqui voluerit Spiritui Sancto, possit illud negare. Ecquid enim doceret Isaias Deum conjecisse in ipsum iniquitates omnium nostrûm Isa. 53: 6. & Paulus 2 Cor. 5: 14. unum pro omnibus mortuum, & alibi unicâ oblatione eum perfectè consummasse eos qui ad Deum accedunt Heb. 10: 14. nisi ut innuat unicam mortem Christi sufficisse ad plenam satisfactionem pro omnibus electis? quomodo una Adami inobedientia multos constituit peccatores Rom. 5: 18. 19. Denique unus pro multis, qui sint ejusdem ordinis satisfacere non potest. Sed nihil obstat, quum sunt diversi. Unus Rusticus non potest satisfacere pro multis rusticis, sed Princeps potest pro multis rusticis. Si hoc valet inter Creaturas, quæ omnes sunt finitæ & mortales, quanto magis inter Creaturas & Creatorem, inter quos est infinita distantia? QUÆST. XI.

XXXI. Regula, quam ponit Ezechiel 18. de anima ipsa peccante punienda; non potest absolutè & simpliciter intelligi, alias omnis peccatorum imputatio tollenda esset, quam Scriptura tot exemplis adstruit; sed secundùm quid in via ordinaria Providentiæ, non in via extraordinaria Gratiæ; Vel in negotio peculiari Judæorum, cum quibus agebat Dominus, ut illis obstrueret os, ne quererentur se immerentes pœnas ferre propter peccata parentum; sed non in communi hominum regimine, in quo Deus testatur se visitaturum iniquitates Patrum in filios Exod. 20. *Ezech. 18.*

XXXII. Tantùm abest ut doctrina Satisfactionis Christi sit impietatis janua, & securitatis ac negligentiæ pulvinar; Ut sanctitatis sit efficacissimum medium, & mors ipsius peccati, quem Christus finem inter alios etiam sibi proposuit, ut mortui peccato vivamus justitiæ; non amplius nobis viventes, sed illi qui mortuus est & suscitatus pro nobis, ut toties hoc urgetur à Paulo Rom. 6. Tit. 2: 14. 1 Pet. 2: 24. Plura vide Disp. de Satisfact. Veritate à Parte I. usque ad IX.

QUÆST. XII.

QUÆSTIO XII.

DE PERFECTIONE SATISFACTIONIS.

An ita perfecta fuerit Christi Satisfactio, ut nullus post eam, vel Satisfactionibus humanis in hac vita, vel Purgatorio post hanc vitam locus esse possit? Affirm. contra Pontificios.

I. UT in præcedenti Quæstione res nobis fuit cum Socinianis; Ita in hac agendum est cum Pontificiis, qui licet Unitatem & Perfectionem Satisfactionis Christi oretenus asserant, & injuriam gravem sibi fieri clamitent, quum ipsis tribuitur, quòd dicant *Christi passionibus, quibus peccata nostra expiavit, aliquid defuisse, quominus plena ac perfecta esse possit ejus Satisfactio.* Ut loquitur Bellarm. lib. 2. de Indulg. cap. 14. reipsa tamen eam non uno modo labefactant & evertunt dum statuunt eam restringendam esse ad peccata antebaptismalia, & ad reatum culpæ, & non pœnæ, vel ad pœnam æternam, & non temporalem, ut jam jam dicetur.

Status Quæstionis.

II. In antecessum observandum *Satisfactionem*, aliam esse *qua Deo præstatur.* Aliam, *qua hominibus*, Ista, vel est *privata*, quæ *reparativa* dicitur, & debetur proximis læsis & offensis; Vel *publica*, quæ *Canonica* vocatur, quia certis Canonibus & regulis Veteris Ecclesiæ continebatur, & frequentissimè imponi solebat in foro externo ad correctionem peccatorum, & reparationem scandali. Illa propriè dicitur de λύτρῳ Christi, quo ille tanquam Sponsor noster pro nobis satisfecit. Abusivè verò tribuitur operibus satisfactoriis, quibus pro peccatis suis vel alienis homines finguntur satisfacere. Hic verò non de ista agitur, sed de illa quæ Deo præstari debet, ad satisfactionem justitiæ, & expiationem peccati. Non enim quæritur, An Satisfactio Christi excludat omnes satisfactiones humanas, vel privatas, vel publicas & Canonicas, quæ imponuntur peccatoribus ad propriam correctionem, & scandali Ecclesiæ dati reparationem. Hoc enim & ritè factitatum fuisse in Veteri Ecclesia, & laudabiliter posse observari censemus. Sed, An positâ Satisfactione Christi, aliæ satisfactiones Deo præstandæ pro peccatis, imponi possint aut debeant fidelibus; quod negamus, Adversarii volunt.

III. Non quæritur, An Satisfactio Christi excludat castigationes fidelium, quæ *pœnæ medicinales*, & impropriæ dicuntur, quales sunt librorum

in

in paterna domo disciplinæ; hoc enim facilè concedimus. Sed An excludat satisfactiones, seu *perpessiones pœnales* eorum, quæ non sint ad medicinam tantùm, vel pietatis experimentum, sed ad ultricis justitiæ satisfactionem, & quæ imponantur à Dei *judicio*, non *domestico* & paterno, quod à Patrefamilias ex amoris & sapientiæ regulis in liberos exercetur, sed *forensi*, quod à Judice ex præscripto legum in facinorosos decernitur. Quod est Adversariorum dogma: quod a nobis impugnatur: Pertendunt scilicet Satisfactionem Christi, quamvis infinita fuerit, non ita plenam & sufficientem fuisse, quin requirantur adhuc variæ satisfactiones à fidelibus, si non pro culpa, vel pœna æterna, quam agnoscunt Christum sustulisse, saltem pro pœna temporali, Concil. Trident. Sess. 4. c. 8. Cano. 13. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi meritum satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut orationibus, jejuniis, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis exercitiis, atque adeo optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, Anathema sit.* Quæst. XII.

IV. Remonstrantes non parum etiam perfectionem istius satisfactionis labefactant. Licet enim nondum eò audaciæ devenerint, ut omnino rejiciant satisfactionem cum Socinianis, videntur tamen totis viribus ejus vim & plenitudinem imminuere & elevare; dum pertendunt Satisfactionem à Deo admissam non esse per inhærentem dignitatem, sed per acceptilationem, ut non fuerit vera satisfactio, sed tantùm solutio imaginaria. Ut sensus sit Deum acquievisse postquam Christus mortuus est, non quod revera sibi sit satisfactum, sed quòd Deo placuerit esse gratiosum, & Christi Satisfactionem ut plenam admittere.

V. Nos verò Satisfactionem Christi censemus ita perfectam & sufficientem, ut plenissimè pro peccatis nostris omnibus satisfecerit, unicâ sui oblatione, non tantùm pro culpa, sed etiam pro pœna tam temporali quàm æterna, ut nullum deinceps supersit sacrificium hilasticum denuò offerendum, nec satisfactiones vel in hac vita, vel post eam luendæ, quamvis non rarò castigationibus Dei fideles exponantur ad pœnitentiam & sanctitatem eorum promovendam.

VI. Perfectio autem ista in eo attendi debet, quòd adæquata fuerit justitiæ Dei in verbo revelatæ, & Legis postulato, & respondens eorum malis meritis, & necessitatibus pro quibus data est, non ex acceptantis gratiâ per acceptilationem, sic enim & victimæ legales potuissent peccata expiare contra Heb. 10:4. sed ex meriti sufficientia & condignitate operis. Primò respectu *partium*, quia id omne plenissimè implevit, quod Legi à nobis debebatur, tum quoad obedientiam vitæ, tum quoad passionem mortis, tum quoad *virtutem Satisfactoriam*, quâ per pœnarum nobis debitarum lationem nos liberavit à reatu mortis & maledictionis; tum quoad *vim meritoriam*, quâ

QUÆST. XII.

quâ nobis reconciliavit Patrem, & jus ad vitam acquisivit. 2. respectu *graduum*, quia non solùm id omne fecit & passus est, quod Lex postulabat, sed ita plenè & perfectè quoad modum & gradum, ut nihil in ea desiderari potuerit; propter dignitatem personæ satisfacientis, & gravitatem pœnæ exantlatæ. Unde sequitur tertia σχέσις perfectionis istius respectu *effectuum*, qui spectantur, tum respectu *Dei*, in perfecta *reconciliatione* cum Deo Rom. 5: 10. & 2 Cor. 5: 18. tum respectu *peccati*, in perfecta *expiatione* & *remissione*, Eph. 1: 7. Heb. 1: 3. & 9: 26. tum respectu *fidelium in plena consummatione & redemptione ipsorum* Heb. 9: 12. & 10: 14. tam quoad liberationem à morte, quàm quoad juris ad vitam acquisitionem.

Perfectio Satisfactionis probatur 1. ex dignitate Satisfactionis.

VII. Talem autem esse istius Satisfactionis Perfectionem multa probant. 1. *Personæ satisfacientis dignitas*, quæ cùm non modò sancta fuerit & purissima, sed etiam verè divina, in qua plenitudo omnis habitavit Colossl. 1: 19. plenitudo divinitatis, plenitudo officii, plenitudo meriti & gratiarum, dubitari non potest, quin satisfactio ab ea præstita infiniti valoris & pretii fuerit, adeoque sufficientissima & plenissima, cùm infinito nihil addi possit. Licet enim natura humana, quæ se habet ad modum principii quo, finita sit, non desinit satisfactio ipsa esse infinita, relatè ad Personam, quæ hîc est principium quod, & cui tribui debet, quia actiones & passiones sunt suppositorum.

2. ex ejus Unitate.

VIII. Secundò hoc confirmat *Unitas oblationis à Christo facta*, Cur enim Paulus toties assereret Christum se semel pro nobis obtulisse in epist. ad Heb. cap. 7: 9. & 10. & unicâ illâ oblatione in perpetuum consummari qui sanctificantur? Cur unicam ejus obedientiam nobis proponeret, quâ constituimur justi Rom. 5. nisi plena & perfecta fuisset? Ut enim iteratio imperfectionem supponit; Ita unitas ex opposito plenitudinem & perfectionem rei necessariò importat.

3. ex Judicis approbatione.

IX. Tertiò, Idem adstruit *Dei Judicis approbatio*. Nam si Deus sibi plenissimè satisfactum aliquo argumento testatus est; nemo diffiteri potest perfectissimam fuisse satisfactionem, cùm hoc tantùm quæratur, ut à Judice supremo, qui eam postulat approbetur & acceptetur. Approbatam autem & acceptatam à Deo fuisse, non modò ex destinatione Christi ad Munus Mediatorium constat, cui testimonium non semel perhibuit Pater cœlitus, quod Filius esset suus dilectus, in quo planè acquiescebat. Sed præcipuè ex *Resurrectione* à mortuis, quæ non modo indubitatum fuit Divinitatis ejus argumentum Rom. 1: 4. sed etiam certissimum perfectissimæ Satisfactionis pignus & documentum. Nam nisi plenissimè satisfecisset usque ad ultimum quadrantem, An credibile est Deum Judicem, & justitiam ejus inexorabilem, quæ plenam solutionem postulat, eum liberaturum fuisse; & evecturum ad summam illam gloriam ad quam exaltatus est in præmium perfectæ obedien-

tiæ

tiæ suæ Phil. 2:9.? Ut creditor non liberat Sponsorem è carcere, nisi plenâ solutione præstitâ: Ita nec liberari potuisset Christus, nisi omnimodè satisfecisset. Cùm ergo tam gloriosè resurrexerit, & à Patre ipso excitatus fuerit, nullus ulterius dubitandi locus superest de Satisfactionis perfectione, & λύτρȣ plenissimi solutione, cujus apocham adeo authenticam Pater nobis tradidit.

X. Quartò, *Effectus Satisfactionem* consequenter ejus sufficientiam prædicant. Quorsum enim vel reconciliatio Dei nobiscum, & iræ ejus placatio, vel peccatorum expiatio, & remissio, non dimidiata, sed plena & integra, vel fidelium ipsorum redemptio & consummatio tribuerentur morti & obedientiæ Christi, ut fit non semel in Scriptura Col. 1:20. 2 Cor. 5:21. 1 Joh. 1:7. Rom. 3:24. & 5:10. Heb. 1:3. & 9:14. & 10:14. Si plena & perfecta non fuit ejus Satisfactio? Perfectus enim effectus, perfectam causam necessariò supponit. *4. Ex Effectibus.*

XI. Positâ autem perfectâ istâ satisfactione, per se corruunt, quæcunque à Pontificiis illi superstruuntur, sive per Sacrificium Missaticum, sive per merita & satisfactiones humanas in hac vita præstandas, sive per pœnas Purgatorii post hanc vitam ferendas. Talia enim non possunt succenturiari merito & satisfactioni Christi, quin vel hæc insufficientiæ accusetur, vel Deus injustitiæ, quòd ejusdem rei duplex pretium & ejusdem culpæ duplicem pœnam velit exigere. Unde quicquid dicatur à Pontificiis de infinitate & sufficientia satisfactionis Christi, hoc ipsorum commento reipsa evertitur.

XII. Frustra reponunt Adversarii. 1. *Non derogari infinitati & satisfactioni Christi per nostras satisfactiones, imò majorem inde gloriam accedere, siquidem non aliunde vim suam & efficaciam mutuentur, quàm à satisfactione Christi, qui non tantùm satisfacit pro nobis, sed dat etiam virtutem ut satisfaciamus, atque ita non sint causæ sociæ & ejusdem ordinis, sed subalternæ & subordinatæ.* Quia gratis supponitur, quod probandum fuit, Christum dare nobis vires satisfaciendi, cùm hoc in Scriptura sit inauditum, & naturæ rei repugnet. Aliud quippe est satisfacere, aliud vires dare ad satisfaciendum. Imò hæc sunt ἀσύςατα; nam si pro nobis plenè satisfecit, quorsum quæruntur aliæ satisfactiones? Nec ulla hîc vel consociatio, vel subordinatio causàrum admittenda, ubi causa primaria est solitaria, quæ nullas alias admittit. Et hoc tantùm abest, ut hoc faciat ad majorem Christi gloriam, ut non sine insigni contumelia illi socii, vel causæ subalternæ addantur in officio quod illi unicè competit, ut sit perfectus Redemptor noster. Nec si fideles sunt συνεργοὶ Dei in applicatione salutis, ad quam aliquid conferre debent. Ideo possunt illi cooperari in ejus acquisitione, ad quam nihil conferre possunt.

XIII. 2. Non melius possunt elabi distinguendo *reatum culpæ, & pœnæ,*

QUÆST. XII. *næ, & Christum quidem pro culpa satisfecisse plenè, sed non statim pro pœna, vel pro pœna æterna, sed non pro temporali, quæ supersit fidelibus luenda, vel in hac, vel in altera vita.* Quia præterquam quod Scriptura plenam & integram remissionem omnium peccatorum Christi Satisfactioni tribuit, per quam nulla sit ipsis amplius condemnatio, Rom. 8. 1. & plenè sint consummati; Distinctio est ἀσύςατος, cùm ea sit pœnæ & culpæ conjunctio, ut sublata culpa tanquam causâ, necessariò ipsa pœna, quæ est effectus culpæ tollenda sit, nec aliud sit remissio culpæ, quam immunitas ab omni pœna, quia nonnisi injustè pœna infligi, ubi nulla amplius occurrit culpa; ut injustum esset exigere solutionem debiti soluti, vel remissi.

XIV. 3. *Christum* volunt *satisfecisse etiam pro pœna temporali, non immediate, sed mediate, quatenus in nobis & per nos satisfacit.* Sed 1. hæc temere dicuntur sine ulla Scripturæ authoritate. 2. periculosè, quia sic associantur homines cum Christo ad satisfactionem, ut non sit jam noster ex asse Redemptor, quia redimere & satisfacere æquipollent, cùm non aliter redimat quàm satisfaciendo. 3. Falsò & contra Script., quæ asserit Christum semel satisfecisse per seipsum, non verò quotidie adhuc satisfacere per alios.

XV. Porro hæc perfectio Satisfactionis à Nobis asserta, destruit etiam commentum acceptilationis excogitatum à Remonstrantibus. Nam ubi datur perfecta solutio, non potest locus esse acceptilationi, quia in solutione non attenditur gratia, sed satisfactionis plenitudo, quæ non oritur tantùm ex solventis dignitate, sed etiam ex pretii soluti æqualitate & valore. Quod ulterius etiam confirmatur, ex eo quod Christus dicitur venisse ad implendum δικαίωμα, seu *jus Legis* Rom. 8. 3. 4. faciendo scilicet quod non poteramus nos ipsi præstare propter impotentiam Legis. Jam si per Christi Satisfactionem jus Legis in nobis impletum est, debuit esse adæquata Legis postulato; Nam si per gratiam acceptilationis fuisset tantùm à Deo acceptata, non jus Legis, sed jus gratiæ in nobis fuisset impletum.

XVI. Deinde non potest dari acceptilatio, quia Christus omnem pœnam nobis debitam in se recepit, Isa. 53. 6. 7. 8. & quæ omnium maxima est & gravissima, Legis ipsius κατάραν Galat. 3. 13. Denique si Deus potuisset acceptare quamcunque satisfactionem, nihil opus fuisset, ut Dei Filius se Sponsorem sisteret, & tantis cruciatibus & morti dirissimæ subjiceretur, potuisset enim Deo per quemvis alium hominem satisfieri.

Fontes solutionum. XVII. Aliud est *pati pro Ecclesia* redimenda per satisfactionis pretium; Aliud pro ea ædificanda, consolanda, & confirmanda, per constantiæ & obedientiæ exemplum. Paulus dicit se pati pro Ecclesia, vel pro Corpore Christi *Col. 1. 24.* Col. 1. 24. non primo sensu, quo negat alibi quemquam præter solum Christum pro nobis fuisse crucifixum 1. Cor. 1. 13. sed posteriori, ut ipse interpretatur *2. Cor. 1. 6.* 2. Corint. 1. 6. ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, &

2. Tim.

2 Tim. 2: 10. dicit se pati omnia *propter Electos*, non ad eos redimendos à pœnis temporalibus, sed ut confirmati suo exemplo obtineant salutem per Christum, quod Thomas in 3. q. 48. art. 5. ad 1. bene observat, *Passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli & exhortationis.*

XVIII. *Passiones Christi*, quarum reliquias Paulus debuit *ἀνταναπληρῶν vicissim implere*, Col. 1: 24. non sunt Passiones personales Christi naturalis, sed Passiones *Christi mystici*, id. Corporis ejus seu Ecclesiæ, quæ ad instar Christi, imponuntur ferendæ singulis membris pro parte sua, & quæ Paulo in particulari assignatæ erant à Deo, quas ideo se vicissim seu pro parte sua implere dicit, alacriter gestando partem crucis, quæ ipsi à Christo ad ferendum erat imposita. Sic *Christus* sæpe pro Corpore suo ponitur Act. 9: 4. & 1 Cor. 12: 12. & *Passiones Christi*, afflictiones fidelium notant 2 Cor. 1: 7. Heb. 11: 26. non modò ratione *principii*, quia Christus eas imponit, & ad eas nos vocat, ut supremus Agonotheta Act. 9: 16. & 1 Pet. 2: 21. Phil. 1: 29. non modò ratione *objecti*, quia propter Christum & ejus Evangelium imponuntur, sed & ratione *communionis*, quæ nobis intercedit cum Christo, quia ut unum sumus cum Christo; ita bona & mala nostra sunt nobis communia, Christus malis nostris afficitur, non minus ac suis, & nos vocamur ad participandum passionibus ejus, ut illi conformes fiamus in cruce priusquam in gloria Rom. 8: 28.

Col. 1: 24.
2 Cor. 1: 7.
Heb. 11: 26.

XIX. Aliud est peccata sua redimere verâ satisfactione, Aliud eorum cursum abrumpere per opera pœnitentiæ & charitatis. Daniel posterius hoc suadet Nebucadnezari c. 4: 27. non prius: τὸ פרק primò non est redimere, sed *abrumpere*, *abstrahere*, atque inde *liberare*, suadet ergo Regi vitæ immutationem & pœnitentiam, ut injurias & oppressiones illatas beneficentiâ resarciat, peccatorum cursum abrumpat, ut melius illi sit, & obtineat exemptionem à pœnis, quæ illi propter scelera sua imminebant, & pacis suæ continuationem, *si forte erit prolongatio tranquillitatis suæ.* Quò referenda sunt loca varia, in quibus *pœnitentiæ* promittitur remissio peccatorum, non ut causæ meritoriæ, vel pœnæ satisfactoriæ, sed ut *conditioni* annexæ.

Dan. 4: 27.

XX. Aliud est loqui de pœnis propriè dictis & satisfactoriis, quæ à Judice infliguntur ad justitiæ satisfactionem. Aliud de pœnis impropriis & castigatoriis seu medicinalibus. Non negamus fidelibus pœnas istas sæpe imponi, non à Deo Judice, sed à Deo Patre, non ex odio, sed ex amore, non ad vindictam, sed ad medicinam, non ad destructionem, sed ad correctionem. Hinc Cyprian. *Ad hoc corripit Dominus ut emendet, ad hoc emendat ut servet*, Thom. 3. q. 69. *Ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem certamina & exercitationes Sanctorum.* Et August. discri-

QUÆST. XII. men inter pœnas impiorum, & castigationes piorum optimè exponit de Civ. Dei. lib. 1. cap. 8. *Quicunque boni malique pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utrique perpessi sunt: manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium: nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula palea comminuuntur, & frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem prali pondere exprimitur: Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos vastat, damnat & exterminat. Unde in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni autem precantur & laudant; Tantùm interest, non qualia, sed qualis quisque patitur.*

XXI. Pœnæ quidem nomen retinent aliquando tales castigationes, sed impropriè. 1. Quia naturâ suâ pœnæ sunt à summo Judice miseris mortalibus ob violatam legem constitutæ; Ideo etiam mutato fidelium statu, nomen retinetur antiquum, quia si non formaliter, materialiter tamen idem sunt. 2. Quia multiplex datur similitudo ipsarum cum pœnis propriè dictis. Primò quia carni, quæ destrui debet non minus ac pœnæ propriæ, sunt graves & molestæ. Secundò, quia non temerè, sed certâ Dei boni voluntate & dispensatione immittuntur fidelibus, non secus ac pœnæ infliguntur Judicis arbitrio. Tertiò, quia ex occasione peccati infliguntur. Quartò ex sensu fidelium, qui Deum ut iratum Judicem sæpè apprehendunt. Quintò, quia utræque ad exemplum proponuntur. Sed discrimen semper manet; quòd in illis satisfactio justitiæ intendatur tanquam finis à Deo Judice; In istis verò correctio peccatoris à Deo Patre.

2 Sam. 12: 14. XXII. Mors filioli Davidis, quæ ipsi post remissum peccatum infligitur 2 Sam. 12: 14. fuit pœna paterna & medicinalis, non satisfactoria, & judicialis, quia remisso semel peccato nulla superesse potuit pœna ferenda. Nec hoc colligitur, vel ex eo quòd immissa dicitur à Deo, quia per peccatum blasphemare fecerat inimicos nomen Domini. Nam sic occasio quidem & causa impulsiva notatur, sed non finalis, vel si finalis innuitur, non est satisfactio justitiæ, sed reparatio scandali dati, quia decebat divinæ domus disciplinam turpissimo facinore violatam, aliquo exemplo sanciri. Vel ex eo quòd magno studio & lachrymis eam deprecatur. Quia hæc est naturæ nostræ indoles, ut quicquid durum est & molestum refugiat, & amoliri conetur, ut æger mordaces pulveres, cauterii molestiam, & medicinæ amaritudinem deprecatur, licet nihil minus quàm pœnæ sint.

XXIII. Licet mors fidelibus infligi non possit ad cautionem futuri, seu ad emendationem; Non sequitur esse pœnam propriè dictam, quæ imponatur ad satisfactionem. Quia aliæ plures sunt causæ, tum ut reliquiæ peccati in nobis aboleantur, & sic è statu animali & terreno transeamus ad coele-

cœlestem & spiritualem, tum ut sic exercitatio pietatis, & virtutum Christianarum manifestatio elucescat, tum quia moriendi necessitas omnibus debet esse potentissimum ad vitam emendandam incitamentum. QUÆST. XII.

XXIV. *Judicium*, quod dicitur à Petro, *incipere à domo Dei*, 1 Pet. 4: 17. non est Judicium Legale vindictæ, quod ab irato Judice proficiscatur, sed paternum & Evangelicum castigationis, quod non est ad supplicium & destructionem, sed ad exemplum & correctionem, ut correpti sic à Domino non condemnemur cum mundo, ut Paulus loquitur 1 Cor. 11: 32. *Vindicta* de qua Paulus loquitur 2 Cor. 7: 11. non est pœna propriè dicta Dei judicis, sed vel notat pœnam canonicam excommunicationis, quæ ab Ecclesia infertur ad scandali reparationem & exemplum, vel potius notat exercitium pœnitentiæ & contritionis, quâ homo peccator sibi irascitur, & ultionem de seipso sumit ob crimen admissum. 1 Pet. 4: 17. 1 Cor. 7: 11.

XXV. Licet illi quibus peccata erant remissa in V. T. deberent adhuc pro illis sacrificia offerre; Non sequitur satisfactioni post remissionem peccati locum esse posse. Quia sacrificia non fuerunt satisfactio propriè dicta, sed typi satisfactionis alienæ futuræ per Christum, cujus vi remissio illa dabatur.

XXVI. Quum dicitur Prov. 16:6. *misericordiâ & veritate peccatum redimi, vel expiari:* Hoc non favet satisfactionibus humanis, sive intelligatur de *misericordia & veritate Dei*, ut quidam volunt, quia non tollit, sed ponit satisfactionem Christi, sive de *misericordiâ & veritate hominis*, ut alii, quia sic notatur conditio, cui datur peccati remissio; non verò causa propter quam datur: Nam ut judicium in immisericordes sine misericordia exerceri debet. Ita misericordes misericordiam consequentur Matt. 5: 7. Nec כפר hîc expiationem propriè dictam, sed vel tectionem tantùm & remissionem, quam Deus veris fidelibus & misericordibus largitur, vel ablationem & remotionem notat, ut alibi Isa. 28: 18. quia exercitium charitatis & sinceræ pietatis removet & aufert vitia contraria, quod sequentia confirmant, quum additur *in timore Dei est declinatio à malo.* Prov. 16:6.

XXVII. Quamvis nihil inquinatum in regnum cœlorum possit ingredi; Non opus est tamen, vel satisfactione post Christum in hac vita, vel in altero Purgatorio ad sordes eluendas, quia fideles in momento separationis animæ à corpore, purgantur perfectè à reliquiis peccati per Spiritum Christi.

Cætera quæ vel pro Satisfactionibus humanis, vel pro Purgatorio afferri solent, suo loco excutientur.

Quæst. XIII.

QUÆSTIO XIII.

De Materia Satisfactionis.

An Satisfactio Christi restringenda sit ad Passiones & Pœnas, quas pro nobis sustinuit? An verò sit etiam extendenda ad Obedientiam activam, quâ Legem in totâ vitâ perfectè implevit? Pr. Neg. Poster. Aff.

Status Quæstionis.

I. Circa *Materiam* & *partes Satisfactionis* variant Theologorum sententiæ. Sunt qui illam ad passiones, seu pœnas, quas pro nobis sustinuit, restringunt. Quod primus videtur asseruisse *Cargius* Minister Lutheranus, & post eum *Piscator* Professor Reformatus Herbornensis, & qui eum secuti sunt: Ex quibus alii totam justitiam in morte Christi ponunt, alii adjungunt omnes passiones, quas toto vitæ tempore pertulit, & hanc vocant *justitiam passivam*; *activam* verò, quam in obedientia mandatis præstitâ collocant, ut conditionem requisitam fuisse in Persona Mediatoris ad executionem Officii censent, sed non venire in partem satisfactionis aut meriti, quod nobis imputetur.

II. Sed communis & in Ecclesiis nostris recepta sententia, est Satisfactionem Christi, quæ ad justitiam coram Deo nobis imputatur, complecti, non modò passiones Christi, quas sive in morte, sive in vita pertulit; sed & totius vitæ obedientiam, seu justas & sanctas actiones, quibus Legis mandata perfectè loco nostro implevit; ut ex his duabus partibus integrum & perfectum redemptionis nostræ pretium exurgat.

III. Non quæritur, 1. An Legem tam generalem de Deo colendo, quàm specialem de se morti exponendo perfectè impleverit Christus, & An obedientia totius vitæ Christi necessaria fuerit Christo ad salutis opus exequendum, & nobis utilis ac bono nostro præstita? Fatentur enim, qui in priori sunt sententia, & Christum perfectè Legem utramque implevisse, & obedientiam vitæ ipsius, & ipsi necessariam fuisse, ut conditionem in Mediatore requisitam ad Officium præscriptum exequendum, & nobis proinde utilem multis modis. Sed quæritur, An loco nostro etiam sit præstita, & An ingrediatur satisfactionem, quam pro nobis Deo exhibere debuit? Quod Illi negant, Nos affirmamus.

IV. Non quæritur, An meræ passiones pertineant ad satisfactionem? Agnoscunt enim illi cum quibus agimus nullam dari posse passionem satis-

tisfactoriam sine actione, quatenus ut grata Deo esset, debuit includere obedientiam activam, seu voluntariam oblationem, quæ summam charitatem cum perfectissima justitia & sanctitate complecteretur, imò in eâ unâ actione volunt κατ' ἐπιτομὴν contineri totius Legis observationem. Sed An cum obedientia, quam in morte exhibuit, ferendo pœnas nobis debitas, debeat etiam conjungi obedientia totius vitæ, per quam justitiam omnem implevit, & Legi perfectè conformis fuit? Quod volumus, Illi negant. QUÆST. XIII.

V. 3. Non quæritur, An Sanctitas originalis & habitualis Christi fuerit qualitas & conditio Personæ Mediatoris, tum quà Hominis, tum quà Israëlitæ, tum quà Sacerdotis, & Victimæ, quæ debuit omni carere maculâ? Sed An Justitia meriti, quæ pertinet ad executionem Officii, & nobis imputatur ad remissionem peccatorum, & jus ad vitam consequendum, nascatur ex pœnis quas passus est? Annon etiam effloreseat ex actionibus sanctis, quas fecit per totam vitam, & quibus Legem plenissime implevit? Ita in Christo distinguenda sunt ea, quæ faciunt directè & immediatè ad meritum & satisfactionem, ut *id quod meretur*, & quæ tantùm eò pertinent mediatè, ut conditiones præviæ, & *id quo meretur*. In quo posteriori genere Personæ sanctitatem reponimus.

VI. Quæstio eò redit, An Satisfactio Christi loco nostro præstita restringenda sit ad solam mortem Christi, seu Passiones eas, quæ illam vel antecesserunt, vel comitatæ sunt? An verò complectatur ea omnia quæ Christus fecit & passus est pro nobis à vitæ initio usque ad finem? Prius volunt Viri Docti. Posterius asserimus.

VII. Ad sententiæ clariorem intelligentiam supponimus 1. Passiones Christi satisfactorias extendendas esse ad eas omnes, quæ Christo impositæ fuerunt, non modò in Cruce, sed & in horto, imò per totam vitam. Atque hîc non possumus probare eorum commentum, qui passiones omnes Christi satisfactorias ad eas restringere vellent, quas Christus per trihorium obscurationis solaris sustinuit, dum esset in Cruce & antequam expiraret, cæteras excludendo à satisfactione Justitiæ, licet potuerint pertinere ad satisfaciendum veritati divinæ, & ad typorum consummationem. Utut enim indubium sit, passiones illas gravissimas fuisse, cum quibus ultimo νυχθημέρῳ conflictatus est: cæteras nihilominus eò pertinuisse clarum est. 1. Quia Scriptura nuspiam passiones restringit ad trihorium crucis, sed in genere de illis loquitur, absque ulla limitatione Isa. 53:4.5. 1 Pet. 2:21. & 3:18. Mat. 16:21. Heb. 5:7. & 10:8.9. imò eas extendit ad totam κένωσιν & humiliationem Christi Phil. 2:6.7. 2. Quia agonia, quam Christus in horto pertulit, quæ describitur per τάραξιν, ἀδημονίαν, ἐκθάμβησιν, & περιλύπησιν μέχρι θανάτου, propter pondus iræ & maledictionis divinæ quam sustinebat, præcipua pars fuit pœnarum spiritualium, quas Christus pati debuit pro nobis. 3. Quia hoc est in-

QUÆST. XIII. invidere piis animabus, in passionibus omnibus Salvatoris ut satisfactoriis placidè quiescentibus, solatium quod inde elicitur, & subtrahere innumera immensi erga nos amoris indicia.

Zach. 3: 9. VIII. Nec hîc opponi debet, Vel quod Zach. 3: 9. asseritur, *totius terræ peccatum uno die expungendum esse*; Vel quod Paulus ad *unicam Christi oblationem in cruce peractam* Sacrificium ejus propitiatorium refert Heb. 10: 10. *Heb.* 10: 10. Quia inde colligi non potest antecedaneas Christi passiones satisfactorias non fuisse, sed tantùm satisfactionem tunc fuisse consummatam, cujus hic fuit fructus, ut eo ipso die omnia omnium Electorum peccata expuncta sint. Atque hæc est ratio, cur Paulus ad oblationem unicam Christi, expiationem peccatorum nostrorum referat synecdochicè, quia fuit cæterarum omnium passionum gravissima & novissima, sine quâ cæteræ omnes antecedentes non suffecissent, ut ultimi quadrantis solutio satisfactionem absolvit, quam Chirographi scissio, & datio apochæ immediatè sequitur. Licet verò anno trigesimo tantùm ætatis suæ publicè Muneri suo Mediatorio inauguratus fuerit; Non inde licet magis concludere Christum ante illud tempus non fuisse Sacerdotem aut Victimam, quàm inde colligere licet, non fuisse antea Mediatorem. Nec si Christus in gratia Patris fuit, & Filius ejus dilectus, imò etiam glorificatus aliquando per vitæ tempus; bene inde evincitur eùm iram Dei non tulisse; quia non sunt ἀσύςατα. Nec unquam in se spectatus Christus etiam in ipsis crucis angoribus desiit esse charissimus Patri, quamvis ut Sponsor noster, iræ divinæ pondus propter peccata nostra ferret, & execratio fieret. Nec pœnæ Christo impositæ tam intensæ & graves semper debuerunt esse, quin mitigationem aliquam certis intervallis admitterent, quibus ad fortiter decertandum certamen illi propositum magis ac magis animaretur.

IX. Secundò supponimus in actionibus & passionibus Christi distinguenda esse duo, materiale & formale, *materiale* vocamus actiones & passiones quà tales in genere Entis consideratas; *formale* verò easdem, quatenus spectantur in genere moris, seu quoad jus & δικαίωμα, quod ex illis oritur relatè ad forum Dei. Quoad prius, actiones & passiones sunt multæ & variæ; sed quoad posterius, unica est forma, sub quâ censendæ veniunt, nimirum δικαιώματος, quod totum est quoddam enascens ex complexu omnium actionum & passionum simul sumptarum; Unde una sola actio vel passio non potest dici plenè meritoria vel satisfactoria, quia ad eam requiritur concursus perfectæ obedientiæ: Hinc licet varii gradus & actus possint observari in obedientia Christi, quam cum ipsa nativitate inchoavit, totâ vitâ continuavit, & in morte consummavit, unica tamen est quoad ἀποτέλεσμα operis salutis, & quoad δικαίωμα inde efflorescens.

X. Tertiò supponimus istam obedientiam Christi duplicem *vim* habere, *satisfactoriam* & *meritoriam*, Illam, quâ liberemur à pœnis, in quas per pec-

peccatum incurrimus, istam quâ acquiratur nobis Jus ad vitam & salutem æternam per peccatum amissum. Ut enim peccatum duo mala in nos accersivit, vitæ jacturam, & mortis reatum, Ita redemptio duo bona opposita debuit afferre, liberationem à morte, & Jus ad vitam, exitum ex inferno, & introitum in cœlum. Huc pertinent loca varia Scripturæ, quæ duplex istud beneficium clarè exprimunt, Dan. 9: 24. *Propitiatio iniquitatis, & æterna justitiæ adductio*, Christo tribuitur, & Gal. 3: 13. *Liberatio à maledictione Legis*, & *benedictionis collatio* & cap. 4: 4. *Liberatio à Lege, & adoptio filiorum* Rom. 5: 10. *salvatio ab ira, & vitæ donatio, remissio peccatorum*, & *sors inter sanctificatos* Act. 26: 18.

QUÆST. XIII.

Dan. 9: 24. Gal. 3: 13. & 4: 4. Rom 5: 10. Act. 26: 18.

XI. Licet verò duo ista beneficia ex Christi obedientia manantia, indivulso nexu sint copulata in Fœdere Gratiæ, ut nemo remissionem peccatorum possit obtinere, qui jus ad vitam non consequatur. Non propterea confundenda sunt, quasi unum & idem essent; sed distinguenda; quia aliud est à morte liberare, aliud in vitam introducere, aliud ex inferis educere, aliud in cœlum evehere, liberare à pœna, & præmium donare. Nec, si nemo potest à morte eximi, quin vitæ fiat particeps, sequitur liberationem à morte nobis debitâ, non differre ab acquisitione gloriæ. Quia multi sunt gradus vitæ, ut & justitiæ. Liberationem quidem à morte sequitur vitæ possessio; sed non statim vitæ beatæ & gloriosæ, ut liberationem à carcere, sequitur quidem libertas, sed non statim diadema & thronus, ut Josephus potuit quidem ex vinculis solvi, sed non statim præfici Ægypto. Inter mortem & vitam simpliciter, nullum quidem datur medium; sed inter mortem æternam, & vitam beatam & gloriosam, datur vita servilis, in statu viæ non patriæ, in quâ homo ad officii impletionem adhuc obstringeretur.

XII. Licet verò duo ista beneficia distinguenda esse censeamus; Non putamus tamen anxiè quærendum, quibus actibus satisfecerit, vel meritus sit, ut faciunt nonnulli, qui satisfactionem passionibus, meritum verò solis actionibus tribuunt, ut per illas nos liberârit à morte, per istas verò nobis acquisiverit jus ad vitam, quia Scriptura nusquam obedientiam Christi ita videtur distinguere in partes, sed illam tanquam unicam proponit, quâ Christus omnia illa præstiterit, quæ à nobis potuit Lex requirere. Rursus cùm Christus per obedientiam vitæ præstiterit quod à nobis debebatur, & ad quod aliàs personaliter tenebamur, eo ipso pro nobis satisfecit Legis postulato: Et cùm obedientia passiva processerit ex summa in nos charitate, quæ est Legis complementum, non potest meritum illi denegari, ut habuit rationem λύτρου & τιμῆς seu pretii, quo jus ad vitam nobis est acquisitum. Scrupulosè ergo ista distinguenda non sunt, quia utrumque hoc beneficium conjunctim pendet ab integra causæ virtute, puta Christi obedientiâ: Nec enim peccatum antè expiari potuit, quàm Lex perfectè impleta esset, nec jus ad vi-

QUÆST. XIII.

vitam acquiri, quàm peccati reatus esset deletus; Meruit ergo satisfaciendo, & merendo satisfecit. Eo enim plurimùm meruit, quod arduum & difficillimum, quod impossibile omnibus, ad quod minimè tenebatur, perfectissimà obedientià, in qua & amoris erga nos effudit ingens argumentum, & quâ Patri se morigerum præbuit, & Legi speciali, Vocationique suæ per omnia satisfecit, quæ aliàs nullius usus nobis futura fuisset, nisi morte obsignata & consummata fuisset. Et satisfactio non externæ tantùm sanguinis oblationi adscribenda est, sed præcipuè actui interno, nimirum spontaneæ ejus & constantissimæ voluntati, quâ sanctificari dicimur Heb. 10:14. non tantùm λύτρου solutioni, sed toti λύτρῳ, quod est ipse Christus se tradens & subjiciens pro nobis.

XIII. Nec hic audiendus Socinus, qui satisfactionem & meritum vult esse ἀσύςατα, quia satisfactio est solutio debiti de jure, & meritum opus indebitum. Quamvis enim hoc rectè dicatur respectu satisfactionis propriæ, non item locum habet respectu satisfactionis vicariæ, in qua Sponsor satisfaciens potest etiam mereri, tum respectu Debitoris, indebitè solvendo pro eo debitum, & opere indebito acquirendo ei immunitatem à debito, & faciens ei ex indebita debitam de jure; tum respectu Creditoris, præcipuè si pactum aliquod intercessit, positâ tali solutione admittendi eam, non tantùm in satisfactionem peccatorum, sed etiam in acquisitionem juris indebiti, quod hic locum habuisse liquet ex Isa. c. 53:10. Heb. 9:15. Col. 1:19. 20. & similibus locis.

XIV. IV. Supponimus in Lege duo esse; *Præcepta*, quæ officium præscribunt, Et *Sanctiones*, quæ pœnam, vel præmium observatori vel transgressori decernunt: Et Hominem, qui subest Legi, posse simul obligari, ad obedientiam & pœnam, non quidem in statu naturæ integræ, sed in statu peccati, ut probatum fuit Loco XI. de Lege Qu. 23. Th. 12. 13. *&c.* Ut enim duplicem σχέσιν induit respectu Dei, tum Creaturæ, tum Creaturæ peccatricis & reæ, ratione prioris obedientiam semper Deo debet, nec unquam ab ea dispensari potest, quocunque sit in statu, ratione posterioris pœnæ est obnoxius. Nec propterea idem debitum bis solvi dicendum est; quia aliud est *debitum pœnale*, quod oritur ex transgressione præterita, aliud *debitum obedientiale*, quod oritur ex obligatione indispensabili Creaturæ, quæ ad omnia tempora extenditur; & à qua ne in ipsa quidem pœnæ perpessione creatura potest eximi.

XV. V. Supponimus triplicem dari *subjectionem* Legi, naturalem, fœderalem & pœnalem, *naturalis* oritur à Lege, quà est norma sanctitatis, & competit Creaturæ, qua Creatura est, quæ ideo æterna est & indispensabilis, quia in quocunque sit statu Deo subesse tenetur & illi obsequi, *fœderalis* pendet à Lege ut præscribente conditionem acquirendæ beatitudinis, & com-

competit Creaturæ in statu viæ constitutæ, in qua Fœdus cum illa inivit, & officium ipsi præscripsit sub promissione præmii vel pœnæ; *Pœnalis* pertinet ad Creaturam peccatricem & ream, quæ pœnam Lege denunciatam luere tenetur. Prima est *absoluta & immutabilis*, quandiu enim est Creator & Creatura, tamdiu hæc illi subjecta esse debet; Nec magis de hoc jure dispensare potest Deus, quàm seipsum abnegare. Secunda est *œconomica & mutabilis*, quæ, ut refertur ad hominem in statu viæ constitutum, tamdiu durare debet, quamdiu in illo statu versatur; sed postquam viam absolvit & metam attigit, ab illa subjectione eximitur. Tertia est *necessaria & inevitabilis* supposito peccato, quod pœnam post se trahit. Prima fundatur in *jure Dei essentiali* & αὐτοκρατορικῷ in Creaturam, & dependentiâ ejus naturali ab ipso. Secunda in *Jure libero*, seu voluntariâ dispensatione, per quam libuit ipsi cum Creatura Fœdus contrahere, & vitam polliceri sub hac vel illa conditione. Tertia in *Jure Judiciali & Justitiâ vindicatrice*, quâ Creaturæ peccatum ulciscitur. Omnes Creaturæ rationales, Angeli & homines, primo modo Legi subjecti sunt, Adamus integer subjectus fuit secundo, Diaboli & reprobi tertio. Quæst. XIII.

XVI. Juxta triplicem istam σχέσιν facilè capi potest, Quomodo Christus factus sit ὑπὸ νόμον, & quomodo Legi subjectus fuerit, An pro se, An pro nobis? Nam quà homo dubium non est, quin subjectus fuerit pro se Legi, ut Normæ sanctitatis, subjectione communi & naturali, cui obnoxii sunt ipsi Angeli & Beati in cœlis, qui Deum amare & colere tenentur. Sed non continuò subjectus illi fuit, ut imperanti conditionem beatitudinis subjectione œconomicâ & fœderali, ut vitam operando mereretur, cùm illam ex vi Unionis hypostaticæ jam obtineret, multò minus subjectioni pœnali, utpote justissimus, & omnis peccati expers. Itaque si utrum hoc onus in se suscepit, ut Legem impleret ad vitam acquirendam, tam quoad præcepta faciendo, quàm quoad sanctionem patiendo, id omne voluntariâ dispensatione pro nobis subire debuit ex Officio Mediatoris, & vi pacti cum ipso à Patre initi, ut se Sponsorem nostrum præstando, ea omnia loco nostro faceret & pateretur, ad quæ obstricti eramus, & quæ necessaria erant ad redemptionem nostram.

XVII. Quibus ita positis ad faciliorem sententiæ nostræ intelligentiam, Ad ejus confirmationem progredimur, quæ non uno loco Scripturæ adstruitur 1. ex Rom. 5. 19. *Sicut per unius inobedientiam, multi constituti sunt peccatores, Ita per unius obedientiam multi constituuntur justi*, Ubi Satisfactio Christi ad obedientiam ejus refertur, non utique mortis tantùm, sed etiam vitæ, 1. quia agitur de tota obedientia Christi sine limitatione, quæ proinde plena debuit esse & perpetua, à principio usque ad finem, non verò dimidiata & imperfecta. 2. agitur de obedientia, quæ importat conformitatem cum Lege omnimodam, non modò quoad sanctionem pœnæ, sed

Satisfactionem in obedientia vitæ consistere probatur 1. ex Rom. 5: 19.

QUÆST. XIII. ſed præcipuè quoad obſervationem Mandatorum. 3. de illa quæ vocatur *donum juſtitiæ*, v. 17. quod de paſſionibus Chriſti dici non poteſt. 4. de illa quæ opponitur inobedientiæ Adami; ut verò iſta fuit totius Legis violatio; ita & illa debet eſſe totius Legis impletio. 5. de illa quæ à nobis debebatur, tam quoad pœnam, quàm quoad officium. Nec juvat dicere obedientiam iſtam nihil aliud eſſe, quàm ἓν δικαίωμα, de quo v. 18. quod ſit εἰς δικαίωσιν ζωῆς, quomodo reatus venit ex uno actu peccati. Quia δικαίωμα non notat tantùm unum actum juſtitiæ, ſed Jus quod oritur ex plenitudine obedientiæ. Nec ſi ex uno peccato reatus venit in omnes, ex uno actu juſtitia tranſit ad omnes, quia malum eſt ex quolibet defectu, ſed bonum requirit cauſam perfectam.

XVIII. Secundò. Quia Chriſti obedientia dicitur fuiſſe ἕως θανάτου, 2. *Ex Phil.* 2: 8. uſque *ad mortem* Phil. 2: 8. ubi non tantùm notatur *intenſio* ejus quoad gradum, qui fuit maximus qui poteſt cadere in Creaturam, ſed etiam *extenſio & duratio*, quia à principio vitæ uſque ad mortem in ea conſtanter perſeveravit. Quod patet, tum quia iſta obedientia refertur ad totam κένωσιν & humiliationem Chriſti, quæ non in morte tantùm viſa eſt, ſed in tota vita. Tum ex locis aliis, ubi obedientia iſta deſcribitur per impreſſionem Legis in corde, & ejus obſervationem activam Pſal. 40. & Heb. 10: 5. alibi proponitur per ſtadium quod decurrendum fuit Chriſto Hebr. 12: 1. alibi per opus quod illi perficiendum fuit Joh. 17: 4. quod non unico actu, ſed conſtanti obedientiæ tenore per totam vitam conſummari debuit.

XIX. Tertiò, Quia Chriſtus debuit fieri in ſimilitudine carnis peccati, 3. *Ex Rom.* 8: 3. 4 ut suppleret Legis ἀδυναμίαν, & Jus Legis in nobis impleret Rom. 8: 3. 4. Impotentia autem iſta Legis, non intelligenda eſt *ſubjectivè*, quaſi fuerit in ipſa Lege, ſed *objectivè* in peccatore circa Legem, qui ne unum quidem ejus mandatum ſervare potuit. Atque ita Lex impotens dicitur, non quoad pœnarum inflictionem, ſed quoad mandatorum obſervationem. Chriſtus ergo ſupplendo id quod Lex præſtare non potuit in nobis, debuit perficere quod a nobis Lex exigebat, & quod vocatur δικαίωμα, ſeu Jus Legis, nimirum *Jus ad vitam*, quod ex ejus impletione oritur, non utique paſſivâ tantùm, ſed & activâ. Nam cùm Lex & Mandata Dei idem ſint, pœnæ non poſſunt dici implere Legem ſeu ejus mandata; ſed minis Legis ſatisfacere. Quis ferret eum, qui latronem capite multatum ob latrocinium, Regis mandato aut legi obſecutum fuiſſe diceret? Adde quod, cùm Legi morem gerere ſit res honeſta & laude digna, non poteſt hoc dici de pœnæ perpeſſione, niſi fortè quis laudandus ſit, quòd in gehenna torqueatur.

4. *Quia Chriſtus implevit quod à nobis debebatur.* XX. Quartò, Satisfactio Chriſti ad id omne debet extendi, quod à nobis debebatur, & quod pro nobis debuit ſolvi ad vitam obtinendam. At obedientia vitæ non minus ac paſſio mortis ad id requirebatur; non modò quia ad utrumque Creatura peccatrix tenebatur; ſed etiam quia utramque ne-

necessarium fuit ad peccatorum remissionem, & Jus ad vitam: Vita enim ex Lege promittitur, non patienti, sed facienti, *hoc fac & vives*. Ergo non sufficeisset pœnas ferre moriendo, nisi addita fuisset mandatorum observatio. Nec hic reponendum, aliam esse rationem justificationis Evangelicæ ac Legalis. In ista Legis observationem quidem requisitam fuisse ut causam vitæ, sed in illa non item. Quia discrimen justificationis nostræ, non positum est in re ipsa, quæ utrobique eadem est, Justitia scilicet perfecta & absoluta omnibus numeris, quæ exactè respondeat Legis pactioni de modo vitæ æternæ obtinendæ, & Juri Dei æterno & immutabili, cui Christus derogare non potuit, quia non venit ad abolendam Legem, sed ad implendam Matt. 5. 17. & Rom. 3. 31. sed tantùm in modo, quia quod à nobis debebatur & exigebatur sub Lege per obedientiam propriam, id à Christo exigitur per obedientiam alienam. Quæst. XIII.

XXI. Quintò, Quia Satisfactio Christi in ejus justitia quærenda est. Ut patet ex Rom. 1. 17. & 3. 21. Rom. 5. 18. Philip. 3. 9. Dan. 9. 24. Unde justificatio imputatione justitiæ describitur Rom. 4. At Justitia Christi non in passionibus, sed in actionibus consistit, nec patiendo, sed faciendo justitiam Legis obtinemus, quomodo peccando injustitiæ reatum contrahimus, quo sensu Christus testatur sibi *implendam esse omnem justitiam* Matth. 3. 15. scilicet faciendo quoad omnes partes voluntatem Patris sui. Et Paulus dicit *Christum factum esse peccatum pro nobis, ut fieremus justitia Dei in ipso* 2. Cor. 5. 21. id. ut quemadmodum peccata, quibus violavimus Legem, Christo imputantur; Ita actiones justitiæ, quibus eam pro nobis implevit, nobis imputentur. 5. *Ex Ro.* 1. 17. & 3. 21. & 5. 18.

XXII. Sextò, Ut Christus non μεμέρισται 1. Cor. 1. 13. Ita nec justitia ejus dividi debet, sed ὁλόκληρος & indivisa nobis applicanda est. Agnus Paschalis totus manducandus fuit, Christus pariter totus à nobis recipiendus est cum iis quæ fecit & passus est. Quod facit ad majorem Christi gloriam, & uberiorem nostram consolationem, quam non parum obscurant & minuunt, qui partem perfectissimæ istius justitiæ & obedientiæ de salutis pretio detrahunt, atque ita tunicam ejus inconsutilem lacerant. 6. *Quia Christi justitia non dividitur.*

XXIII. Si sanguini & morti Christi tribuitur salus & redemptio nostra, hoc non fit exclusivè ad obedientiam vitæ, quia nuspiam restrictio apponitur, imò alibi, ut visum, ad totam obedientiam & justitiam Christi extenditur. Sed per *synecdochen* intelligendum est, quâ parti potiori tribuitur quod est totius, quia ultimus fuit exinanitionis gradus, corona & complementum obedientiæ, quæ cæteras omnes partes supponit, absque quâ cæteræ fuissent inutiles; Justitia enim nulla meretur nisi ad ultimum usque halitum servata, nec solutio perfecta esse potest, nisi expuncto chirographo. *Fontes Solutionum.*

XXIV. Quamvis Apostolus remissioni peccatorum, quæ à sanguinis fu-

QUÆST. XIII. fusione fluit, tribuat beatitudinem Rom. 4: 6. 7. Non sequitur in sola passione sitam esse justitiam nostram, & totam & integram satisfactionem Christi. *Rom. 4: 6. 7.* Quia Paulus non argumentatur ab æquipollentia, quasi idem esset justitiam imputare, & peccata remittere; sed ab ἀλληλεχίᾳ & individuo ipsorum beneficiorum in Fœdere Gratiæ nexu, per quem fit ut nemini remittantur peccata, quin consequatur statim jus ad vitam, & hæres fiat regni cœlorum. Quomodo alibi Paulus amorem proximi, & impletionem Legis accipit pro eodem Gal. 5: 14. quia hàc parte positâ aliæ necessariò sequuntur.

XXV. Licet obedientia utraque Christi, tam vitæ, quàm mortis fuerit perfecta in suo genere, neutra tamen sufficere potuit sola ad satisfactionem, quæ requirebat & observationem mandatorum, & pœnarum perpessionem, quâ liberatio à morte, & jus ad vitam nobis acquireretur: Unius positio, alterius non est exclusio, sed inclusio.

XXVI. Quod quis pro se debet, non potest pro alio solvere, si sit persona privata: Sed nihil obstat si sit persona publica, quæ & suo, & suorum nomine operetur. Deinde qui solvit quod ipse debet, non potest satisfacere eo ipso pro aliis, nisi se debitorem pro illis fecerit, nam etsi sit debitor, tamen quia se fecit ultro debitorem, ut alterum liberet, dum solvit quod debet, pro altero satisfacit. Ita Christus qui non pro se, sed pro nobis homo factus est, non pro se, sed pro nobis Legem debuit implere ad vitam merendam, quod hîc in Christo occurrit. 3. Licet Christus quoad se subjectione naturali quà Creatura fuerit sub Lege; non tamen subjectione fœderali & œconomicâ, ut vitam per Legem consequeretur, & Vadem se loco peccatorum sisteret: hoc enim fuit voluntariæ dispensationis opus; Et nihil tale pro se debuit, Nec quoad Personam, utpote θεάνθρωπος Dei Filius, & Dominus Legis; Nec quoad naturam humanam, sive absolutè, sive respectivè; non absolutè, tum quia natura humana adjuncta est Personæ Λόγου, quæ ut non fuit subjecta Legi; ita nec natura ab ipsa assumta eo sensu; tum quia ut in assumptione humanæ naturæ Christi consistit exinanitio; ita etiam in iis quæ ex hac assumptione resultant, qualis est ista subjectio Legi; non respectivè, quia Christus quà homo non fuit adstrictus Fœderi Legali, utpote quod ad illos tantùm pertineat, quos Adamus in illa pactione repræsentavit, qui scilicet ab eo naturaliter descendunt. Deinde non opus habuit sibi acquirere propriâ obedientiâ Jus ad vitam, quod ex Unione cum Λόγῳ necessario pendebat. Unde sequitur talem obedientiam fœderalem Christum debuisse pro nobis, ut Sponsorem, qui personas nostras repræsentaret.

XXVII. Quamvis verò Christus Legem impleverit pro nobis quoad obedientiam, non potest colligi nos non amplius teneri ad obedientiam Deo præstandam: Sequitur quidem nos ad eam non teneri eundem in finem, & eadem de causa, scilicet ut per eam vivamus, ex subjectione fœderali: Sed non

non obstat, quominus per subjectionem naturalem teneamur ad idem obsequium Deo præstandum, non ut vivamus, sed quia vivimus, non ut jus acquiramus ad vitam, sed ut juris acquisiti possessionem adeamus. Quomodo, licet Christus mortuus sit pro nobis, non desinimus morti adhuc esse obnoxii, non ad pœnam, sed ad salutem. Quæst. XIII.

XXVIII. Aliud est *justitia innocentiæ*, quum quis nullius culpæ reus est, Alia *perseverantiæ*, cui præmium debetur propter præstitum officium. Remissio peccatorum primam affert justitiam, auferendo reatum peccatorum commissorum, sed non ideo post se trahit justitiam perseverantiæ, quasi is cui contingit, reipsa omnia præstiterit. Aliud est à debita officii omissioni pœna aliquem liberare, Aliud eum reipsa censere justum justitiâ perseverantiæ, cui vita promissa est, quasi nihil boni omiserit, vel mali commiserit. Prius per remissionem obtinetur, sed non posterius, quod rei veritati, & justo Dei judicio repugnaret. Remissio peccati non facit ut non sit peccatum, sed ut non imputetur, tollit tantùm reatum peccati, & consequenter ejus pœnam, sed maculam non aufert. Ita censeri *nihil mali commisisse, & nihil omisisse boni*, bifariam potest intelligi, Vel *quoad pœnam*, ut non magis puniamur, quàm si reipsa nihil mali commisissemus, vel nihil omisissemus boni, quo sensu verum est, per remissionem peccatorum omnium nos in eo statu collocari, quia liberamur ab omni pœnâ, quæ propter ea debita esset; Vel *quoad præmium*, ut is qui censetur nihil omisisse boni, & nihil commisisse mali, judicetur à Deo omnia fecisse, quæ necessaria erant ad vitam consequendam; Et sic falsum est eum cui remittuntur peccata eo loco censeri, quia remissio facit quidem ut pœna tollatur, sed non ut Deus statuat peccatorem nihil deliquisse, sed omnes partes officii sui implevisse, & esse justum, quod veritati repugnaret; quasi reus possit censeri justus, quia supplici & confitenti Judex ignovit.

XXIX. Deus non potest accusari quòd exigat duas solutiones ejusdem debiti, quia cùm Lex obliget peccatores ad obedientiam & pœnam, ut jam dictum, passiones & actiones Christi, non constituunt duplicem solutionem, sed unicam, & unicum δικαίωμα, quo acquiritur nobis liberatio à morte, & jus ad vitam.

XXX. Lex non potest dici impleta κατ' ἐπιτομὴν in voluntaria passione Christi. Quia postulat perfectam obedientiam, non tantùm κατ' ἐπιτομὴν, sed & καθ' ἕκαστα, non tantùm quoad gradum & intensivè, sed & quoad durationem & extensive ab initio vitæ usque ad finem, quæ in unâ vel alterâ actione occurrere non potest.

XXXI. Tantùm abest, ut Justitia tota Christi, quæ nobis imputatur, bene statuatur in passionibus Christi, & hac de causa ritè dicatur activa, ut propriè nulla justitia in passione sit collocanda, sed tantùm in actione, nec quicquam justus dici potest, quia cruciatur, cùm dolor non sit virtus. Acce-

QUÆST. XIII. cedit quòd passiones non obsequuntur mandatis Legis, quibus annectitur promissio vitæ, sed sanctionibus tantùm satisfaciunt, unde non possunt dici justitia, vel si justitia aliqua est in pœna, est justitia punientis non puniti.

XXXII. Calvinus receptam sententiam, non uno loco adstruit, præcipuè lib. 2. Instit. c. 16. Sect. 5. *Jam ubi quæritur, quomodo abolitis peccatis dissidium Christus inter nos & Deum sustulerit, & justitiam acquisiverit, quæ eum nobis faventem & benevolum redderet, generaliter responderi potest, toto obedientiæ suæ cursu hoc nobis præstitisse. Quod Pauli testimonio probatur, quemadmodum unius transgressione peccatores multi sunt constituti, sic unius obedientiâ justi constituimur. Et sanè alibi causam veniæ, quæ nos eximit à maledictione Legis, extendit ad totam Christi vitam. Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex Muliere, subjectum Legi, ut eos qui sub Lege erant redimeret. Ita in ipso quoque Baptismo asseruit impleri justitiæ partem, quòd obedienter Patris mandatum perageret. Denique ex quo induit personam servi, cœpit ad nos redimendos pretium liberationis solvere. Scriptura tamen, quò certius definiat modum salutis, hoc morti Christi tanquam peculiare & proprium adscribit* &c. *Neque tamen*, addit postea, *excluditur reliqua pars obedientiæ, qua defunctus est in vita, sicut Paulus ab initio ad finem usque totam comprehendit, quòd seipsum exinanierit formâ servi acceptâ, & Patri fuerit obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Et sanè in ipsa quoque primum gradum occupat voluntaria subjectio, quia ad justitiam nihil profuisset sacrificium, nisi sponte oblatum* &c. Sic l. 3. c. 14. sect. 12. *Acceptantem gratiam non aliam esse respondeo, quàm gratuitam ejus bonitatem, quâ nos in Christo complectitur Pater, dum innocentiâ Christi nos induit, eamque fecit nobis acceptam, ut ejus beneficio pro sanctis puris & innocentibus nos habeat. Justitiam enim Christi, quæ ut una perfecta est, ita sola Dei conspectum sustinere potest, pro nobis sisti oportet, ac Judicio repræsentari velut Sponsorem. Hac nos instructi assiduam peccatorum remissionem in fide obtinemus. Hujus puritate lotæ nostræ sordes & imperfectionum immunditiæ, non imputantur, sed velut sepultæ conteguntur, ne in judicium veniant* &c. Idem confirmat in Epistola ad Rom. cap. 5: v. 19. & in Epist. ad Gal. cap. 4. 4.

XXXIII. Synodi Gallicanæ eandem retinendam esse inviolatè non semel sanxerunt, ut Privatensis anno 1612. & Tonninensis anno 1614. cujus hæc sunt verba. *Cùm homo nullam justitiam in se reperiat ante vel post vocationem suam, per quam subsistere possit coram judicio Dei; non potest justificari nisi in Jesu Christo Domino nostro, qui fuit obediens Deo Patri ab introitu in mundum usque ad mortem ignominiosam Crucis: impletâ perfectè in vitâ & morte suâ, totâ Lege hominibus datâ, & mandato patiendi, & dandi animam suam in pretium redemptionis pro multis: quâ perfectâ obedientiâ* red-

reddimur justi, quatenus nobis gratia Dei imputatur, & apprehenditur per fidem, quam nobis donat; quâ certi reddimur, nos merito totius istius obedientiæ remissionem peccatorum nostrorum habere, & dignos reddi vitâ æternâ. Quæst. XIV.

Quæstio XIV.

De Objecto Satisfactionis.

An Christus pro omnibus & singulis Hominibus universaliter mortuus sit, An pro Electis tantùm? Prius Neg. Poster. Affir.

I. Quæstio de *Objecto mortis Christi*, seu de *Universalitate Satisfactionis & Redemptionis*, à variis jam olim mota fuit, & hodie etiamnum movetur; quod de ea etiam agendi necessitatem nobis imponit, ne quid huic de Satisfactione Christi tractationi deesse videatur.

II. Inter Veteres constat universalitatem Redemptionis à Pelagianis & Semipelagianis assertam fuisse; Hinc Prosper epistol. ad Aug. de reliquiis Pelagianæ hæresis, *Hæc*, inquit, *ipsorum definitio & professio est, Pro universo humano genere mortuum esse Dominum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis ejus exceptum* &c. Et inter ea Gallorum capitula, quæ in Augustino damnabilia se reperisse jactabant, hoc etiam erat, *quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Faustus lib. 1. de libero arbitrio c. 4. ait *longè eos à pietatis tramite recedere, qui dicunt Salvatorem non pro omnibus mortuum esse.* Et Hincmarus epist. ad Nicol. Papam apud Flodoardum lib. 3. cap. 14. inter errores Gotteschalci ponit, quod prædicaverit Christum non effudisse Deo Patri pretiosum sanguinem suum pro redemptione & salute omnium hominum, sed tantùm pro his qui salvantur, sive pro omnibus Electis. Quò pertinent etiam anathemata Pseudo-Concilii Arelatensis in epistola Fausti Semi-Pelagianorum Antesignani ad Lucidum, quod Semi-Pelagianum fuisse non diffitetur *Sirmundus.* His verò ut se jam opposuerat Augustinus suo tempore, Ita Prosper & Fulgentius ejus discipuli, aliique Gratiæ Christi Præcones, eadem vestigia prementes veritatem fortiter & cordatè defenderunt. Quod confirmatum postea fuit à Remigio Episcopo Lugdunensi lib. de tribus Epistolis & Concilio Valentino III. anno 855. habito c. 4. *Sententia Pelagianorum.*

QUÆST. XIV.

Jesuitarum. III. Renovata postea fuit eadem Controversia inter Pontificios, quorum alii universalitatem Redemptionis cum Semi Pelagianis, alii ejus particularitatem cum August. & ejus genuinis discipulis propugnarunt, quod patuit præcipuè inter Jesuitas & Jansenistas, quorum illi Pelagianorum propago universalitatem Mortis Christi acriter tuentur. Isti verò fortiter pro ejus particularitate dimicant; Jansenium Magistrum suum secuti, qui in *Augustino suo* hoc argumentum fusè & solidè executus est lib. 3. c. 20. & in Apologia Jansenii anno 1644. edita Art. 17. 19. 20. & in Catechismo de Gratia c. 7. de Prædesti. q. 65.

Lutheranorum. IV. Transiit exinde Controversia à Pontificiis ad Protestantes, non modò propter Lutheranos, qui satisfactionis universalitatem cum Jesuitis retinent & propugnant, ut *Eckard.* fascicul. Controv. c. 15. de Prædesti q. 6. *Brokmannus* de Gratia Dei c. 2. Q. 17. 18. 19. & alii. Sed præcipuè propter Arminianos, *Remonstrantium* nomine insignes, qui per posticum Papismum revocaturi, & idolo liberi arbitrii litaturi, plerosque errores suos hauseruut ex Molina, Lessio, Suarezio, & aliis Jesuitis, atque hunc inter cæteros de Universalitate Mortis Christi, qui ideo secundo loco reponitur inter eos, qui à Synodo Dordracena rejecti sunt, & nigro thetâ notati. Cap. 2. de Morte Christi in Rejectione Errorum.

Arminianorum. V. Articulus talis est in scriptis Synoda. Dordrac. Remonstr. p. 280. *Pretium Redemptionis, quod Christus Patri suo obtulit, non tantùm in se & per se toti humano generi redimendo sufficiens est; sed etiam pro omnibus & singulis hominibus ex decreto, voluntate & gratia Dei Patris persolutum est; eoque à participatione fructuum mortis Christi, nemo antecedente Dei decreto præcisè exclusus est.* 11. *Christus merito mortis suæ Deum Patrem universo generi humano hactenus reconciliavit, ut Pater propter ipsius meritum salvâ justitiâ & veritate suâ, novum Gratiæ Fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxiis hominibus inire & sancire potuerit & voluerit.* Sentiunt ergo 1. Christum ex Dei consilio pro omnibus & singulis ita mortuum esse, ut non tantùm mors sufficiens fuerit in se propter intrinsecum valorem, sed sufficienter etiam pro omnibus & singulis oblata sit, quatenus Deus voluit, ut id quod in se sufficiens erat pro omnibus, vel loco vel bono omnium ac singulorum sive totius generis humani solveretur, adeo ut interventu ejus factum sit, ut Deus gratiosè in posterum cum genere humano agere voluerit, atque ita Christi mors non sit novi Fœderis promissum, sed ejus causa & fundamentum. 2. Christum ex Patris & suâ intentione omnibus & singulis hominibus tam pereuntibus quàm servandis impetravisse restitutionem in statum gratiæ & salutis, ita ut nemo propter peccatum originale sit damnationi obnoxius aut damnandus, sed omnes ab istius peccati reatu sint immunes. 3. Christum ex Patris consilio mortem pro omnibus obiisse sine certo ac definito con-

consilio quemquam nominatim salvandi, adeo ut impetrationi mortis Christi sua necessitas, & utilitas sarta tecta, & numeris omnibus absoluta constare potuisset, etiamsi impetrata redemptio nulli individuo unquam actu ipso fuisset applicata. 4. Christum per suam satisfactionem nullis certò meruisse ipsam salutem & fidem, quâ hæc Christi satisfactio ad salutem efficaciter applicaretur, sed tantùm Patri acquisivisse plenariam voluntatem & potestatem, de novo cum hominibus agendi, Fœdus vel Gratiæ vel Operum ineundi, & quascunque vellet conditiones præscribendi, quarum præstatio à libero hominis arbitrio pendeat, atque ideo fieri potuisse, ut vel nemo, vel omnes illas implerent. 5. Impetrationem latiùs patere applicatione, ut impetrata sit salus omnibus, quæ tamen paucis applicetur. Quæ omnia tum ex *Collatione Hagiensi*, tum ex *Scriptis Synoda. Dordra. Remonstr.* in declaratione sententiæ ipsorum circa secundum Articulum colligi possunt. QUÆST. XIV.

VI. Ad hanc sententiam, si non omnino, magnâ tamen ex parte, accedunt ex Nostris, qui Gratiam Universalem tuentur. Ut enim φιλανθρωπίαν & amorem Dei erga Genus humanum universalem statuunt; Ita ex illo amore censent Christum à Patre in mundum missum, tanquam remedium universale ad procurandam omnium & singulorum salutem sub conditione fidei; Et Christum eâ intentione mortuum esse pro omnibus sub eadem conditione, licet fructus & efficacia mortis ejus ad paucos tantùm perveniat, quibus Deus decreto speciali fidem dare decrevit. Hoc modo pertendunt Decretum mortis Christi antecessisse Decretum Electionis, Et Deum non hos magis quàm illos respexisse in mittendo Christo, sed omnibus ex æquo destinâsse Christum in Servatorem; Imò præcisè non tam salutem in eo intendisse, quàm possibilitatem salutis, scilicet remotionem impedimenti, quod justitia apponebat ipsorum saluti, per satisfactionem illi præstitam, cujus interventu janua salutis ipsis aperta sit, ut Deus placatus possit novum Fœdus cum illis pacisci non obstante justitiâ, & danda ipsis salute cogitare. In quem finem per Vocationem Universalem Christum ita pro omnibus datum & mortuum, omnibus & singulis offerri curet. Quia verò prævidit neminem crediturum ob innatam cordis malitiam, Volunt decreto alio speciali Deum decrevisse nonnullis dare fidem, quâ in Christum crederent, & salutis fierent certò compotes, reliquis in incredulitate manentibus, & propter eam justissimè damnatis. In hoc rectè dissentientes ab Arminianis. Quæ omnia ex ipsorum scriptis non obscurè colliguntur. Sic Camero in cap. 2. Epist. ad Hebr. vers. 9. *Christi mors*, inquit, *sub fidei conditione ad omnes omnino homines ex æquo pertinet.* Testardus in Ireni. th. 78. *Finis dati Christi in propitiatorium in ejus sanguine, fuit novi fæderis Gratiæ cum universo genere humano pactio, & possibilis omnium hominum, justitiâ non amplius renitente, ad salutem vocatio,* *Universalistarum.*

QUÆST. XIV. *& salus.* Et th. 79. *Eo quidem sensu nemo negaverit Christum pro omnibus & singulis mortuum, ut Verbo Dei sua constet fides.* Amyr. Dissert. de Gratia Universali, *Redemptio Christi duobus modis consideranda est, vel ut est absoluta, quatenus eam quidem revera amplectuntur. Deinde ut est affecta conditione, quatenus offertur cum eâ lege, ut si quis eam amplectatur, ejus compos fiat. Priore modo particularis est, Posteriore, universalis. Pariter destinationis illius duplex est ratio, Particularis, quatenus decretum de fide donanda conjunctum habet, Universalis, quatenus decretum istud est ab ea sejunctum.* Quod expressiùs docuerat Tr. de Præest. cap. 7. *Cum miseria hominum æqualis sit, & universalis, & desiderium quod Deus habuit eos ex ea liberandi per tantum Redemptorem, procedat ex misericordia, quam habuit erga nos, ut Creaturas suas prolapsas in tantam ruinam, in qua sunt Creaturæ ipsius ex æquo, gratia redemptionis, quam ipsis obtulit & procuravit, debuit esse æqualis & universalis, modo æqualiter dispositi essent ad illam recipiendam* &c.

VII. Cæterùm licèt in eo omnes consentiant, quòd Christus mortuus sit pro omnibus & singulis; non tamen eodem modo mentem suam exponunt. Alii enim apertè Christum mortuum esse conditionatè pro omnibus & singulis, & absolutè tantùm pro Electis dixerunt, ut jam dictum. Alii verò videntes sententiam istam gravibus premi absurdis, ab eo loquendi modo abstinuerunt, & maluerunt dicere Christum non esse mortuum pro hominibus eâ lege si credant, sed absolutè, sive credant, sive non, ut liber esset omnibus, qui crederent ad salutem aditus, & ut omnibus pariter aperiretur via ad novum Fœdus, remoto scilicet per mortem Christi justitiæ obstaculo, quæ obstabat, quominus Deus cum hominibus pacisci posset. Eò tamen pariter omnes deveniunt, ut dicant Christum pro omnibus & singulis satisfecisse, & reconciliationem, remissionem peccatorum, & salutem impetrâsse, quâ si multi privantur, causam non esse quærendam in mortis Christi insufficientia, vel defectu voluntatis & intentionis ejus, sed in solâ ipsorum incredulitate, qui protervè gratiam Christi sibi oblatam respuunt.

VIII. Communis verò Reformatorum sententia est, Christum ex mera εὐδοκίᾳ Patris destinatum, & datum fuisse Redemptorem & Caput, non omnibus, sed certo hominum numero, Corpus ipsius mysticum ex Dei Electione constituentium; Et pro illis solis Christum Vocationis suæ optimè conscium, ad exequendum decretum Electionis & consilium Patris, voluisse & decrevisse mori, & pretio mortis infinito addere efficacissimam & singularem voluntatis pro illis sese substituendi, & fidem ac salutem illis acquirendi intentionem.

Status Quæstionis. IX. Unde Status Quæstionis facilè elicitur, 1. Non quæritur de *pretio & sufficientia mortis Christi.* An Christi mors per se sufficiens sit ad salutem omnium.

omnium. Utrinque enim est in confesso, cùm sit infiniti valoris, sufficientissimam fuisse ad redemptionem omnium & singulorum, si Deo visum fuisset illam ad totum mundum extendere. Et huc pertinet distinctio à Patribus usurpata, & à variis Theologis retenta, Christum mortuum esse *sufficienter pro omnibus* sed *efficaciter tantùm pro Electis*. Hæc enim de mortis Christi dignitate intellecta verissima est, quamquam phrasis minus sit accurata, si ad voluntatem & consilium Christi referatur. Sed quæritur propriè de *consilio Patris* in tradendo Filio suo, & de *intentione Christi morientis*. An Pater destinaverit Filium suum omnibus & singulis, & Filius eo consilio & eâ intentione seipsum morti tradiderit, ut se omnium & singulorum loco substitueret ad satisfaciendum pro illis, & salutem ipsis acquirendam? An verò pro Electis solis, qui à Patre illi dati sint redimendi, & quorum Caput debuit esse, seipsum tradere voluerit? Eò ergo reducendus est Cardo Quæstionis, ut agatur, non de natura & virtute Christi mortis in se, sed de consilio Patris illum destinantis, & intentione Christi illam subeuntis. Unde satis liquet, non hîc agi de voluntate tantùm εὐαρεσίας, ut identidem asseritur à Viris doctis, sed de voluntate εὐδοκίας, sub quam missionem & mortem Christi cadere nemo negare potest. QUÆST. XIV.

X. II. Non Quæritur, De *fructu & efficacia mortis* Christi, An omnes & singuli ejus fiant actu participes? quod *Puccius* & *Huberus* olim volebant. Agnoscunt enim Viri Docti illam ad fideles solos extendi. Sed agitur de *destinatione Dei* mittentis Filium in mundum, Et de *intentione Christi morientis*; An ea respexerit omnes & singulos homines, ut Christus se loco illorum substituendo, pro illis satisfaceret, & remissionem peccatorum ac salutem impetraret? An verò solos Electos? Prius affirmant, Nos Posterius.

XI. III. Non Quæritur, An occasione mortis Christi, multa bona reprobis quoque obtingant? Hoc enim morti Christi debetur, quod Evangelium prædicetur omni Creaturæ, quòd crassa idololatria Gentilium ex multis mundi partibus abolita sit, quòd impietas profana hominum Verbi Divini fræno non parum coerceatur, & quòd nonnulli multa & excellentia, licet non salutaria Spiritus Sancti dona plerumque obtineant: quæ omnia ex morte Christi fluere certum est, quandoquidem locus illis datus non fuisset in Ecclesia, nisi Christus mortuus fuisset. Sed An sponsio & Satisfactio Christi ex Dei consilio & Christi voluntate omnium & singulorum loco facta sit? quod illi vellent. An verò tantùm Electorum? quod statuimus.

XII. Rationes sunt, I. Quia missio Christi & ejus mors restringitur subinde ad quosdam, ad *Populum* Christi, ad *Oves*, ad *Amicos*, ad *Ecclesiam*, & *Corpus ejus*, & nunquam ad omnes & singulos extenditur. Sic Christus Jesus dicitur vocandus, quia *servaturus erat populum suum a peccatis suis* Matth. 1. 21. & alibi *Servator* vocatur *Corporis sui*, Eph. 5. 23. *Christum non esse mortuum pro omnibus probatur 1. Ex*

QUÆST. XIV.

Ex restrictione mortis Christi ad quosdam.

Pastor bonus, qui ponere debuit animam pro Ovibus suis Joh. 10: 15. & pro *Amicis* Joh. 15: 13. *& mori ad colligendos Filios Dei per totum orbem dispersos* Joh. 11: 52. & ad *Ecclesiam acquirendam proprio suo sanguine* Act. 20: 28. & Eph. 5: 25. 26. At si Christus pro omnibus & singulis mortuus esset, Cur toties Scriptura ejus mortem ad paucos restringeret? Quomodo posset dicere esse Servatorem Populi sui & Corporis sui simpliciter, si Servator est cæterorum? & posuisse animam suam pro Ovibus, pro Filiis Dei, & pro Ecclesia, si pro aliis etiam mortuus esset ex Dei consilio & Christi ipsius intentione? Annon hoc luculentius fuisset ejus charitatis argumentum, & majoris consolationis fundamentum?

XIII. Nequicquam hic Excipitur in genere I. *Scripturam, quæ alicubi restringit mortem Christi ad paucos, alibi ad omnes extendere.* Quia universalitas illa, ut postea docebitur, non est absoluta, sed limitata, quæ genera singulorum, non singula generum respicit. II. *Agi in locis illis non de impetratione sola, quæ possit esse universalis, sed de impetratione & applicatione simul, quæ sit particularis.* Quia termini isti, quibus Spiritus Sanctus locis allegatis utitur, ut *Servatorem esse*, *animam suam ponere pro aliquo*, *dare se pro aliquo*, & aliquos περιποιεῖν, satisfactionem, impetrationem & acquisitionem salutis propriè designant; Et licet post se applicationem traherent, non minus efficaces essent, cùm impetratio & applicatio sint inseparabiles, utpote ejusdem latitudinis, ut jamjam probabitur. III. *Posse simul dici Christum esse mortuum pro quibusdam absolute, & pro omnibus conditionatè.* Quia supponitur gratis, quod probandum fuit, dare duplicem intentionem in Christo moriente, aliam conditionatam, quæ ad omnes extendatur, aliam absolutam, quæ ad paucos referatur, cùm Scriptura nuspiam ejus meminerit, quæ de applicatione quidem ut conditionatâ loquitur, sed nunquam de redemptione. Nec natura reì hoc patitur; cùm ex illorum hypothesi in decreto de morte Christi, secundùm quod mortuus est, & quidem eadem intentione, quâ id decretum erat, cùm executio debeat respondere destinationi, nec alius possit esse in Christo moriente affectus & sensus, quàm in Patre destinante; nulla adhuc fuerit consideratio Electorum, qui decreto demum sequente ab aliis separati sunt. Deinde quis credat in unico & simplicissimo actu, quo omnia à Deo decreta sunt, licet à nobis distinctè concipiatur, duas intentiones fuisse adeo diversas, si non contrarias, ut pro omnibus quidem uno modo voluerit mori, pro quibusdam verò tantùm alio? Imò cùm non possit velle mori pro Electis absolutè, quin ex opposito nolit mori pro reprobis, qui illis contradistinguuntur, capi non potest, quomodo in unico actu voluerit & noluerit pro iis mori. IV. *Et si loca de Electis loquerentur, non tamen de solis exclusive ad alios intelligenda esse, quomodo Paulus dicens Christum pro se traditum, alios ab ejusdem amoris consortio excludit*

cludit Gal. 2:20. Quia loca omnia allegata, si non explicitè, at implicitè exclusivam includunt in descriptione eorum de quibus agitur, quæ ad alios pertinere nequit: Ut licet benedictio promittatur Abrahæ Semini, non additâ particulâ *soli*, satis tamen ex natura rei colligitur. Sic loca ista omnia eò tendunt, ut amplificent insignem Christi amorem erga Oves suas, pro quibus animam ponit, erga Ecclesiam & Populum pro quo se tradidit. At si nihil peculiaris in hoc negotio habent præ cæteris, quæ ratio dici potest, cur immensus iste amor animam ponentis, sanguinem fundentis, & se tradentis Christi, illis speciatim applicetur? Nec exemplum Pauli huc facit; quia non hoc sibi tribuit quasi privilegium peculiare personæ suæ, sed ut bonum commune cæteris electis & fidelibus, quibus in exemplum se proponit, ut idem de seipsis in eodem statu prædicare possint. QUÆST. XIV.

XIV. Non solidiùs Excipitur in specie, 1. ad Matth. 1:21. *Licet Christus dicatur Servator Populi sui peculiari ratione propter salutem actu & reapse ipsi collatam: Non obstare quominus Servator sit etiam aliorum propter salutem illis partam, licet non applicatam propter eorum incredulitatem, eo modo quo Paulus dicit Deum esse Servatorem omnium, sed præcipuè fidelium* 1 Tim. 4:10. Quia gratis supponitur Christum Servatorem esse eorum, quibus acquiritur quidem salus, sed non applicatur. Cùm vel ipsum servandi verbum notet actualem salutis communicationem, & Christus sit Jesus, non tantùm eo quòd velit aut possit servare, & quòd per ipsum non stet, quominus homines serventur; sed quod reipsa & actu servet Populum suum, salutem non modò acquirendo merito suo, sed & applicando efficaciâ, quam intentionem Dei fuisse in Christo mittendo, & missionis ipsius finem apertè designat Angelus per nominis impositionem. Nec locus Pauli 1 Tim. 4:10. contrarium evincit, quia ibi σωτὴρ, qui in posteriori pericope respectu fidelium propriè & strictè sumitur, quod vocula μάλιστα innuit, in priori latiori sensu pro *conservatore* ponitur, eo quòd in ipso sumus, vivimus & movemur Act. 17:28. quomodo Ps. 36:7. ad quem locum Paulus alludit, dicitur *Deus homines & jumenta σώζειν conservare.* Unde Chrysost. Oecumen. Primasius, Ambrosius dicunt esse Servatorem omnium *in præsenti*, id. quantum ad vitam præsentem, sed fidelium tantùm *in futuro*, & quoad vitam æternam, & Thom. in h. l. *Qui est Salvator vitæ præsentis & futuræ, Quia salvat salute corporali quoad omnes, & ideo dixit omnium hominum, Item salute spirituali quoad bonos, & ideo dicit maximè fidelium.*

Matt. 1:21.

1 Tim 4:10.

XV. 2. Ad locum Johan. 10:15. non debet reponi; *Oves pro quibus animam posuit, non esse solos Electos.* Nam locus clarè docet non ad alios quàm ad Electos posse pertinere, cùm agatur de Ovibus, quæ vocem Christi audiunt, & quæ eum sequuntur, quas ille novit & diligit impensè, quas debet Joa. 10:15.

QUÆST. XIV. adducere, ut fiant unus grex sub uno Pastore v. 15. 16. quibus daturus est vitam æternam, & quas nemo rapere potest ex manibus Christi, quod de aliis quam de Electis dici non potest, qui oves dicuntur, tum antecedenter ratione destinationis ab æterno, tum consequenter ratione vocationis in tempore. Vel quòd dicatur posuisse animam suam pro Ovibus, *quia sola Oves fructus morte quæsitos percipiant, dum cæteris propter incredulitatem nulli mors Domini usui est. Ita mori pro aliquo, vel significare simpliciter eo animo mori, ut alicui prosis, quod respectu omnium locum habeat, vel etiam pro eo mori, ut ei reapse prosis, quod de Ovibus tantum dicatur.* Quia phrasis animam ponendi pro aliquo non magis potest ad fructuum mortis Christi perceptionem referri, quàm quum dicitur se dedisse ἀντίλυτρον pro omnibus, quæ ad omnes & singulos extenditur. Nec ulla est ratio, cur illa referatur ad affectum & effectum simul, ista verò ad affectum tantùm, & animum juvandi. Nec concipi potest quid sit discriminis inter ista duo. Nam qui vult pro aliquo mori, ut illi prosit, vult eo ipso illi reapse prodesse, & reipsa illi prodest, quum potest, aliàs reddenda erit ratio, cur Christus obtineat quidem quod intendit in Ovibus, sed excidat suo scopo in reliquis. Vel *non potuisse mori pro Ovibus qua talibus, quia sic fuissent Oves Christi, antequam mortuus fuisset pro illis, & eas ut suas acquisivisset; sed tantùm quà peccatoribus, quod cùm commune sit aliis, pro aliis etiam animam posuisse.* Quia licet non essent adhuc *Oves actu*, erant tamen *destinatione*, qua datæ fuerunt Christo redimendæ & acquirendæ, tanquam bono Pastori, qui proprio sanguine debuit eas redimere, priùs ergo datæ sunt Christo in Dei consilio, quàm fuerint in manibus Christi Joa. 17. 24. Imò Christi ipsius missio fundatur in illa donatione, *Hæc est voluntas*; inquit, *ejus qui misit me, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo die*, Joan. 6. 39. aliàs nisi cœtus aliquis salvandorum obversatus fuisset Deo destinanti mittere Christum, mors Christi incerti fuisset eventus, & mysterium hoc totum Redemptionis irritum reddi potuisset per hominis contumaciam.

Eph. 5. 25. Tit. 2. 14. XVI. 3. Ad Eph. 5. 25. Tit. 2. 14. non potest regeri, *Christum dici quidem se tradidisse pro Populo & Ecclesiâ, sed non haberi* solâ. *Ut inde concludatur, quod pro nullis aliis se tradiderit.* Quia exclusiva satis apertè ex verbis ipsis, & naturâ rei innuitur. Talis enim traditio intelligitur, quæ oritur ex amore Christi ergà Ecclesiam, ut Sponsam suam; at talis amor exclusionem nececessariò includit. Ita quum Paulus ait in v. præced. *Viri diligite uxores vestras*, etsi exclusio non opponatur, satis tamen subintelligitur. Nec adulterum quis ferret ita vitiitigantem, ad crimen suum tegendum, dictum quidem fuisse, *Viri diligite uxores vestras*, sed non solas. 2. talis traditio intelligitur, quæ pro fine habet sanctificationem Ecclesiæ & ejus adductio-

ctionem ad salutem, id applicationem cum impetratione, quod nullis, quàm Electis & soli Ecclesiæ competere clarum est. Et cùm pro nemine se tradiderit nisi in hunc finem, pro nemine dici potest se tradidisse, qui istum finem non assequatur. QUÆST. XIV.

XVII. 4. Ad Matth. 20:28. & 26:28. Heb 9:28. frustra excipitur *multos hic, non omnibus opponi, sed, uni, & paucis*, ut Rom. 5:19. & Dan. 12:1. *imo pro omnibus non raro poni.* Quia *multi* illi, de quibus agitur, per tales notas describuntur, quæ omnibus & singulis non possunt esse communes, ut quòd se dederit λύτρον ἀντὶ πολλῶν *loco multorum* per actualem substitutionem, quòd sanguinem fuderit ad remissionem peccatorum pro multis, quòd oblatus sit εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ad actualem peccati abolitionem. Si multi aliquando uni & paucis opponantur, imò & pro omnibus usurpentur, non statim hoc ubique locum habere debet, imò non rarò ita est extensivum ad plures, ut sit negativum omnium. Unde Hiero. ad Mat. 20. *Non dixit dare animam suam pro omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerint*, qui alii non sunt quàm Electi, in quibus Deus operatur velle & perficere. Glossa interlinea, *pro multis, non omnibus, sed prædestinatis.*

Matt. 20: 28. Heb. 9: 28.

XVIII. Secundò, Quia pro nullis aliis datus est, & mortuus Christus, quàm pro iis qui ipsi dati sunt à Patre. At non omnes & singuli dati sunt Christo, sed quidam tantùm. Ergo. Majoris veritas non potest in dubium vocari. Cùm enim in consilio Patris juxta quod Christus mori debuit, & reverâ mortuus est, non tantùm Christus ut Redemptor designatus sit, sed etiam illi, pro quibus redimendis & salvandis moriturus erat; liquet non pro aliis debuisse mori, quàm pro illis, qui illi hoc sensu dati fuerant. Atque hic duplex datio potest observari. Alia Christi Hominibus, Alia Hominum Christo. Christus datus est Hominibus ad eos salvandos, & Homines dati sunt Christo salvandi; prior datio innuitur Isa 9:6. & 49:6. & in omnibus locis, in quibus Christus mitti & dari nobis dicitur; posterior in aliis, ubi fit mentio eorum qui dati sunt Christo; ut Joan. 17:2. 6. 12. & 6:37. Cùm autem datio ista duplex sit reciproca, debet etiam esse ejusdem latitudinis, ut non pro aliis datus sit Christus, quàm pro iis qui ipsi dati sunt; & illi omnes dati sint Christo, quibus Christus datus est. At non omnes & singulos, sed quosdam tantùm datos esse Christo, quod in minori assumitur, Scriptura non uno loco asserit: quum eos ab aliis hominibus distinguit Joan. 17:2. *Sicut dedisti ipsi potestatem in omnem carnem, ut det vitam æternam iis omnibus, quos dedisti ipsi*, & vers 6. *manifestavi Nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti ex mundo, Tui erant, & mihi eos dedisti*, quum designat eos per Populum quem præcognovit Rom. 11:2. per Hæredes & Filios promissionis Rom. 9:8. per Semen Abrahæ, non carnale, sed spirituale, tam ex Judæis, quàm

2. Ex restrictione mortua l datos à Patre.

QUÆST. XIV. ex Gentibus Rom. 1:4. 13. Gal. 3:8. 16. Heb. 2:16. per Populum & Corpus, seu Ecclesiam Christi Matt. 1:21. Eph. 5:23. per Vasa misericordiæ, præparata ad gloriam Rom. 9:24 per eos qui electi sunt in ipso, & prædestinati ad adoptionem & conformitatem cum ipso Rom. 8:30. Eph. 1:4. 5. per secundi Adami posteritatem, quæ in ipso vivificanda est tota, opposite ad posteritatem primi Adami, in quo omnes moriuntur 1 Cor. 15:22. 23. Ex quibus omnibus patet ita restringi objectum dationis Christi, ut ad omnes & singulos extendi non possit, sed ad quosdam tantùm.

XIX. Nequicquam quis reponeret, *dationem istam Christi fuisse conditionatam, non absolutam; nimirum ea lege & conditione, ut homines beneficium hoc sibi oblatum per fidem reciperent, quod cùm à majori parte non fiat; mirum non eße, si datio ista manet irrita respectu ipsorum.* Quia gratis supponitur talem dationem esse conditionatam, cùm nuspiam Scriptura istius conditionis meminerit. Licet enim fides proponatur ut medium & conditio necessaria ad receptionem & usum istius beneficii; Non ideo potest censeri conditio præsupposita dationi Christi; cùm ipsa sit donum gratiæ, & fructus istius dationis. Accedit quòd si datio ista Christi aliquâ conditione niteretur, vel ab homine penderet, vel à Deo: prius dici non potest nisi a Pelagio; si posterius asseritur, eò res redit, ut dicendum sit Christum datum esse nobis à Deo in Servatorem, eâ conditione, ut nobis ipse eum daret per fidei productionem; vel sub conditione fidei, quam ipse tamen dare non vult, qui solus potest, quod nemo non videt absurdum esse.

XX. Hoc ipsum verò ulteriùs adhuc confirmatur ex connexione duplicis σχέσεως, sub qua nobis datus est, *Vadis* scilicet, & *Capitis*, Vadis quidem, ut pro nobis satisfaciendo salutem nobis acquireret; Capitis verò, ut Spiritu suo in nobis operando eam nobis applicaret. Ut ergo non datus est Caput omnibus & singulis, sed tantùm solis Membris suis, id est Electis, qui salutis actu fiunt participes. Ita non aliorum debuit esse Vas & Sponsor; Cùm eadem sit utriusque σχέσεως ratio; Nec major debeat esse extensio unius quàm alterius. Idem evinci potest ex *conjunctione Mortis & Resurrectionis Christi*, in quibus duplex ista relatio patuit, siquidem mori debuit ut Vas, & resurgere ut Caput. Cùm verò eadem sit ratio mortis & resurrectionis, nec causa ulla dari possit, cur illa latius istâ extendatur, quô fit ut Paulus ponat hæc duo tanquam ἰσοδυναμοῦντα, & æqualis latitudinis, Christum *mortuum esse propter peccata nostra & suscitatum propter justificationem nostram* Ro. 4:25. & 2 Cor. 5:14. 15. testetur, *Christum mortuum esse pro omnibus, ut qui deinceps vivunt, non vivant sibi ipsis, sed illi qui mortuus est & suscitatus pro ipsis.* Non pro aliis dici potest mortuus, quàm pro iis pro quibus resurrexit, quia fructuum mortis Christi nemo fit particeps nisi per resurrectionem. At non pro omnibus resurrexisse ut Caput, ad salutem morte partam ipsis conferendam res ipsa clamat.

XXI.

XXI. Tertiò, eadem veritas adstruitur, *Ex connexione Satisfactionis, & Intercessionis Christi.* Cùm enim sint partes ejusdem Muneris Sacerdotalis, debent etiam ejusdem esse latitudinis, ut pro quibus intercedit, pro iis etiam satisfecerit, nec pro aliis satisfecerit, quàm pro quibus intercedit. Idem enim debet esse objectum tam ἱλασμοῦ, quàm ἐμφανισμοῦ, ut à Paulo & Johanne indissolubili vinculo connectuntur 1 Joan. 2: 1. 2. Rom. 8: 34. At pro omnibus & singulis non intercedere, sed pro datis tantùm à Patre Christus ipse expressè testatur Joan. 17: 9. *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro iis, quos mihi dedisti.* Cùm verò preces alicui impendere, multo minus sit quàm sanguinem & vitam dare, quis dixerit eum pro iis mortuum esse, quibus preces suas denegat? vel eum denegaturum fuisse preces illis, in quorum gratiam sanguinem ipsum profundere voluit, eo momento quo jamjam moriturus erat?

Quæst. XIV.

3. Ex connexione Satisfactionis & Intercessionis.

Joan. 17:9.

XXII. Nec hìc dicendum cum Remonstrantibus, *duplicem dari Intercessionem Christi, aliam universalem, quæ sit resp. totius mundi. de qua* Is. 53: 12. *secundùm quam pro persecutoribus suis orasse legitur*, Luc. 23: 34. *aliam particularem, quæ sit resp. fidelium, de qua agatur* Ioan. 17. & Rom. 8. Supponitur enim sine ratione, dari Intercessionem universalem? Ut enim semper exauditur à Patre Ioa. 11: 42. si pro omnibus intercederet, omnes actu salvarentur. Nec hoc evincitur, Vel ex Isa. 53: 12. ubi dicitur quidem intercessurus pro defectoribus, non pro omnibus, sed pro multis illis, quorum mentio ibi fit, & quos justificare dicitur v. 11. Vel ex Luc. 23. 24. Nec enim orat pro omnibus crucifigentibus, sed pro iis qui peccabant ex ignorantia, ut ibidem Christus addit, qui fructum etiam orationis obtinuerunt Act. 2. & 3. Nec si Christus ex affectu humano, & ex charitatis impulsu precatus fuisset etiam pro pereuntibus, sequeretur preces Intercessorias, quas quà Mediator obtulit, & ex speciali illo Officio, debuisse ad alios extendi, quàm ad Electos & datos à Patre, ad quos eas restringit ipse Christus.

Isa. 53: 12.

Luc. 23: 34.

XXIII. Nec meliùs elabetur, qui dixerit, excludi tantùm à precibus Christi *Mundum Incredulorum*, qui reus est rejecti Evangelii, & credentes odio habet v. 14. sed non Mundum à Deo dilectum, cui Filium suum dedit Ioa. 3: 16. Nec aliò tendere preces istas, quàm ad obtinendum donum perseverantiæ pro fidelibus. Quia cùm Mundus iste opponatur datis à Patre per electionem, necessariò debet extendi ad omnes reprobos, qui non dati sunt Christo, antecedenter ad eorum incredulitatem, sive increduli esse debuerint Evangelio sibi oblato, sive Rei tantùm violatæ Legis naturæ. Et cùm reprobatio illa ab æterno facta sit, non potuerunt unquam aliter considerari à Deo. Nec Mundus, quem dilexisse Deus dicitur ad dandum Filium suum, obstat huic exclusioni, quia ut suo loco visum, non extenditur ad omnes & singulos, sed indiscriminatim ad Electos. Nec si pro Apostolis jam

QUÆST. XIV.

credentibus precatur, poscendo iis perseverantiæ donum, sequitur pro fidelibus tantùm quà talibus & consequenter ad eorum fidem precari; imò cùm pro omnibus credituris oret v. 20. *Ut sanctificentur in veritate, & in unum consummentur*, nec possit hoc sine dono fidei fieri, debet fidem illis apprecari. Adde quòd cùm se sanctificare dicat pro iis, ut & ipsi sanctificarentur in veritate, nec sanctificationem istam assequatur in aliis quàm Electis, pro illis solis preces istas concepisse censendus est, ad fidei & cæterorum donorum ad salutem necessariorum largitionem, & perseverantiam.

4. Ex inseparabilitate doni Filii, & doni Spiritus S.

XXIV. Quartò, Ex *inseparabilitate doni Filii, & doni Spiritus Sancti.* Cùm enim duo ista dona omnium præstantissima à Deo nobis data sint ad salutem, & conjungantur identidem in Scriptura, ut causa & effectus Joh. 16:7. Gal. 4:4.6. Rom. 8:9. 1 Joh. 3:24. debent æqualis esse latitudinis & pari passu incedere; ut non pro aliis datus sit Filius ad acquirendam salutem, quàm quibus datur Spiritus ad eam applicandam. Nec ulla reddi possit ratio, cur major sit extensio doni Filii, quàm doni Spiritus. Constat autem Spiritum non omnibus dari, sed Electis tantùm; Ergo Filius non pro aliis sese Vadem sistere debuit, ut harmonia daretur inter opus Filii, & opus Spiritus S. Atque huc pertinet argumentum Pauli quo ex datione Christi, colligit omnium beneficiorum salutarium collationem. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit, quomodo non largietur omnia cum ipso?*

Rom. 8:32.

Rom. 8:32. Ratio petitur à majori ad minus, nimirum, qui dat Filium, quod majus est sine dubio, quomodo non daret fidem, & cætera omnia dona salvifica, quod minus est? eoque magis, quod, ut jamjam probaturi sumus, Christus seipsum pro nobis tradendo, omnia ista dona cum salute meritus est. Unde concludendum est, Vel reprobis omnia dari cum Christo, si pro iis mortuus est; Vel si non dantur, ut de eo inter omnes constat, neque etiam Christum pro illis esse traditum. Nec solvi potest nodus si dixeris, agi de traditione speciali, quæ facta sit pro Credentibus. Quia, præterquam quod gratis supponitur dari traditionem Christi universalem, ut antea dictum; Cùm fides sit fructus illius mortis, non potest illi præmitti ut conditio præcedanea. Adde quòd cùm ex ordine apud Viros doctos recepto decretum mortis Christi antecedat decretum de danda fide, non potest concipi, quomodo simul & semel in eodem actu simplicissimo potuerit tradi pro omnibus, & pro quibusdam tantùm.

5. Ex summa dilectione Christi.
Joh. 15:13.
Rom. 5:7.

XXV. Quintò, *Ex summa dilectione Christi*, Pro quibus Christus mortuus est eos tantopere dilexit, ut major dilectio dari non possit. *Majorem charitatem*, inquit Christus Joh. 15:13. *nemo habet, quàm si quis animam ponat pro amicis suis.* Et Paulus Rom. 5:7. dilectionem istam ita commendat, ut rem planè miram & inauditam inter homines, *Vix est, ut quis moriatur pro*

justo

justo, sed forte pro viro probo aliquis sustinebit oppetere; commendat verò charitatem suam Deus in eo quòd cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. At hoc de omnibus & singulis dici nequit, cùm apud omnes constet, Petrum magis à Christo dilectum fuisse, quam Judam. Nec capi potest, quomodo summè dilexisse dici possit, quos tanquam severus Judex æternùm torquendos jam Satanæ tradiderat, vel irrevocabili Decreto traditurus erat. Nec dici potest agi de actibus externis dilectionis; quia præterquam quod actus externi supponunt internos; si Christus pro omnibus & singulis actum istum exteriorem exeruit, quo major dari nequit, sequitur nihil magis præstari posse à Christo pro Electis, quàm pro Reprobis, quod nemo non videt esse absurdum. Nec si Electos alios aliis magis diligat, quoad charismata interna Spiritus, quorum diversitas requiritur ad Corporis sui mystici perfectionem; hoc obstare potest, quominus maximus gradus dilectionis, quâ utrosque prosecutus est, sit positio animæ pro ipsis. QUÆST XIV.

XXVI. Sextò, Ex *natura Sponsionis Christi* idem colligitur. Cùm enim substitutionem Christi in locum nostrum importet, ut non tantùm mortuus sit bono nostro, sed loco nostro, ut antea dictum, & contra Socinianos solidè à Nostris probatum fuit, ita ut Sponsione suâ omne eorum debitum, quorum personam sustinuit, in se transtulerit, & ab iis abstulerit, & tanquam suum plenissimè expunxerit, non minus quàm si ipsi illi peccatores hoc ipsum præstitissent, concipi non potest quomodo illi pro quibus mortuus est & satisfecit hoc pacto, possint adhuc æternæ maledictioni subjici, & ad pœnas commeritas ferendas iterum obligari; quod dicendum est tamen, si pro aliis, quàm pro Electis est mortuus, cùm hoc bonæ fidei & justitiæ Dei apertè repugnet. Nam si debitum per istam Sponsionem in Christum translatum est, & expunctum; nemo non videt, ita à primariis debitoribus esse ablatum, ut ab illis solutio ejus amplius exigi non possit, sed liberi & exsoluti ab omni pœna in posterum maneant. Quò pertinent loca Scripturæ, quæ in Christum ita translata fuisse peccata nostra asserunt, ut castigatio pacis nostræ super eum posita fuerit, & ex ejus vibicibus sanatio nobis contigerit, Is. 53:5.6. cum peccatum & maledictio dicitur factus pro nobis, ut essemus justitia & benedictio Dei in ipso 2 Cor. 5:21. Gal. 3:13. *6. Ex natura Sponsionis.*

XXVII. Septimò, Pro iis tantùm mortuus est Christus, quibus salutem impetravit, & impetratam applicat. At solis Electis salutem impetrat & applicat. Ergo pro iis solis mortuus est. Ratio majoris duplici fundamento nititur. 1. Christi mortem pro nobis destinari à Deo ad impetrationem salutis. 2. Impetrationem separari non posse ab applicatione, quia finis impetrationis non alius potest esse quàm applicatio, & frustra impetraretur, quod nunquam applicandum esset. Unde sequitur si impetrata est salus omnibus, omnibus pariter applicari debere; & si non applicatur omnibus, sed tantùm *7. Quia non aliis impetrat salutem, quàm quibus applicat.*

QUÆST. XIV. Electis, omnibus etiam non esse impetratam; sed Electis duntaxat. Frustra regeritur I. Christi mortem non tam destinari ad impetrationem salutis; quam ad remotionem obstaculi justitiæ, quæ intercedebat, quominus Deus de salute nostra cogitare posset. Quia sic sequeretur, Christum non tam redemptionem & salutem nobis acquisivisse, quàm possibilitatem salutis tantùm, & potestatem Patri novum Fœdus Gratiæ cum hominibus paciscendi, quod in Remonstrantibus pridem damnatum, ut injurium virtuti Crucis Christi, & efficaciæ ejus Sponsionis. Quomodo ergo diceretur se dedisse ἀντίλυτρον pro nobis, æternam salutem nobis adipisci, nos redimere ab omni iniquitate, & vitam æternam nobis dare, & alia id genus, quæ non possibilitatem tantùm salutis, sed ipsam salutem à Christo nobis impetratam statuunt?

XXVIII. II. Non melius dicitur, *Christum redemptionem omnibus impetrâsse in eum finem, ut omnibus applicaretur, modò eam non respuerent.* Quia hoc dici nequit respectu innumerorum, quibus nec oblatus est Christus, vel de nomine unquam cognitus. Deinde sic Christus inanem finem sibi proposuisset, de re non tantùm non futurâ, sed etiam quæ dari non poterat sine suo dono, quod tamen illis largiri noluit, quasi hoc esset Christi consilium, Volo impetrare redemptionem omnibus, eo fine ut omnibus applicetur, modò credant; Et tamen innumeris nec revelare volo redemptionem istam, nec dare innumeris quibus revelatur, conditionem, sine quâ fieri non potest ut illis applicetur in æternùm; id est, volo ut id fiat, quod non tantùm scio non futurum, nec fieri posse, sed etiam quod nolo ut fiat, quia nolo communicare id sine quo fieri in æternùm nequit, quod à me solo pendet: quod si hominem sapientem non decet, quanto minus Christum sapientissimum & optimum. Nec si defectus istius applicationis non contingit culpâ Christi, sed per accidens, hominum scilicet scelere & incredulitate, id desinit minus esse injurium Christo, quasi vel non præsciverit, vel nequiverit id impedire, quo fit ut frustra sit impetratio nec finem suum assequatur. Quod verò negatur frustra esse; quia licet careat successu, non facta tamen sit temerè & nullo consilio, quia utcunque homines se gerant, id quod maximè spectabat morte suâ Christus est assecutus, ut jam omni homini, si modò credat & resipiscat, parata sit venia ac salus, quod inexorabilis justitiæ divinæ rigor antè prohibebat; Non tollit absurditatem, quia cùm nullus alius possit esse finis impetrationis, quàm applicatio, non potest non fieri temerè, quod finem hunc non assequitur: Et Christus non debuit tantùm mori pro hominibus, ut parata sit illis venia & salus, sub conditione ab ipsis non præstabili, sed ut de facto veniam & salutem consequantur.

XXIX. Hoc fortiùs confirmatur ex *modo Impetrationis*, nam si ad omnes

&

& singulos extenditur, vel erit absoluta, vel conditionata. Prius dici non potest, quia tunc omnes & singuli indubiè servarentur; Sed nec posterius. 1. Quia impetratio conditionata, impetratio propriè non foret, sed tantùm mera possibilitas impetrationis, si præstetur conditio. 2. Vel acquisivit conditionem illam omnibus, vel quibusdam tantùm; si acquisivit omnibus, ergo omnes debent fieri salutis actu participes, quia talis conditio non potuit nisi absolutè & sine conditione acquiri, & sic omnibus conferri, cùm non detur conditio conditionis, aliàs res abiret in infinitum, nec ulla posset dari conditio, quæ non coincideret cum re acquirenda. Si quibusdam tantùm, Impetratio non est plenaria & sufficiens, quæ maximè necessariâ sui parte destituitur. Deinde vana erit & illusoria, facta puta sub conditione non præstabili, & nunquam futurâ, & quam Deus non modò prævidet ut non futuram, sed quam ipsemet non dare decrevit, qui solus potest. Denique sic Christus fingitur duplicem habuisse intentionem satisfaciendi, conditionatam primò pro omnibus, deinde absolutam pro Electis, quod nec ex Scriptura unquam probari poterit, nec conciliari cum unico & simplicissimo Decreto de morte Christi.

XXX. Octavò, Pro iis tantùm Christus mortuus est, quibus meruit salutem, & cum salute media omnia ad salutem obtinendam necessaria, præcipuè fidem & resipiscentiam, & Spiritum Sanctum utriusque authorem, sine quibus nulla dari potest salus. At hoc de omnibus & singulis dici nequit, quia sic omnes indubiè servarentur, sed de Electis tantùm. Ergo. Christum autem meruisse fidem hominibus morte sua, multa probant. 1. Quia dicitur ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως, *Dux & Consummator fidei* Hebr. 12:2. Act. 5:31. At si est author fidei, debet esse ejus acquisitor, nihil enim dat nobis, nisi quod merito suo nobis acquisivit. 2. Quia est causa meritoria salutis, Ergo & omnium partium, quibus salus constat; At fides & vita spiritualis, quam in nobis operatur, est prima pars salutis. 3. Quia Christus est causa & fundamentum omnium benedictionum spiritualium Ephes. 1:3. inter quas prima & potissima est fides. Unde alibi dicitur dari propter Christum in ipsum credere, & pro ipso pati Philip. 1:29. 4. Quia ut Christus mittere nobis debuit Spiritum, Ita & debuit eum mereri, unde proponitur nobis ut fructus mortis Christi Joan. 16:7. Ergo & omnia dona ejus, & imprimis fidem. Nec hîc Spiritus sanctificans & consolans distinguendus à Spiritu illuminante, quasi illum tantùm meruerit non istum. Cùm enim istæ omnes operationes ab eodem Spiritu procedant; qui acquisivit nobis Spiritum donorum authorem, acquisivit in ipso omnia ejus dona, & cum fides sit principium & radix sanctificationis, qui meruit Spiritum sanctificantem, meruit & ipsam fidem quæ corda purificat. 5. Christus non potuit esse verus & plenus Servator, nisi acquirendo nobis fidem, sine qua impossi-

8. Quia non meruit omnibus fidem.

QUÆST. XIV. possibile est eam consequi. Et hæc constans fuit in Ecclesiis Reformatis doctrina, Christum non minus fidem, quàm salutem nobis meruisse, & caussam esse omnium donorum, quæ à Patre nobis conferuntur. Unde Patres Syno. Dordra. In positione veræ doctrinæ, Th. 8. dicunt, *Christum fidem, ut alia Spiritus Sancti salvifica dona morte sua acquisivisse*, Et in rejectione Errorum Th. 3. rejiciunt *Eos, qui docent Christum per suam Satisfactionem nullis certò meruisse salutem, & fidem, quâ hac Christi Satisfactio efficaciter ad salutem applicetur, sed tantùm Patri acquisivisse potestatem, vel plenariam voluntatem de novo cum hominibus agendi, & novas quascunque vellet conditiones præscribendi, quarum præstatio à libero hominis arbitrio pendeat, atque adeo fieri potuisse, ut vel nemo, vel omnes eas implerent. Hi enim de morte Christi nimis abjectè sentiunt, & primarium ejus fructum seu beneficium per eam partum nullatenus agnoscunt, & Pelagianum errorem ab inferis revocant.*

XXXI. Frustra verò hîc nonnulli distingunt Decretum de Christo morti tradendo, ab ipsa morte, quæ contigit in tempore, ut illud quidem antecedenter se habuerit ad quorundam electionem, sed non ista, quæ secuta est Decretum electivum certorum. Nam ipse Amyr. de Prædesti. p. 77. loquens de Morte Christi in tempore, dicit *redemptionem debuisse esse æqualem, quia respicere debebat omnes, ut Creaturas Dei æqualiter miseras* &c. Et rei ipsius natura hoc evincit; Cùm enim Filii idem sit in omnibus sensus & affectus cum Patre, ut loquitur Idem, part. 2. speci. p. 356. mors Christi in tempore debuit conformari destinationi Patris ab æterno, ut Satisfactionem non faceret nisi ex præscripto paterno. Cùm ergo Decretum Patris de Christo morti tradendo ortum sit ex affectu communi erga omnes homines, ante ullam considerationem electionis quorundam ad fidem; Christus ipse in ipsa morte non aliam intentionem & finem habere potuit, ut exequeretur consilium Patris. Deinde juxta illum conceptum, Christus in morte alios ut electos, alios ut reprobos considerare debuit; nam cùm electio non sit sine reprobatione, non potuit Christus de quorundam electione cogitare, quin & simul de aliorum præteritione & reprobatione cogitaret; si igitur pro illis quos electos nôrat singulari affectu mori voluit quà talibus consideratis, etiam pro aliis quos reprobos sciebat, quà reprobis, alio quodam affectu mori noluit. Nec juvat regerere Christum non mortuum pro reprobis *in sensu composito*, & formaliter quatenus reprobi sunt, sed *in sensu diviso*, & materialiter pro iis hominibus, qui in alio decreti momento reprobati sunt. Quia, præterquam quod capi non potest, quomodo ejusmodi abstractiones in unico & simplicissimo actu decreti Dei locum habere possint; sic sequetur Christum pro Electis quà talibus mori non potuisse: siquidem eadem debet esse ratio contrariorum. Et inexplicabile videtur quomodo Christus in morte respexit ad pri-

primum & quartum Decretum quoad Electos, id. voluerit mori pro iis consideratis & materialiter quà hominibus, & formaliter quà electis: quantum verò ad reprobos abstractione usus fuerit, & illos consideràrit tantùm ut homines, non ut reprobos; Cùm electio & reprobatio pari passu incedant, & se mutuò ponant & tollant. QUÆST. XIV.

XXXII. Quia verò Viri docti observarunt, suam hanc hypothesim, quà pertendunt fidem non esse fructum meriti mortis Christi, sed donum Patris, variis premi incommodis, & injuriam esse Christo, & noxiam saluti, aliam viam quæsiverunt elabendi, docendo aliquando *Christum impetrasse fidem & resipiscentiam omnibus conditionatè, Electis absolutè*; aliquando *non impetraße quidem per viam Satisfactionis, & causæ meritoriæ, sed per viam causæ finalis, quatenus electis fides donatur, ut ad Christum adducantur.* Sed neutrum verè dici potest; Non prius, quia concipi non potest sub qua conditione fides impetrata nobis sit, cùm sit ipsa conditio. Licet verò proponi soleat per modum conditionis, sub qua salus in Christo promittitur, tamen proponitur etiam per modum beneficii in Fœdere Gratiæ, quod Christus sua morte nobis impetravit. Unde non acquisivisse tantùm censendus est salutem si credamus, sed & fidem ut credamus. Non posterius, quia inaudita fuit hactenus in Scholis Theologicis impetrationis ratio *per viam causæ finalis*, & non *per viam Satisfactionis* & causæ meritoriæ. Cùm omnis impetratio propriè dicta fundetur in satisfactione & merita impetrantis. Deinde si Christus per viam causæ meritoriæ fidem non impetravit, eam ergo non meruit. Sed nec per viam causæ finalis potest dici illam quibusdam impetrasse, cùm nulli dum Electi obversarentur Christo, cùm destinata est impetratio, quam per mortem facere debuit. Adde quod, vel omnibus, quibus impetrata est salus per viam Satisfactionis, impetrata est fides per viam causæ finalis, vel non. Si prius omnes salvabuntur; si posterius, cui bono impetrata est salus illis per viam Satisfactionis, quibus non est acquisita per viam causæ finalis fides, sine qua salus non potest obtineri? Rursus vel fidem illam impetravit omnibus per viam causæ finalis, vel Electis tantùm; Si omnibus, omnes ergo debebunt eam consequi: si Electis, Christus debuerit moriendo aliquid amplius præstare pro his quàm pro illis, cùm tamen in momento Decreti de morte æqualiter omnes respexerit. Sic quocunque modo res spectetur, nodus semper manet vix solubilis, Quomodo fides impetrata sit omnibus & singulis ex æquo, quam tamen omnes pariter non consequuntur: Vel si non impetrata est, quomodo non vana sit & illusoria impetratio salutis, quæ fit sub conditione fidei, quam tamen novit impetrans, homini sine sua gratia non esse præstabilem, & quam ipse, qui solus potest, decrevit non dare. Itaque eò deveniendum est, ut vel fides dicatur esse in nostra potestate, quod volebat Pelagius, vel ut dicatur impetrata à Christo, ut nobis daretur à Patre.

XXXIII.

QUÆST. XIV.

XXXIII. Nec juvat exemplum, quod ad solvendum nodum propositum affertur, Principis scilicet pro omnibus Captivis λύτρον solventis, licet non efficiat, ut omnes captivitate liberari velint. Nam simile non uno pede claudicat; Cùm constet Principem, etsi maximè vellet, non posse Captivo voluntatem dare λύτρον sibi applicandi, quod potest Christus. Sed si daretur Princeps, qui non modò posset λύτρον solvere, sed & voluntatem eo utendi Captivis dare; Imò qui nosset Captivos talem voluntatem habere non posse sine suo dono, nec vellet tamen. Quis dixerit eum seriò voluisse Captivos istos liberari, & dedisse λύτρον eâ intentione & consilio ut liberarentur? Rursus si simile urgetur facile potest retorqueri. Nam ut ad liberationem corpoream Captivi, non sufficit λύτρον solvere; sed oportet etiam vincula quibus in carcere obstringitur abrumpere, absque quo vana esset pretii solutio. Ita ad liberationem animarum ex captivitate spirituali peccati, non satis est solvere λύτρον justitiæ Dei, sed solvenda etiam sunt, & rumpenda vincula peccati & incredulitatis, quibus præpediebatur ne unquam libertate partâ posset vel vellet frui.

9 Ex expiatione omnium peccatorum, illorum pro quibus mortuus est.

XXXIV. Nonò, Si pro omnibus mortuus est Christus, eorum peccata omnia expiavit; adeoque debuit satisfacere pro incredulitate & impœnitentiâ finali, quæ intercedit, quominus redemptionem homo sibi applicet, atque ita non obstabit amplius, quominus applicetur, cùm positâ satisfactione pro ea, supponi debeat condonata. Nec reponi potest applicatum iri beneficium, si præstetur ea conditio, quâ redemptio applicanda est. Quia implicat contradictionem eam conditionem præstari, ubi incredulitas & impœnitentia finalis supponitur. Et sic absurdè Christus fingitur mortuus ad expiandam incredulitatem hominis, modò non sit incredulus, sed credat, ut si dicam me cæco vel leproso remedium infallibile ad sanationem acquisivisse, eâ lege applicandum, si cœcus vel leprosus non fuerit. Adde quòd defectus conditionis non potest impedire applicationem redemptionis in incredulis, cùm supponatur Christus moriendo satisfecisse pro illa incredulitate, atque adeo defectum illum expiasse. Cùm verò hoc nemo non videat de reprobis dici non posse, ex eo solidè colligitur pro illis Christum mortuum non esse.

10. Ab Absurdis variis.

XXXV. Denique, si Christus pro omnibus & singulis mortuus est, sequitur 1. Quòd Christus sit mortuus pro innumeris ea lege ut credant, quibus nec Christus, nec mors ejus unquam innotuit, quique ideo credere non potuerunt. 2. Quòd mortuus sit pro iis, quos noverat Christus filios esse perditionis, præteritos à Deo, nec in æternùm fructum ullum mortis suæ percepturos, ut ita summâ dilectione prosecutus sit eos, quos summo odio ipse cum Patre per æternam præteritionem & reprobationem prosequebatur. 3. Quòd mortuus sit pro iis, qui jam torquebantur in inferno, & jam actu damnati erant sine ulla spe salutis, atque ita pœnas tulerit ut Sponsor eorum

rum loco, qui jam eas ferebat, & ferre debent in æternùm. 4. Christus Servator eorum & Redemptor dicetur, non modò qui nunquam servantur, sed qui nequidem servari unquam possunt. Vel Servator imperfectus & partialis, qui Satisfactione quidem sua author sit impetrationis, sed non applicationis, cùm tamen Servator verè dici non possit, nisi eorum, quos facit salutis participes, & qui actu servantur. Quæst. XIV.

XXXVI. Nuspiam Christus dicitur in Scriptura pro omnibus mortuus, quin ibidem addatur limitatio, ex qua colligitur hoc non universaliter de omnibus & singulis esse intelligendum, sed restrictè pro subjecta materia. Aliquando de Electorum multitudine, quæ universitatem suam habet. Si *pro omnibus mortuus* dicitur 2 Cor. 5: 15. illi demum intelliguntur qui *sunt quoque mortui*, non morte *in peccatis*, sed spirituali *peccato*, quia mens Apostoli non est probare singulorum corruptionem, sed demonstrare, quo vinculo fideles obstringantur ad suum officium, sive quoad justificationem per imputationem meriti morti Christi, ac si ipsi in propria persona eam luissent, sive quoad sanctificationem per veteris hominis virtute crucis Christi crucifixionem, qui non sibi, sed *Christo vivunt*, & quidem pro ipsis, non tantùm *mortuo*, sed etiam *suscitatô*, quos *charitas Christi constringit*, quæ talia sunt, ut nullis aliis quàm Electis & fidelibus competere possint, quorum solorum est mori in Christo & cum eo Rom. 6: 6. 8. Sic vers. 19. Si *Deus dicitur in Christo Mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis eorum peccata.* Non alius Mundus potest intelligi, quàm eorum qui Deo reapse sunt reconciliati, & quibus actu non imputat peccata; quod de solis fidelibus dici posse, res ipsa clamat. Unde Psal. 32: 1. beati pronunciantur, quibus Deus non imputat peccatum. Eodem sensu dicuntur *omnes constitui justi per unius justitiam & obedientiam*, quomodo omnes constituuntur rei, per unius transgressionem Rom. 5: 18. 19. nimirum illi omnes qui accipiunt τὴν περισσείαν τῆς χάριτος, καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης vers. 17. & qui reipsa justificantur vers. 19. qui non alii sunt quàm Electi & fideles, qui pertinent ad universitatem Corporis Christi: Ut sic opponatur Adam Christo, Caput Capiti, scilicet ut in omnes qui ex Adamo oriundi sunt, transit peccatum & mors; ita in omnes qui ad secundum Adamum pertinent, transit justitia & vita, quod alibi 1 Cor. 15: 22. exprimitur à Paulo per mori & vivificari, *omnes in Adamo moriuntur*, id. quotquot moriuntur, moriuntur in Adamo, & propter ejus peccatum, & *omnes in Christo vivificabuntur*, id. quotquot vivificandi sunt vel in gratiâ, vel in gloriâ, non aliter quàm in Christo & propter Christum sunt vivificandi. Illi omnes pro quibus Christus mortem gustasse dicitur Heb. 2: 9. sunt *Filii* in gloriam adducti vel adducendi, quorum *Princeps salutis* Christus est, qui *sanctificantur*, quos *fratres suos* vocat, & *quos illi Deus dedit* vers. 10: 11.

Fontes Solutionum. *2 Cor. 5: 15.* *vers. 19.* *Rom. 5: 18. 19.* *1 Cor. 15: 22.* *Hebr. 2: 9.*

XXXVII. Aliquando syncategorema *omnis* indefinitè & indiscrimina-

QUÆST. XIV. tim sumitur citra διαστολὴν seu distinctionem Gentium, conditionum, sexuum, qualitatum & aliarum differentiarum, quibus homines inter se discriminantur, sed non circa omnem exceptionem, Sic Paulus exponit Rom. 10: 11. *Quisquis credit in ipsum non pudefiet, non enim est διαστολὴ distinctio Judæi & Græci, idem enim Dominus omnium, dives in omnes ipsum invocantes.* Sic intellige locum Col. 3: 11. *in eo nec est Judæus, nec Græcus, circumcisio aut præputium, Barbarus aut Scytha, servus aut liber, sed omnia in omnibus Christus*, id est, nullum nationum vel conditionum discrimen salutem promovet, vel impedit; sed Christus est omnia, id. omnia largitur ad salutem necessaria, in omnibus Credentibus sine ullo discrimine cujuscunque sint gentis vel conditionis, quod explicatur Apoc. 5: 9. cùm viginti quatuor Seniores in Cantico suo dicunt, *redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu & lingua, & populo, & gente*, id. ex omnibus tribubus Israëlis, & ex omnium linguarum hominibus sive illi moratiores sint, qui λαοὶ dici solent; sive barbari, quibus sæpius competit ἔθνους nomen.

Rom. 10. 11.

Col. 3: 11.

Apoc. 5: 9.

1 Tim. 2: 6. XXXVIII. Non alius sensus est loci πολυθρυλλήτου 1 Tim. 2:6. ubi *Christus dicitur se dedisse pretium redemptionis pro omnibus.* Nam illi omnes intelliguntur, quorum loco se substituit Christus ad pœnas ipsis debitas perferendas, & pretium redemptionis persolvendum; hoc enim importare vocem ἀντίλυτρον Orthodoxi omnes tuentur contra Socinianos. At hoc dici non potest fecisse pro omnibus & singulis, sic enim nemo amplius condemnari & pœnas peccatorum suorum ferre posset. 2. De illis omnibus Paulus loquitur, quorum Christus est Mediator tam Intercessione quàm Satisfactione, has enim duas esse partes inseparabiles Muneris Sacerdotalis supra vidimus. At pro omnibus & singulis eum non intercedere fatentur Remonstrantes. 3. Illi omnes notantur, *quos Deus vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.* Sed hoc de omnibus & singulis dici non posse experientia docet, & supra à nobis probatum P. I. L. 4. Q. 17. Th. 34. &c. ubi instantiæ variæ afferri solitæ diluuntur. Ita non potest phrasis intelligi universaliter de singulis generum, sed indiscriminatim & indefinitè de generibus singulorum, id. de quibusvis hominibus, ut Beza rectè τοὺς πάντας hic vertit per *quosvis*, ex quacunque gente, statu & conditione sint, & hoc solidissimè probat Calvinus in h. l. *Apostolus simpliciter intelligit nullum mundi vel populum, vel ordinem à salute excludi, quia omnibus sine exceptione Euangelium proponi Deus velit.* Et postea, *Particula universalis semper ad hominum genera referri debet, non ad personas, ac si dixisset non solos Judæos, sed Gentiles quoque, non solos plebeios, sed etiam Principes redemptos esse morte Christi* &c.

Joh. 3: 16. & 4: 42. XXXIX. Mundus pro quo dicitur missus & mortuus Joh. 3: 16. 17. & 4: 42. & 6:33. non potest extendi universaliter ad totum genus humanum, cùm innumeri ex illo mundo pereant, sed notat, vel universalitatem Electorum,

vel

vel indefinitè & indiscriminatim populos omnes, tam ex Judæis quàm ex Gentibus, ut fusè probatum Lo. IV. Qu. 17. & sic alluditur ad promissionem Abrahamo factam, quòd in Semine ipsius, id. Christo, benedictionem accepturæ essent omnes familiæ terræ Gen. 12: 3. & 26: 4. & 22: 18. & Gentes, quarum Pater factus dicitur Rom. 4: 16. Hoc verò non de universitate hominum, qui sunt in mundo dici, sed de universitate Seminis promissionis, ablatâ omni gentium distinctione, patet, tum quia non omnes per fidem justificantur & servantur, quomodo explicatur ista benedictio Gal. 3: 8. 16. tum quia Paulus omne illud Semen explicat per illud quod est *ex fide*, Rom. 4: 16. & quod *in Isaac vocatur* Rom. 9: 7. Sic Mundus pro cujus vita Christus dedit Carnem suam morti Joan. 9: 51. non alius est ab eo, cui dare dicitur vitam vers. 33. *Panis Dei ille est qui descendit de cœlo, & dat vitam Mundo*, quod ad omnes & singulos extendi non potest; cùm datio vitæ importet ejus actualem applicationem & communicationem, quæ Electorum tantùm est propria, quo sensu profitetur se daturum vitam æternam Ovibus suis Ioan. 10: 28. Nec nisi absurdè illud potest dici dari, quod impetratur tantùm, vel offertur, sed non confertur. Hoc sensu Christus dicitur *Agnus Dei tollens peccatum Mundi* Ioan. 1: 29. cùm enim verbum αἴρειν non simplicem lationem, sed etiam ablationem innuat, nec abstulisse possit dici peccata reproborum, quæ adhuc super ipsos manent; non alius Mundus intelligi potest, quàm Electorum indiscriminatim tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus, quorum peccata sursum tulisse dicitur in Corpore suo in ligno, ut mortui peccatis vivant justitiæ 1 Pet. 2: 24. qui ideo beati prædicantur, quia ablata est eorum transgressio Ps. 32: 1.

QUÆST. XIV.

Joan. 9: 51.

Joan. 1: 29.

XL. Cùm Iohannes dicit 1ª cap. 2: 2. *Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, & non solum nostris, sed & totius Mundi.* Non vult hoc ad omnes & singulos extendere, sed ad eos tantùm, qui se Intercessione Christi, & remissione per ipsum partà consolari possunt, qui non alii sunt, quàm Electi. Eorum enim tantùm potest esse Christus ἱλασμός & propitiatio, quorum est παράκλητος & Advocatus apud Patrem, hæc enim conjunguntur ab Apostolo, ut inseparabilia & adæquata. At non omnium est Advocatus, ut Viri Docti fatentur ex Ioan. 17: 9. Deinde illis, quorum propitiationem fecit Christus, debet actu propitiari & placari Deus, nisi velimus Christum suo fine excidisse, & sanguinem suum incassum profudisse, contra Apostolum, qui negat condemnari posse eum pro quo mortuus est Rom. 8: 34. quod de illis dici nequit, qui exclusi sunt à Fœderibus, & super quos manet ira Dei. Denique scopus Apostoli, qui est solari fideles contra peccati reliquias probat hoc ad omnes non posse extendi. Quid enim solatii capere potest homo ex gratia communi tam electis quàm reprobis, si sciat Christum moriendo nihil amplius præstitisse pro se, quàm pro infidelibus &

1 Joan. 2: 2.

 re-

QUÆST. XIV.

reprobis? Phrasis ergo Johannis non aliò respicit, quàm ad fideles totius mundi incolas, seu, ut loquitur Calvinus, *Filios Dei dispersos per totum mundum*; ne quis putaret hoc beneficium, vel ad solos Apostolos, vel ad solos Judæos, vel ad solos illos Credentes, quibus suam Epistolam inscripsit Johannes, esse restringendum, sed multò latiùs patere, quà latè patet orbis, ad fideles ex omni tribu, lingua, populo, & natione redemptos, id. ex toto mundo. Parum autem refert, sive per *per peccata nostra* intelligantur peccata Apostolorum; vel fidelium ex Judæis dispersionis, viventium tunc, (ad quos dirigitur proculdubio hæc Epistola, cum Epistolis Petri & Jacobi, quæque ideò Catholicæ dicuntur, quia non inscribuntur, vel civitati, vel personæ cuidam singulari) distinctè ab iis, qui vel jam crediderant ante Christum, vel credituri erant usque ad finem mundi, quia res eodem redit: sufficit quod totus mundus non potest universitatem omnium hominum designare, cùm Johannes, & illi ad quos scribit, ab eo distinguantur, qui tamen in hominum universitate includuntur. Hæc fuit sententia Calvini in h. l. *Non pro nostris solum, Amplificationis*, inquit, *causâ, hoc addidit, ut certo persuasi sint fideles, expiationem à Christo partam ad omnes extendi, qui Evangelium fide amplexi fuerint*, Et posteà, *Non aliud fuit consilium Johannis, quam toti Ecclesiæ commune facere hoc bonum: Ergo sub omnibus reprobos non comprehendit, sed eos designat, qui simul credituri erant, & qui per varias plagas mundi dispersi erant. Tunc enim verè, ut parest, illustratur Christi gratia, cum unica esse mundi salus prædicatur.*

Mat.18:11. XLI. Licet Christus venerit ad servandum τὸ ἀπολωλὸς *quod perierat* Mat. 18:11. & non alios servet, quàm perditos & miseros peccatores; non ideo tamen servare debuit quotquot erant perditi & peccatores; Imò disertè testatur, se non venisse vocatum eos è perditis, qui propriæ perditionis nescii, turgent suæ justitiæ opinione, sed eos demum, qui fatiscunt sub onere peccatorum, & eorum gravitatem sentiunt Matt. 11:28. Unde dicit quidem se venisse ad servandum τὸ ἀπολωλὸς, ad qualitatem & statum salvandorum notandum, sed non πᾶν τὸ ἀπολωλὸς, *id omne quod perierat*, ad eorum quantitatem designandam.

XLII. Aliud est aliquem perire de facto & eventualiter, Aliud verò occasionaliter, & ratione pendentis, quando occasionem illi dat se perdendi, & per ipsum non stat quominus pereat. Paulus Rom. 14:15. & 1 Cor. 8: 10. 11. quum loquitur de perditione fratris, pro quo mortuus est Christus, non intelligit *perditionem actualem*, quasi aliquis pro quo Christus mortuus est perire de facto possit, cùm nemo rapiat illi Oves suas, Joh. 10:28. nec quisquam perire possit, ex illis quos Pater dedit ipsi redimendos Joh. 17:12. quia custodiuntur virtute Dei per fidem 1 Petr. 1:5. maximè cùm agatur de *fratre*, qui, licet fide infirmus, Rom. 14:1. stabiliendus tamen

Rom.14:15. 1Cor.8:10. 11.

sit

sit à Domino suo v. 4. sed *occasionalem*, quando intempestivo & præpostero libertatis Christianæ in rebus adiaphoris usu, sauciatur & scandalizatur conscientia fratris infirmi, & exponitur periculo pereundi, quantum in nobis est. Sic non rarò Scriptura utitur verbis, quæ effectum & actionem notant, ad designandam occasionem, vel motivum, quo res posset fieri. Ita adulterii reus dicitur quantum in se est, ille, qui aspexit alterius conjugem ad eam concupiscendam Matt. 5: 28. Et dicitur *facere Deum mendacem*, id. quantum in se est, qui non vult credere Verbo Evangelii 1 Joh. 5: 10. Perire ergo dicitur frater per cognitionem nostram, quando per nos non stat quominus pereat, quod Rom. 14: 15. exprimitur per perdere, *ne perde fratrem infirmum cibo tuo.*

XLIII. Cùm Pseudoprophetæ dicuntur *abnegare τὸν αὐτοὺς ἀγοράσαντα δεσπότην Dominum, qui eos redemit, seu mercatus est*, 2 Pet. 2: 1. non potest intelligi *redemptio propriè dicta à maledictione Dei, & morte æterna*, nam nemo ita redimitur, qui non à Patre datus illi sit redimendus, & qui per consequens ab illo non sit custodiendus & servandus in æternum, ut membrum Corporis sui, & Populus peculii. Sed *liberatio ab errore & idololatria* per vocationem externam Christianismi, imò & segregationem ad opus Ministerii, ad quod empti fuerant quodammodo à Christo, ut Domino, qui eos acquisiverat, & suos fecerat vocando in domum suam, quomodo olim Domini servos emebant & mercabantur ad ministerium suum domesticum. Quam esse mentem Apostoli ex variis colligitur. 1. Quia fit mentio *δεσπότου*, quæ vox herum potius, & Dominum significat, quàm *Servatorem*, cui competit redemptio propriè dicta. 2. Verbum *ἀγοράζειν* simpliciter positum de qualibet liberatione & emptione dicitur. 3. Ea intelligitur redemptio, per quam *effugisse* dicuntur *inquinamenta mundi* v. 20. *per cognitionem Domini & Servatoris nostri*, per quam *cognoverunt viam justitiæ*, quod non aliò pertinet, quàm ad liberationem ab erroribus & idololatriis Paganismi, & vocationem ad veritatem, à qua deficientes per apostasiam suam, & introductionem sectarum perditionis, dicuntur abnegare Dominum, qui eos mercatus fuerat, & ad ministerium suum vocaverat. 2 Pet. 2: 1.

XLIV. *Sanctificatio in Fœderis sanguine*, Alia est *interna*, *spiritualis*, & *realis*, eorum qui actu sunt à Christo redempti & regeniti. Alia *externa* & *apparens*, quoad professionem. Prior supponit necessariò Christum pro iis esse mortuum, qui ita sunt sanctificati; Sed posterior non item; quia multi hypocritæ externam illam obtinent sanctificationem, ratione Vocationis externæ, vel Sacramentorum perceptionis, ad quos tamen non pertinet Christus cum suis beneficiis, utpote fide destitutos. Cùm Paulus loquitur de illis qui profanum ducunt sanguinem Testamenti, in quo fuerunt sanctificati Hebr. 10: 29. non potest intelligere priorem sanctificationem, quæ est ina- *Heb. 10: 29.*

 mis-

QUÆST. XIV. missibilis, ex Reformatorum hypothesi. Sed posteriorem, qualis est eorum, qui profitentes Evangelium, & Sacramento baptismi tincti, illud ejerant per abnegationem Christi & apostasiam ab Evangelio. Quomodo reus dicitur Corporis & Sanguinis Christi, qui panem Eucharisticum indignè sumit 1 Cor. 11:27. 29. Accedit quòd cùm oratio Apostoli sit hypothetica, non absoluta, connexionem quidem antecedentis cum consequente notat, seu quid futurum esset de talibus, si tantum crimen committerent; sed nihil propterea ponit in esse respectu redemptorum & verorum fidelium, non magis quàm ea quæ extat Gal. 1:8.

XLV. Quod quisque credere tenetur absolutè & simpliciter, & primò ac immediatè absque ullo supposito, illud verum est, concedo. Sed non pariter, quod aliquis tenetur credere cum aliqua limitatione, mediatè ac suppositis variis actibus. Sed falsum est omnes & singulos teneri credere Christum pro seipsis esse mortuum simpliciter & absolutè. Primò non tenentur hoc credere illi omnes, quibus Evangelium nunquam prædicatum fuit, & quibus Christus nunquam innotuit, sed tantùm Vocati. *Quomodo enim credent ei de quo non audiverunt? Et quomodo audient absque prædicante?* Rom. 10:14. Secundò, si de Vocatis agitur, nequidem omnes tenentur credere absolutè & immediatè Christum pro se esse mortuum, sed mediatè, suppositis resipiscentiæ & fidei actibus, quia ad neminem nisi credentem & resipiscentem mandatum hoc pertinet. Et tantùm abest, ut hoc respectu incredulorum, & impœnitentium locum habere queat; ut miserè illis illuderet, qui eos hoc credere juberet, cùm super se iram Dei manere, & jam condemnatos se esse credere teneantur Joan. 3:36. Nec si tenerentur credere Christum pro se fore mortuum, supposito quod verè resipiscerent & ad ipsum confugerent; sequitur absolutè & simpliciter hoc verum esse, sive credant, sive non. Unde qui jubentur credere non sunt omnes & singuli simpliciter, sed secundùm quid, nimir. *onerati* & pondere peccatorum pressi Mat. 11:28. *sitientes* & suæ ariditatis conscii Isa. 55:1. id. pœnitentes & miseriam suam agnoscentes.

XLVI. Nec reponendum *fidem tamen in Christum exigi ab omnibus Vocatis, & fidem non qualemcunque, sed veram & justificantem, quæ talis non potest esse, nisi feratur in Christum pro me mortuum.* Nam licet fides in Christum exigatur, & quidem vera & justificans, non sequitur statim exigi quoad omnes actus suos simul & semel exercendos, & præsertim quoad actum specialem & ultimum credendi in Christum pro me mortuum. Nam licet includatur in actibus fidei justificantis, non est tamen primus ejus actus, qui immediatè & primò à Vocato exigatur, sed ultimus, qui multos alios supponit. Quod ut clariùs percipiatur, varii actus fidei ante omnia distinguendi veniunt. Primò enim alius est *directus*, qui pro objecto habet Verbum E-

van-

vangelii, & Christum in eo propositum, quo ad Christum confugio, & promissiones ejus amplector; alter *reflexus*, cujus objectum est actus directus fidei, ex quo persuadeor me verè credere, atque ita promissiones Evangelii ad me pertinere. Rursus *actus directus* duplex est, alius, qui situs est in *assensu*, quo fides assentitur Verbo Dei, & promissionibus Evangelii tanquam veris, de danda salute omnibus resipiscentibus, & vivâ fide ad Christum confugientibus, & ipsum amplectentibus, alius in *refugio*, seu *fiducia*, per quam Christum unicum & sufficientissimum Servatorem agnoscentes, ad ipsum confugimus, & in ipsum recumbimus, ut ab ipso & peccatorum veniam, & salutis possessionem obtineamus. Jam fides quæ præcipitur in Evangelio, præcipitur quoad actum primum & secundum, qui directus est, antequam præcipiatur quoad actum tertium, qui reflexus est, qui necessariò duos priores supponit, ut non detur locus isti, nisi positis illis. Unde colligitur in argumento prædicto quatuor esse terminos, majorem loqui de fidei actu directo, qui præcipitur in Verbo quoad assensum scilicet & refugium, minorem verò de ejus actu reflexo quoad sensum & πεποίθησιν fidei. Nam Christus non revelatur & promittitur in Evangelio, ut pro me in particulari mortuus, sed tantùm in genere pro Credentibus & Resipiscentibus: unde per consequentiam posito actu fiduciali in Christum, possum & debeo colligere pro me esse mortuum, quum per actum reflexum cognosco & sentio ex actu fiduciali, me verè & sincerè ad ipsum confugere. Fidem autem, quæ nobis præcipitur in Evangelio, non statim ferri debere in Christum, ut pro nobis mortuum in particulari, vel ex eo satis apertè colligitur, quòd ubi ea exigitur, vel à Christo vel ab Apostolis, nulla fiat mentio singularis istius applicationis ad hunc vel illum, sed tantùm generalis relationis, vel ad officia, vel ad beneficia Credentibus promissa, ut Matth. 16: 16. Petrus in eximia fidei declaratione, nihil aliud profitetur, quàm se credere, quòd Jesus sit Christus Filius Dei Viventis, & Joan. 6: 69. *Credidimus & cognovimus, quod Tu es Christus Filius Dei Vivi.* Ita Paulus Rom. 10: 9. nihil aliud exigit à fidelibus ad salutem, quàm *confiteri Dominum Jesum ore, & corde credere quòd Deus eum suscitaverit à mortuis.* Sic quum jubentur fideles credere in Nomen Filii Dei Joan. 3: 18. 1 Joan. 5: 13. tenentur quidem credere Christum esse verum Messiam, & ad eum confugere tanquam unicum salutis authorem iis, qui per fidem & pœnitentiam ad eum se receperint, sed non statim pro se esse mortuum, nisi positis præcedentibus actibus. QUÆST. XIV.

XLVII. Hinc patet multa complecti mandatum credendi in Christum, antequam deveniamus ad ultimum actum consolatorium de Christo pro nobis mortuo. Primò jubemur credere, quæcunque Scriptura nobis tradit de miseriâ & impotentiâ nostrâ ad salutem. Unde oritur desperatio salutaris de nobis ipsis, & agnitio necessitatis remedii. Secundò, qui ita in se desperant,

ju-

QUÆST. XIV. jubentur credere Christum Filium Dei esse unicum Servatorem sufficientissimum, à Deo hominibus datum, in quo perfectam salutem & remissionem peccatorum possunt consequi, qui ad ipsum sincerè confugiunt, & seriâ peccatorum suorum ducuntur pœnitentiâ. Tertiò, ita contriti & pœnitentes in se desperabundi jubentur ad Christum, ceu rupem salutis confugere & venire, illius meritum tanquam perfectissimum amplecti, in id recumbere & suaviter requiescere, remissionem peccatorum & justitiam ac salutem ab eo unicè expectando. Quartò denique, qui se senserint resipiscere, & in Christum verè & unicè recumbere, tum demum credere tenentur, Christum pro se esse mortuum, sibique propter ejus mortem peccata esse remissa. Ex quibus constat, fidem in Christum primò præsupponere agitationem miseriæ & desiderium liberationis, mandatumque credendi non omnes promiscuè spectare, sed omnes miseriam agnoscentes, liberationisque ex ea cupidos, sitientes & famelicos, qui onerati sunt & fatigati, fracti & contriti corde Matth. 11:28. Isa. 61:1. Secundò hoc mandatum primò & immediatè non exigere à nobis fidem, quâ quis credit Christum pro se mortuum esse, sed fidem, quâ ad Christum confugimus, eum amplectimur, & in eum recumbimus, quæ nihil aliud est, quàm motus ille, quo peccator resipiscens, miseriæ suæ sensu dejectus, & Evangelicâ invitatione excitatus, omni alio remedio, & fiduciâ abnegatâ, ad Christum ceu rupem salutis confugit, & & gratiam in Evangelio oblatam toto corde exoptat & quærit. Seu, ut breviùs dicam, *refugium peccatoris resipiscentis ad Deum, tanquam fontem omnis gratiæ, & Christum tanquam arcem salutis in Evangelio patefactum.* Si hujus fidei, qui est actus fidei formalis, mihi conscius sum, possum & debeo elicere *actum fidei* de quo agitur, quo credo Christum pro me pœnitente & ad ipsum confugiente esse mortuum, qui actus vocatur *consequens*, quia sequitur directum, quo in Christum credo, & ad eum, ut unicum & perfectissimum Servatorem, me recipio. Et *consolatorius*, quia consolatione & gaudio ineffabili animam fidelis perfundit. Cùm ergo nemo possit habere actum hunc specialem & reflexum fidei, nisi præsuppositis aliis præcedentibus, & veræ pœnitentiæ studio; patet non omnes teneri credere Christum pro se mortuum, sed tantùm Resipiscentes & Credentes, id. omnes, ex agnitione peccatorum & sensu iræ Dei contritos, & confugientes ad Christum, & apud eum remissionem peccatorum quærentes, ejusque merito unicè nitentes.

XLVIII. Frustra quis regeret 1. *Mandatum fidei in Christum complecti omnes ejus gradus & actus, ideoque omnes illos actus & inter eos ultimum, quo quis credit Christum pro se esse mortuum, exigi ab omnibus, quibus mandatum credendi proponitur.* Quia ea est natura, & dependentia istorum actuum ab invicem, ut ultimo non sit locus sine prioribus, nec tertio sine secundo,

nec

nec secundo sine primo. Dum ergo mandatum credendi proponitur, primus actus ab homine peccatore exigitur, non ut in eo subsistat, sed ut eo demum præstito progrediatur ad secundum, non præstito verò, nequaquam. Nec enim ille potest vel debet credere Christum esse Redemptorem suum, qui non vult agnoscere Christum esse Filium Dei, & Redemptorem hominum, nec debet credere esse suum Redemptorem in hypothesi, qui non crediderit esse Redemptorem omnium in se credentium in thesi: sed qui præcedentes actus, qui sunt fundamentum hujus postremi, in se deprehendit, ille demum potest & debet hunc etiam exerere.

XLIX. II. *Quotquot jubentur credere in Christum, juberi habere fidem justificantem, siquidem nulla alia potest esse salutaris; sed fidem justificantem necessario importare applicationem particularem, ut credamus Christum non in communi tantum mortuum esse pro hominibus, sed pro nobis in particulari, quia alias non differret à fide historica reproborum, Imò & ipsorum Dæmonum, qui hoc possunt credere.* Resp. fidem justificantem, quæ imperatur in Evangelio, complecti quidem varios illos actus, de quibus diximus, sed unumquemque in suo ordine, primò quidem directum & formalem, qui justificatorius dicitur, qui consistit in judicio intellectus practici de Christo solo & perfectissimo credentium & pœnitentium ad ipsum seriò confugientium Redemptore, & in refugio voluntatis ad Christum confugientis, & in ipso unicè recumbentis; secundò verò reflexum & consolatorium, qui posito primo sponte sequitur. Nam ex quo video me, persuasum de promissione Evangelicâ, confugere seriò ad Christum, & ab eo uno justitiam & vitam expectare, & illo niti, possum & debeo certò colligere Christum pro me mortuum esse, cùm ex Evangelio mihi constet pro omnibus credentibus & pœnitentibus eum esse mortuum. Unde ad Argumentum facilis est responsio, Quisquis tenetur habere fidem justificantem, tenetur credere Christum pro se mortuum: *Actu fidei immediato & directo*, nego; Sed *actu fidei reflexo & secundario*, concedo, vel in *sensu composito*, & præsupposito primo fidei actu, sed non *in sensu diviso*, & eo secluso. Nec propterea fides fidelium conveniet cum fide reproborum & dæmonum. Licet enim reprobi possint theoreticè credere Christum esse Filium Dei, & Redemptorem hominum, nunquam tamen practicè, ita verè de eo persuadentur per assensum fiducialem Verbo Dei, ut ad ipsum confugiant, & in eum unicè recumbant. Nam si verè persuasi essent Christum esse unicum & perfectum Servatorem credentium & pœnitentium, extra quem non est salus; Cùm voluntas sequatur necessariò dictamen intellectus practici, & omnes naturâ beatitudinem appetant; impossibile foret eos ad Christum non confugere, & illum toto corde amplecti ad salutem. Atque hinc etiam patet, Diabolorum fidem nihil commune habere cum fide Electorum, cùm sciant Christum

 solis

QUÆST. XIV. solis datum esse hominibus, nec ullam fiducialem circa illum elicere queant.

L. III. *Neminem posse fiduciam collocare in Christum, qui prius non sciverit Christum pro se esse mortuum, vel suum esse Servatorem. Hominem enim semper hæsurum anxium de salute sua, donec illi constiterit de intentione Dei, & de voluntate Christi; An mors Christi illi ex Dei consilio destinata sit?* Resp. Duæ sunt partes seu actus fiduciæ Christianæ, primus est in *refugio* ad Christum, & in ejus receptione, posterior est in *acquiescentia*, & delectatione, quæ nascitur ex sensu Christi apprehensi. Ille est actus fidei, quo ad Christum unicum Servatorem confugimus, & ei adhæremus, nosque ipsi, & ipsum nobis applicamus ad salutem. Iste est actus, quo, ad Christum confugientes & in eum recumbentes, confidimus nos communionem cum eo, ejus morte & beneficiis habere & habituros in æternùm, & in eo acquiescimus, certò persuasi eum pro nobis esse mortuum, & morte suâ nos cum Deo reconciliasse. Prior vocatur à quibusdam *fides in Christum*, Posterior *fides de Christo*. Iste respicit Christum ut pro se mortuum, sed non ille, nemo enim scire potest Christum pro se mortuum esse, nisi prius in ipsum crediderit: Cùm enim promittatur tantùm credentibus & pœnitentibus, prius mihi confugiendum est ad Christum, & meritum ejus apprehendendum cum seriæ pœnitentiæ studio, antequam statuere queam, mortem Christi ad me pertinere ex Dei decreto, & Christi intentione. Non quod fides mea faciat, ut Christus pro me sit mortuus; mors enim Christi antecedit omnem fidem in genere causæ meritoriæ, & gratia fidei effectrix est fructus istius mortis; sed quia est character & conditio, ex qua à posteriori agnosco mortem Christi ab æterno mihi destinatam esse. Nec si nondum Christum pro me mortuum statuere possum, propterea hærebo semper anxius, & nutabit fides mea: Quia firmiter poterit niti promissionibus generalibus Evangelii, credentibus & pœnitentibus factis, unde certâ consequentiâ possum à posteriori colligere, si fidem istam & pœnitentiam in me deprehendero, eas ad me pertinere.

LI. IV. *Ex nostra hypothesi subrui fundamentum consolationis peccatorum, eo quod procedere debeamus à particulari ad universale, Christus pro aliquibus mortuus est, Ergo pro me mortuus erit. Cum juxta bonæ argumentationis leges procedendum sit ab universali ad particulare, Christus pro omnibus & singulis mortuus est: ergo & pro me.* Sed gratis supponitur nos hic procedere à particulari ad universale, quod nemo non videt absurdum esse, cùm omnino argumentemur ab universali, sed in certo ordine & respectu, ad particulare; Christus pro omnibus credentibus & pœnitentibus mortuus est. Atqui Ego credo & pœnitentiâ ducor, Ergo & pro me mortuus est. 2. Falsum est, fundamentum consolationis ab universalitate absoluta mortis Christi peti posse, quia nullum solidum solatium potest ab eo quod est piis & impiis commune, imò damnatis & damnandis innumeris æquè ac salvandis. Cùm enim etiam

etiam pro Juda, & Pharaone mortuus supponatur, quibus non eo minus pereundum fuit, quomodo damnationis metus ex eo mihi eximi poterit? Si dicas eximi posse talem metum per fidem. Jam ad alium syllogismum progrediendum erit de omnibus credentibus, non de omnibus hominibus. Christus pro omnibus & singulis credentibus mortuus est. At ego credo, Ergo pro me mortuus est. Qui enim credit in Filium non peribit, sed habebit vitam æternam, quæ ipsissima est methodus nostra. 3. Nullum potest solidum solatium haberi ex re ad salutem insufficiente, quæ nec præteritioni, nec damnationi innumerorum intercedit, vel sola intercedere potest, qualis est gratia universalis objectiva, sine subjectiva. Quid juvabit peccatorem scire Christum pro omnibus mortuum esse, si certum est neminem mortis istius participem esse posse sine fide? Annon hærebit semper anxius? An sit ex illorum numero, quibus Deus vult dare fidem, cùm non detur omnibus? Annon scrupuli omnes, qui opponi possunt particulari misericordiæ & redemptioni, pariter urgeri possunt, contra particulare decretum de dandà fide? Si ergo conscientia solidè erigi non possit, nisi positâ universali misericordiâ Patris, & universali redemptione Filii, nunquam etiam solidè erigi poterit, nisi positâ universali vocatione, & gratiâ Spiritus. Si scrupulus inde oriri potest; Quis scit; An Christus pro me mortuus sit, quia non est pro omnibus mortuus? Annon & inde orietur. Quis scit, an Deus velit mihi dare fidem, & an sim ex electorum vel præteritorum numero? Præterquam verò quod tales scrupuli sunt affectati, quibus homini non indulgendum est, cùm nullius mortalium sit, arcana electionis & reprobationis scrutari à priori; hominis est à posteriori hic agere, & seipsum explorare, an pœnitentiâ suorum peccatorum ducatur, vel non; Si eâ verè ducatur, certam debet habere fiduciam de gratiâ Dei & electione suâ. Si nondum eâ ducitur, debet uti mediis à Deo præscriptis, audire, legere, meditari Verbum, preces ardentes ad Deum concipere pro impetrando dono pœnitentiæ & fidei. Nec ulli scrupuli in hoc negotio ulteriùs moveri possunt, quorum solutio Viris Doctis non æquè incumbat ac nobis, nisi cum Arminianis gratiam sufficientem subjectivam universalem agnoscere velint, à quo Dogmate ut planè Pelagiano constanter hactenus per Dei gratiam alienos se protestati sunt. Fundamentum ergo consolationis solidum peti potest, non ex universitate mortis Christi, sed ex universalitate promissionum respectu credentium & pœnitentium.

LII. Licet reprobi qui non credunt Evangelio meritò propter incredulitatem damnentur; Non sequitur justos fuisse credere Christum pro se esse mortuum; quia dantur varii incredulitatis actus præter istum v. g. Qui non credit Jesum esse Filium Dei Viventis, & Messiam à Deo missum, sed Pseudo-Prophetam & Impostorem; Vel fidem in ipsum esse conditionem necessariam ad salutem, meritò incredulitatis reus peragitur, licet non cogita-

QUÆST. XIV. taverit de Christo pro se mortuo. Nam τὸ credere in se, quod Christus toties exigit, & ob quod non præstitum reprehendit Judæos, plura complectitur; nec statim credendum erat singulis ex Judæis, Christum esse suum Mediatorem & Redemptorem; Imo hoc credi non poterat, nisi positis aliis multis in antecessum. Credere enim debebant, salutem non esse in Lege, vel in Cæremoniis & operibus legalibus. Eam esse quærendam in uno Messia per Prophetas promisso. Istum Messiam esse Jesum Nazarenum, omnes in eum credentes salvandos. Omnes isti actus fidei generaliores necessariò erant prætermittendi, antequam quisquam vel posset vel deberet credere Christum pro se esse mortuum. Nec dicendum omnes actus comprehendi mandato credendi in Christum, & præcipuè actum applicativum & specialem. Quia, ut jam dictum licet omnes illi actus includerentur, certo tamen ordine præcipiebantur, priores alii, alii posteriores, nec posteriores sine prioribus, sed post eos demum præstitos, quibus deficientibus, non potuit dari locus sequentibus.

LIII. Quamvis Deus per præconium Evangelii, Christum Vocatis offerat cum suis beneficiis; Non sequitur debere pro ipsis esse mortuum, ut oblatio non sit illusoria. Quia non offertur absolutè & simpliciter, sed cum conditione fidei & pœnitentiæ, non ut *verum narratum*, quod sive credatur, sive non, verum semper sit, sed ut *verum promissum*, quod positâ demum conditione, verum esse deprehenditur, ut loquebatur Camero. Ex quo quidem sequitur dari nexum indissolubilem inter fidem & salutem, & ad fidem obligari omnes, qui Christo & beneficiis ejus potiri velint, & qui ad Christum vocantur; sed Deum in æterno & immutabili decreto suo Christum omnibus Vocatis destinasse in Salvatorem, sive intendisse, ut is morte suâ omnibus & singulis hominibus salutem æternam acquireret, nullâ ratione potest ex hac vocatione colligi. Verbum enim Evangelii, quod ad Vocatos dirigitur, non exprimit ipsius decretum æternum de unoquoque Vocatorum, scilicet quòd in illo redemptionem per Christum & salutem omnibus & singulis destinârit; sed indicat potius mandatum Dei ad ipsos cum annexa promissione, seu quodnam sit officium ipsorum, si redemptionis & salutis per ipsum partæ velint esse participes. Nec propterea putandum hanc oblationem adversari ejus decreto. Quia licet non respondeat *decreto de personis*, quo solis Electis Christum in Servatorem, & ejus mortem in pretium Redemptionis destinavit, eosque fide donare decrevit, quia hujus decreti expressio & executio, non est vocatio externa per Verbum, sed interna per Spiritum Sanctum, quæ ideo dicitur vocatio κατὰ πρόθεσιν; Respondet tamen optimè *decreto de rebus*, seu de *ordine & medus salutis*, quo Deo placuit Christum & fidem connectere, & omnibus Vocatis Christum offerre, de quo Christus loquitur Joh. 6:40.

Hæc

Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut quisquis contemplatur Filium, & credit in ipsum, habeat vitam æternam &c. Ita promissiones conditionales, quæ fiunt credentibus & resipiscentibus, ostendunt quidem omnibus Vocatis nexum fidei cum salute ex ordine Dei, & quinam ex illis sint consecuturi remissionem peccatorum & salutem? nimirum credentes & resipiscentes, sed non magis indicant Christum pro illis omnibus mortuum esse, quàm illos omnes fore credentes, & remissionem peccatorum consecuturos; Ex remissione verò, quam obtinent qui credunt & resipiscunt, sequitur quidem certò Christum pro illis mortuum esse, & sequeretur etiam Christum mortuum fuisse pro cæteris, si crederent & resipiscerent, sed perperam quis inde colligeret Christum mortuum esse pro omnibus si credant, quia argumentum duceret vitiosè à conditionato ad absolutum. QUÆST. XIV.

LIV. Coronidis loco libet attexere hic Judicium Celeberrimorum Theologorum ad Synodum Dordracenam Deputatorum R. R. D. D. Deodati & Tronchini, nomine totius Ecclesiæ Genevensis, Venerando Concilio exhibitum, ut fidem publicam Ecclesiæ semper retinendam. Capi. 2. dè Universalitate Gratiæ Th. I. *Christus ex mera εὐδοκίᾳ Patris, destinatus, & datus fuit Mediator & Caput certo hominum numero, Corpus ipsius mysticum ex Dei Electione constituentium.* Th. 2. *Pro illis ipse Christus vocationis suæ optime conscius, voluit & decrevit mori, & pretio mortis infinito, addere efficacissimam, & singularem voluntatis intentionem.* Et Th. 6. *Universales Propositiones, quæ in Scripturis reperiuntur, non significant, pro omnibus & singulis Christum mortuum esse, & satisfecisse ex consilio Patris & sua voluntate. Sed vel restringendæ sunt ad Corporis Christi universalitatem; Vel referri debent ad illam œconomiam Fœderis Novi, quâ sublatâ omni populorum externâ distinctione, Filius adscivit sibi Gentes omnes in hæreditatem, id est, erga quaslibet gentes & populos communiter, pro arbitrio, gratiam prædicationis aperit & defert, ex illis Ecclesiam colligit, quod est fundamentum prædicationis generalis Evangelii.*

Plura huc pertinentia, Vide Loc. IV. Quæst. 17. & Loc. XII. Quæst. 6.

QUÆST. XV.

QUÆSTIO XV.

DE INTERCESSIONE CHRISTI.

Quare & Quomodo Christus pro nobis intercedat?

I. Altera Pars Sacerdotii Christi consistit in *Intercessione*. De qua tria notari possunt, 1. Necessitas, 2. Unitas, 3. Modus & Natura. Et de *Unitate* quidem jam dictum supra, quum actum fuit de Unitate Mediatoris Qu. IV. Nunc de *Necessitate*, Et *Natura* seu *Modo* Intercessionis paucis agendum.

Necessitas Intercessionis Christi probatur 1. a Dei institutione.

II. *Necessitatem* Intercessionis varia probant, 1. *Dei institutio*, qui duas partes voluit esse in Sacerdotio, *Satisfactionem*, & *Intercessionem*, quemadmodum sub Vet. Test. S. Sacerdos duo debuit præstare, ex officio, primò offerre victimam in Altari holocaustorum, secundò victimæ oblatæ sanguinem deferre in Sacrarium, ad adolendum incensum super Altari suffituum. Ita Christus peracto Sacrificio in terris super Crucem, debuit in cœlis intercedere. Unde Paulus Heb. 8: 4. testatur, quòd si in terra adhuc versaretur, ne Sacerdos quidem esset, quia non debuit λειτουργίαν exercere in Sacrario terreno & manufacto, sed cœlesti.

Heb. 8: 4.

2. Ex salutis ratione.

III. II. *Salutis nostræ ratio.* Quia non sufficiebat impetrasse salutem semel, nisi perpetuò conservaretur & applicaretur. Christus prius præstitit per Satisfactionem, sed posterius debuit exequi per Intercessionem. Illa impetravit salutem. Ista perpetim eam conservat. Illa obtinuit jus ad vitam. Ista de facto nos in ejus communionem mittit. Illa nos reconciliavit Deo. Ista nos in gratia Patris semel constitutos, continuò retinet.

3. Ex indignitate nostra.

IV. III. *Indignitatis nostræ consideratio*: Quia cùm ii non simus, qui ad Deum, qui ignis est consumens, accedere per nos possimus; Necesse est Mediatorem nobis succurrere, cujus interventu aditus nobis pateat ad Deum, ut cum fiducia ad thronum gratiæ confugere possimus. Et quia quotidie Deum offendimus, Advocato egemus, qui quotidie pro nobis intercedat.

4. Ex Diaboli accusatione.

V. IV. *Diaboli accusatio*; Ut enim nos continuò apud Deum criminatur & accusat; opus nobis fuit Advocato efficacissimo, qui causam nostram ageret coram Deo, contra injustissimi Adversarii criminationes, ut os illi obstrueret Zach. 3: 2. Et crimina nobis intentata dilueret Rom. 8: 33.

Quid sit Intercessio.

VI. Circa *Naturam* Intercessionis errant *Sociniani*, qui pertendunt figuratè

ratè esse intelligendam, & ad Regnum propriè pertinere, ut nihil aliud per eam innuatur, quàm *Christum divinitus sibi concessâ potentiâ, omnia quæ ad salutis nostræ rationem pertinent, summo studio perficere*, ut loquitur Volkel. lib. 3. cap. 38. de ingressu Christi in Tabernaculum, & hoc Intercessionis nomine volunt designari, ut appareat Christum nostri gubernandi, & salutis nostræ procurandæ potestatem, nequaquam à seipso, sed à Patre habere. Sic illi totum Sacerdotium Christi eversum eunt, cum purum Regem facientes. Sed Orthodoxi intercessionem propriè intelligendam esse censent, tanquam partem Officii Sacerdotalis, distinctam à Munere Regio. QUÆST. XV.

VII. Rationes sunt 1. Quia passim Christus introducitur fungens Intercessionis officio, non ut Rex, sed ut Sacerdos ex Hebr. 9: 24. 25: *Christus non ingressus est in Sanctuarium manufactum, figuram veri; sed in ipsum cœlum, ut compareat coram Facie Dei pro nobis* &c. ubi manifestum est Apostolum alludere ad S. Sacerdotem Vet. Test. qui oblato sacrificio ingrediebatur in Sacrarium cum sanguine victimæ intercessurus pro populo. Unde describitur per ἐμφανισμὸν coram facie Dei, qui non potest referri ad exercitium potestatis Regiæ, sed bene ad deprecationem sacerdotalem. *Christus intercedit qua Sacerdos.*

VIII. 2. Eodem sensu vocatur παράκλητος noster apud Deum 1 Jo. 2: 1. ut deprecetur veniam pro peccatis nostris, & causam nostram agat tanquam Advocatus & Patronus apud Deum contra calumnias & criminationes Diaboli κατηγόρȣ *accusatoris fratrum* Apoc. 12: 10. Spiritus Sanctus quidem eodem nomine insignitur Jo. 14: 26. sed diverso significatu. Nam ut vox modò hortatorem seu Doctorem & Magistrum innuit, modò Advocatum, modò Consolatorem, Christus propriè παράκλητος vocatur secundâ notione propter Intercessionem; Spiritus S. verò primâ & tertiâ, quia ejus partes sunt, tum Doctoris & Magistri, qui ducere nos debet in omnem veritatem, tum Consolatoris munus obire, promissionibus gratiæ nos erigendo, & gemitus inenarrabiles nobis dictando, quibus clamemus ad Deum. *1 Joan. 2: 1.* *Jo. 14: 26.*

IX. Tertiò, Apoc. 8: 3. Intercessio Christi describitur nobis per Angelum cum thuribulo aureo, cui dati sunt incensus multi, ut det orationibus Sanctorum, ad altare aureum coram throno, qui sunt actus merè Sacerdotales, non Regii. Hoc enim ad nullum alium quàm ad Christum posse referri alibi probatum refutatis exceptionibus Adversariorum.

X. Quarto. Si Intercessio nihil aliud est, quàm Regiæ potestatis usurpatio, confunderentur duo ista munia, quæ Scriptura sollicitè distinguit. Nec Christus cum Sacerdotibus, sed cum solis Regibus adumbrari & conferri debuisset.

XI. Intercessio quæ tribuitur Christo non derogat ejus gloriæ quia non est supplicatoria & per modum suffragii, qualis est Viatorum, & hominum *Fontes Solutionum.*

pro

QUÆST. XV.

pro se mutuò orantium; sed efficax interpellatio per modum jurisdictionis ut vulgò dicitur, per quam Christus sanguinem semel fusum Deo identidem repræsentat, ut vi & efficacià ejus peccata nobis remittantur, & donum perseverantiæ nobis concedatur; quod officii quidem œconomiam arguit, sed gloriam ejus non imminuit. Ideo Paulus utramque distinctè Christo vindicat Rom. 8:34. sessionem ad dextram, & interpellationem pro nobis, ut innuat illi utramque etiam propriè competere; Illam quidem ceu Regi, Hanc verò ceu Sacerdoti.

XII. Ut Humanitas Christi non obstat, quominus ut Rex summus & omnipotens invocetur & adoretur à nobis, quia non est merus homo, sed unà æternus cum Patre Deus: Ita divina ejus & regia potestas non impedit, quominus ut Sacerdos interpellet pro nobis, quia est θεάνθρωπος, & quà talis Mediator Dei & hominum.

Quis sit modus Intercessionis?

XIII. Quoad *modum* Intercessionis 1. non attendendæ sunt orationis circumstantiæ, quasi ad modum supplicantium in genua procumberet, manus vel oculos in cœlum tolleret, & aliqua corporis sui prostratione se coram Deo abjiceret, quod parum conveniret gloriæ, quam per sessionem ad dextram Dei consecutus est; sed orationis tantùm substantia, per quam bonum nobis necessarium declaratur & expetitur. 2. Intercessio ista, vel fit expressis verbis, vel interpretativè, magis in rebus, quàm in verbis, per repræsentationem mortis suæ in cœlis, quo sensu Sanguis Christi dicitur clamare Heb. 12:24. 3. Quocunque modo fiat, non putandum est eam fieri ad impetrandum aliquid per modum novi meriti, quia Christus in morte omnia consummavit, ut ipse testatur Joan. 17:4. & 19:30. & Paulus Heb. 7:28. & 10:14. Sed ut quod merito mortis suæ nobis acquisivit, reapse & efficaciter nobis ad salutem applicetur.

XIV. Hæc Intercessio variis actibus absolvitur 1. *Comparitione* Christi pro nobis, quà se sistit Deo Patri tanquam unicum Satisfactorem pro peccatis nostris, sanguinem semel fusum id. meritum mortis repræsentando, & rogando, ut ad ejus intuitum peccata nostra nobis remittat, & beneficia omnia ad salutem necessaria nobis largiatur, donec ad plenæ felicitatis possessionem nos adduxerit Joan. 17:24. *Pater volo, ut ubi ego sum, ibi sint & illi quos mihi dedisti, ut videant gloriam meam* &c. Unde Apoc. 5:6. *Agnus videtur in cælis stans ὡς ἐσφαγισμένος ut occisus*, quia sanguis ejus semper recens est & vivus, id. æternæ virtutis & efficaciæ. 2. *defensione*, & *patrocinio* nostro adversus Legis fulmina, & Diaboli criminationes, causam nostram agendo in Dei judicio. 3. *Sponsione* pro nobis, quà ut à Patre postulat gratiam, & dona Spiritus necessaria ad perseverandum, Ita vicissim nomine nostro spondet Deo obedientiam & fidelitatem. 4. *Oblatione personarum, & sanctificatione precum nostrarum, & totius cultus nostri*, quatenus

Apoc. 5:6.

nus

nus orationes omnes nostras tanquam sacrificia spiritualia ipse Deo offert, sacrificii sui fragrantissimo odore delibuta, ut in ipso & per ipsum Deo gratæ sint & acceptæ 1 Pet. 2:5. Unde repræsentatur Apoc. 8:3. ut Angelus cum thuribulo aureo, cui dantur suffitus multi, ut det orationibus sanctorum, & alibi dicitur Altare, cui imponenda sunt omnia sacrificia nostra, & in quo solo cultus rationalis, quem Deo exhibemus, potest Deo esse gratus. QUÆST. XV.

XV. Hinc patet quàm longè & latè differant orationes, quas fideles pro se invicem fundunt ab intercessione Christi. Christus enim solus intercedit pro nobis merito & justitiâ suâ nixus, solus per se & propter se impetrat quod petit, solus immediatè & sine ullo alio Intercessore ad Deum accedit, solus loco nostro stat & comparet coram Deo, solus offert Deo personas, preces, & actiones nostras. Sed fideles, nec proprio merito nituntur, nec per se & propter se quicquam petunt vel impetrant, sed nomine Christi tantum, nec immediatè ad Deum sine Christo accedere audent, nec loco nostro se sistere coram Deo præsumunt, vel offerre possunt personas & preces nostras Deo. Unde Pontificii non minori sacrilegio Intercessionem Christi cum secundariis Intercessoribus, quàm Sacrificium ejus cum secundariis Sacerdotibus, communicant; nec hoc crimen minuere potest distinctio inter Mediatores intercessionis & redemptionis, ut supra visum.

XVI. Cæterùm cùm Intercessio Christo tribuitur, non ita ad humanam ejus naturam restringenda est, ut à divina in personali Unione considerata penitus removeatur. Quamvis enim possit illi competere, secundùm id quod est respectu essentiæ absolutè, quia cùm sit unum cum Patre sub hac σχέσει, non potest illi tribui oratio, quâ aliquid postulet à Patre. Nihil obstat tamen illi tribui secundùm œconomiam gratiæ, quia non minus illi convenit orare, quàm formam servi accipere, & Mediatoris munus suscipere.

QUÆSTIO XVI.

DE REGNO CHRISTI.

An Regnum Christi œconomicum sit temporale, & mundanum; An Spirituale, & Cœleste? Prius Neg. Post. Affirm. contra Judæos.

I. TErtia pars Officii Mediatorii est *Regnum*, dignitas nimirum illa, & authoritas, quâ gubernat Ecclesiam suam verbo & Spiritu, eamque contra omnes hostes tuetur & conservat, Cujus *Necessitas*, *Veritas* & *Natura* sunt attendendæ.

QUÆST. XVI

Regnum Christi duplex, naturale, & œconomicum. II. Sed ante omnia distinguendum est duplex *Regnum*, quod Christo competit, *Naturale* seu essentiale unum, & *Mediatorium* & *œconomicum* alterum. Illud Christus æquali cum Patre & Spiritu S. gloriâ ac majestate in omnes Creaturas obtinet. Hoc secundùm œconomiam gratiæ, singulari ratione quà θεάνθρωπος administrat. Illud in omnes Creaturas ex æquo extenditur. Hoc specialiter ad Ecclesiam terminatur. Illud fundatur in Decreto Providentiæ. Hoc in Decreto Electionis. Illud à Christo exercetur quatenus est Θεὸς & Λόγος; Hoc verò quatenus est θεάνθρωπος. Unde vocatur *Regnum Mediatorium*, & œconomicum; quia Mediatoris proprium est dominium, & quasi peculium secundùm dispensationem gratiæ. Illud per naturam illi competit; ideo vocatur *naturale*. Hoc ex Dei liberâ institutione, qui eum constituit Regem super Ecclesiam Ps. 2:6.

Necessitas Regni Mediatorii probatur. III. *Necessitas* Regni Mediatorii Christi pendet ex tribus 1. ex *Decreto Dei*, qui ab æterno illum elegit. 2. Ex *ratione salutis nostræ*, ad quam non requiritur tantùm, ut annuncietur à Christo ut Prophetâ, ut acquiratur à Sacerdote, sed etiam ut applicetur & conservetur in æternùm à Rege. 3. Ex *hostibus* periculosissimis, contra quos egemus protectione & præsidio Regis, Mundo & Inferno potentioris, qualis unus Christus esse potest Dominus Cœli & Terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium Apoc. 17:14.

Veritas colligitur ex Oraculis & Typis. IV. Christum verum Regem esse debuisse, patet, non modò ex primâ promissione de Semine mulieris contrituro caput Serpentis, seu de victoria reportanda de Satana à Christo, quod ad Regium præcipuè Christi officium pertinuisse certum est. Sed ex variis Oraculis eximiis, quæ hanc dignitatem Messiæ tribuunt Ps. 2. 45. 72. 89. 110. Dan. 2. Jer. 23:5. 6. Zach. 6. & 9. Isa. 9. Ex multis typis illustribus, qui de eo dati sunt, potissimùm verò in Regno Davidis & Salomonis, quos præ cæteris Christi figuram gessisse, nemini dubium est: Illum Christi patientis & certantis, Istum Christi victoris & pacificè regnantis.

Duabus partibus constat, destinatione & vocatione. V. Ut constitutio Regni duabus partibus absolvitur, æternâ *destinatione* & *vocatione*, ac inauguratione, quæ facta est in tempore. Ita ejus Administratio & Exercitium in quatuor potissimum versatur. 1. In Ecclesiæ *vocatione* & *collectione*. 2. ejusdem *conservatione* & *gubernatione*. 3. ejus *protectione* & *defensione* adversus quosvis ejus hostes. 4. ejus plenâ & perfectâ *glorificatione*, quæ ultimo die fieri debet. Tria prima sunt hujus vitæ per gratiam, quartum vitæ futuræ in gloria.

Status Quæstionis. VI. Non quæritur hìc, An Christus Messias Rex esse debuerit? Hoc enim nobiscum asserunt Judæi. Sed *de modo istius Regni*, An esse debuerit mundanum & terrenum, An spirituale & cœleste? Prius Judæi statuunt, qui ex malè intellectis Prophetarum Oraculis de gloria Messiæ, Messiam Regem præstolantur temporalem & mundanum, qui exules in patrias sedes reductu-

rus

rus sit, non sine multâ hostium cæde, & omnigenâ eos felicitate donaturus. Quæ opinio jam tempore Christi obtinuit inter Judæos, non modò inter Primores ex ipsis, sed & inter ipsos Apostolos, qui præfecturas mundanas jam spe præceperant, & de primatu contendebant, imò & post resurrectionem ab ipso petunt, An illo tempore regnum esset restiturus Israëli? Act. 1:6. Quia verò varia de passionibus Messiæ habentur in Veteri Testamento, quæ cum gloria istius Regni parum conveniunt. Ideo Judæi recentiores duplicem Messiam finxerunt, quorum alter Josephi esset filius futurus, humilis & pauper, variisque persecutionibus obnoxius. Alter verò Davidis, fortis & potens, splendidè regnaturus in mundo. Quod delirium facilè refellitur, tam ex Veterum consensu, qui unicum tantùm Messiam agnoverunt, quàm ex ipsa Scripturâ, quæ de uno tantùm loquitur, cui duo status competere debeant, humilitatis & gloriæ. Unde Orthodoxi colligunt Regnum ejus non esse mundanum & terrenum, sed spirituale & cœleste.

QUÆST. XVI.

Regnum Christi non esse mundanum, sed spirituale probatur 1. Ex Gen. 49: 10. Dan. 9.

VII. Primò, Quia ex Oraculis Veteris Testamenti eo tempore venturus fuit Messias, quo sceptrum removendum fuit à Juda, & Legislatoria potestas auferenda, Gen. 49: 10. ut revera constat tempore Christi Judæos fuisse sub Romanorum potestate. Unde non potuit esse Rex temporalis, quia Regem esse, & alteri subjici repugnant. Daniel cap. 9. ejus manifestationem refert ad tempus, quo Civitas & Templum erant evertenda, nec ullum debuit remanere vestigium.

2. Quia adumbratur per Regna terrena.

VIII. Secundò, Quia Regnum Christi per varia regna temporalia est adumbratum, At res corporeæ & terrenæ non sunt typi rerum corporearum & mundanarum sibi homogenearum, sed meliorum & præstantiorum, nimir. spiritualium. Figuram enim oportet esse inferiorem suo figurato, & umbram corpore. Cùm autem regimen V. Test. quo adumbratum est Christi Regnum, fuerit corporeum, Regnum Christi debuit esse spirituale.

3. Quia quæ ad hoc Regnum pertinent sunt spiritualia.

IX. Tertiò, Quia quæcunque ad Regnum hoc pertinent spiritualia sunt, non mundana & terrena. 1. *Rex* humilis & pauper Zach. 9: 9. qui sine forma & specie debuit venire, velut ramus excisus ex trunco Isai. Isa. 11. 1. qui venit cum forma servi ad ministrandum, non ut illi ministraretur Matt. 20: 28. qui se subjecit Romanorum Imperio, & censum illis persolvit, quæ *Rex.* ἀσύςατα esse cum regno mundano nemo non videt. 2. *Solium* non terrenum *Solium.* & aspectabile, sed divinum & cœleste, dextera ipsa Dei, ad quam sedere debuit Psal. 110: 1. 2. *Sceptrum* non materiale, sed mysticum, Verbum sci- *Sceptrum.* licet Evangelii Isa. 2: 3. quod *Sceptrum fortitudinis* verè dicitur Psal. 110: 2. quia est potentia Dei ad salutem, & brachium Domini Isa. 53: 1. Rom 1:16. 4. *Subditi* non sunt homines terreni & carnales, sed spirituales & cœlestes, *Subditi.* per Spiritum regeniti, non ex carne, sed ex Deo nati Joh. 1: 12. quorum πολίτευμα est in cœlis Phil. 3. *populus* נדבות *spontaneus*, Psal. 110: 3. qui

QUÆST. XVI.

ex utero auroræ, id. ex luce Evangelii Deo generandus est, & spirituali decore sanctitatis ornandus. 5. *Modus administrationis* totus spiritualis, non armis & exercitu, sed Spiritu Zach. 4:6. 2 Cor. 10:4. 6. *Leges* spirituales, quæ hominis non modò actus externos, sed & internos componunt, & à terrenis & corporeis ad cœlestia & divina evehunt, Cultus non carnalis & corporeus in externis Cæremoniis situs, sed Spiritualis in Spiritu & Veritate Joh. 4:24. Rom. 12:1. 1 Pet. 2:5. 7. *Bona* quæ promittuntur, non sunt temporalia, licet nonnunquam sub illorum symbolo designentur, sed spiritualia & cœlestia, remissio peccatorum, justitia seculorum, Spiritus datio, salus & vita æterna.

Modus administrationis. *Hos. 2:18.* *Leges.* *Bona.*

4. Ex fine Regni.

X. Quartò, Quia Messias venturus fuit ad abolendum Regnum tyrannicum Satanæ, quod per peccatum invectum fuit, ad expiandum peccatum, & justitiam seculorum adducendam Dan. 9:24. At ista spiritualiter tantùm præstari potuerunt; Nam ut Satan Princeps hujus mundi per errores & peccata regnabat inter homines: Ita Christus Rex est Ecclesiæ, quatenus debellato per mortem crucis Diabolo Col. 2:15. regnat spiritualiter in cordibus fidelium, per fidem, charitatem, & praxin bonorum operum.

5. Quia est Regnum cœlorum.

XI. Quintò, Quia Regnum Messiæ est *Regnum Cœlorum*, ut passim hoc nomine insignitur in Scriptura, & ab ipsis Judæis agnoscitur, quod proinde non ad seculum, sed ad cœlum pertinet, Cœleste. 1. *Ortu*, quia non illud humana prudentia & potentia, sed divina providentia sola disposuit. 2. *Statu*, quia in rebus cœlestibus, mysticis & divinis totum positum est, non in mundanis & corporeis. 3. *Actu*, quia in dispensandis cœlestibus beneficiis totum exercetur Rom. 14:17.

6. Quia non est ex hoc mundo Joh. 18:36.

XII. Sextò, Quia *Regnum Christi non est ex hoc mundo* Joh. 18:36. ubi Christus non negat regnum suum esse in hoc mundo, constitutus enim est à Deo ut dominetur in medio inimicorum suorum Ps. 110:2. sed negat regnum suum esse *ex hoc mundo*, & ut addit sub finem versus regnum meum non est ἐντεῦθεν. Non dicit *regnum meum non est* hîc, sed *non est* hinc, *est in mundo*, sed *non de mundo*, ut ait Aug. Non est de mundo, tum respectu *originis*, quia non à mundo, & hominibus in mundo viventibus constituitur, instar regnorum mundi; sed Deum habet unicum & immediatum fundatorem, cujus authoritate erectum est, & cujus potentiâ firmatur. Tum respectu *modi*, quia regna mundi constant & defenduntur subditorum multitudine, provinciarum numero, urbium frequentiâ, divitiarum copiâ, arcium munimentis, armorum præsidio, & aliis mediis externis, quibus deficientibus necesse est ea collabi. Sed Christi Regnum modo spirituali, ut jam dictum, exercetur, non alios honores & opes agnoscit, quàm Justitiam, sanctitatem, pacem conscientiæ, & salutem ac vitam æternam, non alia arma, quàm Verbum & Spiritum, non alia munimenta, quàm Dei protectionem. Nec Pilatus aliter hoc intellexit, qui nullum inde præjudicium creari Cæsaris im-

imperio ſatis agnovit; aliàs non modò in accuſationem Judæorum Chriſtum rebellionis in Cæſarem arguentium conſenſiſſet; ſed ipſe primus de eo tollendo cogitaſſet. Cùm verò nihil moratus hanc Judæorum accuſationem, & Chriſti ipſius de Regio Munere confeſſionem, ipſum juſtum & innocentem pronunciat, & cupit eum condemnationi ereptum, quippe quem noſſet à Judæis per invidiam eſſe traditum Matt. 27: 18. ſatis demonſtrat ſe non credere regnum aliquod temporale fore, & adverſum Cæſaris imperio, quod ſibi Chriſtus tribuit. QUÆST. XVI.

XIII. Quum Angelus ait Luc. 1: 32. Solium Davidis dandum eſſe Chriſto, & Regni ejus non futurum finem; Non vult innuere Regnum Chriſti fore temporale, quale fuit Regnum Davidis; ſed ut regnum Chriſti in regno Davidis adumbratum fuit, ita perfici & conſummari debere regnum Davidis in regno Chriſti, non temporaliter, quia conſtat auferendum fuiſſe in adventu Chriſti, ſed modo ſpirituali & myſtico, quomodo Chriſtus ipſe vocatur David. Ita quod dicitur de æternitate regni ejus intelligendum eſt, non quoad literam & typum, ſed quoad antitypum, & ipſam veritatem, quæ longè nobiliori modo debuit impleri in Chriſto. *Fontes Solutionum.* *Luc.* 1: 32.

XIV. Quamvis Regna temporalia ſubjicienda fuerunt Chriſto, non ideo temporale debuit eſſe ejus Regnum; quia non temporaliter & modo terreno ſubjiciuntur illi, & ab eo adminiſtrantur, ſed ſpiritualiter & diviné. Ut licet terra cœlo ſubſit, & ab ipſo regatur, non propterea hoc fit modo terreno, ſed cœleſti. Regnat quidem diverſimodè in pios & impios, in illos ſuavi & ſalutari influxu Spiritus, quà Caput, in iſtos potenti virtute ſuâ quà Dominus, ſed in utroſque imperium ſpirituale, non mundanum exercet.

XV. Oracula varia, de reſtitutione & perpetua duratione Reipublicæ, & Regni Judaïci, quæ afferuntur à Judæis pro Regno temporali Meſſiæ, qualia ſunt Deut. 30: 2. 4. 5. Ezech. 37: 24. 25. Dan. 7: 27. Mich. 4: 6. 7. 8. non poſſunt, nec debent intelligi κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed myſticè & ſpiritualiter. 1. Quia mos eſt Prophetarum loqui de rebus N. Teſt. terminis legalibus, & ſub cortice rerum corporearum, res ſpirituales & cœleſtes adumbrare, quæ ſi ad literam urgerentur, vel nullum ſenſum funderent, vel abſurdum. 2. Promiſſiones, quæ ibi habentur de beneficiis ſpiritualibus, non poſſunt impleri in Iſraele carnali, ſed ſpirituali. 3. Si Chriſtus debuiſſet regnum temporale exercere in Judæa, non paſſus fuiſſet Jeruſalem ſolo æquari, Templum everti, & quæcunque pertinent ad Rempub. & politiam Judaïcam aboleri. 4. Rationes inſtititutionis politiæ Judaïcæ ceſſant per adventum Chriſti, & per vocationem Gentium. *Deut* 30: 2. 4. 5. *Ezech.* 37: 24. 25. *Dan.* 7: 27. *Mich.* 4: 6. 7. 8.

XVI. Licet Meſſias opponatur Regibus terrenis Pſ. 2: 6. Et eos dicatur contriturus virgâ ferreâ v. 9. Non ſequitur Regnum mundanum eſſe debuiſſe, quia licet terrenus non ſit, nihil impedit, quominus ſpirituali modo ſit *Pſal.* 2: 6.

QUÆST. XVI. Reges terrenos domiturus, ut Deus omnium Monarcharum debellator est modo spirituali. Et quod additur de virgâ ferreâ metaphoricè est intelligendum, ut sensus sit, quemadmodum vas figulinum totum confringitur, quum virgâ ferreâ concutitur: ita quoque Gentes istæ conterentur Verbo Evangelii, quod est sceptrum seu virga fortitudinis ejus; quod ex eo confirmatur, quod quæ Psalm. 2. de Messia prædicantur, promittuntur Apoc. 2: 26. 27. omnibus vincentibus, ut notetur potestas eorum spiritualis in altero seculo.

Psalm. 72. XVII. Psalm. 72. immediatè & quoad literam de Salomone typo Christi intelligendus est, mediatè autem & mysticè de Christo ejus antitypo. Ideo in explicatione attendenda sunt, quæ typo sunt convenientia & congrua, & quæ antitypo, quoad illum quidem corporalia & terrena designantur, qualis ipse fuit, sed quoad istum spiritualia & divina.

QUÆSTIO XVII.

DE ÆTERNITATE REGNI CHRISTI.

An Regnum Mediatorium Christi sit duraturum in æternùm? Affirm.

I. SEcunda conditio Regni Christi est ejus *Æternitas*, de quâ, controversia nobis intercedit cum Socinianis, qui, ut Mediatoris nostri dignitatem & Divinitatem labefactent, statuunt Regnum hoc cessaturum die novissimo, & ultimum ejus actum futurum, totius orbis Judicium, tum Regnum & Potestatem Regiam Patri traditurum. Ad quos hic accedunt, licet dispari mente & fine, illi ex Nostris, qui Regnum Mediatorium Christi finem habiturum censent cum seculo, ut locus detur soli Regno essentiali, per quod Deus futurus est omnia in omnibus.

II. Licet verò Quæstio ista, prout agitatur inter Orthodoxos, problematica sit, de qua utrinque disputari potest, salvo fidei fundamento, modò arctè teneatur contra Socinianos, Christum Regem in æternùm fore Ecclesiæ suæ, sive quà Mediatorem, sive quà Deum; verior tamen & Scripturæ Oraculis convenientior videtur nobis affirmativa, quam cum plerisque retinemus.

Status Quæstionis. III. Ad Statum Quæstionis Observ. Primò Regnum Mediatorium Christi spectari posse, vel quoad *substantiam ipsam*, vel quoad *formam & modum administrationis*, qui potest esse vel immediatus & internus, vel exter-

IIIII

nus & mediatus, qui fit interventu ministerii Angelorum & Hominum, & qui occupatur in protegenda Ecclesia adversus hostes, à quibus continuò in terris impetitur, iisque conterendis, & funditus delendis. Modus administrationis potest mutari & abrogari, substantiâ ipsâ Regni semper manente. Quomodo fides dicitur in visionem mutanda, non quoad substantiam cognitionis, quæ eadem semper mansura est, imò & perfectior evasura; sed quoad modum, quatenus fides non amplius Verbo nitetur, & obscuritatem secum adjunctam habebit, sed facie ad faciem Deum ipsum intuebitur. Non hîc quæritur de modo administrationis, qui hîc obtinet, quem mutandum esse apud omnes est in confesso; Sed tantùm de substantia Regni, quam desituram esse pertendunt quidam; Nos mansuram in æternùm statuimus. QUÆST. XVII.

IV. Secundò, Mediatio tres partes potissimùm includit 1. salutis acquisitionem. 2. acquisitæ applicationem. 3. applicatæ conservationem. Non quæritur de duabus prioribus, illis enim ita defungitur Christus in hac vita, ut in futura locum non sint amplius habituræ; Et hoc sensu facilè concedimus Mediationem Christi cessaturam, quia nec acquisitione amplius opus erit, nec novâ applicatione. Sed agitur de conservatione, circa quam contendimus Christum beneficia nobis parta perpetuò conservaturum, & ita regnaturum in æternùm super Ecclesiam.

V. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura non semel æternitatem istius Regni prædicat, ut 2 Sam. 7: 12. 13. ubi *stabiliendus* dicitur *thronus Christi in perpetuum*, quibus respondent ista apud Lucam cap. 1: 33. *Regni ejus nullus* dicitur *futurus finis*. Et Dan. 7: 14. *Filio hominis* dicitur *traditum Regnum*, *quod non transibit*, *nec dissipabitur*. Nec excipi potest 1. æternitatem non intelligi absolutam, sed definitam, quia agitur de Salomone, cujus regnum cessavit. Quia licet hoc dici possit de typo id. de Salomone, qui fuit figura Christi; non potest quadrare in Christum antitypum, cui æternitas propriè dicta competit, quam verba & apud Samuelem, & apud Lucam designant. 2. Christum regnaturum quà Deum, sed non quà Mediatorem. Quia agitur de Christo, non ut Deo simpliciter, sed ut Mediatore, & quatenus sedere debebat super thronum Davidis, id. implere in mysterio, quod David habuit in figura, quod non est regni essentialis, sed Mediatorii.

Regni Christi æternitas probatur.
1 *Ex* 2 *Sam.* 7: 12. 13.
Luc. 1: 33.
Dan. 7: 14.

VI. Secundò. Quia *Regnum hoc non evertendum est in secula*, nec *tradendum alteri populo* Dan. 2:44. Agi enim de Regno Christi, quod obtinere debuit, eversis quatuor Monarchiis & Regnis in statua Danieli ostensis, Christiani omnes consentiunt. Sive per quartum Regnum intelligatur Romanum imperium, sive Seleucidarum, & Lagidarum Alexandri successorum Regnum, de quo inter eos non constat. Dicitur verò non dissipandum in æternùm, oppositè ad Regna mundana, quæ cujuscunque sint naturæ vel di-

2 *Ex Dan.* 2: 44.

gni-

QUÆST. XVII.

gnitatis, quæ per aurum, argentum, æs, & ferrum, id metalla diversi pretii & valoris adumbrantur evertenda sunt, sive vi externâ, sive intestinis dissidiis & propriâ fragilitate, quâ negatum est rebus terrenis stare diu: Sed hoc tale est, ut nec ab extrinseco, nec ab intrinseco destrui possit, utpote ἀσάλευτον & immotum Heb. 12:28.

3. Ex functionibus Mediationis

VII. Tertiò, Quia variæ functiones Mediatorii Muneris perpetuæ sunt futuræ, 1. quoad *Prophetiam*, quia in æternùm dicitur beatos illuminaturus, Civitas non egebit Sole & Luna, quia *splendor Domini illuminabit eam, & Agnus erit ejus candela* Apoc. 21:22.23. & Agnus pasturus dicitur eos & deducturus ad vivos fontes aquarum Apoc. 7:17. 2. quoad *Sacerdotium* per jugem repræsentationem Sacrificii sui, ceu fundamenti gloriæ quâ potiemur, non tantùm comparandæ, sed etiam in æternùm conservandæ, quia res iisdem mediis & rationibus conservantur, quibus acquiruntur. Unde vocatur Sacerdotium ἀπαράβατον Heb. 7:24. 3. quoad *Regnum*, quia regnaturus est semper in Ecclesiam tanquam Caput & Sponsus ejus per unionem ἀδιάλυτον, non utique quà Deus tantùm, sed etiam quà Mediator. Unde distinctè *Regnum Dei & Christi* proponitur Apoc. 11:15. & 12:10. & consummatio matrimonii proponitur in nuptiis Agni cum Ecclesia Apoc. 19:7. quod cùm debeat esse æternum & indissolubile, æternitatem etiam operationis & relationis Christi Mediatoris, ut Sponsi erga Ecclesiam ut Sponsam supponit.

Apoc. 21: 22.23.

Apoc. 11:15. & 12: 10. & 19:7.

4. Ex vinculo nostra unionis cum Deo.

VIII. Quartò. Quia Christus est vinculum perpetuæ nostræ communionis cum Deo. Cùm enim nec per se Creatura ad Deum accedere possit, nec in ejus communione perstare; Necesse est, ut quemadmodum per Christum semel ad Deum accessit; Ita per eundem ejusque vi & efficaciâ illi in æternùm adhæreat. Nec aliunde membra Corporis Christi mystici vitam & gloriam haurire possunt, quàm ab influxu Capitis, cui in æternùm unita debent manere. Nec obstat quod dicitur *Deus futurus omnia in omnibus* 1 Cor. 15:28. quia hoc intelligendum respectu mediorum externorum, quæ in hac vita obtinent, puta Verbi, Sacramentorum, & simil. quibus fit, ut Deum in speculo tantùm & ænigmate videamus, illique per fidem adhæreamus; ut innuatur Deum immediatè & per se nos beatitudinis suæ participes plenè facturum; sed non exclusivè ad Christum Caput Ecclesiæ, à quo omnia in ipsam bona derivantur.

1 Cor. 15: 28.

Fontes Solutionum.

Ps 110: 1.

IX. Quum Christus dicitur sessurus ad dextram Patris, donec Pater posuerit inimicos in scabellum pedum suorum Psal. 110:1. affirmatur quidem dominium Christi toto vitæ hujus tempore, quo regnare debet inter hostes; sed non negatur æternitas regni ejus in seculo futuro. Sic sæpe in Scriptura particulæ istæ עַד כִּי, ἄχρις ὅ, vel ἕως ὅ *donec*, *usque dum*, adstruunt quidem tempus præsens, aut præteritum, de quo poterat oriri dubitatio; sed non negant & excludunt futurum; Sic Mat. 28:20. dicitur Christus futurus

cum

cum discipulis usque ad consummationem seculorum, ut eos certos reddat de præsentia sua in mediis periculis & certaminibus, sed non ad excludendam communionem ejus in æternùm. Idem est sensus Gen. 28: 15. & Psl. 123: 2. Quia ergo dubium suboriri poterat, quomodo Christus regnum obtinere posset inter tot hostium molimina; Spiritus S. fidem nostram hác in parte confirmare voluit, non negatâ tamen regni ejus in æternùm duratione. QUÆST. XVII. *Matth. 28: 20.*

X. *Regnum*, quod *Christus* dicitur *traditurus Deo & Patri*, id est, Deo ejus Patri 1 Cor. 15: 24. bifariam potest sumi; Vel *materialiter* & *subjective*, pro ipsâ *Ecclesiâ*, Corpus Christi mysticum constituente, seu pro ejus subditis, quomodo alibi Regnum Christi, pro ejus populo non rarò sumitur, ut sensus sit Christum consummato opere salutis, Ecclesiam perfectè consummatam & redemptam ab omnibus hostibus suis adducturum ad Patrem, plenè beandam juxta Oraculum Isaiæ, quod Christo vindicatur Heb. 2: 13. *Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Deus*; sed ita tamen ut semper mansurus sit ejus Caput. Vel *formaliter*, non quoad substantiam ipsam Regni, sed tantùm quoad administrationis modum, qui versatur in Ecclesiâ colligendâ, regendâ, & defendendâ ab hostibus, qui devictis omnibus hostibus nullum amplius locum sit habiturus. Ita regnum traditurus est, non per ejus depositionem & abdicationem, sed per ejus consummati exhibitionem, Deo, qui illud Christo tradiderat rationem administrationis sibi commissæ redditurus, & ad gloriam ejus quicquid gestum fuerit relaturus. Quod verò in initio versus apponitur de *fine*, non pertinet ad finem regni, sed ad finem seculi, finem omnium Christi hostium, qui tunc ita dejicientur, ut non sint in æternùm restituendi, finem cujuslibet potestatis, & imperii, quæ abolenda esse Paulus asserit, finem denique ministeriorum omnium, quæ ad bonos tutandos, & frænandos impios Deus instituit, quæ tunc cessatura sunt, quia Deus futurus est omnia in omnibus. *1 Cor. 15: 24.*

XI. *Subjectio*, quæ Christo tribuitur v. 28. non referenda est ad *Personam* Filii, quasi ex Rege fiat subditus, quia hoc sensu Patri semper fuit & futurus est æqualis. Sed vel ad *Corpus mysticum* ejus, seu Ecclesiam, quæ non rarò Christi nomine designatus 1 Cor. 12: 12. quæ tunc perfectè subjicietur Deo, non subjectione depressionis, sed gloriæ & perfectionis, ut quemadmodum omnia subjecta fuerunt Sanctis à Deo in Capitis personâ, Psal. 8. Heb. 2. Ita Caput in persona membrorum subjiciatur Deo. Vel ad *humanitatem* Christi, quæ ut creata est, Deo in æternùm subjici debet. Vel ad *Officium* ejus, & *Mediationem*, secundùm quam in cœlis non minus ac in terra subjici debet Patri, ut minor eo, non per Muneris depositionem, sed per ejus subordinationem. *vers. 28.*

XII. *Deus* futurus dicitur *omnia in omnibus* 1 Corint. 15: 28. exclusivè *1 Cor. 15: 28.*

QUÆST XVII. ad media externa, Verbum, Sacramenta, & similia, per quæ Deus se nobis hic communicat, quia tunc sine talibus mediis, Deus se Beatis communicabit: Ut non amplius in speculo & ænigmate seu obscurè sumus intuituri, sed facie ad faciem clarissimè sumus eum contemplaturi, sed non exclusivè ad Christum Caput & Sponsum Ecclesiæ, qui semper vinculum nostræ cum Deo communionis futurus est. Porro Deus dicitur futurus *omnia in omnibus*, non absolutè & simpliciter, quasi ipsi etiam Diaboli salvandi sint. Sed pro subjecta materia, ratione fidelium & Beatorum, quos plenissimè beatitudinis suæ facturus est participes, oppositè ad modum, quo se nobis communicat, restrictè & limitatè pro conditione viæ, quoad partes, sed non quoad gradus, quoad gratiam, sed non quoad gloriam. Sed tunc Deus futurus est omnia in omnibus beatis, Quoad *plenitudinem bonorum*, quæ ad omnimodam felicitatem requiruntur, cùm Deus ipse se totum ipsis daturus sit, Quoad *plenitudinem graduum*, ut bona illa talia sint, quibus nihil addi possit quoad intensionem, non magis quàm ad extensionem, Quoad *plenitudinem subjectorum*, ut omnibus Beatis omnia ista bona & singulis omnia indivisim communicentur, & in anima & in corpore ad perfectam eorum consummationem.

XIII. Peracto & consummato opere salutis, non opus est amplius Mediatione œconomicâ, quæ respicit impetrationem & applicationem salutis; Sed manet semper veritas Unionis nostræ cum Christo Capite, per quam beneficia semel collata in æternùm conservantur.

XIV. Licet Christus quà Λόγος cum Patre & Spiritu Sancto regnum essentiale sit exerciturus in beatos: Non obstat hoc tamen, quominus ut Θεάνθρωπος & quà Mediator in ipsos sit regnaturus, ut nunc regnum naturæ quod obtinet in mundo, non tollit regnum gratiæ in Ecclesia.

XV. Nihil obstat Regnum Christi dici simul, & *temporale* & *æternum*, Illud respectu modi regiminis, qui in hac vita obtinet inter inimicos, Istud propriè & per se, quia nullus ejus futurus est finis, vel quoad Regem ipsum, vel quoad Regnicolas, vel quoad gloriosam gubernationem Dan. 7:14. Luc. 1:33. Apoc. 21. & 22. cap.

QUÆSTIO

Quæst. XVIII.

Quæstio XVIII.

De Adoratione, et Cultu Christo Mediatori Debito.

An Christus quà Mediator sit adorandus? D.

I. Cum inter Effecta, & Consequentia Unionis Hypostaticæ reponi soleat, *Honor Adorationis*, & Cultus religionis, qui Christo θεανθρώπῳ Mediatori nostro debetur; De eo moveri potest controversia, & mota est antehac, non solùm à Socinianis, qui vel negant Christum adorandum esse, vel ex adoratione & cultu ejus negant Divinitatem ejus posse probari: sed etiam inter Orthodoxos.

II. Occasionem Quæstioni dederunt, non modò Pontificii, qui de Christi humana natura adoranda disquirunt ad p. 3. Tho. q. 25. & Lutherani Ubiquitistæ, qui disputant de adoratione Carnis Christi, seu de adoratione Christi secundùm humanam naturam, & quà Mediator est, *Eckardus* in Fasci. contro. c. 6. q. 12. *Balduinus* in Cas. consci. li. 2. c. 5. & alii, sed præcipuè Sociniani. Cùm enim Orthodoxi æternam Christi Deitatem, & τὸ ὁμοούσιον probare satagant ex honore & adoratione illi debitâ; Isti, ut hoc argumentum eludant, excipiunt contra Majoris consequentiam, distinguendo inter cultum & adorationem, quæ tribuitur æterno Deo Patri, ut causæ primæ, & inter eam, quæ tribuitur Christo Mediatori quà tali, id. tanquam causæ secundæ, mediæ, & subordinatæ omnium eorum, quæ pertinent ad salutem, quæ utraque adoratio, divina quidem sit, non tamen summa, sed illa tantùm, non verò ista, ut Christus non sit agnoscendus pro ultimo fine adorationis, *Catech. Raco.* cap. 1. *Socin.* in resp. 1. ad Volanum. Unde argumenmentum ab ipsis propositum; Quæ adoratio tribuitur Christo quà Mediatori, Illa non competit Deo quà tali, vel quia talis est. Et per consequens non evincit ipsius Deitatem vel ὁμοούσιον. Sed adoratio Christo tribuitur quà Mediatori. Ergo, Cui quia responsum fuit à nonnullis per negationem Minoris. Hinc nata quæstio de Adoratione Christi quà Mediatoris, circa quam in partes itum est, aliis affirmantibus, aliis verò negantibus. *Occasio Quæstionis.*

III. Licet verò fatendum sit, sepositâ controversiâ Socinianâ de adoratione Christo debitâ, de quâ suo loco dictum, Quæstionem hanc, prout inter Orthodoxos agitatur, Problematicam esse & minus principalem, de qua utrinque disputari potest salvâ fidei compage, imò & multum logoma-

QUÆST. XVIII. chiæ involvat: alicujus tamen momenti esse, post detectas Socinianorum insidias, & quæsita latibula in distinctione illa de cultu Christi, quà Mediatoris, ut fortiùs & feliciùs adversus eos disputare possimus, proclive est cuivis intelligere.

Status Quæstionis.

IV. Ut verò ritè teneatur Quæstionis Status, in quo ponendo solet à variis peccari. Obser. 1. Non quæri de Adoratione Christi Mediatoris, nec quodnam sit *Objectum materiale*, si fas ita loqui, adorationis, in quod tendat adoratio: Nam de eo consentiunt omnes Orthodoxi contra Socinianos, Christum θεάνθρωπον, Mediatorem nostrum adorandum esse adoratione religiosâ & soli Deo debitâ. Sed de *Objecto formali*, seu ratione sub quâ adorandus sit Christus, An sit tantùm Deitas Christi, An verò etiam ejus humanitas & Mediatio seu Officium Mediatorium? An sit adorandus quà Deus tantùm, An etiam quà Mediator? Et quia particulæ istæ *qua*, *quatenus*, *quia* &c. vel latiùs & *specificative* sumi solent, ut specificetur objectum circa quod aliquid fit, vel strictiùs & *reduplicative*, quum limitatur per rationem secundùm quam prædicatum subjecto convenit. Non sumuntur hic primo sensu, sed posteriori. Non quæritur, An Christus quà Mediator *specificative*, id. *qui* Mediator est, sit adorandus, sed *reduplicative*, *qua* talis & sub illa formali ratione.

V. II. Non quæri de *motivis* & rationibus, propter quas Christus adorari & coli potest ac debet. Convenit enim inter omnes eas non tantùm petendas esse ab ὑπεροχῇ Majestatis divinæ, sed etiam à beneficiis variis, quæ ab ipso nobis collata sunt, sive in Creatione, sive in Redemptione. Sed de *fundamento*, quod fundet adorabilitatem seu de *Termino ultimato*, in quem feratur, & in quo terminetur adoratio. Quem alii volunt esse solam Deitatem, alii etiam ipsam Mediationem.

VI. Ad decisionem Quæstionis, quatuor hic accuratè sunt distinguenda. 1. *Objectum* quod adoratur. 2. *Fundamentum*, seu ratio formalis sub qua odoratur. 3. *Motiva* & rationes propter quas adoratur. 4. *Adjunctum*, sine quo non adoratur. *Objectum* est Persona Mediatoris, non qua Deus, aut homo præcise, sed quà θεάνθρωπος. *Fundamentum* adorationis est sola Deitas, quia nihil adorandum est præter Deum. *Motivum* non est sola Divinitatis excellentia, sed varia officia & beneficia Christi, potissimùm verò ipsa Mediatio. *Adjunctum* est Caro, seu Humana ejus natura, sine qua Persona non adoratur. Quod quatuor Propositionibus complectimur.

VII. Prima, *Adoratio Christo Mediatori debetur, & proprie est Personæ Mediatoris, & ad eam pertinet.* De qua nulla est inter Orthodoxos controversia, qui contra Socinianos justitiam & necessitatem adorationis Christi tuentur ex expressis Scripturæ Oraculis Psal. 2: 11. 12. & 97:7. Hebr. 1:6. Mat. 2:2. 11. & 8:2. & 9:18. & 14:33. & 15:25. & 28:9. 17. Luc. 24:52. Joh. 2: 23. & 9: 38. Act. 7:59. 60. non tantùm quatenus est Λόγος & Filius

Dei

Dei, sed etiam quatenus est θεάνθρωπος & Mediator, quia illi debetur fides, quà tali, & distinctè à Patre Joan. 14: 1. debetur cultus, ut Judici & Filio hominis Joan. 5: 22. 23. ut Deo incarnato & venienti in mundum Heb. 1: 6. ut Agno Apoc. 5: 12. ut Redemptori 1 Cor. 6: 20. ut Domino, qui propter exinanitionem suam, exaltatus est, & nomen supra omne nomen obtinuit, ut in nomine Jesu omne genu flectatur *&c.* Phil. 2: 7. 8. ut Sponso Ecclesiæ Psalm. 45: 12. Adoratio autem ista debetur Personæ propriè, & ad eam pertinet, *propriè enim honor exhibetur toti rei subsistenti*, ut bene Thomas p. 3. q. 25. art. 1. notat juxta illud *Actiones & Passiones sunt Suppositorum.* QUÆST. XVIII.

VIII. Secunda, *Fundamentum & ratio formalis Adorationis, non est vel Natura humana, vel Officium Mediatorium, sed sola Divinitas.* Quia nihil creatum est per se adorabile, sola Essentia divina infinita, omniscia, & omnipotens, æterna, quæ summam habet super omnia ὑπεροχὴν & majestatem, potest fundare legitimam adorationem, quia est confessio & celebratio omniscientiæ, omnipræsentiæ, & omnipotentiæ, cùm solus Deus sciat & audiat ubique preces, & orantes juvare possit & velit, atque ita sit ἰδίωμα & consequens necessarium Divinitatis. Quod cùm non competat naturæ humanæ, quæ creata est & finita, per se & propter se adorabilis non est. Hinc Nestoriani adorantes Christum, ut B. Virginis Filium, quem distinguebant ab æterno Dei Filio, damnati sunt ut *Anthropolatræ* Codice Justi. l. 5. & c. de S. Trinitate. Unde assentiri iis non possumus, qui humanitatem Christi ita per se adorandam volunt, ut ipsa sit terminus & objectum adorationis; ut ex eo colligant proprietates divinas realiter communicatas esse naturæ humanæ Christi. Idem de Officio Mediatorio dici debet. Cùm enim opus sit Dei in Creaturas, à quo externè denominatur, & adjunctum contingens & temporarium, quod poterat esse & non esse, non potest legitimam fundare adorationem. Unde adoratio Mediatoris non resolvitur in Mediationem, sed in Deitatem. Nam si quæro, Cur Jesus adoretur? & respondeatur, quia Mediator; Ulterius quæri potest, Cur Mediator adoretur, nec aliter respondebitur, quam olim à Christianis contra Arianos, quia est ὁμοούσιος cum Patre Deus; hic ultimus terminus est, ultra quem non datur progressus.

IX. Tertia, *Quamvis Mediatio non sit fundamentum adorationis, habet tamen rationem motivi, propter quod Christo exhiberi debet.* Cum enim beneficia Dei nos moveant ad Deum colendum & glorificandum; & Redemptio, quæ per Mediationem Christi nobis datur, omnium sit præstantissimum, præ cæteris debet nos impellere ad Redemptorem nostrum adorandum. Hoc sensu Petrus c. 4. 1æ vers. 19. hortatur *fideles patientes ad commendandas Deo animas suas, ὡς πιστῷ κτίστῃ, ut fideli Creatori*, ubi Creatio proponitur ut motivum commendationis animarum in manus Dei. Ita Apoc 4: 11. *Dignus* dicitur *Dominus accipere gloriam & honorem, quia omnia creavit* &c. 1 *Pet.* 4: 19. *Apoc.* 4: 11.

Quæst. XVIII.

Et cap. 5:9. *Agnus* dicitur *dignus accipere librum & aperire ejus sigilla, quia mactatus est, & redemit fideles Deo sanguine suo ex omni tribu, lingua* &c. Hinc si quæritur ratio propter quam Christus colitur, bene respondetur, quia Mediator, tot enim & tanta ex Mediatione Christi ad nos manant beneficia, ut non possit nisi sacrilegè denegari ipsi cultus & adoratio.

X. Quarta, *Licet Humana Christi natura non sit objectum adorationis, quod eam terminet, est tamen adjunctum inseparabile sine quo non fit adoratio, & quod adoratur cum Verbo.* Ut enim ingreditur constitutionem Mediatoris θεανθρώπε, non potest adoratio deferri Mediatori, quin ad naturam humanam aliquomodo extendatur, quæ per unionem hypostaticam intimè unita λόγῳ eam eminentiam adepta est, ut cum eo adoretur. Quod August. tom. 10. Sermo. 58. de Verbis Domini, illustrat simili Regis, qui cum diademate & purpurâ adoratur. Cùm verò longè arctior sit Unio Verbi cum Carne, quàm Regis cum veste, nihil obstat, quominus dicamus adorationem Verbi ad Carnem etiam suo modo extendi. Quod non malè explicatur ab Athanasio ad Adelphum contra Arianos. *Non adoramus Creaturam, Absit. Ethnicorum enim & Arianorum istiusmodi sunt errores; sed Dominum Creaturæ incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi Caro ipsa per se pars sit rerum creatarum; attamen Dei corpus effecta est, nec istiusmodi Corpus seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequitur, Nec Verbum adoraturi, Verbum à Carne longè seponimus, sed cum sciamus, ut dictum est,* ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, τοῦτον καὶ ἐν σαρκὶ γενόμενον ἐπιγινώσκομεν θεὸν, *hunc etiam in Carne agnoscimus Deum.*

XI. Atque hinc non obscurè colligitur, Quid statuendum sit de Adoratione Christo debitâ, & de Quæstione celebri circa illam mota. Nam si particula ista limitat subjectum quoad fundamentum & terminum cultûs; & rationem formalem & propriam, quâ adorabilitas competit Mediatori, rectè dicitur Christum quà Mediatorem non esse adorandum, quia Mediatio Christi non fundat & terminat ultimò adorationem nostram, sed sola Divinitas, quæ facit ut Persona θεανθρώπε sit adorabilis. Sed si eadem particula, ut non raro fieri solet, ponitur ad specificandam personam quæ adoratur, vel indicandas rationes & motiva, quibus impellimur ad ejus adorationem, non potest negari Christum hoc respectu quà Mediatorem esse adorandum, quia & Persona adoratur, & motiva varia petuntur ad ejus cultum ab ipsa Mediatione, & ita intelligenda sunt loca, quæ afferuntur pro adoratione Mediatoris.

XII. Nihil verò inde præsidii Sociniani habere possunt ad oppugnandam æternam Christi Deitatem, ex eo quòd si adoratur quà Mediator, debeat adorari quà homo; cum humanitas includatur in conceptu Mediatoris. Quia licet *totus* Mediator & θεάνθρωπος sit adorandus id. Persona Christi, quæ

est

est divina, & per consequens adorabilis; non tamen statim *totum* Mediatoris, seu quicquid ingreditur constitutionem Personæ Mediatoris, ut sit objectum formale cultus. Sufficit non posse concipi Mediatorem, quin Deus esse statuatur: Atque ita tantùm abest, ut colligi possit, non posse Christi Divinitatem ex ejus adoratione probari, quia adoratur quà Mediator; Ut contra ex eo necessariò concludendum sit eum esse Deum, quia Mediator non potest esse, quin sit Deus, & nomen ac conceptus Mediatoris, ejus Deitatem ponat. Quæst. XVIII.

XIII. Non potest negari Christum esse adorandum quà Mediatorem, quòd hoc respectu sit minor Patre. Quia ex illa minoritate œconomicà quoad Munus & Corporis assumptionem, nihil decessit ejus Deitati, & adorabilitati essentiali. Nam si factus est nobis ὁμοούσιος respectu suæ Carnis; mansit semper ὁμοούσιος Patri respectu suæ Divinitatis.

XIV. Aliud est *objectum formale adorationis*, quod in se continet ejus causam, Aliud *objectum considerationis*, cujus ratio quædam habetur in adoratione. Divinitas est primum, Sed Humanitas secundum. Nec si una tantùm detur adoratio Personæ θεανθρώπου, propterea confunduntur vel coæquantur Naturæ. Nam ut Unio non confundit Naturas; nec naturarum honorem & gloriam in unâ Christi Personâ. Ita Adoratio non magis confundit naturas, & honorem illis debitum, quàm fides, sed ut respicit Christum ut Deum & Hominem distinctè in una Persona: Ita tribuit illi secundùm utramque naturam, quod illi competit.

XV. Licet Natura humana, seu Caro Christi non adoretur κατ' ἑαυτὴν *per seipsam*, nec δι' ἑαυτὴν *propter se*, quia cùm sit Creatura, non est per se seu naturâ suâ adorabilis, πᾶν τὸ κτιστὸν οὐ προσκυνητὸν, inquit Epiphanius, *nihil creatum est adorabile*. Rectè tamen dicitur adorari in Λόγῳ, quo cum personaliter est unita, ut terminus ultimatus adorationis non sit Caro, sed Deitas, quæ non solùm est proprium objectum adorationis, sed etiam vera & propria ejus causa, tum ratione ὑπεροχῆς & Majestatis infinitæ, cui per se adoratio debetur, tum quia omnis efficacia Mediationis, ut ut communis sit utrique naturæ, ab ea propriè & originaliter manat.

XVI. Si quidam ex Nostris dixerunt, *Humanitatem, seu Carnem Christi esse adorabilem*; non eo sensu intelligunt, quasi esset proprium objectum, quod in se & per se terminaret adorationem. Sed simpliciter quatenus est *Caro Verbi*, quæ in Verbo & cum Verbo adoratur, ut innuant cultum qui Christo debet præstari, non discerpendum esse in varias species, prout olim factum à Nestorianis, qui Christum aliâ adoratione, quà Deum, aliâ quà hominem se venerari profitebantur; Et ut fit à Pontificiis, in λατρείαν Deitati reddentes, ὑπερδουλείαν Humanitati tribuunt, atque ita cultu inferiore ipsum colunt, quàm Crucem, cui λατρείαν deberi pertendunt.

XVII.

QUÆST. XVIII. XVII. Ad Argumentum Socinianorum, *Quicunque adoratur quà Mediator, non est summus Deus. Sed Christus adoratur quà Mediator. E.* non est summus Deus; Quomodocunque respondeatur, sive per negationem Majoris, quod pertendunt, qui volunt Christum adorari quà Mediatorem. Sive per Minoris inficiationem, quod alii volunt; stat illibata doctrina Divinitatis Christi. Nam qui negant adorari quà Mediatorem respectu Officii, firmiter tamen tuentur personam Mediatoris semper adorandam esse respectu Naturæ Divinæ, seu quatenus est Λόγος. Nec minus solidè alii ad Majorem reponunt; Tantùm abesse, ut ex adoratione Christi Mediatoris colligatur Christum non esse summum Deum, quin potius invictè concludatur eum esse verum & æternum Deum, cùm merus homo Mediator noster esse non potuerit, sed debuerit esse Deus.

XVIII. Non tam solliciti esse debemus de relatione sub quâ Christum adorare debeamus, quàm ut reipsa eum devotâ animi submissione, verâ fide, & constanti obedientiâ, ut Filium æternum Dei Redemptorem nostrum, usque ad extremum vitæ halitum perpetim colamus, & veneremur.

XIX. Aliud est cultum deberi nomini Jesu *formaliter* considerato, pro voce ipsa. Aliud *materialiter* pro Persona tali nomine significatâ, quomodo
Phil. 2: 10. do sæpe nomen Dei pro Deo ponitur. Quum Paulus ait Phil. 2: 10. *Datum esse Christo nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu,* non sumit nomen priori sensu, sed posteriori, ut patet ex locis parallelis Isa. 45: 22. & Rom. 14: 11. ubi objectum genuflexionis dicitur Jehova, & Persona ipsa Christi, non nomen ejus, *flectetur coram me omne genu.* Unde non caret superstitione, quod fit à Pontificiis, qui ad prolationem nominis Jesu caput aperiunt & genu flectunt, non tamen auditis nominibus *Dei*, & *Christi*, non minus sanctis, & venerandis.

LO-

LOCUS DECIMUS QUINTUS DE VOCATIONE ET FIDE.

QUÆSTIO PRIMA

Quid sit Vocatio, & Quotuplex? & Quomodo Vocatio Externa, & interna differant?

HACTENUS de *Officio Christi* dictum est, Nunc de ejus *Beneficiis* agendum, quæ pertinent ad applicationem salutis nobis acquisitæ, quæ hic inchoatur per gratiam, & in cœlis consummabitur per gloriam. Primum eorum est *Vocatio*; Non specialis ad munus aliquod sive politicum, sive sacrum, quo sensu Paulus se passim dicit *vocatum Apostolum* Rom. 1: 1. Sed generalis ad salutem. Cujus quanta sit præstantia, vel hinc patet, quòd ipsa Ecclesia non aliunde nomen suum adepta sit, quàm à κλήσει, seu *vocatione*, nihil que aliud sit quàm *Cœtus Vocatorum*.

II. *Vocatio* ista est Actio gratiæ Dei in Christo, quâ homines mortuos in peccatis & perditos in Adamo, Evangelii præconio, & Spiritus Sancti virtute vocat ad communionem Christi, & salutem in eo consequendam: In qua duo Termini attendendi; à quo, & ad quem. *Terminus à quo* est status peccati & damnationis, in quo versantur Eph. 2: 1. tenebræ Eph. 5: 8: 1 Pet. 2: 9. mundus Joh. 15: 19. & quæ sunt retro, terrena scilicet & mundana Phil. 3: 14. *Terminus ad quem*, Communio Christi 1 Cor. 1: 9. sanctitas Rom. 1: 7. 1 Cor. 1: 2. 1 Thess. 4: 7. lux admiranda, 1 Pet. 2: 9. Regnum Dei 1 Thess. 2: 12. gloria æterna in Christo 1 Pet. 5: 10. Vita æterna 1 Tim. 6: 12. *Quid sit Vocatio.*

III. Hinc vocatur modò *Vocatio sancta* 2 Tim. 1: 9. non tantùm ratione *principii*, quia Deus author Vocationis sanctus est 1 Petr. 1: 15. sed

QUÆST. I. etiam ratione *finis*, quia tendit ad sanctitatem; Modò κλῆσις ἐπουράνιος Heb. 3: 1. *cœlestis*, & Phil. 3: 14. ἡ ἄνω κλῆσις *superna*, quia est è cœlo, & ad cœlum vocat, allusivè ad ludos olympicos, in quibus non modò βραβεῖον suspendebatur super metam, sed inferius Athletæ currebant, & coronabantur in superiori loco, ubi sedebant βραβευταὶ & Agonothetæ, unde voce Præconis Cursores ad cursum citabant.

Cur ita dicta. IV. Si quæritur, Cur Spiritus S. hac nomenclatura uti voluerit ad opus istud describendum? Ratio multiplex reddi potest 1. ad *designandam hominis miseriam*, quia à Deo per peccatum separatus, & longè dissitus, revocandus fuit ab erroribus suis, ut ad Deum rediret, quomodo Deus Adamum fugientem quærit & vocat, *Adam ubi es?* 2. ad *notandum medium*, quo Deus utitur ad homines convertendos, vocem scilicet Evangelii, & Verbi præconium, quo nullum aptius & convenientius Creaturæ rationali dari potuit, ut homo qui λόγικος est, λόγῳ conveniretur. 3. ad exhibendas varias σχέσεις, sub quibus vocatio potest spectari, vel ut nova quædam *Creatio*, in qua Deus vocat ea quæ non sunt ac si essent Rom. 4: 17. è nihilo peccati ad vitam nos traducendo, & splendendo in cordibus nostris, eodem modo quo olim jussit è tenebris lucem splendescere 2 Cor. 4: 6. velut mirabilis *resurrectio*, in qua voce omnipotenti Christi vocamur, ut resurgamus à peccatis, Eph. 1: 20. & 2: 5. non absimili ratione, quàm quum voce suâ Christus Lazarum ex sepulchro excitavit, *Lazare exi foras*, & novissimò die mortui voce Christi auditâ sunt suscitandi Joh. 5: 25. vel ut *dignitas* summa filiorum Dei, & gloriosum munus, ad quod vocamur in communione Christi, quomodo per vocationem dignitates & munera hominibus in mundo deferri solent; vel ut *stadium* & curriculum, quod nobis emetiendum proponitur Phil. 3: 14. Hebr. 12: 1. quomodo Cursores in ludis olympicis voce præconis ad cursum vocari solebant, ut è carceribus ad metam tenderent.

Quomodo distingatur. V. Vocatio autem ista diversimodè distinguitur à variis. Quibusdam triplex dicitur, *Realis* per Opera, *Verbalis* per Evangelium, *Spiritualis* per Spiritum. Illa quæ ad omnes & singulos extendatur in mundo. Ista restringatur ad Vocatos in Ecclesia. Hæc quæ propria sit solorum Electorum & fidelium. Verùm supponitur gratis dari Vocationem ad salutem per Opera naturæ, quod supra confutavimus.

In Externam, & Internam. VI. Duplex ergo à nobis *Vocatio* agnoscitur pro duplici statu Ecclesiæ, visibili, & invisibili, *Externa* & *Interna*. Illa quæ fit tantùm ministerio Verbi & Sacramentorum, quæ sunt externa media applicationis. Ista verò insuper virtute internâ & omnipotente Spiritus Sancti. Illa quæ aures corporis duntaxat pulsat. Ista quæ cor etiam aperit. Illa objectivè tantùm se exerit. Ista etiam effectivè operatur. Illa suadet moraliter. Ista etiam efficaciter persuadet & trahit.

VII.

VII. Licet verò in variis conveniant, Tum à parte *Dei vocantis*, quia utraque Deum authorem habet, qui homines vocat ad regnum suum, Tum à parte *hominum vocatorum*, qui sunt & quoad *qualitates internas* in peccatis mortui, & perditi, & quoad *externas* infirmi, insipientes magna ex parte, & ignobiles 1 Cor. 1: 26. Tum à parte *instrumenti*, quod utrobique est ordinariè Verbum, Tum à parte *finis*, qui est Dei gloria, & Vocatorum salus. In pluribus tamen differunt, 1. respectu *Authoris*, quia in *externa* Deus imperativè tantùm agit, exigendo ab homine officium, sed non dando vires ad illud implendum. Sed in *interna* etiam *operativè* cum mandato officii, suppeditando vim illud exequendi, & operando intus, quod imperat foris. 2. ratione *Modi*, Illa fit per Verbum tantùm, Ista etiam per Spiritum. 3. ratione *Amplitudinis*, Illa multorum est, Hæc paucorum, *Multi vocati*, *pauci electi*. Illa latior est, quæ extenditur etiam ad reprobos in Ecclesia versantes, quo sensu Evangelium confertur areæ, quæ paleam cum tritico continet, & sagenæ, quæ bonos & malos pisces colligit Matt. 13: 47. Ista adæquatur electioni, ut ejus effectus, qui ideo Vocatio κτ̀ πρόθεσιν dicitur Rom. 8: 28. per quam omnes & soli Electi vocantur. 4. ratione *Eventus*, Illa manet semper inefficax, Ista efficax est & finem suum certò assequitur. *Quisquis audivit à Patre, & didicit, venit ad me*, Joh. 6: 45. 5. ratione *Durationis*, Illa temporalis & revocabilis, ut patet in προσκαίροις, & in Apostatis; qui redeunt ad vomitum. Ista verò immutabilis & ἀμεταμέλητος Rom. 11: 29. Illa visibilem, & externam communionem Ecclesiæ constituit in professione Religionis, & usu Sacrorum: Ista invisibilem & internam in fide & charitate. Ex illa Sancti dicuntur æquivocè, Ex ista verò propriè & univocè.

VIII. Quæstio hîc movetur ab Adversariis circa distinctionem duplicis istius Vocationis, An Vocatio interna & efficax distinguatur tantùm ab externâ posteriorià & eventualiter? An verò etiam à priori, ratione voluntatis & Decreti divini, & naturæ ipsius Vocationis? Lutherani enim Vocationem internam & externam à parte rei unam eandemque censent, ita ut omnes externè vocati, internè quoque vocentur, Rogati verò, qui fiat, quòd Vocatio externa in uno sit efficax, in altero non? Respondet id ab hominis oriri voluntate. Arminiani rem clariùs edisserunt, Vocationem in quibusdam esse inefficacem, in aliis non; Non quòd Deus plura in illis operetur, sed quod bona hominis voluntas efficaciam superaddat, quodque illi pro sua libertate admittant Verbum, quod alii respuunt. Sed Orthodoxi discrimen istud non ab hominis libero arbitrio suspendunt, & solo eventu dimetiuntur, Sed ab ipso Dei Decreto & naturâ Vocationis, & discrimine Gratiæ subjectivæ, quæ longè efficaciùs in his, quàm in illis operetur petunt.

IX. Rationes sunt. 1. Quia Vocatio interna est κτ̀ πρόθεσιν, quæ proinde pen-

QUÆST. I.

An Vocatio externa, & interna distinguantur tantùm eventu?

QUÆST. I. pendet à Decreto Dei, & est æterna & ἀμεταμέλητος Rom. 8: 28. & 11:29. Non ergo efficax tantùm eventualiter. 2. Quia eventus ipse non aliunde pendet, quàm ab ipso Decreto Dei, qui ita dirigi Vocationem potenter, & eventum suum necessariò sortiatur in iis, qui sunt electi, Act. 13:48. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* 3. Quia aliàs homo seipsum discriminaret, contra Paulum 1 Cor. 4: 7. *Quis te discernit, quid habes quod non acceperis?* Nec esset *solius Dei miserentis, sed hominis volentis & currentis* Rom. 9: 16. Cùm tamen Deus operetur in nobis velle & perficere Philip. 2: 13. Quid hic opponatur ab Adversariis expendetur, quum de efficacia Vocationis agetur in sequentibus.

X. Vocatio rursus distingui solet in *ordinariam* & mediatam, & *extraordinariam* & immediatam, Illa est, quam Deus adhibet in ordinaria dispensatione gratiæ, quæ fit interventu mediorum externorum, seu ministerii hominum. Ista verò, quæ extra ordinem fieri solet, respectu certorum individuorum, quæ Deus immediatè & per se, absque interventu hominum vocat ad se & convertit, qualis visa est in latrone, Paulo, & aliis immediatè à Deo vocatis.

QUÆSTIO II.

DE VOCATIONE REPROBORUM.

An reprobi, qui Vocationis externæ fiunt participes, eo Dei consilio & intentione vocentur, ut salutis fiant participes? Et An hoc negato, sequatur Deum cum illis non agere seriò, sed hypocriticè & simulatè? vel posse injustitiæ ullius accusari? Neg.

Status Quæstionis. I. QUæstio hæc nobis intercedit cum Lutheranis, Arminianis, & Gratiæ Universalis Patronis; qui, ut Vocationis Universalitatem adstruant, saltem quoad Præconium Evangelii in Ecclesia visibili, pertendunt quotquot vocantur per Verbum, à Deo vocari cum intentione salutis: quia aliàs Deus illuderet hominibus & non seriò, sed hypocriticè ageret, offerendo ipsis gratiam, quam tamen dare nollet.

II. Nos verò licet non negemus Reprobos, qui versantur in externa Ecclesiæ communione, vocari à Deo per Evangelium; Negamus tamen eo consilio & intensione vocari, ut salutis reipsa fiant participes, quod novit Deus nunquam futurum, quia aliter in Decreto suo de iis constituit. Nec pro-

propterea censemus Deum hypocrisis ullius vel simulationis posse insimulari, sed maximè seriò & sincerè semper agere. QUÆST. II.

III. Quod ut distinctiùs percipiatur, notandum 1. Vocationem externam extendi tam ad Reprobos, quàm ad Electos; sed diversimodè. Ad Electos quidem primariò & directè, utpote quorum solorum gratiâ institutum sit ministerium Evangelii, ad colligendam scil. Ecclesiam, & Corpus Christi mysticum coagmentandum Eph. 4: 12. & quibus de mundo sublatis, nulla amplius superesset prædicatio, quia Verbum Dei non potest incassum cadere Is. 55: 11. Ad Reprobos verò secundariò, & indirectè, quia cùm Electis sint permixti, soli Deo notis 2 Tim. 2: 19. non potest Vocatio indiscriminatim ad homines dirigi, quin ejus etiam fiant participes tam Reprobi quàm Electi; ut finem suum consequatur ex ordine Dei: ut piscator jaciendo rete intendit tantùm bonos pisces capere, sed indirectè malos etiam corradit bonis permixtos.

IV. II. *Finem Vocationis* bifariam spectari, vel à *parte Dei*, vel à *parte rei*, qui vocatur finis operantis, & finis operis. Licet enim uterque conjungatur in Electis, in aliis tamen separatur. Ut in præconio legali, finis rei est vita per Legem, sed finis Dei post peccatum, non potest esse hominis felicitas, quæ per peccatum facta est homini impossibilis per Legem; sed convictio hominis impotentiæ, & manuductio ad Christum, qui finis est Legis. Ita in Vocatione Evangelica finis rei est salus hominis, quia naturâ suâ eò tendit, ut per fidem & pœnitentiam ad salutem deducatur. Sed non statim respectu omnium Vocatorum est finis Dei, sed tantùm eorum quibus Deus fidem & salutem dare decrevit.

V. Porro finis iste à Parte Dei, vel est communis omnibus Vocatis, vel specialis respectu Electorum, vel Reproborum. Et ad communem quod spectat, dubitari non debet, quin sit juris Dei & officii hominis declaratio, modi ac viæ salutis demonstratio, Et promissio salutis iis qui conditionem præscriptam habuerint. Sed specialis respectu Electorum ulteriùs progreditur, nimirum ad salutis ipsis actualem collationem, quos ideo non modò imperativè, sed & operativè vocat, non præscribendo duntaxat officium, sed illud ipsum perficiendo, intus per Spiritum operando, quod per Verbum foris præcipit, Respectu verò Reproborum, convictio eorum & inexcusabilitas.

VI. Ut verò à triplici principio Vocatio ista oritur; Ita triplicem finem obtinet. 1. oritur ab *authoritate Legislatoris*, qui jus habet præscribendi homini officium suum. 2. à *bonitate* & *gratiâ Domini*, qui creaturæ, licet indignæ & reæ, non desinit benefacere, viam salutis monstrando, & varia beneficia indulgendo. 3. à *justitiâ Judicis*, qui contumacem & rebellem vult convincere & inexcusabilem reddere. Hinc triplex finis fluit, primus est *præscriptio officii*, ut sciat quid ab ipso exigat Deus, & quid ipsi de-

QUÆST. II.

debeat, nimirum ut credat & resipiscat. Secundus est *promissio beneficii*, positâ conditione, ut cognoscat quid Deus dare constituerit credentibus & pœnitentibus. Tertius est *detectio pravitatis cordis*, Luc.2:35. & inexcusabilitas Joan. 15:22. suppositâ ejus contumaciâ, ut tum homo ipse in conscientia sua, tum alii reipsa cognoscant, justam esse Dei vindictam, adversus illum servum, qui, cùm Domini sui voluntatem sciret, & facere deberet, tamen nec fecit, nec facere voluit. Luc. 12:47.

VII. Hinc patet non quæri in genere, De Vocationis fine à parte rei, quem non negamus esse salutem; Sed à parte Dei. Non, An Deus gratiam Reprobis aliquam impertiri velit, præ iis; qui hoc beneficio destituuntur, quales sunt Ethnici, & alii infideles? Sed An gratiam salutarem seu salutem illis dare intendat, eoque consilio eos vocet, ut fiant reapse ejus participes, quod si aliter accidit, id evenire præter Dei consilium, & per accidens? Quod pertendunt Adversarii; Nos negamus. Rursus non quæritur, An idem sit eventus Vocationis externæ respectu omnium, & An omnes Vocati eodem modo afficiantur? Fatentur enim illi, cum quibus res nobis est, diversissimum esse, & illos quidem qui cœlestem vocem aspernantur, vel non procedunt usque ad salutarem resipiscentiam, sic fieri inexcusabiles; alios verò qui parent, parêre singulari Dei gratiâ, Spiritus sui vi & efficaciâ eorum mentem & animum ad obsequium flectentis, unde pateat salutem quam adipiscuntur iis fuisse destinatam. Sed, An disparitas eventus non arguat disparitatem intentionis in Vocante? An verò eo animo & consilio vocentur omnes, ut salutis fiant participes? Quod asserunt, Nos Negamus.

Probatur Deum seriò agere in Vocatione Reproborum, etsi non intendat eorum salutem.

VIII. Rationes sunt, 1. Quia Deus non potest vocando intendere salutem eorum, quos ab æterno reprobavit, & quibus fidem, & alia media ad salutem ducentia denegare decrevit: aliàs intenderet, quod scit voluntati suæ esse contrarium, quodque in æternùm novit nunquam futurum, & non futurum, quia ipse hoc præstare non vult, qui solus potest, quod sapientiæ, bonitati, & potentiæ Dei repugnare nemo non videt.

IX. 2. Quia Deus non intendit fidem in Reprobis. Ergo nec salutem, quæ sine fide haberi nequit. Non intendere autem fidem colligitur ex eo quòd ipsis eam non dat, nec dare decrevit, imò denegare constituit. Nec juvat regerere Deum, non quidem intendere eam efficere in Reprobis sed intendere tamen & velle ut ab ipsis habeatur. Quia vel intentio ista respicit ipsam rei futuritionem, quo sensu non potest Deus dici eam intendere, quia cùm non danda sit Reprobis, intentione suâ excideret. Vel respicit tantùm voluntatem hoc præceptum ipsis dandi, quo sensu non negamus Deum hoc intendere; sed sic refundetur ad voluntatem Dei approbantem & præcipientem, de qua non agitur.

X.

X. 3. Quia Christus in Vocatione Judæorum reproborum testatur se finem propositum habere eorum ἀναπολογίαν. Joh. 9: 39. dicitur *venisse ad exercendum judicium, ut qui vident non videant*; id. qui profitentur se videre, nec vident tamen, magis magisque excœcentur. Et cap. 15: 22. *Si non venissem, nec ad ipsos locutus fuissem, non haberent peccatum, nunc autem excusationem non habent peccati sui.* Nec dici debet, Christum non loqui de intentione Dei vocantis, sed de Vocationis eventu, quia Deus possit sanctissimam habere intentionem, cui tamen eventus haudquaquam respondeat. Quia Deo nihil per accidens, & præter ejus intentionem contingere potest. Unde talis eventus à Deo ab æterno intentus esse debet. Quod vero additur eos non habituros fuisse peccatum, si Christus non venisset, non absolutè & simpliciter est intelligendum, sed secundùm quid, nimirum quoad contemptum & rejectum Evangelium ipsis non annunciatum, ut factum fuit post eorum vocationem; sed non desinebant rei esse propterea peccatorum adversus Legem commissorum. QUÆST. II. *Joh. 9: 39. cap. 15: 22.*

XI. 4. Quia qui vocantur cum intentione salutis, vocantur κατὰ πρόθεσιν; quia intentio ista est actus Electionis & effectus προθέσεως. At certum est nullos reprobos vocari κατὰ πρόθεσιν, quia sic & Deum diligerent Rom. 8:28. & necessariò justificarentur, & glorificarentur, quia, quos vocavit, eos etiam justificavit &c. v. 30. quod de illis dici nequit.

XII. 5. Quia non aliis promittitur salus ex intentione Dei, quàm conditionem præscriptam habentibus, quales sunt onerati & laborantes Matt. 11:28. sitientes Is. 55:1. credentes & pœnitentes Act. 2:38. Quod cùm de reprobis dici nequeat, dici non potest pariter eos à Deo vocari eà intentione ut salventur.

XIII. Quia non magis potest dici Deum omnes & singulos vocare eà intentione, ut salventur, quàm ut damnentur; siquidem promissio conditionata includit comminationem oppositam, ut omnis incredulus damnetur, ut omnis credens salvandus est. Ut ergo absurdum est dicere respectu Electorum, Deum eos vocare eà intentione ut damnentur, cùm decreverit conditionem in ipsis implere; Ita non minus est absurdum eà intentione vocare Reprobos ut salventur, cùm Deus nôrit eos conditionem nunquam habituros; Imò ipsis denegare decreverit, qui solus dare potest. Non magis concludi potest Deum velle omnes servari, eo quòd omnibus promiscue promittat remissionem peccatorum & salutem si resipiscant, quam Deum nolle quemquam servari, eo quòd omnibus denunciet maledictionem & mortem, nisi resipuerint & convertantur.

XIV. Quamvis Deus non intendat salutem Reproborum eos vocando, maximè tamen seriò & sincerè agit, nec ulla hypocrisis & simulationis labes illi adspergi potest. Nec respectu Dei ipsius, quia seriò & verissimè ostendit illis unicam & certissimuam viam ad salutem, seriò hortatur eos ad illam sequen- *Fontes Solutionum.*

QUÆST. II. quendam, & sincerissimè promittit illis omnibus qui eam secuti fuerint, credentibus scilicet & pœnitentibus, salutem. Nec promittit tantùm, sed reipsâ confert juxta promissionem. Nec quoad homines, quia oblatio salutis non fit illis absolutè, sed sub conditione, atque adeo nihil ponit nisi positâ conditione, quæ deficit ex parte hominum. Unde ambabus ulnis amplectimur, quod à Patribus Synodi Dordracenæ in hoc argumento dicitur, Ad Cap. LV. Th. 8. *Quotquot per Evangelium vocantur, seriò vocantur. Seriò enim & verissime ostendit Deus Verbo suo, quid sibi gratum sit, nimirum ut Vocati ad se veniant. Seriò etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit.*

XV. Qui vocando homines præ se fert se velle ipsorum salutem, & non vult tamen, ille simulatè agit, si de eadem voluntate intelligatur, id. si præ se fert se illud velle voluntate Decreti, nec velit tamen, vel voluntate præcepti, nec velit tamen. Sed si agatur de diversa, non pariter valet, v. g. si præ se fert velle aliquid voluntate præcepti, nec velit tamen voluntate Decreti, nulla hic est simulatio, vel hypocrisis: Ut præcipiendo Legem hominibus præ se fert velle, ut eam impleant quoad approbationem & mandatum, sed non statim quoad Decretum. Jam in Vocatione præ se fert quidem Deus velle salutem Vocatorum voluntate præcepti & εὐχαρεϛίας, sed non voluntate Decreti. Nam Vocatio ostendit quidem, quid Deus velit jubere hominem ut faciat, non verò quid decreverit ipse facere; docet quid Deo gratum sit & acceptum, & conveniens naturæ suæ, nimir. ut Vocati ad se veniant; sed non quid ipse de homine facere constituerit; significat quid Deus paratus sit dare credentibus & pœnitentibus, sed non quid actu decreverit dare huic vel illi.

XVI. Aliud est *velle venire* Reprobos id. præcipere ipsis, ut veniant, & hoc gratum habere; Aliud *velle non venire*, id. nolle dare illis vires veniendi. Deus potest vocando ipsos velle prius, nec velle tamen posterius absque ulla contrarietate; quia illud respicit tantùm voluntatem præcepti, istud verò voluntatem Decreti, quæ licet diversæ sint, quia diversa objecta sibi proponunt; prior quidem officii præceptionem, posterior verò rei ipsius executionem; non sunt tamen contrariæ & oppositæ, sed optimè inter se juxta varios respectus conciliantur. Ille seriò non vocat, qui vocatum non vult venire, id. non præcipit nec gratum habet ut veniat, fateor. Sed non qui non vult venire quò vocat, id. qui non intendit & decrevit venire, nego. Nam ad seriam Vocationem non requiritur, ut sit intentio & consilium eum adducendi, sed tantùm ut sit voluntas constans præcipiendi officium, & beneficium illud facienti conferendi, quod Deus vult maximè seriò. Sed si seriò ostendit quid homini præcipiat, & quænam sit salutis via, & quid sibi gratum sit, non statim Deus ostendit quid intenderit & decreverit ipse facere,

ut

ut de legiſlatione jam dictum. Nec, ſi inter homines, Princeps vel Legiſlator nihil præcipit, quod non velit, id non intendat etiam fieri à ſubditis, quia penes ipſum non eſt poſitum illud efficere in ipſis; Sequitur id locum etiam habere in Deo, à quo ſolo pendet non modò id præcipere: ſed & id efficere in homine. Sed ſi daretur Legiſlator talis inter homines, rectè diceretur velle id quod approbat, & præcipit, licet non intendat efficere. QUÆST. II.

XVII. Promiſſio abſoluta non poteſt eſſe ſeria, niſi fundetur in voluntate & intentione promittentis dandi quod promittitur. Sed alia ratio eſt conditionatæ; ſufficit ad ſalvandam ejus ſinceritatem, ut ſit intentio in Deo connectendi certiſſimè rem promiſſam cum conditione, ut nuſpiam iſta occurrat, quin illa eam comitetur. Hinc enim fit, ut propter talem connexionem & dependentiam, maximè ſeriò ſit oblatio ſalutis, quæ fit hominibus credentibus, quia nemo fidem habiturus eſt, qui ſalutem non ſit certiſſimè conſecuturus.

XVIII. Verbum Vocationis externæ debet eſſe ſignum Decreti alicujus quo nititur; Sed non ſtatim Decreti de perſonis ſingularibus ſalvandis; ſed de mediis & eorum connexione cum ſalute. Fundamentum Vocationis in genere; quatenus dirigitur indiſcriminatim ad homines, eſt Decretum de colligenda Eccleſia per Verbum. Fundamentum Vocationis reſpectu Electorum eſt Decretum ſpeciale de conferenda his & illis ſalute pro ipſis per Chriſtum acquiſitâ. Fundamentum reſpectu Reproborum eſt Decretum de ordine & connexione mediorum ſalutis, & de propoſitione & præceptione iſtorum mediorum hominibus. Verbum ergo Vocationis ſignum eſt Decreti illius, quo nexum fecit indiſſolubilem inter fidem & ſalutem, quam quia proponit Verbum, nulla ſimulatio Deo poteſt adſcribi, cùm nihil proponat quod veriſſimum non ſit.

XIX. Cùm fides in Chriſtum, quæ nobis præſcribitur in Vocatione, non præſcribatur quoad omnes actus ſuos ſimul & ſemel, ſed gradatim & ſucceſſivè, & priùs quoad actus generales & directos, quàm quoad ſpeciales & reflexos, quoad actum aſſenſus & refugii, quàm quoad actum acquieſcentiæ in Chriſto pro me mortuo. Imò nec præcipiantur iſti, niſi poſitis antecedentibus. Perperam dicitur promiſſionem ſalutis ex noſtra ſententia fieri ſub conditione quæ ſine mendacio impleri non poſſit. Nam Chriſtum eſſe verum & perfectum Servatorem omnium ad ipſum ſeriò per fidem & pœnitentiam confugientium, quod hominibus credendum præſcribitur in actu directo fidei, poteſt credi ſine mendacio, ab iis etiam, pro quibus Chriſtus non eſt mortuus.

XX. Promiſſiones & minæ additæ Dei mandatis, nihil magis exprimunt de Dei mente & intentione, quàm ipſa mandata, quæ oſtendunt quidem quid ſit voluntatis Dei præcipientis, non verò quid ſit voluntatis decernentis, quæ propriè voluntas Dei dici debet. Ut ergò Spiritus Sanctus his utitur erga Electos tanquam motivis convenientibus ingenio humano ad

QUÆST. II. corum conversionem peragendam: Ita non aliò vult inservire apud eos, quos Deus non intendit convertere & actu deducere ad salutem, quàm partim ad ostendendam necessariam connexionem fidei & salutis, partim ad illos inexcusabiles præstandos.

Matth. 22. XXI. Invitatio ad nuptias, quæ proponitur in parabola Matt. 22. docet quidem Regem velle, id. præcipere & gratum habere, ut invitati veniant, & hoc esse ipsorum officium. Sed non Regem intendere, vel decrevisse, ut reipsa veniant; aliàs dedisset ipsis vires ad veniendum, & cor flexisset; quod cùm non fecerit, signum est certissimum noluisse eos hoc pacto venire. Nec Luc. 14:17. quando dicuntur *omnia parata*, Luc. 14: 17. statim innuitur intentio Dei de danda ipsis salute, sed tantùm sufficientia Sacrificii Christi, qui à Deo præparatus est, & oblatus in Cruce tanquam Victima meriti infiniti ad expianda peccata hominum, & ad acquirendam salutem omnibus cum veste nuptiali venientibus & confugientibus ad ipsum, id. verè credentibus & pœnitentibus, ne ullus dubitandi de veritate & perfectione ejus satisfactionis locus supersit.

XXII. Quamvis intentio Pastorum vocantium conformis esse debeat intentioni Dei, à quo mittuntur ad homines vocandos; In eo quòd tenentur ex ordine Dei omnes auditores suos promiscuè invitare ad resipiscentiam & ad fidem, tanquam unicam salutis viam, & his positis ad salutem. Et quod non aliud intendere debent, quàm collectionem Ecclesiæ, seu salutem Electorum, ad quam conficiendam sunt Dei συνεργοί. Tamen in eo etiam differunt, quòd Deus omniscius distinctè novit inter auditores Evangelii, quinam sint Electi, & quinam Reprobi. Illos verò solos sigillatim velit servare, istos verò non. Ministri verò destituti illà scientià, nesciunt quorum saluti cessurum sit ministerium suum, non valentes distinguere inter Electos & Reprobos, benè ominantes ex charitate de omnibus, nec audentes judicare de cujusquam reprobatione. Ideo promiscuè & indiscriminatim omnes Vocatos alloquuntur etiam ex ordine Dei, non aliorum tamen salutem intendendo, quàm Electorum ad instar Dei. Ita nihil in hoc ministerio præstant, quod non respondeat, & mandato, & intentioni Dei; licet Deus Decreti sui conscius, ulterius ipsis progrediatur, & distinctè horum vel illorum conversionem & salutem, vel inexcusabilitatem intendat.

XXIII. Consolationis fundamentum non labefactatur in præconio Evangelii, etsi quædam sit diversitas inter intentionem Dei & Ministri. Quia sufficit ad eam fundandam, quòd conveniant in generali intentione & primario scopo colligendi Deo Ecclesiam, quam sanctificet, & glorificet, & vocandi in eum finem ad salutem omnes resipiscentes & credentes. Diversitas verò, quæ occurrit circa cognitionem individuorum Reproborum vel Electorum, quos Deus solus novit, & non Ministri, consolationem evertere non

non poteſt, vel deſperationis juſtam cauſam præbere, non magis, quàm Electionis particularitas, & immutabile Reprobationis Decretum. Ut enim intentio Dei non eſt, reſciſſo reprobationis Decreto, reprobos per Vocationem ad communionem ſuam admittere: Ita nec ea eſſe Miniſtrorum debet, qui non aliorum propriè, quàm Electorum ſalutem debent intendere, quamvis ex officio charitatis, aliorum ſalutem etiam poſſunt optare, & quantum in ſe eſt promovere. Quæst. II.

XXIV. Aliud eſt Deum indicare Verbò ſuo etiam non credituris, fidem & reſipiſcentiam eſſe certiſſima & infallibilia media ſalutis conſequendæ; Aliud Deum hanc Verbi ſui declarationem externam apud non credituros facere in eum finem, ut credant actu & ſerventur. Si enim hunc finem ſeriò intenderet, adderet externo præconio vim internam Spiritus, absque quo manet ſemper inefficax.

XXV. Non repugnat quidem Sapientiæ Dei, ea velle præcipere, & præcipere de facto, quæ tamen certò novit, non præſtanda ab iis, quibus præceptum fuerit. Quia jus ſuum & hominis officium, non minus ac bonitatem ſuam & juſtitiam in tali mandato explicare vult. Sed repugnat id Deum ſimpliciter & abſolutè velle & intendere, quod tamen non ſolùm novit nunquam futurum, ſed etiam quod ipſe non futurum decrevit.

XXVI. Quamvis Deus Reprobis offerat Verbum in eum finem, ut poſitâ ipſorum contumaciâ reddantur inexcuſabiles. Non propterea offert eo fine ut rejiciant: hoc enim peccatum eſt, quod Deus nec intendit, nec facit; ſed ut latens perverſitas cordis eorum patefiat Luc. 2:35. & ut per hanc Verbi rejectionem, quæ ab ipſo homine oritur, occaſionem habeat patefaciendæ ſuæ juſtitiæ in pœnæ inflictione. Licet verò non potuerit homo Verbum recipere ſine gratia, quam Deus illi non vult largiri; non ideo vocare cenſendus eſt ut rejiciat; quia rejectio non ſequitur per ſe ex naturâ Vocationis, ſed per accidens ex vitio ipſius hominis. Nam quamvis non potuerit recipere Verbum ſine gratia, quod rejecit tamen non aliunde oritur, quàm ex obſtinata ejus malitia.

XXVII. Non deſinit homo eſſe inexcuſabilis, licet faciat quod Deus intendebat, quia non facit quod Deus præcipiebat; ut Herodes & Pontius Pilatus, non minus ſunt inexcuſabiles, etſi nihil fecerint præter id quod manus & conſilium Dei antea decreverat fieri Act. 4:28. quia Decretum non eſt regula actionum noſtrarum, ſed tantùm Præceptum.

XXVIII. Ad reddendum hominem inexcuſabilem ſufficit tollere ipſi prætextum ignorantiæ, non verò impotentiæ; quia homo ignorantiam ſolet prætexere; ſed nunqvam impotentiam. Homo enim, quâ eſt ſuperbiâ, ſemper ſibi perſuadet, ſe poſſe id quod præſcribitur, & ſatis convictus eſt ſe per obſtinatam malitiam peccare, quum deeſt officio ſuô. Prætextus quidem

dem ignorantiæ auferri debet, quia excusat, modò non sit affectata & voluntaria, sed quoad impotentiam, non est eadem ratio, quando est voluntaria & ἐπίσπαστος. Homo non tenetur scire quod non revelatur. Sed tenetur præstare etiam id ad quod impotens per peccatum redditus est; Et per consequens potest id ab ipso exigi.

QUÆSTIO III.

DE GRATIA SUFFICIENTI.

An Gratia sufficiens subjectiva, & interna detur omnibus & singulis? Neg. cont. Pontif. Socin. & Armin.

Distinctio Gratiæ in sufficientem & efficacem.

I. Quia inter varias distinctiones Gratiæ, quæ in Vocatione sese exerit, tritissima est ea, quâ distribuitur in *Sufficientem* & *Efficacem*, quæ huic Quæstioni locum dedit. De ea quædam præmittenda sunt, ut constet, quo sensu proponatur ab Adversariis, & à nobis rejiciatur, quomodo verò sano sensu à nobis admitti possit.

Quo sensu usurpetur à Pontificiis.

II. Bellarm. Contr. 3. de Grat. & Liber Arb. l. 1. c. 2. Gratiam sufficientem & efficacem distinguit, ut *Gratia sufficiens* sit ea, *quâ Deus hominem ita vocat, excitat & juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut homo sic excitatus revera possit velle credere, converti, bonum operari, licet reipsa non velit credere, converti, bonum operari; Ideo gratia hæc manet inefficax, Efficax verò est, quâ Deus hominem ita vocat, excitat, & juvare, dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut homo sic excitatus & vocatus infallibiliter reipsa velit, credat, convertatur, bonum faciat.*

III. Sed meritò suspecta nobis debet esse hæc divisio. 1. quia Pelagianum venenum nobis obtrudit; quod enim ille *possibilitatem credendi* vocabat, gratiâ Creatoris omnibus hominibus datam, secundùm uniuscujusque arbitrium, id isti vocant auxilium vel gratiam sufficientem datam omnibus hominibus ad hoc, ut possint credere si velint. Quod ille vocabat auxilium, gratiam, suasionem, doctrinam & Legem, id isti vocant suasionem moralem, & auxilium efficax. Sed qualecunque illud sit auxilium, pertendunt tale esse, ut ab hominis voluntate pendeat, ut proficiat vel non proficiat, si homo velit aut nolit, qui purus est & putus Pelagianismus. 2. Quia omnis gratia ad conversionem sufficiens, debet esse efficax; aliis gratia sufficiens esset

esset reipsa insufficiens, cui ad effectum suum producendum alia quædam gratia superaddi debeat. 3. Christus jugulum petit istius distinctionis, dum loquens de gratia efficaci, quam Apostolo contulerat ad liberandum ipsum à duro stimulo, quo vexabatur, non aliud nomen illi tribuit, quàm sufficientis, *Sufficit tibi gratia mea*, eo ipso ostendens omnem gratiam Dei sufficientem, esse etiam efficacem; alias non magnum solatium hoc attulisset Paulo querenti de gravi tentatione, quâ premebatur. Nec juvat dicere aliquam sufficientem esse efficacem, non omnem; si enim legitima est divisio, membra non debent coincedere, & nulla gratia sufficiens debet esse inefficax. QUÆST. III.

IV. Non negamus tamen certo sensu divisionem istam admitti posse, si intelligatur sufficientia, non absoluta & simplex, sed secundùm quid, tum ratione *mediorum externorum*, tum ratione *internæ illuminationis* ad cognitionem veritatis, & fidem temporariam Heb. 10:26. Luc. 8:13. tum ad *convictionem* & *ἀναπολογίαν* Joh. 15:22. Sed ad *conversionem* nullam gratiam sufficientem agnoscimus, quæ pariter non sit efficax. *Quo sensu possit admitti.*

V. Non quæritur de qualicunque gratia sive auxilio, quod tam in natura, quàm in gratia obtineri potest. Certum enim est, Deum nunquam se reliquisse *ἀμάρτυρον* erga homines in quocunque fuerint statu. Nec negari potest Ethnicis lumen convincens & coercens sæpe donari, quo à multis flagitiis & enormibus sceleribus reprimantur; & reprobis inter Electos latentibus, externam Verbi prædicationem, & internam nonnunquam mentis illuminationem indulgeri, quâ commissa plangunt, & de Verbo admisso pro tempore saltem gratulantur, quod videtur in Temporariis Sed agitur hic de *Auxilio*, *& Gratia salutari & sufficienti ad conversionem.* *Status Quæstionis.*

VI. Non quæritur de *Gratia objectiva & externa*, quæ homini per modum objecti proponitur; De qua præcedenti Quæstione est actum; Sed de *subjectiva* & *interna*, quæ per modum facultatis, vel actus in homine recipitur. Non de actu & eventu ipso, An omnes actu credant? Constat enim inter omnes, innumeros incredulos manere; Sed de potentiâ. An credere possint? Non, An gratia ista conferatur omnibus æquali mensurâ? Agnoscunt enim Adversarii, Auxilium gratiæ divinæ non æqualiter omnibus adesse, nec quovis momento sufficere ad resurgendum à peccato, ut loquitur Bell. lib. 2. de Gratia & Lib. Arb. c. 2. Sed An saltem aliquando singulis conferatur?

VII. Quæstio eò redit, An gratuitus Dei favor tam benignè singulos respiciat, ut omnibus, sive Ethnicis, sive Christianis, infantibus, aut Adultis, Reprobis aut Electis, in statu eorum post lapsum, pro loco aut tempore, mediatè aut immediatè, ordinariè vel extraordinariè, gratiam non quamcunque, sed salutarem & sufficientem ad conversionem, non externam tantùm, sed subjectivam & internam communicet, quod volunt Adversarii, Nos negamus.

Quæst. III.

VIII. Pontificii pretendunt Auxilium sufficiens ad salutem, pro loco & tempore, omnibus dari, ut nullus sit, qui non aliquando saltem hoc auxilium habeat, vel immediatè resp. adultorum, vel mediatè respectu infantium in parentibus, qui baptismum filiis suis procurare possunt. Bellarm. sic loquitur lib. 2. de Gratia & Lib. Arb. cap. 5. in Quinta Propositione. *Auxilium sufficiens pro loco & tempore, mediatè vel immediatè omnibus datur.*

IX. Arminiani eadem prementes vestigia post Socinianos, asserunt Deum, qui voluntatem habuit universalem omnes & singulos salvandi, omnes & singulos redimendi, Velle etiam per Vocationem Universalem media ad fidem & resipiscentiam sufficientia omnibus & singulis largiri; Ita tamen ut usus illorum mediorum, subjiciatur semper libero hominis arbitrio, penes quod sit gratiâ illâ uti vel non uti, credere vel non credere. Imò ulterius aliquantum videntur progredi ipsis Pontificiis. Isti enim agnoscunt liberum fuisse & integrum Deo gratiam istam sufficientem hominibus concedere, & nullam futuram iniquitatem in eo, si omnibus illam negaret. Sed Remonstrantes volunt Deum teneri in Novo Fœdere ad subministrandam istam gratiam, ne iniquâ hac suspicione gravari possit, quòd aliquid exigat à nobis supra vires nostras, ut loquitur *Arnoldus* contra Molinæum.

X. Scopus utrorumque in adoptando hoc Pelagiano errore, est Idolo liberi arbitrii litare, & commentum suum de ἀδιαφορίᾳ voluntatis stabilire, talem gratiam proponendo, quæ semper ab homine possit rejici vel admitti. Fundamenta istius sententiæ præcipua duo sunt. 1. Nihil Deum ab homine exigere, quod ab ipso non possit præstari. 2. Fidem & pœnitentiam, quæ sunt conditiones Novi Fœderis, non præcipi in primo Fœdere, nec esse de debito naturali; Ideoque neminem ad eas obligari, nisi rursus vires illi conferantur.

XI. Orthodoxi verò utrumque negant, Teneri Deum talem gratiam omnibus largiri, Et eam velle actu conferre, & reipsa singulis impertiri, sed tantùm illis, qui vocantur κατὰ πρόθεσιν, nimirum Electis.

Probatur non dari gratiam sufficientem omnibus.

XII. Rationes sunt, 1. Quia Gratia salutaris non extenditur ultra Decretum, cùm sit ejus effectus. Sed non decrevit Deus, ut omnes salutem consequantur; quia ut Jacobum dilexit, Esavum odio habuit. Ut quosdam elegit & posuit ad salutem, Ita alios reprobavit, & posuit ad iram; ut certorum misereretur; ita alios indurat, quibus dari gratiam sufficientem nemo dixerit. Nec reponi potest, Decretum Dei non esse absolutum, sed suspensum ex bono vel malo usu liberi arbitrii, quia gratis supponitur quod est in quæstione, & quod suo loco refutavimus, quum de Decreto reprobationis egimus.

XIII. 2. Quia Gratia objectiva externa, non est communis omnibus, ut

fi-

supra visum. Ergo multo minus subjectiva & interna. Hinc Deus dicitur praeteritis aetatibus sivisse Gentes suis ipsarum viis incedere Act. 14: 16. quod adhuc facit in Turcis, Persis, & Indis. Quis verò dixerit Gratiam sufficientem dari iis, quos Deus sinit ire viis suis, ubi dissimulat tempora ignorantiae? Quaest. III.

XIV. 3. Quia fides non est omnium 2 Thess. 3: 2. sed tantùm Electorum Tit. 1: 1. eorum scilicet, qui ordinati fuerunt ad vitam aeternam Act. 13:48. At si gratia sufficiens datur omnibus, Ergo & gratia credendi. Nec hic regeri debet, gratiam quidem sufficientem dari ex parte Dei, sed obstaculum esse in perversitate voluntatum, quà hic gratiam oblatam rejicit, quam alter amplectitur. Quia recurret semper Quaestio de causâ istius diversitatis; Unde fiat quòd hic prae alio recipiat gratiam, vel enim illud habet à se, vel ab ampliori Dei gratia. Si à se, Ergo homo se discernit contra Paulum. Si à Deo, Ergo prior gratia non potest dici sufficiens, cùm egeat aliâ superadditâ ad hominis determinationem. Et si fuit sufficiens, Cur istam perversitatem aequè in uno ac in alio non sustulit?

XV. 4. Gratia ista, quae omnibus datur, Vel aequalis est & par in omnibus, vel impar & inaequalis. Si impar, non potest dici sufficiens & universalis, sed quaedam communis, quaedam singularis. Si par & aequalis, Cur effecta sunt tam impária? Dices ex impari hominum affectu, & arbitrio, quia iste recipit, ille respuit. Ergo vel impar fuit remedium, quod non sanavit utrumque, vel impar morbus naturae, quod voluit Pelagius, negat Apostolus Rom. 3: 12. Et in quamcunque formam se vertant Adversarii, eò veniendum est, ut nisi gratia discriminans peculiaris detur iis qui actu convertuntur, refundenda sit hominis discretio, positâ sufficienti gratiâ, quam urgent Adversarii, in liberum hominis arbitrium, qui ipsissimus est error Pelagii.

XVI. 5. Non pauci ex Adversariis Commentum hoc rejiciunt, ut universa Jansenii familia, vid. Jansenium in Aug. lib. 3. cap. 3. ubi probat monstrosam esse gratiam sufficientem, *prout à recentioribus explicatur, esse adjutorii genus distinctum à caeteris, quod nunquam ab initio lapsu humani usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est* &c. Et cap. 4. ex natura gratiae ostendit nullis dari sufficientem gratiam juxta sensum recentiorum, & c. 10: 11. 12. probat innumeros gratiâ ista sufficienti destitui, & eam à Semipelagianis excogitatam esse, & in sequentibus refellit argumenta Iesuitarum pro gratia sufficienti. Hoc *Alvarez* de auxiliis lib. 8. disp. 71. jam asseruerat, & constat aliis non paucis improbatum fuisse istud commentum, ut Bennio, Osorio, Delphino.

XVII. 6. Ad gratiam illam sufficientem, vel aliquid accedit ut sit efficax, vel nihil. Si aliquid debet accedere, Ergo non est sufficiens. Si nihil, tum effi-

QUÆST. III. efficacia illa pendebit ab homine, non à Deo, ejusque gratiâ. Et gratia efficax dicetur tantùm ab eventu, non à sua natura, adeoque illa distinctio non erit distinctio gratiæ, sed ipsius eventus, ut semper sit eadem gratia, quæ quandoque consequitur eventum, quandoque non.

XVIII. 7. Quia innumeris nec datur cor ad intelligendum, nec oculi ad videndum Deut. 29:4. nec notitia mysteriorum Dei Mat. 13. nec tractus Patris, Joh. 6:44. quæ sunt media sola ad conversionem sufficientia. Nec hîc dicendum, Deum quantum in se est voluisse & paratum fuisse dare cor istud, & oculos, sed per hominem istud stetisse. Quia non quæritur, quid Deus paratus fuerit dare? Sed an revera dederit? quod hîc disertè negatur. Nec rebellio hominis obstare potuit, quominus daret, si vellet, cùm non alium in finem detur gratia, quàm ad eam tollendam, nec sine ea tolli possit. Nec magis stringit quod additur, denegatam quidem fuisse claram & distinctam notitiam mysteriorum Evangelii aliis, quæ concessa fuit Apostolis, sed non ideo negatam fuisse omnem gratiam, per quam ista mysteria cognoscere possunt. Nam qualiscunque gratia ipsis indulta fuerit, non potest dici sufficiens; Cùm negatur ipsis concessum fuisse à Deo nosse ista mysteria. Quod ad tractum Patris attinet; Cùm nemo venire possit ad Christum, nisi Pater traxerit ipsum, & nemo trahatur, quin veniat, quia quisquis audivit à Patre, & didicit, venit ad ipsum, ut ibidem additur. Constat non omnes trahi à Patre, quia non omnes veniunt ad Christum, & per consequens non concedi ipsis gratiam sufficientem.

Fontes Solutionum. Isa. 5:4. XIX. Aliud est sufficere ad convictionem in ordine mediorum externorum. Aliud ad conversionem in ordine internorum. Verba Isa. cap. 5:4. *Quid faciendum erat vineæ meæ, quod non fecerim?* De prima sufficientia agunt, non de secunda, scili. de *mediis externis*, & quidem quæ conferuntur non omnibus, sed tantùm Vocatis in Ecclesia; Non verò de internis, quia se confert Vinitori, qui plantat vineam in solo uberi, fossam circumducit, sepem prætendit, prælum & Turrim struit, id. Verbo plantat, beneficiis excolit, & protectione cingit, & facit ea omnia, quæ à sedulo Vinitore requiruntur, ut vinea bonos fructus ferret; Sed de vegatione & vitali influxu non loquitur, qui conversionem certissimam post se traxisset. 2. Verba Hebræa מה־לעשות non vertenda sunt, *quid ultra facere potui*; siquidem Deus omnino facere potuit aliquid ulterius, internè cor flectendo & renovando; sed *quid faciendum fuit*, vel *quid facere debui quod non feci*, quod ab optimo Agricola desiderari possit? id. in ordine mediorum externorum, quæ prætextum omnem adimunt peccatoribus, non quoad dispositiones internas, quas homo debet afferre de suo, nec tenetur Deus amissas hominis culpâ restituere. Vel significat nihil faciendum ultra restare post media illa inutiliter adhibita, quàm ut exscindat eam, ut addit v. 5. 3. *Expectatio*

quæ

quæ hîc tribuitur Deo humanitus, intelligenda est θεοπρεπῶς, non ad designandam infirmitatem expectantis, & incertitudinem eventus, sed ut notat tantùm exactionem officii, & patientiam ac longanimitatem Dei, qui tolerat peccatorem, dando illi tempus pœnitentiæ, nec statim adhibitâ securi sterilem arborem exscindit Luc. 13: 7. Licet verò non omnem gratiam homini convertendo necessariam concesserit, quia ad illud non tenebatur; rectè tamen potuit expectare uvas, & justè conqueri, de non præstito officio; quia æquitas officii ex beneficiis Dei sponte fluebat. Nec Ecclesia Israëlitica præstitit ea omnia quæ poterat hac in parte, & quæ extra statum gratiæ ab homine præstari possunt, ut abstinere à gravioribus peccatis, & de illis dolere, quale quid tribuitur ipsis Ninivitis. Non ergo dicitur expectasse, quasi delusus fuerit spe suâ, quia eventum non potuit ignorare, sed ut gravitas peccati illius innuatur, & justitia pœnæ populo infligendæ.

QUÆST. III.

XX. Quum dicitur *Christus stare ad ostium, & pulsare* Apoc. 3: 20. non potest colligi gratiam sufficientem omnibus dari. 1. Quia ibi agitur de jam Vocatis, qui in Ecclesia versantur, non de Vocandis. 2. *Statio* illa, & *pulsatio*, non modò designat internas motiones, sed ad externas hortationes bene refertur, quæ fiunt partim per Verbum, partim per afflictiones, de quibus locutus fuerat v. præcedenti. Pulsat ergo diversimodè corda Electorum & Reproborum, Illa externè & internè, Verbo & Spiritu, ut pulsando imperativè per Verbum, aperiat etiam illa operativè per Spiritum, ut visum in corde Lydiæ. Ista verò tantùm externè per Verbum, ut intelligant officium debitum, beneficium promissum, peccati sui gravitatem, & pœnæ justitiam, si vocem Dei neglexerint. Nec absurdum est Deum pulsare, etsi nôrit hominem non aperturum, quia non desinit justè hominem monere officii sui, & rebellem contumaciæ suæ convincere. *Apoc. 3: 20.*

XXI. Quamvis homines suis viribus venire non possint, nec Deus potentiam veniendi illis præbeat, quia ad id non tenetur. Non tamen frustranea est vocatio, quia vocando Electos ad se trahit ut veniant; Reprobos verò reddit inexcusabiles, si non veniant, quia tenentur venire, & venire tamen nolunt, quod ad justam eorum damnationem sufficit. Nec æquum est, ut peccatum hominis illi prosit, & ideo sit exlex, quia ipse suo scelere se impotentem reddidit; Quæ impotentia, tantùm abest ut ipsum excuset, ut aggravet potius & augeat ejus reatum, quia est ἑκούσιος & voluntaria, per quam ut non potest, ita nec vult credere. Non eadem est ratio impotentiæ involuntariæ & merè naturalis, in cæco vel mortuo, ad videndum, vel agendum; Quia ubi destituitur homo facultatibus, non tenetur eas exercere. At obligatio, quâ Creatura suo Creatori adstringitur, nullâ occasione, multo minus hominis scelere potest expungi, quia homo

QUÆST. III. nunquam privatur facultate intelligendi & volendi, sed tantùm bonâ ejus dispositione.

XXII. Absurdè dicitur Gratiam sufficientem omnibus dari, si non immediatè, saltem mediatè, quia facienti quod in se est, Deus non sit denegaturus gratiam, & paratus sit dare lucem Evangelii, iis qui bene usi fuerint lumine naturali. 1. Quia commentum hoc Pelagianorum, nullo scripturæ loco potest confirmari, imò innumeris evertitur, in quibus gratia Evangelica nulli bono usui naturæ, vel hominum meritis, sed soli misericordiæ Dei, & liberrimo ejus beneplacito adscribitur 2 Tim. 1: 9. Rom. 9: 16. Eph. 2: 1.4. Isa. 65: 1. 2. Deus diceretur paratus ad id quod scit tamen nunquam futurum, & quod ipse non facere decrevit, quia novit conditionem esse homini impossibilem. 3. Evangelium sapientioribus & cordatioribus inter Ethnicos revelatum esset, qui videbantur melius ad id dispositi, cùm tamen illud ipsis denegaverit, dum infantibus & corruptissimis sæpe illud indulsit Matt. 11: 25.

XXIII. Nec ad commentum hoc confirmandum facere possunt verba Christi Matt. 13: 12. ubi pollicetur se habenti daturum amplius, *Habenti dabitur:* Quia agit non de donis Naturæ, sed Gratiæ, nec de illorum, sed de istorum incrementis. Nec obscurum id esse potest seriem & scopum verborum Christi perpendenti in duobus locis, in quibus habentur. Nam Mat. 13: 12. ratio redditur à Christo, cur Apostolis datum esset nosse mysteria Regni cœlorum, aliis autem non esset datum, quia *habenti dabitur, & abundabit; sed non habenti, etiam quod habet*, id est, ὃ δοκεῖ ἔχειν *quod videtur habere*, ut Lucas exponit, *auferetur.* Isti autem *non habentes* à Marco designantur per eos *qui foris sunt*, Marc. 4: 11. qui opponuntur habentibus, qui sunt intus, id. veris Electis, qui sunt in Ecclesia. Ut innuat scil. Christus concatenata esse inter se Dei beneficia salutaria, ut qui primum semel acceperit, illi cætera sit additurus, donec omnium donorum mensura in eo completa sit, ut in catena ex tractu primi annuli cæteros trahi necesse est Rom. 8: 29.

Mat. 13: 12.

XXIV. Ita Matt. 25: 29. in parabola talentorum eadem sententia repetitur, & per *habentem* non modò possidens, sed & benè utens talentis sibi concessis innuitur, tum ad propriam tum ad aliorum salutem, quia qui ad nihil accommodat quod habet, & sibi aliisque non habet, ut dicitur vulgò, *Avaro tàm deesse quod habet, quam quod non habet.* Unde August. de Doctr. Christi lib. 1. cap. 4. *Omnis res*, inquit, *quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur quomodo habenda est*, ac proinde dicitur *non haberi.* Hinc liquet perperam trahi ad dona naturæ, quæ pertinent ad dona gratiæ; quasi Deus habenti in statu naturæ per saltum promitteret donum in statu gratiæ, quasi absque gratia fieri quicquam possit, quod Dei gratiam conciliandi vim & effectum habeat. Cùm constet non aliud intendere Christum, quàm do-

Mat. 25: 29.

donorum gratiæ nexum indissolubilem, & progressus ac incrementa usque ad complementum describere. QUÆST. III.

XXV. Aliud est benignitatem, patientiam & longanimitatem Dei, quâ differt scelerum pœnas, ex parte rei hominem in statu peccati invitare ad pœnitentiam, quatenus rationes & tempus suppeditat resipiscendi. Aliud Deum ex parte sui, & quantum in se est auxilium sufficiens ad conversionem dare homini per talem patientiam; Quia clarum est non sufficere externam hanc longanimitatem & tolerantiam Dei ad cor hominis emolliendum, & affectus in melius inflectendos.

XXVI. Deus non tenetur in Novo Fœdere vires homini sufficientes suppeditare ad illud implendum, ut sit æqualitas crediti & debiti, ut loquitur Bellarm. Quia non præscribitur alia obedientia & fides quoad essentiam, ab ea quæ præscripta fuerat in primo Fœdere, & ad cujus executionem homo vires sufficientes initio acceperat; quas cùm amiserit suâ culpâ, non tenetur Deus officium ab eo exigendo illi restituere. Et æqualitas crediti & debiti, non ex statu peccati, sed ex statu creationis æstimanda est; Nam quod tunc creditum fuit homini, id totum debet Deo, quamvis suâ culpâ non sit solvendo. An verò Adamus vires credendi in Christum habuerit, de quo lis nobis movetur ab Arminianis vide Loc. VIII. Q. 2.

XXVII. Eunuchi & Cornelii exempla, quæ petuntur ex Act. 8. & 10. quasi propter bonum usum luminis naturalis datum sit ipsis lumen gratiæ, huc non pertinent. Quia non possunt irregenitis infidelibus accenseri, quum ad ipsos Evangelium perlatum est, sed Proselytis, quos Judaïcæ Religionis cognitione jam imbutos, Deus voluit ulteriore Evangelii, & Christi jam revelati notitiâ donare; ut non tantùm in thesi in Messiam promissum crederent, sed in hypothesi in Jesum Nazarenum, ut verum Messiam à Deo missum.

Cætera quæ huc possunt pertinere, petantur ex Quæst. præced. & ex Q. 6. Loc. XII.

QUÆSTIO IV.

DE VOCATIONE EFFICACI.

An Vocatio dicatur efficax ab Eventu, vel Congruitate, An verò ab ipsa Gratiæ operatione supernaturali? Prius Neg. Post. Aff. cont. Pont. & Arm.

Tres sententiæ Pontificiorum de Vocatione Efficaci.

I. UT vera Vocationis efficacis natura & ratio teneatur, expendendæ sunt discrepantes, quæ circa illam occurrunt sententiæ. *Bellarm.* lib. 1. de Gra.

QUÆST. IV. Gra. & Lib. Arbi. cap. 12. Tres præcipuas inter Pontificios receptas opiniones recenset. Prima est *Molinæ*, *Lessii*, *Becani*, & plerorumque ex Jesuitis, qui volunt efficacem dici Vocationem simpliciter *ab Eventu*. Secunda *Bellarmini*, *Suarezii*, & aliorum, qui eos sequuntur, qui efficaciam istam deducunt ab ejus *Congruitate*. Tertia est *Thomistarum*, & *Dominicanorum*, qui eam petunt à *physica prædeterminatione*.

i abEventu. II. Primam Bellarminus dicit statuere *Vocationem efficacem in assensu & cooperatione hominis*; *Ut* ab Eventu *dicatur efficax*, *quia videlicet sortitur effectum*, *& ideo sortitur effectum*, *quia voluntas humana ei cooperatur*; *ut ita in hominis potestate sit gratiam ex sufficiente reddere efficacem*. Sed hæc sententia reponit nobis ipsissimum errorem Pelagii, qui in liberum hominis arbitrium præcipuam conversionis causam transferebat. Unde benè à Bellar. ipso rejicitur, & variis rationibus oppugnatur; Inprimis verò ex eo, quòd *si vera esset ista opinio*, *fidelem ab infideli planè discerneret liberum arbitrium contra Paulum* 1 Cor. 4: 7. Quis te discernit, quid habes quod non acceperis? *Nam si duo eandem concionem audiant*, *& eandem internam inspirationem habeant*, *unus verò credat*, *alter non credat*, *nonne dicere poterit is qui crediderit*, *Ego me discrevi ab infideli*, *quia ego credere volui*, *ille noluit*; *Nonne poterit gloriari*, *quòd cooperatus sit gratiæ Dei*, *quam alter contempsit*? *At hoc fieri posse negat Apostolus*, &c. Quæ ratio omnino jugulum petit ipsius pestilentissimi erroris, Et vel una sufficere potest ad falsitatem ejus demonstrandam. Ut hìc mittamus complures alias, quæ ab hominis totali ad bonum impotentiâ, & gratiæ virtute insuperabili petuntur, de quibus dicetur postea.

2. à Congruitate. III. Secunda opinio, quam Bellarminus insinuat potius, quàm adstruit, sub finem capitis 12. supra citati, est eorum, qui efficaciam gratiæ in *Vocationis congruitate* collocant, *nimir. in externa quadam suasione morali*, *qua per liberum arbitrium respui potest*, *& tamen infallibilem effectum habet*, *quia Deus eam suasionem adhibet*, *quam congruere novit ingenio eorum*, *quos efficaciter trahere decrevit*, *& quam certò novit ab iis non contemnendam*. Verba sunt Bellarmini l. cit. & clarius mentem suam exponens lib. 4. c. 11. docet *efficaciam suasionis*, *non tam ex vehementiâ persuasionis provenire*, *quàm ex dispositione voluntatis*, *quam Deus prævidet*, *nimirum cùm Deus ita proponit aliquid internâ persuasione*, *ut videat voluntatem aptam esse ad consentiendum*. Et ibidem addit, *infallibilitatem rei non oriri ex vehementia motionis divinæ*, *sed ex prævisione aptitudinis ipsius voluntatis*. Si quæratur porrò in quo consistat congruentia ista Vocationis, *Suarez* l. 3. cap. 15. de auxilio efficaci dicit, Quosdam censere tantùm consistere in quadam proportione, quæ est inter illuminationem tali modo à Deo effectam in homine talis complexionis, naturæ, & conditionis; Deum

autem hæc exactiſſimè comprehendentem in quocunque homine, noſſe etiam quis modus Vocationis ſit illi accommodatus, ut ſi ita cor ejus tangatur, conſentiat. Quia verò Vocatio iſta debet eſſe medium accommodatum intentioni Dei efficaci, quam implicat non impleri, & congruitas iſta ſolùm inducit quandam moralem certitudinem, cui abſolutè non repugnat, ut Vocationi ſic congruæ liberum arbitrium reſiſtat: Ideo dicit omnimodam efficaciam Vocationis in eo conſiſtere, *quòd Deus infinitâ ſuâ ſapientiâ prævidens, quid unaquaque cauſa ſeu voluntas in omni eventu & occaſione operatura ſit, ſi in ea conſtituatur, etiam cognoſcit, quando & cui vocationi ſit unaquaque voluntas aſſenſum præbitura, ſi ei detur. Unde quando vult hominem convertere, vult etiam illum vocare eo tempore & modo, quo novit illum conſenſurum, & talis Vocatio appellatur efficax, quia licet ex ſe non habeat infallibilem effectum, tamen ut ſubeſt tali ſcientiæ divinæ infallibiliter eſt illum habitura* &c. Hinc patet congruitatem iſtam ſecundùm authores iſtos, in tribus potiſſimùm conſiſtere. 1. in ſuaſione. 2. in tali contemperatione ſuaſionis, tali perſonæ ſic diſpoſitæ, tali loco, & tempore. 3. in ſcientia media, quâ præſcit, quò ſe inclinatura ſit voluntas, in tali tempore & occaſionibus locata. QUÆST. IV.

IV. Sed hæc opinio meritò exploditur ab Orthodoxis. 1. Quia coincidit cum prima, quam Bellarminus rejicit, licet verbis diſcrepet, quia non minus præcedente adſcribit efficaciam gratiæ voluntati hominis, & ratio quâ primam ſententiam ſolidè impugnavit in ejus crura recidit. Nam ſi penes nos eſt Vocationi congruæ aſſentiri & obedire, vel non aſſentiri & non obedire, ut ait ipſe, dum ſuſpendit efficaciam Vocationis à diſpoſitione & aptitudine voluntatis humanæ congruè vocatæ, eo modo & tempore, quo prævidet Deus eam aſſenſuram. Certè non aliqua tantùm, ſed tota cauſa diſcretionis erit ab homine non à Deo. Nec difficile eſt oſtendere nullam aliam cauſam efficacem dari hîc poſſe præter voluntatem humanam. Quænam enim aſſignari poſſet? An *gratia præveniens* & *adjuvans?* Sed ſupponitur communis non congruè vocato, & congruè vocato; quæ relinquit liberum arbitrium in ſua indifferentia. An *congruitas?* Sed tota *illa congruitas* ex ſe ſolùm inducit, ut loquitur Suarez, quandam moralem certitudinem, cui abſolutè non repugnat, ut Vocationi ſic congruæ liberum arbitrium reſiſtat. An *circumſtantiarum variarum concurſus*, & temporis, & loci iſtius potius, quàm illius ratio? Sed iſta ſunt adjuncta & accidentia externa omni cauſalitate deſtituta. An *Praſcientia Dei?* Sed cùm præſcientia non ſit rerum cauſa, & ſupponat objectum ſuum, non faciat; homo non poteſt dici aliquid facturus, quia Deus id præſciverit, ſed ideo Deus præſcivit, quia homo fuit facturus, præterquam quod ſcientia iſta media merum figmentum eſt, ut ſuo loco viſum. Ergo non alia diſcretionis iſtius

QUÆST. IV. & conversionis causa potest dari, præter hominis voluntatem & liberum ejus arbitrium, qui vocatur eo tempore, & loco, quo Deus prævidet eum assensurum.

V. Secundò, Supponit ista sententia dari posse aptitudinem aliquam in voluntate non renatâ ad conversionem; quod Pelagianum est, & Scripturæ ex diametro oppositum; quæ absolutam hominis ἀδυναμίαν ad bonum toties asserit, & nihili ac mortis nomine exprimere solet. Quis verò dixerit dari ullam in mortuo aptitudinem & dispositionem ad sui resurrectionem? vel in nihilo ad sui creationem?

VI. Tertiò, Repugnat descriptioni Actionis Dei in conversione hominis, quæ non simplici & nudâ suasione morali constat, quæ merè objectivè se habet; sed virtute omnipotenti & invictâ, quæ non minor est ipsâ creatione & resurrectione hominis, quæque ideo non objectivè tantùm, sed & effectivè circa hominem operatur, ut infra probabitur. Quis verò credat hominem regenerare, resuscitare, creare, & cor lapideum ab ipso auferre, & carneum illi dare, nihil aliud esse, quàm conversionem moraliter suadere, id. præceptis, rationibus, promissis, & minis ad conversionem invitare, ut cùm Orator eleganter perorando, non tantùm suadet, sed & persuadet? Sed longè aliter *August.* lib. de Gra. Christi cap. 24. loquitur, quum ait, *Non lege & doctrinâ forinsecus insonante, sed internâ, & arcanâ, mirabili, & ineffabili potestate, Deum in cordibus hominum operari non solùm veras revelationes, sed & bonas voluntates.*

VII. Quartò, Quia si à congruitate Vocationis, & circumstantiarum variarum concursu, gratiæ efficacia penderet, illi converterentur, qui aptiores & magis dispositi videntur ad Evangelium recipiendum; Et circa quos circumstantiæ plures confluunt. Sed contrà, Deus abscondit mysteria sua sapientibus, & revelat infantibus Matth. 11: 25. Gentes vocat alienas à Christo, ut Fœderibus, sine Deo & spem non habentes, densissimis superstitionis & Idololatriæ tenebris immersas, Et Judæos fœderatos rejicit, quibus omnia suppetebant abundè externa auxilia, ad fidem Christi recipiendam, & nullæ circunstantiæ ad congruam Vocationem deesse videbantur; Legis cognitio, Prophetarum Oracula, Ioh. Baptistæ testimonium, Christi præsentia, prædicatio, miracula, mors & resurrectio tot argumentis certissimis comprobata, Et Apostolorum in illis instituendis sedulum studium, quæ omnia Gentilibus defuerunt. Quis ex istis circumstantiis magis congruè Iudæos vocari non judicasset, adeoque potius converti debuisse? Cùm tamen contrà acciderit, ut quamplurimi Gentiles, paucissimi verò ac ferè nulli Iudæi, conversi fuerint. Quod Gratiæ miraculum Paulus celebrat Mosis & Isaïæ verbis Rom.10:19.20.21. *Sed dico: numquid Israël non cognovit? Primum Moses dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem,*

in

in iram vos mittam; Isaias autem audet & dicit, Inventus sum à non quærentibus me, & palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit, Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Quænam verò congruitas Vocationis, & aptitudo ad obsequendum, in non quærentibus? QUÆST. IV.

VIII. Licet verò Gratia efficax, quâ ita movetur voluntas, ut infallibiliter sit præstitura consensum, congrua possit quodam sensu dici, quatenus Deus efficaciter movendo voluntatem, congruè illam movet, ut consentiat, & ut congruit naturæ voluntatis. Nihil ideo accedit Sententiæ Bellar. quia congruitas ista non desumitur à dispositione ipsius voluntatis, vel circumstantiis extrinsecus ipso auxilio efficaci accedentibus, ut varietur secundùm diversas circumstantias & qualitates subjecti, atque adeo motio, quæ est congrua respectu unius, sit incongrua respectu alterius, & contrà. Sed illud secum affert auxilium quod dicitur efficax, quodque ideo distinguitur à gratia inefficaci, quæ non conversis tribuitur. Objectiones quæ hic moveri solent commodiùs solventur in Quæstione sequenti.

Tertia Sententia à Physica Prædeterminatione.

IX. Tertia sententia est *Thomistarum* & *Dominicanorum*, qui Vocationis efficaciam constituunt in *Physica Prædeterminatione*, asserentes Gratiam efficacem esse actionem Dei physicam & realem, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum ipsi à gratia excitante inspiratum. Et quia non potest fieri, ut Deus physicè prædeterminet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur, & velit id, ad quod determinatur, Ideo fieri non posse, ut gratia ista non habeat effectum. Sic eorum mentem explicat Bellar. lilb. 1. c. 12. Quæ sententia, licet à Bellarmino rejiciatur, tanquam liberi arbitrii destructiva, ad veritatem proximè accedit, utut minus fortè accuratè per physicam prædeterminationem exprimatur, eo quòd Providentiæ actus naturales & omnibus agentibus, & omni statui hominis, ex naturæ secundæ conditione necessarios, cum supernaturalibus gratiæ, qui in statu peccati, ad sanandam voluntatem requirantur, confundere videtur, & modum agendi rationalem & moralem, qui etiam in conversione, ut naturæ conveniens à Deo adhibetur, excludere. Unde Jansen. l. 8. de Gra. c. 3. varia discrimina affert inter Adjutorium Dei medicinale, & Prædeterminationem istam physicam, prout à Defensoribus ejus traditur. Quanquam *Franciscus Cumel* Disp. var. in 1am 1æ pag. 109. mentem suam & suorum longè commodiùs explicat. *Hanc gratiam*, inquit, *Dei efficacem, à Deo efficienter proprie provenientem, & nos præmoventem, & prædeterminantem, propter solam prioritatem causalitatis, esse vocandam prædeterminationem physicam, censent Autores oppositæ sententiæ, cujus vocabuli ipsi primi inventores fuerunt: nam ante eorum tempora nos aliter loquebamur, dicentes constituendam esse efficacem Dei gratiam actualem, præmoventem nos, & Deum nos efficienter*

QUÆST. IV. *propriè movere auxilio gratiæ suæ. Quocirca*, inquit, *non est cur toties repetant physicam prædeterminationem, quæ non est physica, id. naturalis, sed supernaturalis & divina, non moralis præcisè, sed supernaturalis efficiens propriè ex efficacia divinæ gratiæ, quæ naturam perficit, non lædit arbitrium, sed ipsum tanto liberius est, & liberius agit, quanto magis subjicitur gratiæ actuali Dei.*

Sententia Orthodoxorum quinque Propositionibus expressa.

X. Orthodoxi Vocationi efficaciam nec suspendunt ab Eventu, nec ab ejus Congruitate. Sed petunt à virtute supernaturali gratiæ, & divinâ ac ineffabili Dei motione, quæ ita suaviter & potenter simul hominem afficit, ut non possit non sic vocatus Deum vocantem sequi, & converti. Cujus naturam, quantum quidem à nobis percipi potest, quinque Propositionibus complectimur.

Prima Propositio.

XI. Prima Propositio. *Viæ Domini, non minus in Gratia, quam in Natura sunt ἀνεξιχνίαστοι. Nec tamen si earum rationem*, & τὸ πῶς, *quod Deus celare nos voluit, assequi non possumus, Ideo neganda est, vel in dubium revocanda est res ipsa, &* τὸ ὅτι, *quod perspicuè nobis traditum est.* Nam si in ordine Providentiæ rationem Consiliorum Dei, & modum rationum ejus capere non possumus, & ἀκατάληπτον esse fateri cogimur. Quidni longè potius hoc dicatur de viis Prædestinationis, & de modo Gratiæ efficacis & Spiritus Sancti in nobis operantis? maximè cùm Christus testetur Joh. 3:8. Spiritum istum esse instar venti, qui *quò vult spirat, cujus sonus auditur, sed nescitur unde veniat, nec quò vadat.* Ut innuat miris & ineffabilibus modis in nobis operari, & licet vis ejus potentissimâ sentiatur, non posse tamen viam ejus cognosci & explicari. Frustra ergo sunt, qui vellent sibi accuratè describi operationis istius modum, & quinam sint arcani isti motus, quæ & quanta vis illa flexamina Spiritus agentis in cordibus Electorum, & quibus gradibus & momentis opus suum promoveat, cùm hoc experimento potius sentiatur, quàm ratione explicari queat. Non secus ac mulier gravida ignorat quibus modis fœtus vitalis conformetur & crescat. Perperam tamen ex ignoratione modi in Script. non revelati, & nobis ad salutem cognitu parùm necessarii, ad rei ipsius negationem, quæ tam clarè traditur in Script., proceditur.

Secunda Propositio.

XII. Secunda Propositio. *Gratiæ efficacis motio in homine non se habet ad modum* actus, *vel* concursus *tantùm* simultanei, *sed etiam ad modum* principii, & prævii concursus, *seu prædeterminationis.* Opponitur Pelagianis veteribus & novis, qui concursum omnem prævium negantes, tum in Gratia, quàm in Natura, pertendunt non aliter concurrere Deum in bono, quàm per modum actus, qui atttingat quidem effectum, sed non causam, ut gratia Dei & voluntas hominis concipiendæ sint tanquam duæ causæ sociæ & coordinatæ ad effectus productionem, ut duo equi eundem trahentes currum. Sed ut necessitatem concursus prævii seu prædeterminationis in via Provi-

videntiæ adstruximus Loc. VI. Qu. 5. eam etiam longè fortiùs retinendam in operibus Gratiæ censemus. Cùm enim voluntas per peccatum non modò infirma facta sit, sed planè impotens & mortua, ut suo loco visum Loc. X. de de Lib. Arbitr. Q. 4. & inferiùs adhuc probabitur; Frustra Deus concurreret tantùm per modum actus seu causæ sociæ cum libero Arbitrio ad eam convertendam; nisi per modum principii in ipsam voluntatem influeret ad eam renovandam & vivificandam, ut ista renovata & acta à Deo ageret tanquam causa, non socia & coordinata, sed subordinata, quæ omnem suam virtutem & efficaciam à gratiæ influxu trahat, quod Scriptura per creationem, regenerationem, resurrectionem, & similes phrases solet designare. Et Augustinus non semel insinuat, ut Enchir. c. 32. *Præcedit bona voluntas multa dona Dei, sed non omnia, quæ enim non præcedit, in iis est ipsa*, & Lib. de Gra. Chr. c. 24. dicit, *Deum non Lege, aut doctrinâ forinsecus insonante, sed internâ atque occultâ, mirabili & ineffabili potestate operari in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Sic Hugo de S. Victo. de Sac. Fidei. *Gratia reparatrix aspirat primò bonam voluntatem ut sit, deinde inspirat eam, ut moveatur; primò operatur eam, deinde per eam.* Quæst. IV.

XIII. Tertia Propositio, *Ut conversio sub duplici σχέσει spectari potest, vel ut habitualis, vel ut actualis. Ad utramque Deus & homo concurrunt quidem, sed ita, ut in utraque totius actionis gloria soli Deo in solidum tribui debeat.* Conversio *habitualis* seu passiva, fit per habituum supernaturalium infusionem à Spiritu Sancto. *Actualis* verò seu activa per bonorum istorum habituum exercitium, quo actus fidei & pœnitentiæ, & dantur à Deo, & ab homine eliciuntur. Per illam homo renovatur & convertitur à Deo. Per istam homo à Deo renovatus & conversus convertit se ad Deum, & actus agit. Illa melius regeneratio dicitur, quia se habet ad modum novæ nativitatis, quâ homo reformatur ad imaginem Creatoris sui. Ista verò conversio, quia includit hominis ipsius operationem. Licet verò ordine temporis vix distingui possint in adultis, in quibus actio Dei convertentis hominem, nunquam est sine actione hominis se convertentis ad Deum, ordine tamen naturæ & causalitatis præcedere debet habitualis actualem, & actio Dei actionem hominis. Quia prius res esse debet, quàm operetur, & ut anima non potest elicere actus intelligendi & volendi, nisi potentiis naturalibus intellectus & voluntatis instructa in genere Entis; Ita non potest bene intelligere & velle in genere moris, nisi per dispositiones & habitus supernaturales renovata sit. Arbor mala non potest bonos fructus ferre, nisi ex mala bona prius facta sit. Actus secundus necessariò supponit primum, & objectum quod à facultate apprehendi debet, facultatem ipsam ritè dispositam requirit antecedenter ad ejus receptionem. Hic ergo primus est gradus gratiæ efficacis, quo Deus animos Electorum intima qua- *Tertia Propositio.*

QUÆST IV. quadam & mirabili operatione regenerat, & veluti de novo creat infundendo Spiritum vivificum, qui in intima animæ penetralia illabendo, refingit animum ipsum, vitiosas ejus inclinationes & præjudicia sanando, & indendo illi vires, & principium formale ad actus spirituales & salutiferos eliciendos, quo sensu dicimur esse ποίημα Θεοῦ, *opus Dei creati in Christo ad bona opera* Eph. 2: 10. Et novam nativitatem consequimur, ex qua actus fidei & charitatis profluunt 1 Joh. 4: 7. & 5: 1. Ita habitualis ista Conversio consistit in principiis agendi, quæ Deus indit facultatibus hominis corrupti, quæ sunt qualitates supernaturales, seu habitus, & dispositiones, à quibus resultat potentia activa sese convertendi, quales Scriptura intelligit per *Cor novum*, per *semen Dei*, per *oculos*, *aures*, *mentem* & sim. quæ denotant aliquid inhærens, & permanens.

XIV. Sed quia frustra esset primus ille gradus sine secundo, Conversionem habitualem sequitur actualis, quâ homo actus agit, Deo ex ipsâ sanatâ & mutatâ voluntate actum ipsum credendi & convertendi proliciente, & animâ ipsâ sic motâ actum suum vitalem liberè eliciente: Quo sensu Deus dicitur dare non tantùm potentiam credendi, sed τὸ πιστεύειν, seu ipsum actum, Phil. 1: 29. & τὸ θέλειν καὶ ἐνεργεῖν, *velle & perficere*, cap. 2: 13. quatenus Spiritus S. excitat intellectum & voluntatem & reliquas facultates novis qualitatibus præditas & sanctificatas, ad actiones bonas eliciendas. Quomodo in reddendo visu cæcis Christus duo egit. Primò oculos aperuit, & ita vim videndi restituit, deinde fecit ut eodem momento homo videret. Ita in resurrectione Lazari, anima primo fuit reddita corpori, deinde vitales actiones elicuit. Sic Deus actione suâ omnipotente producit in homine seu voluntate novas qualitates, deinde illas facultates excitat ad agendum.

XV. Licet verò utrobique Deus & homo concurrant, diversimodè tamen concurrunt. Nam conversionis habitualis Deus est sola causa, quæ eam vi Spiritus vorticordiâ efficit sine ulla hominis cooperatione, qui hic, quandoquidem agitur de eo renovando, se habet tantùm *passivè* & *subjectivè*, quatenus est merum subjectum recipiens actionem Dei. Sed actualis respectu, causa quidem principalis Deus est, sed proxima & immediata est homo, qui à Spiritu Sancto excitatus, & fidei ac charitatis habitibus imbutus credit & amat, unde utcunque actus credendi à Deo producatur, quia tamen ab homine ut causâ proximâ exercetur, non Deo, sed homini tribuitur. Ita homo se habet hîc, tum *passivè* ad recipiendum motum gratiæ prævenientis & excitantis, voluntas enim non agit nisi acta, tum *activè* & *efficienter*, quia credit actu, & sub Deo operatur. Ita tamen causa dicitur suæ conversionis, ut ex se ipso talis non sit, sed à gratia, tum quia virtus credendi est tantùm à Deo, tum quia ipse credendi actus à Deo ipso pendet facultatem ad operationem suam excitante; Unde nihil inde pro viribus liberi Arbitrii concludi potest.

XVI.

XVI. Hinc patet hominem non se habere instar stipitis & trunci in sui regeneratione, ut perperam nobis impingitur ab Adversariis. 1. Quia voluntas est subjectum δεκτικὸν gratiæ, quod de trunco dici nequit. 2. Quia Spiritus non cogit voluntatem & invitam ad conversionem rapit, sed suavissimè in animam illabitur, & licet miro, ac ineffabili modo, voluntati tamen convenientissimo operatur per infusionem habituum supernaturalium, quibus ab innatâ pravitate paulatim liberatur, ut ex nolente fiat volens, & ex mortua vivens. 3. Quia voluntas ita renovata & acta statim agit, sese ad Deum convertendo & credendo. Quæst. IV.

XVII. Licet verò suæ sint partes in duplici ista conversione, tam Verbo quàm Spiritui, ne quis Enthusiasticam regenerationem sibi fingat, quia Spiritus non agit sine Verbo, in ordinaria saltem & communi agendi ratione, quam adhibet erga adultos. Nam extraordinariè posse eum sine Verbo operari per arcanos motus & internas inspirationes, ut factum non rarò erga Viros θεοπνεύστους, nemo ut opinor diffitebitur & negabit. Non tamen eadem est utriusque ratio & causalitas. Nam Spiritus quidem est causa principalis efficiens, quæ in utraque conversione agit, tum vires ad bene agendum infundendo, tum vires collatas ad operationem excitando, atque ita captivando mentem in obsequium Christi, & voluntatis ac affectuum ῥοπὰς & inclinationes immutando, ut quod in Evangelio ingratum & absurdum homini animali videbatur, jam suavissimum & sapientissimum ab homine spirituali judicetur, atque adeo amore & admiratione nostrâ dignissimum. Sed ad Verbum quod attinet, quamvis efficienter etiam concurrat, tum in præcedaneis ad regenerationem actibus, tum consequenter in ipsa conversione actuali, quum à fide recipitur ad salutem; tamen in conversione habituali, quæ per infusionem habituum statuitur à nobis fieri per Spiritum, nullam propriè efficientiam obtinet, nec tam est ex genere eorum instrumentorum, quæ attingunt ipsum effectum, quàm eorum ad quorum præsentiam causa principalis operatur. Atque ita Spiritus quidem rectè dicitur non operari sine Verbo, sed non per Verbum tantùm, verùm immediatè & distinctè à Verbo. Ut postea fusiùs probabitur.

XVIII. Quarta Propositio. *Gratia efficacis motio, nec Physica nec Ethica proprie dicenda est, sed supernaturalis & divina, quæ utramque illam σχέσιν quadantenus includit.* Non est simpliciter physica, quia agitur de facultate morali, quæ congruenter naturæ suæ moveri debet; nec simpliciter Ethica, quasi Deus objectivè solum ageret, & leni suasione uteretur, quod pertendebant Pelagiani. Sed supernaturalis est & divina, quæ transcendit omnia hæc genera; Interim aliquid de Ethico & Physico participat, quia & potenter & suaviter, gratè & invictè operatur Spiritus ad nostri conversionem. Ad modum *physicum* pertinet, quòd Deus Spiritu suo nos creat, Quarta Propositio.

QUÆST. IV. regenerat, cor carneum dat, & efficienter habitus supernaturales fidei & charitatis nobis infundit. Ad *moralem*, quòd Verbo docet, inclinat, suadet & rationibus variis tanquam vinculis amoris ad se trahit. Hinc Augustino passim nomine *victricis delectationis* exprimi solet, quæ cum jucunditate & suavitate summâ, conjunctam habet summam efficaciam & potentiam, quæ expugnat omnem cordis contumaciam, Ita ut nec robur aut efficacia illa cogat hominem invitum, nec suaviter moveat jam sponte currentem. Sed utraque simul juncta & infirmitatem hominis roboret, & odium peccati superet. Potens est ne sit frustranea, suavis est ne sit coacta. Vis est summa & inexpugnabilis, ut vincatur naturæ corruptio, & summa benè agendi impotentia, ac malè agendi necessitas; Sed amica tamen & grata, qualis naturam intelligentem & rationalem decet.

XIX. Nec mirum hoc videri debet, cùm enim peccati servitus ineluctabilis, quæ peccatorem aheneo veluti jugo illigatum tenet, cum deliciis tamen suis conjungatur, & bene agendi impotentia, & malè agendi necessitas, maxima sit juxta ac voluntaria, peccatorque & ut peccati subditus captivus abducatur sub peccatum, & sit ἀσθενὴς, & viribus ad bonum planè destitutus, & ut hostis Dei, & ἀσεβὴς *impius* inimicitiam cum Deo gravem exerceat, & soleat cum ipso ἀντιστρατεύεσθαι Rom. 7: 23. non modò *aversus* à Deo per impotentiam, sed etiam *adversus* per malignitatem. Remedium huic malo convenientius adhiberi non potuit, quàm si invicta Dei gratia suavitate etiam incredibili imbuta esset, quæ & impotentiam hominis superare, & malitiam corrigere posset. Nam nisi ea quâ convertimur gratia potentiâ summa instructa fuisset, peccatum, quod tam altas in nobis radices egit, superare & evellere non potuisset. Nisi verò eadem suavissimi gaudii fructum præberet, ut fœdissima delectatio peccati, contraria delectatione vinceretur, non utique lubens traheretur homo, sed invitus, & modo naturæ parum convenienti.

XX. Quod Scriptura clarè innuit, quum gratiæ operationem solet iis terminis describere, qui & ad modum Physicum accedunt, & potentiam Dei summam designant, quum eam vocat *Creationem*, *Resurrectionem*, *Regenerationem*, *Tractionem* &c. & qui ad modum Ethicum pertinent, ut quum eam per *illuminationem*, *doctrinam*, *persuasionem* & similes voces exprimit. Imò non rarò utramque χάριν & suavitatis & efficaciæ in iisdem locis conjungit, ut quum *cursum* cum *tractione* jungit Sponsa Cant. 1:2.4. & Christus *jugum* & *onus* cum *dulcedine* & *levitate* Matt. 11: 30. quum trahi dicimur, sed & ibidem doceri Johan. 6: 44. persuaderi Spiritus potentiâ, sed & demonstratione 1 Corinth. 2: 4. immensâ virtute Dei converti, sed cum illuminatione gaudii plenâ Ephes. 1: 18. 19. vinciri, sed & pellici Jerem. 20: 7. constringi, sed charitatis & φιλανθρωπίας funibus Os. 11:4.

2 Cor.

2 Cor. 5: 14. quibus velut catenis aureis vincti fideles trahuntur ad Christum, longè verius, quàm eloquentiâ suâ Oratores trahere dicuntur homines. Hinc idem Evangelium, quo convertimur, & *potentia* & *sapientia* vocatur, 1 Cor. 1. *Brachium Dei*, quo nihil potentius, & *mel* seu *lac*, quo nihil suavius Ps. 19: 1. Pet. 2: 2. Idem Spiritus quo renovamur, est Spiritus roboris, & Spiritus gratiæ, Sceptrum virtutis, & Oleum lætitiæ, Spiritus δυνάμεως, & ἀγάπης 2 Tim. 1: 7. ut vis ejus omnipotens & amicissima designetur. QUÆST. IV.

XXI. Atque hinc non obscurè colligitur, quomodo libertas in hoc negotio cum necessitate amicè conspirent, quod nolunt agnoscere Adversarii, qui quoties suavem gratiæ operationem describi vident, toties clamant, non esse ergo invictam, & ut loquuntur irresistibilem. Quoties verò efficaciam insuperabilem prædicari audiunt, tunc lædi voluntatis libertatem, & hominem in truncum & stipitem converti vociferantur. Sed qui duplicem istam σχέσιν Gratiæ efficacis attenderit, facilè percipiet hæc non sibi adversari, sed optimè inter se consistere; Vocationem nostram esse divinæ omnipotentiæ opus, ne quis resistibilem fingat, & amabili & suavissima persuasionis necessitate nos sibi vendicare, ne quis coactum vel involuntariam imaginetur. Ea scilicet est natura rerum quæ objici solent animo, ut eò fortiùs agant, quò suaviùs in animum influunt. Ut nulla vis major amore, nec fortior necessitas charitate, quæ & instar olei effusa in nobis, suavissimâ delectatione nos perfundit, & instar catenæ fortissimæ nos constringit, 2 Cor. 5: 14. Ita nec prima veritas cognosci, nec felicitas possideri potest, nisi & summâ cum lubentiâ, & summâ cum necessitate. Sic omnipotenti & efficaci Spiritus operationi non adversatur suavis illa Dei agendi ratio per præcepta, hortationes, & alia ejusmodi, quibus Deus ad modum nostrum loquitur, quanquam cum illis omnibus agat ad suum.

XXII. Qualiscunque autem sit illa gratiæ efficacis motio, talis tamen est ac tanta, ut planè sit invicta & insuperabilis; nec Deo hominem convertere volenti, ullum resistere possit hominis arbitrium. Hæc est potissima nota & proprius character gratiæ efficacis, quo ab aliis omnibus donis, quæ etiam Reprobis nonnunquam indulget Deus, discriminatur. Nam cùm cætera hominem possint diversimodè afficere & commovere illuminando, coercendo, & utcunque etiam immutando, saltem quoad externam vitæ honestatem, hæc sola hominem convertit, & de novo creat, & quidem tantâ efficaciâ, ut infallibiliter effectum suum sortiatur, & quamlibet voluntatis resistentiam superet, quod in sequentibus fusiùs demonstrabitur.

XXIII. Quinta Propositio. *Licet Spiritus in Vocatione efficaci non agat sine Verbo, non agit tamen tantùm mediatè per Verbum, sed cum Verbo immediatè etiam operatur in animam, ut Vocatio effectum suum necessariò*

QUÆST. IV. *fortiatur.* Dico Spiritum non agere sine Verbo; Cùm enim, ut jam insinuavimus, Deus agere hîc velit modo naturæ rationali convenienti, & juxta Apostolum Rom. 10:17. *Fides sit ex auditu, auditus autem ex Verbo Dei.* Certum est Verbum necessariò concurrere debere cum Spiritu ad nostri conversionem ex ordine Dei, & Fœderis gratiæ constitutione Isa. 59:21. & sine eo Spiritum in Adultis illam non operari. Nec dubium est, quin apta & sapiens ejus dispensatio, per claram & solidam veritatis propositionem opportunè factam, multùm conferat ad boni operis successum. Sed qualiscunque sit ejus efficacia, non sufficit tamen sine immediata Spiritûs operatione. Nec Verbum quantavis evidentiâ & oportunitate propositum, & qualibuscunque circunstantiis & adminiculis vestitum, posset effectum illum unquam producere, nisi accederet arcana, ineffabilis & hyperphysica Spiritûs operatio, quæ immediatè animam afficeret, & vi omnipotente flecteret. Nimirum; cùm duo ad conversionem necessariò requirantur; Hinc *Objectum*, quod extrinsecus offeratur menti, Inde verò *facultas*, quæ intus illud recipiat; Et per peccatum talis ac tanta in animam sit invecta corruptio, ut licet semper in ea remanserit potentia naturalis intelligendi & volendi, habitus tamen seu dispositio moralis bene judicandi & volendi ita interciderit, ut non possit amplius moveri ad rectum sui exercitium per appulsum objecti, ut fieri solebat in ordine naturali, & statu hominis instituto, nisi facultas ipsa priùs renovetur. Ideo duplici gratiâ homini convertendo semper opus est, alterâ *objectivâ* & extrinsecâ, quæ in objecti propositione sita est, alterâ verò *subjectivâ*, quæ agat immediatè in facultatem, ut eam objecti capacem reddat, non modò ut actus suos circa illud rectè elicere possit, sed etiam ut eos actu eliciat. Utraque verò à Spiritu Sancto pendet bifariam operante, & in Verbo, & in Corde. In Verbo sub ratione *causæ objectivæ.* In corde sub σχέσει *causæ efficientis* fidei. In Verbo moraliter agendo per objecti revelationem & suasionem In Corde verò efficaciter & hyperphysicè operando, per bonorum habituum infusionem, cordis novi creationem, & objecti propositi potentem impressionem.

XXIV. Hanc fuisse Ecclesiæ veteris sententiam contra Pelagium gratiam istam immediatam negantem, ex Augustino non obscurè colligitur. Cùm enim ille totam gratiæ operationem, Vel ad *Naturam*, quæ Dei donum esset, Vel ad *Legem* & doctrinam referret, quâ Deus mentes illuminat, & demonstrat ac docet quid agere debeamus, & nobis suadet omne quod bonum est &c. *Adjuvat nos*, inquit ille apud Aug. lib. 1: de Gra. Chr. adversus Pelag. & Cœlesti. c. 7. *per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Orthodoxi longè aliam agnoscendam esse gratiam

con-

contendebant, *Non tantùm ut facienda noverimus, sed etiam ut cognita faciamus, non solum ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus. Hac gratia, si doctrina dicenda est, certo sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul docens & quid agant scire, & quid sciant agere*, ut August. loquitur cap. 12. & 13. Et cap. 24. *Legant ergo & intelligant, atque fateantur non lege atque doctrina forinsecus insonante, sed internâ atque occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus, non solùm veras revelationes, sed & bonas voluntates.* Quod confirmat lib. 15. de C. D. cap. 6. *Spiritus Sanctus operatur intrinsecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioqui etiam si Deus ipse utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos, quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratiâ mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.* Hoc ipsum Prosper Carmi. de Ingratis cap. 14. egregiè persequitur. *Non hoc consilio tantùm, hortatuque benigno, suadens atque docens, quasi normam legis haberet Gratia, sed mutans intus mentem, atque reformans, vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi, Non istud monitum Legis, Non verba Prophetæ, Non præstata sibi præstat natura; Sed unus qui fecit, reficit* &c. QUÆST. IV.

XXV. Nec aliam esse mentem Patrum Synodi Dordra. constat ex iis quæ habentur de Corruptione & Conversione hominis, contra Remonstr. qui gratiæ operationem per moralem suasionem, quæ semper esset resistibilis explicabant, nec alium agendi modum, quàm objectivum & moralem ac mediatum per Verbum agnoscebant, ut testantur in Colla. Hagi. p. 308. *Nos*, inquiunt, *cum Verbo Dei credimus Dei Spiritum nullum in nobis robur efficere ad conversionem nisi per Verbum, quippe quod est unicum regenerationis nostræ semen* &c. Et pag. 314. *Efficacitas roboris Dei potest statui, aut ut causa fidei nostræ efficiens, quod hic rejicimus; aut ut fundamentum quo fides nititur*, id est, ut paulò post interpretantur, *Fidem excitans per modum objecti.* Quod Episcopius clariùs explicat in Thesibus privatis Disp. 46. hoc Corollarium subjiciens, *An ulla actio Spiritus immediata in voluntatem aut mentem necessaria sit, aut in Scripturis promittatur, ad hoc, ut quis credere possit Verbo extrinsecus proposito? Negativam tuebimur.* Quia, ut alibi loquitur Disp. de Perspic. Script. Th. 1. 3. post Socinum Cat. c. 6. contendit, *posse quemlibet, modò usu rationis polleat, sine ullâ peculiari immediatâ vel internâ lucis collustratione, facillimè intelligere & percipere omnes Scri-*

QUÆST. IV. *Script. sensus, qui ad salutem necessarii sunt, scitu, creditu, speratu, vel factu.*

XXVI. Cui errori periculosissimo ut occurrant Patres, sic modum operationis Gratiæ explicant Th. 11. & 12. *Cæterum quando Deus hoc suum beneplacitum in Electis exequitur, seu veram in iis conversionem operatur, non tantùm Evangelium illis externè prædicari curat, & mentem eorum per Spiritum Sanctum potenter illuminat, ut rectè intelligant & dijudicent quæ sunt Spiritus Dei, sed ejusdem etiam Spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntatique novas qualitates infundit, facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam, ex nolente volentem, agitque & roborat eam, ut ceu arbor bona fructus bonarum actionum proferre possit. Atque est illa tantopere in Scripturis prædicata regeneratio, nova creatio, suscitatio à mortuis, & vivificatio, quam Deus sine nobis in nobis operatur,* &c. Et in rejectione Errorum Th. 6. *Synodus damnat eos, qui docent in vera hominis conversione, non posse novas qualitates, habitus, seu dona in voluntatem ejus à Deo infundi, atque adeo fidem, quâ primum convertimur, & à quâ fideles nominamur, non esse qualitatem seu donum à Deo infusum, sed tantùm actum hominis, neque aliter donum dici posse, quàm respectu potestatis ad ipsum perveniendi. Contradicunt enim hæc sacris Literis; quæ testantur Deum novas qualitates fidei, obedientiæ, ac sensus amoris sui cordibus nostris infundere,* Jer. 31:33. Isa. 44:3. Rom. 5:5. Et Th. 7. *Damnat eos qui docent Gratiam quâ convertimur ad Deum, nihil aliud esse, quam lenem suasionem, seu ut alii explicant, nobilissimum agendi modum in Conversione hominis, & naturæ humanæ convenientissimum, quæ fiat suasionibus, nihilque obstare quominus vel sola moralis gratia, homines animales reddat spirituales; imo Deum non aliter quàm morali ratione consensum voluntatis producere, atque in eo consistere operationis divinæ efficaciam, quæ Satanæ operationem superat, quod Deus æterna bona, Satan autem temporalia promittat. Omnino enim hoc Pelagianum est, & universæ Scripturæ contrarium, quæ præter hunc, etiam alium & longè efficaciorem & diviniorem Spiritus S. agendi modum in hominis conversione agnoscit* Ezech. 36:26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in medio vestri.*

XXVII. Quam sententiam Calvinus contra Pighium de Lib. Arbit. disputans non semel adstruxit. Ut enim iste cum Pelagio non alia media conversionis nostræ quàm externa & objectiva agnoscebat, Ille contrà bifariam Deum operari in Electis statuit, *extra per Verbum, intus per Spiritum* ad lib. 4. p. 252. *Spiritu mentes illuminando, corda ad justitiæ amorem cultumque formando, ut novæ creaturæ fiant; Verbo ad eandem renovationem expetendam, quærendam, assequendam excitando.* Et cùm attulisset objectionem Pighii, quâ se constringi & ad contradictionem adigi putabat; nimirum quod

aut Spiritus actione prior esset Verbi prædicatio, aut posterior. Secundum hoc à ratione dissentaneum esse, quia frustra quærerent & appeterent regenerationem fideles, quam jam consecuti essent. Priorem vero esse, doctrinæ meæ non convenire, qui hominem sub naturæ vetustate ne appetere quidem bonum posse traderem. Ego vero, inquit, *respondeo, fidelibus jam regeneratis prædicari Verbum, idque efficaciter & cum fructu, non ut nascantur novæ creaturæ, sed ut augescant & adolescant.* Et postea, *Paulus dum sibi commissum esse Spiritus ministerium gloriatur, uno verbo hæc duo inter se conciliat, & quid sibi hoc velit declarat. Nempe quod efficaciter insculpat Deus hominum cordibus per Spiritum, quod per os ejus non ante, nec post, sed simul auribus loquitur. Prædicatione ergo jacitur semen, ut autem radices agat, ut germinet, ut fructificet, Dei Spiritus intus facit* &c. Et paulò post. *Tantum retineamus illam quam descripsit Paulus arcanæ Spiritus operationis, & externæ prædicationis colligationem, & erimus omni difficultate expediti.* Et ad lib. 6 p. 275. postquam retulit qualiter vellet Pighius Deum hominem convertere *bonitate & patientia sua, non statim nos puniendo, sed dando tempus & locum pœnitentiæ: adhæc multis mediis, & occasionibus, exhortationibus, beneficiis, & flagellis ad eandem eos provocando, sollicitando & stimulando.* subjicit, *Hic vero totus & integer Pelagius sua in cœlum sacrilegia evomit. Externa enim tantum media ponit, quibus invitat Deus homines, atque his includit totam conversionis gratiam; de interiore cordis motu, de renovatione Spiritus altum silentium* &c. QUÆST. IV.

XXVIII. Quibus ita positis, Si jam Quæritur, An præter gratiam objectivam, & mediatam, quâ Spiritus per Verbum quacunque opportunitate prædicatum, & quibuscunque circumstantiis & adminiculis stipatum agit in mentes, requiratur alia gratia subjectiva & immediata, quâ immediatè in ipsas facultates operetur ad eas ad salutarem Verbi receptionem disponendas, & cujus efficacia conversio necessariò & infallibiliter producatur? Respondemus affirmativè, ut Ecclesia jam olim contra Pelagianos, & novissime contra Remonstrantes sancivit.

Gratia immediata probatur 1. Ex hominis corruptione.

XXIX. Rationes sunt. Primò. Quia hoc evincit *Corruptionis & Impotentiæ per peccatum invectæ magnitudo.* Nam si vera sunt, quæ toties Scriptura tradit de miserrima peccatorum conditione, & totali ac absolutâ ad bonum impotentiâ, quum eos non modò ægros & infirmos, sed *mortuos in peccatis* vocat Eph. 2:1.2. *Cæcos*, imo ipsas *tenebras* Eph. 4:18. & 5:8. *animales qui non capiant, nec capere possint, quæ sunt Spiritus Dei*, 1 Cor. 2:14. *peccati servos* Joh. 8:34. Rom. 6:19. *Dei inimicos* Coloss. 1:21. *qui non modò non subjiciantur Legi Dei, sed qui ne possint quidem* Rom. 8:7. Uno verbo, *qui nihil possint ex seipsis vel cogitare, vel facere boni*, Joh. 15:5. & 2 Cor. 3:5. Quomodo stare potest hypothesis, quæ statuit ad convertendum hominem, nihil aliud requiri, quam moralem suasionem,

QUÆST. IV.

& objecti Evangelici propositionem commodè & opportunè factam? At si nihil aliud requiritur ad sanandam animam; Quomodo dicitur ad bonum planè impotens, imò mortua? Quis solà objecti, quod moraliter tantùm & objectivè agit, propositione, quantumvis opportunè factà, mortuum suscitari posse crediderit? Quis non contrà agnoscat necessitatem Gratiæ alicujus omnipotentis, quæ novam illi vitam, novasque ad credendum & operandum vires infundat? Et ut ad visionem eliciendam in cæco, & vitæ exercitium in mortuo, non sufficit simplex objecti propositio, sed requiritur inprimis facultatis visivæ quæ corrupta est, restauratio, & vitæ per mortem extinctæ redditio. Ita ad visionem spiritualem fidei, non sufficit doctrinæ in Verbo revelatio, nisi intus facultas corrupta sanetur, & ad objectum recipiendum disponatur. Nec satis est ad resurrectionem mortui valido clamore eum ut alto sopitum somno excitare, nisi cum externa voce vis interna & omnipotens addatur, quæ illi vitam restituat. Fateor discrimen inter cæcitatem & mortem spiritualem, & corpoream in eo occurrere, quòd in ista quidem facultas visiva & vitalis penitus sit ablata; sed per peccatum tantùm corrupta sit, non verò extincta facultas rationalis. Sed hoc non obstat quominus utrobique impotentia sit invincibilis, ita ut homo non modo non velit, sed ne possit quidem velle, quia licet potentia naturalis intelligendi & volendi in homine supersit, habitus tamen seu dispositio moralis benè intelligendi & volendi planè amissa est; quæ restitui non potest objectivâ tantùm veritatis propositione, sed realem virtutis infusionem postulat. Dicere hîc, ut volunt Remonstr. & alii, statum peccatoris per *mortem* describi, non tam ad impotentiam ejus, quàm ad ejus negligentiam & incuriam notandam, ut *surdi* & *cæci* illi dicuntur sæpè, qui non audiunt nec vident, vel qui nolunt audire vel videre, licet possint, posito antecedente pro consequenti, quia mortui & cæci nihil agunt. Quid est, nisi Scripturæ vim facere, & emphaticas locutiones, quas identidem ad magnitudinem corruptionis nostræ describendam adhibere solet, in meras hyperbolas præter omnem rationem mutare? Ecquid enim toties proponeret nobis peccatorem, ut planè ἀσθενῆ, *impotentem* & viribus destitutum, qui nec possit quicquam veri cognoscere, vel boni præstare, si hoc semper penes ipsum est positum, & reverâ ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν; ita ut non desit nobis capacitas cognoscendi, sed tantùm cognitio actualis, nec facultas egeat gratiâ, quæ potentiam vel capacitatem istam agendi conferat, sed tantùm quæ eam excitet per objecti propositionem? Quis verò non videt sic veritatem peccati originalis in Scriptura traditam, & constanter in Ecclesiâ creditam mirum in modum obscurari & infringi?

XXX. Accedit quòd, cùm constet nullum objectum unquam concurrere ad formandam & disponendam facultatem suam ad sui exercitium; sed eam supponat dispositam & ritè constitutam, siquidem non potest agere in facultatem,

tatem, nisi per ipsius facultatis vim apprehensivam à qua recipiatur, & quæ agat in ipsum cum proportione debitá, quæ hic requiritur. Qualiscunque fiat objecti propositio in mente, irrita semper futura est, nisi concipiatur jam ad id disposita, non utique per Verbum, de quo recipiendo agitur, sed per actionem immediatam Spiritus, qui facultatem præparet. Nam si res non potest operari antequam sit, & omnis actus secundus supponit primum. Quomodo homo peccator poterit actum fidei vel amoris elicere, nisi prius principium, & habitum seu dispositionem moralem credendi & amandi, quam per peccatum amisit, receperit? Quis dixerit facultatem agere debere ut renovetur ac regeneretur? Annon potius renovari & regenerari debet prius ut agat, cùm nihil boni agere possit nisi regenita? Frustra hic recurritur ad facultatem naturalem, quæ semper possit objectum oblatum recipere, & apta nata sit ex se ab illo moveri. Quia licet possit semper intelligere & velle quoad τὸ εἶναι, & in genere Entis; nihil tamen potest quoad τὸ εὖ εἶναι in genere moris vel veri cognoscere, vel boni præstare propter congenitum peccati habitum, & invictam ad malum impotentiam. Itaque eò deveniendum est, ut vel negetur cum Pelagio totalis facultatum nostrarum corruptio, & ad bonum impotentia, ut anima possit agere in Verbum propriis viribus ad agnoscendam veritatem; Vel agnoscatur necessitas Gratiæ alicujus immediatæ & subjectivæ, quâ disponatur ad Verbi receptionem. QUÆST. IV.

XXXI. Tantùm abest verò, ut Verbum ment icorruptæ propositum possit eam movere, vel à præjudiciis liberare; Ut Verbum ipsum si non per se, saltem per accidens ista præjudicia confirmet, & augeat. Quippe Verbum crucis homini animali prædicatum, est *scandalum & stultitia*, ex Paulo 1 Cor. 1:23. *prædicamus Christum crucifixum scandalum Judæis, stultitiam Græcis.* Et 1 Cor. 2:14. *Homo animalis non capit ea quæ sunt Spiritus Dei, quia illi sunt stultitia, nec potest ea capere, quia spiritualiter dijudicantur:* Ubi innuit mysterium Evangelii, quod à Spiritu Sancto proponitur per Verbi præconium ut summa Dei sapientia; & quæ talis est reipsa, ab homine animali non alio loco haberi, quàm meram stultitiam, adeoque ab eo rejici ut rem contemptu & aversatione hominum dignissimam. Si verò talia præjudicia ex Verbi prædicatione nascuntur & confirmantur; Qui fieri potest ut per eam simpliciter tollantur? Quid quod Scriptura satis testatur corruptionem nostram originalem, non in meris præjudiciis & falsis ideis consistere; aliàs infantes in quos non cadunt, ab isto peccato essent immunes. Sed in pravis habitibus, & generali facultatum nostrarum ἀταξίᾳ, & innatâ mortalibus omnibus ad malum totali ac summâ animi propensione, unde ortum duxêre præjudicia; quam Verbum quantitatis evidentia propositum, nunquam mutare posset, nisi accederet vis vorticordia Spiritus, qui cor de novo

QUÆST IV. creet & refingat, & rationem captivando flectat in obsequium Christi.

XXXII. Hoc ipsum verò clariùs adhuc confirmatur ex corruptione originali Infantibus congenitâ. Nam si constat, ut Scriptura toties testatur, eos *filios esse iræ*, non secus ac cæteros, *mortuos in peccatis* Eph. 2: 1. 2. & *conceptos in iniquitate*, Ps. 51. *immundos & ex carne natos*, Job 14: 4. Joh. 3: 6. qui per consequens in Regnum cœlorum non possunt ingredi nisi prius regenerentur Joh. 3: 5. Apoc. 21: 27. Quomodo repurgari possunt à sordibus suis, & nasci *ex aqua & Spiritu*, id. ex aqua, quæ est Spiritus, vel ex Spiritu Sancto exerente vim aquæ, ut alibi Christus dicitur *baptizaturus Spiritu & igne*, id est, Spiritu igneo Matth. 3: 11. si nulla datur alia gratia quam objectiva per cognitionem veritatis, cujus certum est eos non esse capaces? Sanè vel negandum Peccatum originale in Infantibus, vel statuendum eos gratiâ immediatâ & reali sanctificari, ut recipiantur in regnum Dei, cujus exemplum non semel visum in Jeremia, Johanne Baptista, & aliis Spiritu Sancto etiam ante usum rationis donatis. At si talis gratia ipsis infunditur, quæ regenerationem eorum operetur, quidni & poterit adultis communicari ad idem opus producendum? Quamvis enim Spiritus nón operetur in adultis sine Verbo, nihil obstat tamen Spiritum distinctè à Verbo in ipsis operari, ut sine verbo operatur in infantibus efficacissimâ virtute, quæ illi tam facilis & prompta est, quàm nobis incomprehensâ & admirabilis, ut optimè notat Calvinus Instit. lib. 4. c. 16. s. 18.

2. A modo operationis gratiæ. XXXIII. Secundò *modus operationis Gratiæ* in nostra conversione hoc ulteriùs invictè probat, quum describitur per *Creationem*, *Resurrectionem*, *Regenerationem*, *cordis lapidei ablationem*, & *carnei dationem*, *Tractionem*, *Spiritus dationem*, & alias id genus locutiones, quæ summam & invictam important Dei potentiam. Nam si tota Dei actio consistit in clara Evangelii propositione opportunè factâ, Cur omnipotentia ad id requiritur? Quid in eo est quod superet modum agendi ordinarium hominum? Annon hoc est actionem omnipotentem Dei obscurare, & in nihilum ferme redigere? Quorsum ergo adhibentur à Paulo magnificæ illæ voces ad describendam, quam exerit Deus in nobis, omnipotentiam Eph. 1: 18. 19. 20. quum dicit esse ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως, *excellentem magnitudinem virtutis*, & quidem κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ *secundum efficaciam roboris virtutis ejus*, id. virtutis potentissimæ, *quam exeruit in Christo*, *quum eum suscitavit a mortuis*, si non aliter agit Deus, quàm moraliter, & objectivè prout homines solent? An creare nos dicendus esset, si nihil aliud erga nos præstat quàm docere & suadere? Non patitur sanè Dei sapientia, quæ res aptissimis verbis solet exprimere, ut credamus eum tam emphaticas & efficaces locutiones tam remissæ & leni actioni describendæ usurpare voluisse: Sed postulat ut vim quandam efficacissimam, si non physicam, at hyper-

perphysicam, & maximè realem notari dicamus. Nec si Scriptura jubet nos facere nobis cor novum, sequitur hoc pendere ab homine, non à Deo, vel regenerationem inchoari ab opere quod Deus jubet hominem facere, & quòd cùm homo facit paulatim reviviscit, ut loquuntur Remonstrantes. Quia mandatum istud notat quid debeat, non quid possit, & exigitur ab homine, dum mortuus est, quod non facit nisi vivificatus, Deo ipso, quod jubet in nobis, faciente. QUÆST. IV.

XXXIV. Nec parum huc facit *Generationis* similitudo, quæ toties adhibetur in hoc argumento. Nam ut in generatione hominis, vel rerum aliarum quæ gigni solent, duo necessariò requiruntur; semen quod extrinsecus advenit, & virtus interna uteri vel terræ, quæ illud recipit & vivificum reddit, quam semen non dat, sed supponit. Frustra enim jaceretur in terram vel uterum, nisi vis interna & vitalis adesset, quæ illud exciperet & radicaret. Ita in Regeneratione cum Verbo, quod habet rationem Seminis, requiritur vis interna & vivifica Spiritus, qui cor disponat ad illud recipiendum; ut non cadat inter spinas, vel loca petrosa, & viam tritam, ubi vel suffocetur, vel statim exarescat, sed *in bonam terram*, *cor* scilicet *bonum & honestum* Luc. 8:15. non utique tale naturâ suâ, sed à Spiritu per gratiam immediatam factum. Et quemadmodum uterus sterilis vel effœtus, qualis fuit uterus Saræ, nunquam posset concipere ex semine, nisi cum semine daretur vis quædam interna, quæ uteri debilitatem confirmaret, & capacem illum redderet ad recipiendum semen, & ex eo concipiendum fœtum, per vim πλαστικὴν quæ in eo est, quod Paulus de Sara testatur, quum ait Heb. 11:11. *illam per fidem accepisse vim ad concipiendum semen:* Ita cor hominis, quod non modò sterile est & effœtum, sed planè mortuum, & viribus destitutum ad boni ullius conceptionem, non posset unquam ex semine Verbi novæ creaturæ fœtum concipere, nisi vis vivifica Spiritus illi suppeditaretur ad concipiendum.

XXXV. Tertiò, Huc pertinent loca Scripturæ varia, in quibus Gratia proponitur ut necessaria ad receptionem Verbi, ut quum Psaltes Psal. 119:18. petit sibi *aperiri oculos ad contemplanda mirabilia Legis.* Et Paulus Eph. 1:17.18. precatur Ephesiis *Spiritum sapientiæ & revelationis*, *oculos scilicet mentis illuminatos, ut cognoscant spem Vocationis, & divitias gloriæ in Sanctis*, Christus Luc. 24:45. dicitur *mentem discipulis aperuisse ad intelligendas Scripturas.* Non dicitur tantùm διανοῖξαι τὰς γραφὰς *explicasse Scripturas*, ut fecerat discipulis Emaunticis v. 32. quod ad externam prædicationem pertinebat; sed *aperuisse mentem ipsam*, quod innuit vim & efficaciam Spiritus intus operantis, & mentem illustrantis, quomodo alibi Deus dicitur *aurem aperire* Isa. 48:8. & 50:5. iis quos ad audiendum Verbum disponit, quia Verbum frustra prædicatur, & signa videntur, nisi Deus det oculos ad videndum, aures ad audiendum, & cor ad intelligendum,

3. Ex locis ubi gratia proponitur ut necessaria ad receptionem Verbi.
Ps. 119:18.
Eph. 1:17.18.
Luc. 24:45.

QUÆST. IV. Deut. 29:4. 5. Eodem ſenſu Act. 16:14. Deus dicitur *cor Lydiæ aperuiſſe*, προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου, *ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo*. Ex quibus clarum eſt oculorum & cordis apertionem, poni ut medium ad attentionem ſeu intelligentiam Verbi, & obedientiam fidei, abſque qua non poſſet obtineri. Nam ſi aperiri debuit cor ad attendendum Verbo, Ergo non potuit aperiri per Verbum, ſed antecedenter ad Verbi receptionem apertum eſſe debuit. Et rei ipſius natura hoc poſtulat; Cùm enim attentio Verbi non poſſit eſſe in corde clauſo, ſed aperto, neceſſariò ſupponi debuit apertum ad attendendum. Nec poteſt illa apertio ſolùm fieri per Verbum, utpote quod illam procurare non poſſit, niſi quà receptum in corde per attentionem, quæ apertionem jam ſupponit. Cùm ergo apertio iſta ſignificet obſtaculorum omnium, quæ Verbi ingreſſum & fructum impediebant, remotionem, quæ tam in mente & voluntate, quàm in affectibus occurrebant, à gratia neceſſariò fieri debuit diſtinctè à Verbo.

Act. 16:14.

XXXVI. Fruſtra reponeretur hic cum Remonſt. apertionem iſtam cordis etiam per Verbum fieri potuiſſe, ut alibi Act. 26:28. *Paulus* dicitur *miſſus ad Gentes ad aperiendum oculos ipſarum*, *ut converterentur à tenebris ad lucem*. Atque ita non differre ab attentione, ſed pro uno eodemque ſumi, ut Deus cor illi aperuiſſe dicatur, quum ipſa attendit verbis Pauli, nihilque aliud innui, quam prædicationem Pauli fuiſſe efficacem, & hujus efficacitatis laudem eſſe Deo primo omnium rerum motori tribuendam. Nam licet cordis apertio etiam ſuo modo Verbo tribuatur objectivè, quatenus per moralem cauſam fieri poteſt, quia non ſine Verbo, ſed ad ejus præſentiam fieri ſolet; Et Miniſtris Verbi adſcribatur inſtrumentaliter, quia ſunt organa, quibus Deus ad hoc opus utitur. Non poſſet tamen ſimpliciter à Verbo, vel per Verbum à Viris Dei propoſitum effici, niſi ad Verbum accederet vis interna Spiritus à Verbo diſtincta, cujus interventu Verbum extrinſecus menti propoſitum ab ea cum fide recipiatur. Quod Lucas diſtinctè notat, quum ait primò Lydiam *audiviſſe Paulum*, id eſt, interfuiſſe ejus concioni, & Verbum ejus auribus excepiſſe. Quia verò fruſtra aures ferit Orator, niſi cor reſeret Creator, & Verbum incaſſum oſtium cordis per incredulitatem & ignorantiam clauſum pulſaret, niſi per gratiam Dei, operantis id ipſum quod præcipit, aperiretur; Ideo addit Deum aperuiſſe illi cor ut attenderet ad ea quæ docebantur à Paulo, finem & effectum iſtius apertionis notando. Atque ita tria hic diſtinctè recenſentur, quæ in Vocatione efficaci occurrunt. Primò actio Pauli prædicantis, actio Dei cor aperientis, & actio Lydiæ Verbum corde aperto fide amplectentis, quæ tria ex Verbis Lucæ ſponte fluunt: Ut non recurrendum ſit ad figuram Hendiadyn, ut apertio cordis, & attentio pro uno eodemque ſumantur, quod coactum eſſe & minus appoſitum verbis Lucæ proclive eſt cuivis agnoſcere. Si verò alibi cordis apertio homini præci-

pi-

pitur Apoc. 3: 20. hoc fit ad notandum ejus officium, non vires. Deinde ad jam Vocatos propriè refertur. Tertiò non fit sine Dei gratia, quæ ut objectivè agendo pulsat, ita subjectivè operando sibi ipsi aperit. QUÆST. IV.

XXXVII. Quartò. Pro Gratia immediata faciunt loca illa, in quibus virtus Spiritus S. in nobis operantis apertè distinguitur à Verbo. Ut 1 Thes. 1: 5. 6. *Evangelium nostrum*, inquit Ap. *non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & Spiritu Sancto* &c. quod parum appositè diceretur, si Spiritus non aliter ageret, quàm per sermonem, & objectivè. Sic alibi de Ministris Verbi loquens 1 Cor. 3: 6. 7. 9. *Paulus Plantat*, inquit, *Apollos rigat, sed Deus dat incrementum, neque qui plantat, neque qui rigat est quicquam, sed Deus dans incrementum. Dei ergo sumus cooperarii* &c. Ubi non tantùm Deus & homines opponuntur, sed actio hominis plantantis & rigantis per Verbum apertè distinguitur ab actione interna Dei dantis incrementum, id est, vim germinandi, crescendi & fructificandi. Unde plantans & rigans nihil esse dicuntur ratione operationis ipsorum, non absolutè & simpliciter, quasi vanum sit eorum ministerium, sed comparatè præ Deo, quia nihil præter externam operam conferre possunt, quæ sine Deo inanis foret, qui non tantùm cum ipsis ad plantationem & rigationem externam concurrit, sed quod præcipuum est in hoc opere, vitam & augmentum operatur, in quo nullum habet συνεργὸν. Atque ita Paulus ad concordiam Corinthios hortatur, & ad prævertenda dissidia & factiones, quæ occasione Pastorum inter eos videbantur: Cùm enim *unum* sint omnes v. 8. id. munere & opere conjunctis viribus uni Domino servientes, & eidem negotio incumbentes, non æquum erat ut partes facerent, vel ut propter eos in factiones dividerentur. Hinc Calvinus adversus Pighium l. c. p. 212. bene colligit *bifariam in Electis suis Deum operari, extra per Verbum, intus per Spiritum.* Et paulò post, *Prædicatione*, inquit, *jacitur semen, ut autem radices agat, ut germinet, ut fructificet, Dei Spiritus intus facit.* Quò spectant & ista Cameronis Disp. de Grat. & Lib. Arbi. Th. 20. quæ apertè gratiam immediatam supponunt. *Quod autem Evangelii Ministri Dei cooperarii dicuntur, aliorsum pertinet: Sic enim instituitur comparatio inter externam Verbi prædicationem, ejusque in hominum animis vim & efficaciam, quarum prior à Deo quidem est, sed operæ humanæ interventu, altera immediate à solo Dei Spiritu proficiscitur. In quo apparet imago quædam cooperationis, homine extrinsecus loquente, Spiritus intus persuadente.*

4 Ex locis in quibus virtus Spiritus distinguitur à Verbo.

1 Cor 3: 6. 7. 9.

XXXVIII. Quintò. Non minùs solidè hoc evincunt loca, quæ actionem aliquam internam Deo tribuunt in hominis conversione, quum Deus dicitur *operari in nobis velle & perficere*, Phil. 2: 13. *Opus fidei potenter implere in nobis*, 2 Thess. 1: 11. *Facere in nobis quod ipsi gratum est coram se*, Heb. 13: 21. & alia id genus: Ad quod referri debent & ea, in quibus Deus promittit

5. Ex locis quæ internam actionem Deo notant.

Phil. 2: 13.
2 Thes. 1: 11.
Heb. 13: 21.

se

QUÆST. IV. *se positurum Leges suas in nobis & scripturum in cordibus nostris*, Jer. 31:33. Et apud Ezech. 36: 26. 27. quòd sit *daturus nobis cor novum, & spiritum novum positurus in medio nostri, & facturus ut ambulemus in ejus statutis*. Quæ vel nullum sensum habent, vel actionem aliquam intimam & efficacissimam in corda nostra important. Nec dici potest operationem mediatam Spiritus, quæ fit per Verbum, internam etiam rectè dici, quia non pulsat tantùm aures corporis, sed defertur etiam ad ipsam mentem quam afficit. Nam eadem ratione sermo quorumlibet hominum alios alloquentium, ac docentium, & persuadentium, qui ad mentem ipsam per sensus defertur, internus dici posset, quod nemo dixerit tamen. Cùm clarum sit per istas locutiones fieri antithesim modi agendi Dei ad modum agendi hominum, qui in externa tantùm objectorum propositione consistit, ubi Deus cor ipsum intimè pervadit, & immediatè afficit. Imò sic optime distinguitur efficacia Spiritus operantis in Fœdere Gratiæ, à modo agendi Dei in Fœdere Legali. Nam in isto, Spiritus quidem per Viros θεοπνεύστους Legem promulgabat extrinsecus, & mentem ipsam intus etiam utcunque commovebat, sed quia imperabat tantùm, non verò operabatur, vel vires ad agendum suppeditabat; ideo *litera* dicitur à Paulo 2 Cor. 3: 6. *scripta in tabulis lapideis* v. 3. Verùm quia in Fœdere Gratiæ, Spiritus non modò, imperat officium per Verbi præconium, sed intimè & immediatè docilitatem & obsequium operatur; Ideo dicitur inscribere Legem in cordibus, & facere ut ambulemus in ejus præceptis.

Jer. 31:33. Ezech. 36: 26. 27.

XXXIX. Hoc ipsum verò luculentius confirmatur, Ex *dono Spiritus*, qui nobis confertur per Christum, qui ut distinguitur à Verbo; ita distinctè ab eo operatur. Non modò, quia non est tantùm vis quædam, quæ in homine se exerat, sed Persona divina, quæ in corda nostra venit, ut in iis habitet tanquam in Templis suis 1 Cor. 3:16. & 6:19. & ut maneat nobiscum in æternum Joh. 14: 16. Sed etiam quia eas operationes in nobis edit, quæ intimam & immediatam ejus gratiam arguunt. Ecquid enim unus & idem Spiritus omnia operari diceretur in nobis, tam quoad dona extraordinaria & quibusdam propria, quàm quoad ordinaria & communia omnibus fidelibus, 1 Cor. 12: 11. testari Spiritui nostro nos esse filios Dei, loqui & clamare in nobis, sublevare infirmitates nostras, & intercedere pro nobis gemitibus ineffabilibus Rom. 8. non confirmare & obsignare in diem redemptionis 2 Cor. 1: 22. Eph. 4: 30. scrutari corda, & ad modum ignis, olei, lucis, vitæ, & ad intimos cordis recessus penetrare, & alia id genus; Si tota ejus virtus non ulteriùs extenditur, quàm ad mediatam actionem per Verbum, non verò immediatum sit regenerationis principium, quod vitam, fidem, sanctitatem & gaudium animis nostris infundat? Imò antithesis quam Apostolus instituit inter Carnem & Spiritum Rom. 8. postulat, ut quemadmodum Caro est principium internum & immediatum in homine carnali omnium

pec-

peccatorum: Ita Spiritus sit principium internum & immediatum in homine fideli & regenito omnium bonorum operum, per quem vivant & ambulent, & juxta Dei Verbum actiones omnes suas componant. Eò pertinet quod dicitur Joh. 14. & 16. Paracletus omnia suos docturus, & in omnem veritatem eos deducturus; Quod ne quis ad privilegium aliquod peculiare Apostolis referat, Johannes 1æ c. 2: 27. ad omnes fideles extendit, *Sed vos*, inquit, *Unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia, nec opus habetis ut quisquam vos doceat, Unctio enim ipsa vos docet omnia.* Ubi per Unctionem constat intelligi Spiritum Sanctum, non externè tantùm per Verbum, sed internè & immediatè fideles docentem: Quo sensu alibi vocantur θεοδίδακτοι Joh. 6: 45. non modò quia Verbo Christi instituuntur, sed etiam quatenus à Patre internè docentur & trahuntur ad Christum.

QUÆST. IV.

1 Joh. 2: 27.

XL. Sextò, Si Gratia immediata non est admittenda, Vel ideo fit, quia non est necessaria, vel quia non est possibilis, vel quia vim aliquam facit humanæ voluntati, & libero arbitrio. Sed nihil tale dici potest. *Necessitas* ejus suprà demonstrata est ex corruptionis & impotentiæ nostræ magnitudine, & confirmata ex necessitate regenerationis in infantibus, quæ aliunde oriri non potest. *Possibilitas* patet, non modò ex extraordinariis & immediatis conversionibus eorum, qui ilico & uno quasi momento & oculi nictu absque prævio Verbi præconio renovati sunt, & ad Christum adducti, ut in Zachæo, Latrone, & Paulo visum. Sed etiam ex Viris θεοπνεύστοις, qui arcanos & immediatos habuerunt Spiritus S. afflatus, quales fuerunt Prophetæ & Apostoli, aliique Viri divini, qui φερόμενοι ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου *acti à Spiritu S. locuti sunt*, ut ait Petrus secundæ c. 1: 21. & in quibus Spiritus Sanctus loquebatur, quique dabat ipsis loqui Matt. 10: 19. 20. Nam si gratia immediata in ipsis egit, quidni & poterit agere in aliis? cùm idem Spiritus qui Prophetiæ fuit author in Viris Dei, sit etiam author fidei in Credentibus. Unde etiam colligitur talem gratiam non repugnare libertati nostræ; Nam si potuit operari sine ulla voluntatis & libertatis Sanctorum læsione, quidni pariter agere poterit in fidelibus, illibatâ manente ipsorum naturâ & libertate?

6. à necessitate & possibilitate ejus.

XLI. Denique, ne plura, quæ congeri adhuc possent, afferamus argumenta. Absurda varia, quibus sententia quam impugnamus, premitur, ejus falsitatem satis demonstrant. Nam si nulla datur alia Spiritus operatio in Vocatione, quàm mediata per Verbum, & per moralem suasionem, Causa discretionis inter ejusdem Verbi Auditores, quorum alii convertuntur, alii manent increduli, non pendebit à Gratia, sed ab homine contra Paulum 1 Cor. 4: 7. Cùm enim Verbum, per quod gratia supponitur tantum operari, Pariter utrique sæpè proponatur, eodem tempore, & loco, ab eodem præcone, & cum iisdem rationibus & motivis, nihil hîc occurrere potest, quod non sit ambobus commune, & per consequens quod discrimen unius ab alio

7 ab absurdis.

QUÆST. IV. facere possit. Nec juvat hic recurrere ad *diversitatem circumstantiarum* Verbum præcedentium aut comitantium, quæ à Spiritu Dei ita aptè & opportunè dispensentur respectu unius, & non alterius, ut quoad illum effectus necessario sequatur, quoad istum verò minimè. Nam licet fateamur varias circumstantias ad hoc opus concurrere, & à Deo sapientissimè dispensari, & non parum conferre ad boni operis successum. Negamus tamen varietatem istam circumstantiarum, vel earum concursum posse dici causam propriam & adæquatam istius discriminis. Nam circumstantiæ illæ omnes quæcunque tandem illæ sint, Vel se tenent ex parte *objecti*, id. Verbi; Vel ex parte *subjecti*, id est, hominis. A parte *objecti*, nulla potest dari circumstantiarum varietas ex nostra hypothesi, quia supponimus idem Verbum, ab eodem Pastore, eodem tempore, & loco, eodemque modo utrisque prædicari. A parte *subjecti*, Vel sunt tantùm extrinsecæ & accidentales, quæ nullam habent necessariam connexionem cum effectu, quæque ideo non possunt esse causæ discretionis unius ab alio; Vel intrinsecæ & essentiales, quæ effectum necessariò post se trahunt, & quibus positis non potest non sequi, quales sunt illæ, quæ subjectum diversimodè afficiunt & disponunt. De istis verò rursus quæritur. An diversitas illa, quam in subjecto producunt, qualis est v. g. attentio, docilitas, & animi submissio, sit à natura, An verò à Gratia? Si à natura, vicit Pelagius, & homo seipsum discernit. Si à Gratia, cùm hoc non possit pendere à Verbo, quod utrisque commune esse diximus, hæc ipsa est Gratia immediata quam ponimus, quæ istius discriminis causa fuerit.

XLII. Deinde, Si varietas circumstantiarum, diversitatem effectus facit. Ergo ubicunque ea occurret, diversus etiam effectus sequetur, ubi verò pares erunt, idem debebit esse. At aliter se rem habere constat. Nam in variis circumstantiis idem non desinit esse effectus, & in iisdem sæpè diversus. Quot sunt quibus felix nativitas, bona institutio, benedictiones item & castigationes, & similia bona vel mala pariter contingunt, qui tam diversimodè illis afficiuntur, vel ad bonum vel ad malum? Quot item qui in diversis planè circumstantiis positi, pariter tamen à Gratia convertuntur? Latrones v. g. duo cum Christo crucifixi in iisdem planè circumstantiis versabantur, idem objectum oculis offerebatur, eadem verba aures feriebant, & per omnia pares videbantur. Alter tamen credit & convertitur; Alter verò incredulus manet & obstinatus. Quænam istius discriminis assignari potest ratio? An quòd diversa fuerit utriusque nativitas, vel institutio, vel diversum vitæ genus, vel aliæ circumstantiæ occultæ? Sed præterquam quod gratis hæc supponuntur, non probantur; Si hæc maximè vera forent, nihil ad rem facerent, quia veram & propriam causam tanti discriminis dare non potuerunt. Nam variæ illæ circumstantiæ, quæ non prohibuerunt, quominus, ubi æqualis malè agendi oc-

occasio data fuit, uterque pariter latrocinium exerceret, quomodo potuissent alterum ad impietatem & blasphemias impellere, alterum ad pietatem & fidem flectere, ubi par omnino conversionis ad Deum occasio data fuit? Non alia ergo discriminis istius causa esse potuit, quàm arcanus Spiritus Sancti motus, qui in simili statu, similem tamen dare non voluit gratiam, ut ostenderet se ubi vult spirare, & quorum vult misereri, & quos vult indurare. Rursus qui factum, ut ab easdem conciones Petri & Pauli eodem tempore & loco, & cum iisdem circumstantiis habitas ad innumeros, alii tamen ex iis crediderint, alii increduli manserint? Non alia sanè istius discretionis ratio dari potest, quàm interna animi dispositio, quæ, si non est à gratia subjectiva, à natura pendere contra Scripturam dicenda erit. QUÆST. IV.

XLIII. 3. Si Vocationis efficacia pendet a concursu circumstantiarum, quæ opportunè à sapientia Dei dispensentur, prout videt convenire hujus vel illius statui, ingenio, & animi dispositioni. Rectè Bellar. & plerique Pontificii cum ipso, Vocationis efficaciam volunt pendere ab ejus *congruitate*, quia Deus hominem vocando, *eam suasionem adhibet, quam videt congruere ingenio eorum quos efficaciter trahere decrevit* &c. *& ut videt voluntatem aptam esse ad consentiendum*, ut supra probatum est ex Bell. Th. 3. Cùm verò commentum istud constanter hactenùs ut falsissimum sit rejectum; Quàm suspecta debeat esse illa hypothesis, quæ si non cum ipso planè convenit, proximè tamen ad illud accedit, facilè quivis judicare potest.

XLIV. 4. Si tota Spiritus actio sit per Verbum cum certis circumstantiis dispensatum; Non aliâ ratione fient Christiani in Ecclesia, quàm Philosophi in Schola; Nec actio Dei peccatores convertentis, differt ab actione Oratoris homines eloquentiâ suâ ad assensum pertrahentis, vel Doctoris discipulum suum docentis. Utrobique enim datur actio moralis & objectiva, per quam doctrina proponitur, & rationibus variis ad persuadendum aptis confirmatur. Utrobique circumstantiæ quæruntur & captantur, sive à tempore, sive à loco, sive à statu & dispositione personarum, quæ magis congruæ sint & opportunæ ad operis productionem. Utrobique rationes deferuntur non ad aures corporis tantùm, sed ad animam ipsam per viam cognitionis, quâ præjudicia à mente fugantur, & veritas illi imprimitur. Nec hic discrimen facere potest, Vel *natura Objecti*, quod longè præstantiùs sit in disciplina Christiana, quàm in humanis. Quia non quæritur de natura objecti, sed de modo quo recipitur ab homine, & in eo operatur. Vel *varietas rationum* & motivorum, quibus ùtitur Spiritus S. in Verbo ad persuadendum, quæ longè sint efficaciora in Evangelio, quàm in Philosophia, petita putà ab authoritate Dei loquentis. Quia ista sunt merè externa, quæ graduale quidem & accidentale discrimen aliquod facere possunt, sed non essentiale & specificum, cùm modus persuadendi per rationes idem utrobique maneat. Vel

QUÆST. IV. *concursus circumstantiarum*, quæ à Deo non tantùm observentur, sed ita apte dispensentur, ut effectum necessariò post se trahant, quod ab homine fieri nequit, penes quem non sunt positæ, & à quo non pendent. Quia licet Dei, ut summi Rectoris & Domini, sit dispensare istas circumstantias; Hominis verò eas tantùm observare, & oblatis uti; Unde fit ut non semper persuadeat, quia non potest concursum istarum circumstantiarum allequi. Certum tamen est quum persuadet, id non aliunde fieri, quàm ex concursu istarum circumstantiarum, quibus oblatis opportunè usus est. Quis verò dixerit invictam Dei gratiam non aliter differre à modo agendi ordinario hominum infirmorum? Cur ergo tàm sollicitè Spiritus S. gratia petitur, ut fieri solet, quoties Verbum prædicatur, ut intus corda disponat & aperiat, dum Pastor aures corporis pulsat, si tota ejus operatio dispensatione circumstantiarum absolvitur?

XLV. 5. Si conversio hominis Deo, non homini adscribenda est, quia cum oblatione Verbi dispensat circumstantias, ex quarum concursu infallibilis eventus sequitur. Quidni dicamus pariter Deum esse authorem & causam mali, quia non minus certo dispensat objecta, quibus impii ad vitia, & certa etiam vitia alliciuntur, & circumstantias, ex quibus peccatum necessario oritur? Nemo nescit non sine Dei providentia & dispensatione speciali factum, quòd Judas tentatus fuerit pecunia; Judæi invidia adversus Christum commoti; Et Herodes ac Pontius Pilatus de Christo neci dando consenserint; Cùm testetur Petrus nihil ipsos fecisse, nisi quòd manus & consilium Dei, id. consilium Dei efficax antea decreverat fieri Act. 4: 28. Nec dubium est, quin venditio Josephi à fratribus, & ejus deductio in Ægyptum procurata sit à Dei providentia per dispensationem & concursum earum omnium circumstantiarum, quæ effectum istud post se traxère. Unde Josephus agnoscit Deum ipsum, se in Ægyptum misisse, & convertisse in bonum quod fratres cogitaverant in malum Gen. 50: 20. Jam si providentia Dei, quæ per dispensationem objectorum & circumstantiarum versatur circa malum, non reddit eum peccati authorem; Cur dispensatio objectorum & circumstantiarum, quæ nos ad Christum trahit, reddet eum authorem conversionis nostræ? Et si impii, licet à variis tentationibus à Dei providentia singulari dispensatis ad malum impulsi, non desinunt esse authores peccati sui. Cur fideles qui non alià ratione supponuntur trahi ad Christum, quàm per propositionem objectorum, & certarum circumstantiarum dispensationem & concursum, non essent pariter authores conversionis suæ?

XLVI. Ex quibus facilè est concludere veram discriminis inter verbi Auditores causam non aliam esse posse, quàm virtutem arcanam & immediatam Spiritus S. quosdam præ aliis afficientis. Quæcunque enim aliæ afferri possunt, vel à nativitate, & temperamento, vel ab institutione, vel à

præ-

præceptis & exemplis, vel à beneficiis & calamitatibus, vel ab aliis id genus circumstantiis & adminiculis. Præterquam quod incredulis pariter ac fidelibus competere possunt; Certum est talia non esse, quæ causalitatem propriè dictam habeant, quæ effectum ipsum attingat, & cor hominis necessariò convertat, utut possint illud utcunque commovere & excitare. Fateor attentionem & docilitatem, per quam homines fiunt θεοδίδακτοι Joh. 6:45. quæ in his potius quàm in illis occurrit, hujus discriminis causam esse. Sed cùm à natura non possit esse, sed à Gratia, siquidem omnes sumus pariter ad vocem Dei surdi, imò & planè mortui; vel ex eo Gratiæ immediatæ necessitas & veritas invictè probatur. QUÆST. IV.

XLVII. Efficacia quæ tribuitur causæ instrumentali, nihil detrahit causæ principali, nec eam excludit, sed supponit. Omnia ergo elogia, quæ Verbo tribuuntur, ut quòd sit Regenerationis nostræ semen, quòd illuminet mentem, quòd sanctificet corda, quòd quovis gladio ancipiti penetrantius pertingat usque ad divisionem animæ, & similia, evincunt quidem conversionem non fieri sine Verbo, Et Spiritum S. eo uti tanquam organo efficacissimo ad ejus productionem. Sed non inferunt statim nonnisi per Verbum Spiritum operari: Cùm quævis oblatio Verbi objectiva etiam efficacissima, irrita semper esset futura, sine immediata Spiritus virtute, ut antea visum. *Fontes Solutionum.*

XLVIII. Quamvis Verbum non sufficiat ad conversionem sine Gratia immediata, Non propterea Deus argui potest, quòd medium insufficiens adhibeat ad producendum effectum quod intendit. Vel peccatores aliquem excusationis prætextum obtendere posse. Quia non desinit Verbum sufficiens esse in ordine suo, nimirum à parte objecti. Et si manet inefficax in reprobis, non fit per se ex defectu Verbi, sed per accidens ex vitio hominis, quòd tantùm abest, ut illum excuset, ut reatum ejus magis aggravet.

XLIX. Licet homo in statu peccati nunquàm destitutus sit facultate naturali intelligendi & volendi, quâ feratur in objectum ipsi propositum, & illud saltem quoad vim terminorum & cognitionem merè historicam utcunque capere possit: Ita tamen corruptus est, ut nulla capacitas vel dispositio moralis amplius in ipso supersit ad bene agendum, donec per Gratiam immediatam disponatur ad receptionem salutarem Verbi, & cognitionem ejus practicam.

L. Quum Spiritus immediatè agens in nobis nunquam sit sine Verbo; motus ejus non potest dici brutus & irrationalis, qualis est erga truncos & stipites, sed cum cognitione & lumine semper conjunctus. Non aliò quippe spectat immediata ista operatio, quàm ut Verbum propositum cordi imprimat, rationem cæcam captivando in obsequium Christi, & ῥοπὴν seu propensionem voluntatis ad malum, victrice delectatione ita mutando, ut quod antea odio & contemptu prosequebatur tanquam summum malum, jam amore ferventissimo prosequatur, ut summum bonum.

QUÆST. IV.

LI. Spiritus immediatè in nobis operatur, non tam ante, aut post Verbum, quàm simul cum Verbo; ita ut conversio quæ à Spiritu producitur, in suo ordine etiam à Verbo efficiatur, ab isto quidem objectivè & moraliter, ab illo verò efficienter & subjectivè. Hinc fides quæ dicitur esse ex auditu objectivè, est tamen à Spiritu efficienter, qui ideo *Spiritus fidei* dicitur 2 Cor. 4: 13. quatenus idem objectum, quod per Verbum extrinsecus proponitur, & ab homine saltem theoreticè & historicè recipitur, per Spiritum intus menti imprimitur, ut ab eo practicè & salutariter credatur.

LII. Ut Verbum non excludit Gratiæ immediatæ necessitatem: Ita nec Gratia immediata usum Verbi & aliorum mediorum externorum excludit, sed supponit. Quamvis verò sublato Verbo & circumstantiis illud comitantibus, non possit fieri ordinariè conversio, non sequitur illis positis, statim eam poni, nisi gratia immediata illud comitetur.

LIII. Quamvis hominis impotentia merè moralis esset; Non sequeretur morali tantùm oratione per solam gratiam objectivam sanari potuisse. Imò cùm inexpugnabilis sit in genere moris, vim aliquam morali fortiorem, id est, hyperphysicam & divinam postulat, quâ vincatur. Nec magis illi per rationes morales remedium afferri potest, quàm morti naturali per media naturalia. Nec si sola verbi diabolici suasio istam impotentiam genuit, statim tolli potest solâ Verbi divini suasione. Quia in natura integra mutabilitas fuit essentialis homini, quà facilè à bono in malum deflectere potuit. Sed in natura corrupta nullæ supersunt amplius vires, quibus à pessimo statu ad optimum resurgat. 2. Gratis supponitur impotentiam per peccatum contractam esse merè moralem; cùm physica etiam & sit & bene dicatur, ut probatum fuit Loc. X. Qu. IV. tum quia à naturâ nobis inest, & invicta est ac insuperabilis homini non minus ac merè naturalis; tum quia realem & physicam inordinationem & corruptionem infert. Non quidem in animæ ipsius substantiam, ut volebat Flaccius, cujus commentum meritò explosum est, nec nisi falsissimè nobis impingi potest. Sed in ipsas facultates, tum inferiores appetitus per rebellionem affectuum, tum superiores mentis & voluntatis per pravos habitus illis congenitos, qui non possunt nisi hyperphysica & efficacissimâ operatione in integrum restitui, ut à bono sensibili ac corruptibili ad æternum & spirituale convertantur.

LIV. Gratia immediata, qualis ab Orthodoxis docetur, nihil habet commune cum Enthusiasmo, sed diversimodè ab eo differt. 1. Enthusiasmus novas quærit revelationes extra Verbum; Sed Gratia immediata nullas, quia Verbum semper comitatur, nec aliud agit, quàm ut illud menti imprimat. 2. In Enthusiasmo objecta, quæ menti imprimuntur, non extrinsecus adveniunt, sed intus à Spiritu per arcanas inspirationes suggeruntur. Sed hic objectum supponitur semper extrinsecus advenire, & ex Verbo peti. 3. Enthu-

thuſiaſmus fit per ſubitos motus, qui ipſum diſcurſum & ratiocinationem antevertunt, & ſæpe excludunt. Sed Spiritus operatio non excludit, ſed ſecum trahit ratiocinationem & gratum voluntatis conſenſum. Denique ne plura diſcrimina jam perſequamur, Enthuſiaſmus non infert cordis mutationem, & mentem afficit immutatâ ſæpe manente voluntate; Unde in impios etiam cadit, ut in Balaamo, & aliis viſum: Sed operatio Gratiæ neceſſariò infert cordis mutationem & ſanctitatis ſtudium. QUÆST. IV.

LV. Cùm Spiritus, qui immmediatè in nobis operatur, idem ſit in omnibus Electis, qui inſpirat ipſis dilectionem veritatis, & obſequium fidei, & cætera dona ipſis largitur. Perperam traducitur tanquam *Spiritus privatus*, qui nobis à Pontificiis injuſtiſſimè objicitur.

LVI. Licet motus deliberati & rationales appetitus ſupponant prævіam cognitionem intellectus in ordine naturali & bene conſtituto. Non ſequitur ita ſe rem habere ſemper in ordine perturbato & ſtatu peccati: quia dantur varii motus indeliberati, qui oriuntur ab affectibus corruptis, qui judicium ipſum intellectus prævertunt; Imò ad illud eum impellunt & determinant, juxta illud tritum, *Ut quiſque eſt affectus judicat.* Unde per ſolum judicium intellectus corrigi non poſſunt, ſed à Gratia immediata ſanari debent.

LVII. Quamvis modus ſecundùm quem gratia immediata in nobis agit, nec perfectè concipi nec exprimi poſſit, non propterea ejus veritas neganda eſt: Cùm innumera ſint quorum veritas à quoquam negari non poteſt, quorum tamen modum à nullo intelligi conſtat.

QUÆSTIO V.

An in primo Converſionis momento, homo merè paſſivè ſe habeat, An verò voluntas ejus gratiæ Dei utcunque cooperetur? Prius Affir. Poſt. Neg. contra omnes Synergiſtas.

I. QUæſtio hæc nobis intercedit cum Pontificiis, Socinianis, & Remonſtrantibus, Aliiſque Pelagianorum & Semipelagianorum traducibus, qui ne liberum hominis arbitrium lædatur, vel auferatur ab homine in Vocatione, cenſent id aliquam habere συνέργειαν & concurſum cum gratia Dei, unde dicti ſunt *Synergiſtæ*.

II. Non quæritur de ſecundo Converſionis momento, in quo certum eſt hominem non merè paſſivè ſe habere, ſed Deo cooperari, vel potius ſubopera-

QUÆST. V. rari; siquidem actu credit & se ad Deum convertit, dum actus agit, & regenitus ac motus à Deo, seipsum movet ad exercitium novæ vitæ. Sed de Primo momento, quo primùm convertitur, & novam vitam per regenerationem accipit, in quo merè passivè se habere ad modum subjecti recipientis, non verò principii agentis contendimus.

III. Non quæritur rursus, An homo se convertere possit sine gratia. Pontificii enim agnoscunt necessitatem gratiæ cujusdam prævenientis & excitantis. Nec quisquam hoc sustinet asserere, nisi qui peccati originalis labem planè negaverit. Sed, An cooperari possit gratiæ illi excitanti?

IV. Non quæritur, An ullæ necessariæ sint dispositiones in homine, quibus ad conversionem præparetur. Fatemur enim in spirituali generatione, non minus ac in naturali, per multas præcedaneas operationes ad spiritualem nativitatem perveniri, & Deum, qui opus istud in homine non per raptus violentos, vel motus Enthusiasticos vult peragere, sed modo naturæ nostræ convenienti; & qui non uno momento, sed successivè & gradatim illud promovet, uti variis dispositionibus, quibus homo paulatim præparetur ad gratiam salutarem recipiendam, saltem in Vocatione ordinaria; Ita ut varii sint actus antecedanei ad conversionem, & quasi *gradus ad rem*, antequam ad statum regenerationis perducatur, vel externi qui ab homine fieri possunt, quales sunt Templum adire, Verbum audire & sim. vel interni, qui à gratia etiam in nondum conversorum cordibus excitantur, quales sunt Verbi propositi receptio & apprehensio, notitia voluntatis divinæ, sensus aliquis peccati, timor pœnæ, & desiderium aliquale liberationis. Sed quæritur, An in ipso conversionis momento, & quoad *gradus rei*, homo habeat aliquid ex se quo cooperetur gratiæ efficaci, ita ut opus non gratiæ tantùm, sed & libero arbitrio à gratiâ excitato tribui possit, quod affirmant Pontificii, & cæteri Pelagianizantes. Nos negamus cum Orthodoxis, qui nullam causam efficientem propriè sic dictam agnoscunt, quàm Deum ipsum regenerantem, sive Spiritum regenerationis. Hominem verò regenerandum faciunt subjectum merè passivum Spiritus regenerantis, & novarum qualitatum, quæ ab ipso infunduntur. Quamvis postea infusis jam novis qualitatibus, se habeat ut instrumentum activum liberum suarum actionum.

V. Sociniani, qui cum Pelagio peccatum originis impurâ generatione in nos propagatum negant, & quicquid vitii aut labis nobis inest, id crebris peccati actibus, & peccandi quadam consuetudine contractum asserunt, Regenerationem non aliam agnoscunt, quàm pravæ consuetudinis & vitæ mutationem, & secundùm doctrinam Christi reformationem, prout eam definit *Socinus* lib. de Bapt. & *Smalci*. de Filio Dei c. 2. Ad quam proinde hominem etiam in primo momento cooperari Deo censent.

VI.

VI. Quoad Pontificios, Synodus Tridentina Seſſ. 6. de Juſtific. Can. 4. mentem ſuam clarè ſic exprimit. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti & vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, nec poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere & mere paſſive ſe habere, Anathema ſit.* Hinc Tirinus Contro. 14. n. 4. *Excitari, trahi, invitari à Deo, non eſt mihi liberum, ſunt enim motus à Deo ſolo immediate nobis immiſſi, liberum tamen mihi conſentire vel non conſentire excitanti, & trahentem ſuadentem ſequi vel non ſequi.* QUÆST. V.

VII. Quia verò Adverſarii ſubinde utuntur diſtinctione Gratiæ in *excitantem* & *adjuvantem*, *operantem* & *cooperantem*, *prævenientem* & *ſubſequentem*. Quo ſenſu vel admitti poſſit, vel rejici debeat ante omnia videndum. Si per gratiam excitantem, prævenientem, & operantem, intelligerent motionem primam gratiæ efficacis, quâ ex morte peccati ad novam vitam excitamur, & reipſa convertimur ante ullam cooperationem & concurſum voluntatis noſtræ, Et per adjuvantem, cooperantem & ſubſequentem, motionem ſecundam, quæ converſis cooperatur, & eos ad agendum adjuvat, facilè hanc diſtinctionem admitteremus, ut non ſemel videmus Auguſt. eâ uſum fuiſſe; Enchir. c. 32. *Utrumque legitur in ſanctis Eloquiis, & miſericordia ejus prævenit me, & ſubſequetur me, nolentem prævenit ut velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit*, & ibidem monet rectè dictum ab Apoſtolo, *non volentis eſſe nec currentis, ſed miſerentis Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Et lib. de Gra. & lib. Arb. c. 17. *Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus nobiſcum cooperatur, tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante quum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Sed quia alio ſenſu ab ipſis uſurpatur, ut per excitantem, prævenientem, & operantem, intelligant tantùm gratiam ſufficientem, illuminatione & ſuaſione morali agentem, quæ non ſubjiciat ſibi liberum arbitrium, ut illud efficaciter inclinet & determinet ad agendum, ſed quæ ſubjiciatur libero arbitrio, ut penes illud ſit ſemper illam admittere vel rejicere, illi conſentire vel diſſentire, Et per gratiam cooperantem, eam quæ cooperetur voluntati nondum converſæ, & cui viciſſim voluntas nondum converſa cooperetur, ut Bellar. lib. 2. de Gra. c. 3. non obſcurè innuit, *Omnes vocat ut ad ſe veniant, non quod poſſint ſolis naturæ viribus venire, ſed ut admoneat, ut gratiæ prævenienti cooperentur*, quod rotundo ore fatentur Synergiſtæ. Vide Janſen. lib. 4. de Gra. fusè hoc argumentum tractantem & docentem, quàm longè ab Auguſtini mente recedant, qui hac diſtinctione utuntur.

VIII. Nos verò commodiùs diſtinguimus Gratiam Dei, non *gratiam gratis dantem*, ſeu *gratum facientem*, amorem ſcilicet Dei gratuitum,

QUÆST. V.

quo nos in Christo prosequitur, & ad quem objectivè nos habemus. Sed *Gratis datam*, quæ complectitur omnia beneficia salutaria, quæ ex gratis dante tanquam ex fonte uberrimo in nos manant, ad quam subjectivè nos habemus, & quæ nobis inhæret; In *primam*, quâ ex statu peccati vocamur efficaciter, & in statum gratiæ transferimur, quæ benè dicitur *præveniens* & *operans*, sed saniore sensu, quàm à Pontificiis. Et *secundam*, quâ jam conversi in statu gratiæ corroboramur & dirigimur, quæ *cooperans* & *subsequens* commodè vocatur sensu Orthodoxo.

Impugnatur hominis cooperatio. 1. à Corruptione.

IX. His positis, ad sententiæ nostræ confirmationem progredimur, & eam adstruimus quatuor potissimùm argumentis. Primum petitur à *gravitate corruptionis nostræ*, quæ excludit omnem cooperationem à parte nostra: Quia naturâ sumus peccatores & filii iræ, nihil nisi caro, cujus figmentum malum est à pueritia Joh. 3: 6. Eph. 2: 3. Gen. 6: 5. qui nihil possumus ne cogitare quidem boni ex nobis ipsis 2 Cor. 3: 5. mortui in peccatis Eph. 2: 1. cor lapideum gestantes Ezech. 36. & in genere totali impotentiâ ad bonum laborantes Rom. 5: 6. qui ideo nec cooperari gratiæ, nec ad conversionem nos disponere possumus. Exceptiones vide Loc. X. de Lib. Arb. Qu. 4.

2. à natura Regenerationis.

X. II. A *natura Regenerationis*, quæ cùm sit mutatio seu renovatio naturæ, Dei solius, non hominis opus esse debet, Tum quia renovatio illa homini est simpliciter impossibilis 1 Cor. 2: 14. Rom. 8: 7. Jer. 13: 23. Tum quia ut initio solus creavit hominem ad sui imaginem; Ita ad eam solus ipsum reformare potest Col. 3: 10. Et ut in generatione naturali, liberi ipsi seipsos gignere non possunt, nec quicquam conferre ad sui nativitatem, sed merè passivè se habent: Ita in regeneratione supernaturali nemo seipsum regenerare potest, sed solius Dei Patris cœlestis hoc est opus. Unde homini passim adimitur & Deo tribuitur Psal. 100: 3. Joh. 1: 12. 13. Jac. 1: 18. 1 Pet. 1: 3. 23. Joh. 3: 5. 6. Tit. 3: 5.

3. ab infinitate virtutis in ea requisita.

XI. III. Ab *infinitate Virtutis*, quæ in ea requiritur. Quia est opus Omnipotentiæ divinæ, quod ideo soli Deo convenit, humanæ verò voluntati, quæ finita est, tanquam causæ propriæ adscribi nequit. Hinc *Creatio* dicitur 2 Cor. 5: 17. & *Resurrectio* Col. 2: 12. quæ nullam συνέργειαν admittere possunt, non magis quàm ii qui creantur & suscitantur ad sui creationem & resurrectionem cooperari possunt.

4. ab absurdo.

XII. IV. Ab *Absurdo*. Quia hoc posito, gloria conversionis dividitur inter Creaturam & Creatorem, & homo in seipso gloriandi materiam habebit, quòd seipsum discreverit, & aliquid habeat quod non acceperit. Quod tamen falsissimum esse toties & tam expressè Paulus testatur 1 Cor. 4: 7. Eph. 2: 8. 9. Rom. 3: 28. & 4: 1. 2.

Fontes Solutionum. 1 Cor. 15: 10.

XIII. Locus Pauli 1 Cor. 15: 10. non juvat Synergistas. 1. quia Paulus agit de ministerio suo, non de conversione. 2. Successum omnem operis non ad

ad se, sed ad gratiam refert. Non dicit Paulus gratiam secum laborasse, ut ipse veniat cum ea in laudis & laboris societatem, sed contra id quod de se dixerat, quòd plus omnibus laborasset, per quandam epanorthosim vult in solidum acceptum ferre gratiæ quæ secum erat. Ideo verba ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοὶ, non sunt reddenda cum V. V. *gratia Dei mecum* supple *operata* est, ut vellent à Lapide & Tirinus, *sed gratia Dei, quæ mecum est*, quod vis articuli innuit, ut significet quicquid præstitit in labore suo, non sibi adscribi velle, sed gratiæ Dei quæ secum fuit. QUÆST. V.

XIV. Aliud est loqui de cooperatione hominum cum Deo ad opus ministerii. Aliud de cooperatione eorum ad opus conversionis. Priori sensu dicuntur συνεργοὶ Θεοῦ 2 Cor. 6: 1. & 1 Cor. 3: 9. quia Deus eorum operâ & ministerio utitur ad prædicationem Evangelii & Ecclesiæ ædificationem, licet in vitæ & benedictionis ac incrementi collatione nullum Deus habebat συνεργὸν v. 6. Sed posteriori nemo dici potest Dei cooperarius in primo vocationis momento, quo vires credendi nobis dantur. 1 Cor. 3: 9.

XV. Quum *Spiritus dicitur adjuvare infirmitates nostras*, Rom. 8: 26. non agitur de convertendis, sed de conversis & fidelibus, quorum infirmitates Spiritus sublevat, maximè quum intercedit pro ipsis, & eos orare nescientes docet. Si homines adjuvari dicuntur à Deo, non ad gratiam primam & prævenientem, quâ convertuntur, referendum est, sed ad concomitantem, per quam conversi tenentur salutem suam promovere & perficere. Rom. 8: 26.

XVI. Aliud est hominem habere liberum arbitrium, Aliud per liberum arbitrium posse gratiæ cooperari. Non negamus hominem quum primò convertitur habere liberum arbitrium, aliàs ne homo quidem esset. Sed negamus posse Deo cooperari, vel indifferenter se habere ad recipiendam vel rejiciendam gratiam.

XVII. Quamvis homo non possit cooperari Deo vocanti, non sequitur, Vel tolli omnem diligentiam & studium in fide exercenda & excolenda. Vel nullum locum habere præcepta & promissiones. Vel non laudandos esse qui credere & resipiscere volunt, nec peccare qui nolunt. 1. Quia diligentia & studium hominis non eo pertinet, ut homo Deo cooperetur, quum primùm convertitur; sed ut excitatus & conversus à Deo agat, & salutem suam perficiat. 2. Quia præcepta & promissiones sunt regulæ officii, non mensura virium, & nulla ex præcepto facultas, vel ex officio vires colliguntur, cùm Deus sapientissime hominem & officii & impotentiæ suæ admoneat per mandata, iisque tanquam mediis utatur ad id quod præcipit efficiendum.

XVIII. Licet in regeneratione sui homo præexistat, quod non dici potest de generatione naturali; Existit tanquam subjectum passivum operationis alienæ, non ut principium operationis propriæ: Et si actus vitales edit, pertinent ad vitam naturalem & animalem, non spiritualem gratiæ, respectu cujus dicitur planè mortuus.

QUÆST. V. XIX. Tantùm abest, ut per gratiam Dei, exclusâ hominis cooperatione, lædatur hominis voluntas, ut potius perficiatur, quum à servitute peccati traducitur ad libertatem gratiæ, Deo, qui voluntatem fecit, naturam ejus & modum agendi non tollente, sed confirmante. Nec nisi absurdè dicitur in truncum mutari, cùm non tantùm subjectum sit λογικὸν, quod capax est & conscium gratiæ, Sed & instrumentum vivum & morale, quo Deus utitur ad conversionem actualem in eo perficiendam, quod utrumque de trunco dici nequit.

XX. Licet Spiritus S. promittatur subinde, & detur etiam fidelibus jam renatis & conversis, quoad progressum & incrementum gratiæ regenerantis Luc. 11: 13. Joh. 7: 38. 39. ut quod cœpit in illis bonum opus promoveat & perficiat, vel ad ejusdem gratiæ confirmationem & obsignationem usque ad diem redemptionis, & quoad donum consolationis, de quo agitur Eph. 1: 13. 14. Non sequitur eum etiam non dari non renatis ad regenerationem tanquam Spiritum regenerationis & illuminationis. Imò cùm regeneratio fieri non possit nisi à Spiritu Joh. 3: 5. 6. qui author est vitæ nostræ spiritualis Gal. 5: 25. necessariò dari supponitur.

XXI. Mortificatio actualis veteris hominis, & vivificatio novi, quæ fit per depositionem vitiorum, & vitæ ac morum emendationem, ad quam homo cooperatur; sequitur quidem regenerationem habitualem, ut proprius ejus fructus Gal 5: 22. 23. Col. 3: 5. qui ab ea separari nequit; sed ab ea tamen distinguitur ut effectus a causa, & actus ab habitu Eph 2: 10. Rom 6: 4. Ezech. 36: 26. Jer. 32: 39. Ideo enim sumus à Deo novæ creaturæ, ut in novitate vitæ ambulemus.

QUÆSTIO VI.

An Gratia efficax operetur tantùm suasione quadam morali, quàm homo vel admittere, vel rejicere possit? An verò virtute invictâ & omnipotente, cui nullum resistere hominis Arbitrium? Prius Neg. Poster. Affirm. contra Pontif. & Arminianos.

I. HIc præcipuus est Cardo Controversiæ, quæ mota fuit post Pontificios ab Arminianis circa modum Conversionis, quæ definita fuit in Synod. Dordr. Art. 4.

Status Quæstionis. II. Ad statum Quæstionis, Notandum 1. Non quæri, An Gratia concurrat ad fidei productionem, Sed quomodo, & quousque concurrat. Nam An-

Arminiani videntur omnia gratiæ concedere, & fatentur liberum arbitrium ex se nihil posse. Sed cùm deventum est ad explicationem modi, secundùm quem gratia operatur; tum pertendunt ita semper operari, ut positum sit in libertate hominis vel admittere eam vel rejicere, vel ponere, vel non ponere obicem. Unde ex duobus quibus eadem gratia offertur, si unus convertitur, altero incredulo manente, ratio non petenda est secundùm ipsos à gratia, quæ eadem sit, sed à dispositione subjecti seu hominis, quia iste obicem posuit, ille verò non; id. unus rejecit gratiam quam alter admisit. Ita quod unâ manu largiri videntur, initium, progressum, & complementum omnis boni nostri esse à gratiâ prædicantes, subdolè alterâ surripiunt, modum operationis istius *resistibilem* statuentes, sub quâ voce consensum & cooperationem voluntatis occultant, quâ homo possit semper vel rejicere vel recipere gratiam, id. seipsum discernere. QUÆST. VI.

III. Licet autem voces *Resistibilitatis* & *Irresistibilitatis* gratiæ, & barbaræ sint, & minus aptæ ad id quod quæritur explicandum, ipsis enim resistibile dicitur quod potest impediri; cùm tamen aliud sit resistere, aliud superare; Cogimur iis uti ad hominem, ut larvam Adversariis detrahamus, qui sub ista vocum novitate, virus antiquæ hæreseos propagare conantur.

IV. 2. Non quæritur De *resistendi potentia*, vel de *resistentia inchoata & incompleta*. An Homo possit resistere Deo vocanti, & resistat actu. Hoc enim ultro largimur, & magno nostro damno nimis experimur; non tantùm posse resistere, sed non posse non resistere. Sed quæritur De *resistentia totali & completa*, seu de *resistentia successu*. An scilicet homo eatenus resistere possit, vel actu resistat, ut gratiam vincat & superet, & voluntas maneat semper in ancipiti, quod asserunt Adversarii, Nos negamus.

V. 3. Non quæritur De *Gratia externa & objectiva*, An homo possit resistere Verbo, & aliis mediis externis à Spiritu ad ejus conversionem adhibitis. Nemo enim negat iis ita ab homine resisti posse, ut sæpe maneant inutilia & inefficacia. Sed quæritur de *gratia interna & subjectiva*, An Deo eam ad conversionem adhibente, homo ita illi reluctari possit, ut eventus quem Deus intendit non sequatur?

VI. 4. Non quæritur, An gratia sit resistibilis respectu intellectus vel affectuum; Fatentur enim Arminiani intellectum hominis illustrari irresistibiliter, & ejus affectus irresistibiliter excitari, & gratiæ sensu affici. Sed agitur de sola voluntate, quam pertendunt resistibiliter semper moveri, ut assensus ejus maneat semper liber: Dari quidem irresistibiliter vires credendi & se convertendi, sed actum ipsum credendi & se convertendi posse fieri vel impediri ab humana voluntate, quia volunt illi inesse essentialem ἀδιαφορίαν ad gratiam admittendam vel respuendam. Quod ut falsissimum esse suo loco demonstratum; Ita resistibilem hoc sensu gratiam efficacem esse pernegamus.

QUÆST. VI.

VII. Quæstio ergo eò redit, An modus operationis gratiæ efficacis sit semper resistibilis? Id est, An positis omnibus operationibus gratiæ, quibus ad conversionem in nobis efficiendam Deus utitur, maneat tamen ipsa conversio ita in potestate hominis, ut possit obicem ponere vel non ponere, id. eam recipere vel rejicere, atque ita se convertere, vel non convertere? Quod volunt Adversarii, Nos verò negamus, Imò pertendimus gratiam efficacem ita in homine operari, ut licet non possit non resistere ab initio, nunquam tamen eatenus resistat, ut eam finaliter superet, & opus conversionis impediat.

Gratiæ irresistibilitas probatur 1. a parte hominis.

VIII. Rationes sunt 1. *A parte hominis*, Quia totali & invictâ laborat ad bonum impotentiâ, ut fusè probatum est Loc. X. Qu. IV. quæ modò per mortem, modò per cœcitatem, modò per cor lapideum, & similes locutiones exprimitur, quæ, ut solâ suasione morali expugnari non potest, quæ objectivè tantùm agit, sed vim omnipotentem requirit, quæ effectivè operetur si non physicè, at supernaturaliter & divinè: Ita nihil supponit in homine, quo recipere gratiam possit, & ex resistibili efficacem reddat. Quænam enim dispositio in mortuo ad vivendum, in cæco ad vivendum, in lapide ad sentiendum dari potest? Et ut ad sensuum operationes quando corruptæ sunt, non sufficit objecti propositio, sed requiritur antecedenter facultatis ipsius vitiatæ sanatio, ut objectum ritè apprehendat, & actum suum eliciat, ut suprà Qu. IV. ostensum. Ita in facultatibus animæ rationalis per peccatum corruptis, non sufficit objecti propositio moralis, requiritur insuper facultatis corruptæ renovatio efficax physica vel potius hyperphysica.

2. A Parte Dei.

IX. 2. A *Parte Dei convertentis*. Quia eam efficaciam & potentiam adhibet in hoc opere, quæ planè sit insuperabilis, quæ ideo phrasibus ἐμφατικωτάτοις, & quæ vim invictam & successum infallibilem important, describitur, ut quum dicitur homines *creare* Ps. 51: 2. Cor. 5: 17. Eph. 2: 10. *regenerare* Joh. 3: 5. Tit. 3: 5. 1 Pet. 1: 3. *resuscitare* Eph. 1: 19. 20. & 2: 4. Col. 2. *cor lapideum auferre & carneum dare* Ezech. 36. *trahere* Ioh. 6: 44. Ut ergo creanti, generanti, suscitanti, nemo resistere potest; Ita nec Deo hominem convertenti. Licet verò non per omnia conveniat actio Dei in nostri conversione cum creatione, resurrectione, & generatione, & varia discrimina hic occurrant; Non potest vis argumenti infringi. Quia in similibus metaphoris circumstantiæ non sunt urgendæ, in quibus multa possunt esse disparia, sed scopus tantùm attendendus, qui non alius est, quàm immensam & invictam gratiæ efficaciam describere, quæ se exerit in hominum conversione, similem potentiæ, quam Deus adhibuit in Creatione, & Resurrectione. Nec aliò pertinent magnificæ illæ descriptiones istius operationis, quas toties repetit Apostolus, ut quum 2 Cor. 4: 5. 6. dicit, *Deum, qui dixit,*

2 Cor. 4: 5. 6.

ut

ut lux splendesceret è tenebris, splenduisse in cordibus nostris ad dandum nobis cognitionem gloriæ Dei in facie Jesu Christi. Et Eph. 1: 19. 20. quum eandem potentiam, quàm in Christi à mortuis excitatione adhibuit, adhibere asserit in conversione nostra; *Ut agnoscatis*, inquit, *quæ sit excellens illa magnitudo Dei potentiæ in nos qui credimus, secundùm efficaciam roboris ejus, quam operatus est in Christo excitando eum à mortuis.* In quibus Paulus ita extollit virtutem Dei, ut nunquam sibi satisfacere videatur. Non meminit tantùm potentiæ, sed ne communem hic & ordinariam arbitraremur, addit μέγεθος *magnitudinem potentiæ*, & quidem ὑπερβάλλον id est, quæ superet captum nostrum, & quasi hoc non sufficeret, subjicit modum omnipotentem & invictum, quo immensa illa potentia operata est, non leni tantùm suasione, sed κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *juxta efficaciam potentiæ roboris ejus*, id. roboris potentissimi, cujus specimen in Christi resurrectione visum est, ut eadem virtus infinita, quæ in Christo suscitando sese exeruit, in hominibus pariter ex peccati tumulo excitandis debuerit operari. Jam si Deus non ulteriùs agit in nobis convertendis, quam ut relinquat hominem in ancipiti, ut penes ipsum sit gratiam admittere, vel rejicere, quid opus fuit isto verborum cumulo, & quà veri specie potuit dicere invictam istam potentiam in nobis exeri ad modum resurrectionis Christi? Sanè ista omnia, vel nullum sensum fundunt, vel gratiæ irresistibilitatem, & efficaciam insuperabilem demonstrant.

QUÆST. VI.

Eph. 1: 19. 20.

X. Nec dici potest quod volunt Remonstrantes, 1. Agi de *resurrectione corporis, non de conversione animæ.* Quia scopus & series verborum ostendit manifestè agi de conversione nostra, nequaquam de resurrectione, & hoc confirmatur ex cap. 2: 5. 6. ubi Apostolus rediens ad institutum, *Et nos mortuos*, inquit, *in peccatis, convivificavit cum Christo*, quod de resurrectione intelligi nequit, ut nec sequentia v. 10. *Illius opus sumus, creati in Christo Jesu.* Denique si resurrectionem voluisset notare non dixisset potentiam illam exeri in præsenti erga nos, sed in futuro tantùm, esse exerendam.

XI. II. Agi *non de fidei productione, quia alloquitur fideles, qui jam crediderunt, sed de fidei conservatione & incremento*, ut 2 Thess. 1: 11. Sed licet alloquatur fideles jam credentes, non obstat quominus in memoriam illis revocet modum quo crediderunt, & virtutem invictam Dei per quam crediderunt, ut eo magis excitentur ad glorificandum Deum. Deinde si tanta potentia requiratur in conservatione & incremento, non minor, imò major longè requiritur ad ejus productionem. III. *Non posse conversionis actum a solo Deo pendere; ut resuscitatio mortui à solo suscitante pendet, quia homini ipsi præcipitur & non raro tribuitur.* Sed licet homini præcipiatur; ut officium debitum, hoc non impedit quominus Deo vindicetur tanquam opus ejus proprium. Deus jubendo talia, quæ ipse daturus est, ostendit obedien-

QUÆST. VI. dientiam debitam, & partim etiam jubendo dat. Et quamvis conversio actualis homini tribuatur in actu secundo, quia actus agit, nunquam tamen habitualis in actu primo.

XII. Eandem efficaciam solidè probant loca, quæ Vocationem nostram per *Tractionem* explicant, ut Joh. 6: 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit ipsum.* Si quis enim hanc locutionem ritè expendit, facilè comperiet, eam stare non posse cum facultate dissentiendi si velis. Nam cui relinquitur ista facultas, *duci* quidem potest dici, sed non *trahi*, quod quidem verbum nullam coactionem & violentiam notat, quia ex nolente homo fit volens, sed infallibilitatem tamen eventus innuit, ut qui trahitur sequatur necessariò, & non possit non venire, Cant. 1: 4. *Trahe me*, inquit Sponsa, *& curremus post te.* Et in isto loco v. sequenti ubi effectum istius tractionis notat, *Quisquis ergo audivit a Patre & didicit venit ad me:* Ubi duo à Christo maximi momenti insinuantur, 1. *necessitas gratiæ*, sine qua impossibile sit ad Christum venire, id. credere, quia nemo potest venire nisi trahatur. 2. *ejusdem efficacia* & insuperabilitas, quia quisquis trahitur & docetur à Patre venit ad Christum. Quod Aug. contra duas Epist. Pelag. bene observat lib. 1. cap. 19. *Non ait duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem; Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum voluntatibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Joh. 6: 44

XIII. Non potest hìc reponi, *Omnes quidem qui credunt trahi, sed non solos.* Quia verba ipsa contrarium probant; nam ut dicendo v. 44. Neminem ad Christum venire, nisi quem Pater traxerit, solos à Patre tractos statuit ad Christum venire; Ita subjiciendo v. 45. Quisquis audivit à Patre & didicit venit ad me, omnes tractos necessariò & infallibiliter venire asserit. Duæ istæ propositiones se mutuò juvant, ut soli & omnes tracti dicantur in Christum credere. Non solidiùs regeritur *tractionem istam non fieri irresistibiliter, quia fit audiendo & discendo, quorum neutrum possit fieri modo irresistibili.* Quia alia est hominum institutio, alia Dei; homines docendo non trahunt, suadere quippe possunt, sed non persuadere; At qui sunt à Deo docti, trahuntur, id. necessariò sequuntur, & obediunt, quia non mediatè tantùm per Verbum, sed immediatè & internè per Spiritum docentur 1 Joh. 2: 20. & docendo trahuntur, *Trahit sua quemque voluptas*, inquit Poëta, *Trahitur animus*, & *amore* inquit Aug. Demonstratio non cogit, sed trahit, & necessitate amicâ permovet. Deus quum docet, demonstrat, id est non modò suadet & movet, sed persuadet & permovet: homo cùm à Deo discit, non quidem obtorto collo trahitur, sed vero vincitur, & victrice delectatione, quà nihil suavius, nihil efficacius, expugnatur; hinc omnes auditores venire dicit, id.

id non tantùm potentiam veniendi obtinere, sed ipsum actum, quod *Augus*t. benè observat lib. 1. de Gra. cap. 18. *Omnis qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam & possibilitas profectus, & voluntatis affectus, & actionis affectus est:* Ut hic suavitas summa cum summa efficacia conjungantur, illa quidem per *doctrinam*, ista vero per *tractionem*, id. talem doctrinam, quæ sit vera πειθανάγκη quæ suadendo persuadet & flectit ad obsequium. Denique frustra additur, Si Tractio significat actionem in homine productam, antequam venire possit ad Christum, jam conversus erit antequam veniat ad Christum, id. conversus antequam conversus. Quid enim obstat quo minus dicatur conversus actu primo, id. regenitus, antequam convertatur actu secundo? Imò necesse est ut Deus veniat ad nos antequam eamus ad ipsum, ut apprehendat & præveniat nos misericordiâ suâ, antequam eum apprehendamus, ut inveniatur à non quærentibus Isa 65: 1. nemo enim fidelis est, nisi qui misericordiam à Deo consecutus est ut fidelis. QUÆST. VI.

XIII. Tertio, Dei operatio invicta docetur ex locis, in quibus Deus dicitur nobis dare cor novum, & auferre lapideum, & facere ut ambulemus in statutis ejus Ezech. 36: 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, auferam cor lapideum a carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam ut in statutis meis ambuletis.* Ubi quot sunt verba, tot sunt argumentorum pondera, *Dabo*, inquit, non offeram tantùm, & præparabo, *Cor*, non tantùm mentem, sed ipsum animæ sacrarium, *Cor novum*, non refingam vetus & immutabo in melius, sed planè novum, & aliud dabo, non conjungens meum cum corde vestro, sed amovens penitus *cor lapideum* durum, aridum, & sensus omnis expers, *Indam carneum* id. flexile, molle, & obsequens, vivido sensu præditum; Et ut potentior & efficacior sit ista gratia, *ponam Spiritum meum*, non transire faciam instar hospitis, sed ut Dominum & Præsidem ponam, non in naribus, sed in *medio vestri*, ut principatum in vobis exerceat; Et ne potentiam tantùm benè agendi vobis conferri credentis, actum ipsum procurabo, *Faciam ut ambuletis in statutis meis*, non hortabor, suadebo, non impellam, ut possitis modò velitis; sed *faciam ut ambuletis*, faciam in vobis velle & perficere, faciam ut faciatis. Quis verò locus magnificæ isti promissioni esse potest, si Deus leni tantùm suasione, & resistibiliter agit in nobis? Quis non videt non posse aliis verbis invictam & insuperabilem Dei gratiam exprimi? Eadem est ratio promissionis, quæ habetur Jer. 31: 31. 32. ubi pollicetur Deus sub Novo Fœdere se Legem inscriptum in cordibus populi sui, ut omnes sunt cognituri Dominum, quod utique, non actionem resistibilem, sed invictam, quæ effectum certissimè consequitur, denotat; Nam Deo Legem inscribente, non potest non Lex inscribi, & fidelis edoceri & converti.

3. Quia Deus dat cor novum Ezec. 36: 26.

Jer. 31: 32.

XIV. Frustra reponitur 1. *Non posse conversionis gratiam his locis describi,*

QUÆST. VI. *quia Deus semper Electis suis etiam sub Vet. Test. dedit cor novum. At hîc singulare aliquod beneficium promitti proprium Novi Test.* Quia, licet fidei & cordis novi datio, non sit beneficium singulare quibusdam Electis, sed commune omnibus, privilegium tamen aliquod hic agnoscendum respectu fidelium Novi Test si non quoad rem, saltem quoad modum & gradum rei, quatenus longè illustrius, & solenniùs & longè pluribus cor novum dedit, quàm sub Vet. Test. At quæ non sunt illustria, eorum in Scriptura interdum ratio non habetur, ac si non essent, ut *Spiritus nondum datus* dicitur Joh. 7:39. quia tam magnificè & copiosè datus non erat. 2. *Cordis dationem præcipi* Ezech. 18:31. Quia præcipitur ut officium hominis, quod promittitur ut beneficium Dei, per præceptum significatur quid homo debeat, per promissionem, unde expectare debeat quod ex se habere nequit. Adde quòd cùm tale præceptum dirigatur ad jam Vocatos, non tam jubentur cor sibi novum facere, in conversionis initio, quàm in progressu per studium sanctificationis & pœnitentiæ. Denique ex hypothesi Armini. Deus jubet etiam ut intellectum habeamus spiritualem, & affectus accensos ad bona spiritualia, & tamen volunt à Deo irresistibili modo nobis inspirari. 3. *Promissiones istas non absolutas esse, sed conditionatas* ex Ezech. 11:18. 19. 20. 21. Quia conditio quidem proponitur & requiritur à Deo, sed quam ipse præstat, & quæ quum exigitur in Electis arcana vi Spiritus creatur. Spiritus ergo promittitur iis qui amovent amovenda, non quia hoc fecerunt ante, quomodo enim hoc facere possent, antequam cor lapideum, quod est causa omnium istarum abominationum, Deus ipse amoverit; sed ut vi Spiritus inditi faciant, adeo ut amotio illa sit conditio consequens non antecedens, quæ ipsa quoque hoc loco promittitur potius quàm postulatur. Nec ratio obscura est; Quia hæc promissio continet principium omnis boni in homine, & causam eorum omnium quæ ab homine postulantur, nim. Spiritum Sanctum, qui non perficit solùm, sed & incipit in nobis omne bonum opus. 4. *Hanc promissionem factam fuisse toti populo, & tamen in multis non impletam fuisse, cum Israelis obduratio contigerit.* Quia si non impleta est in Israële secundùm carnem, quia non omnes qui sunt ex Israële sunt Israël Rom. 9:6. impleta tamen est certissimè & infallibiliter & impletur quotidie in Israël secundùm Spiritum, qui verus est populus cui promissio facta est, quem Deus præcognovit Rom. 11:2. 1 Petr. 2:9.

Ezec. 18:31.

Ezec. 11:18. 19. 20. 21.

XV. Quartò. Quia Deus non tantùm potentiam ipsam credendi vel benè operandi, sed ipsum actum dat nobis Philip. 1:29. *Vobis datum est non solum* τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν, *in ipsum credere, sed & pro ipso pati.* Et cap. 2:13. *Deus est* ὁ ἐνεργῶν τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, *qui operatur velle & perficere in vobis.* Et Heb. 13:21. *Deus vos perficiat in omni opere bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis* quod

4. Quia Deus dat ipsum actum volendi Phil. 1:29. & 2:13. Heb. 13:21.

quod est gratum coram se. Eò pertinent & alia loca, ubi fides *Dei donum* dicitur Eph. 2:8. & *Deus dare pœnitentiam*, Act. 11:18. Jam si Deus non suadet tantùm & hortatur, sed ipse ἐνεργεῖ, nec potentiam, sed actum ipsum volendi & credendi operatur. Quis non videt irresistibilem esse ejus actionem, quæ effectum suum necessariò producit? Nam si homo posset semper resistere, vel actu resisteret, id procul dubio fieret, ideo, quia voluntas resistere vellet; At quomodo potest voluntas velle resistere, id. nolle admittere gratiam, in qua Deus τὸ velle operatur efficaciter? Et hæc est eximia illa gratia specialis Electis in Fœdere Gratiæ concessa, quâ non modò possunt credere si velint, sed volunt cùm possint. Quod Catholici contra Pelagianos constanter tuentur in Epist. Synod. Afric. Episcop. *Jubet Deus homini, ut velit: sed Dominus in homine operatur & velle, jubet ut faciat, sed operatur & facere.* QUÆST. VI.

XVI. Nec dicendum hic, · Vel, *Actum dici dari, quum datur, ut eum possimus præstare.* Quia contrà ex Canone Philosophorum, *A potentia ad actum non valet consequentia.* Deus Adamo dedit τὸ posse non peccare, sed non ideo dedit actum non peccandi, alias nunquam peccasset. Vel *Actionem istam Dei non esse irresistibilem, quia conjungi debeat cum operatione hominis, qui debet etiam operari salutem suam & quidem cum tremore & timore.* Quia studium & obsequium hominis, non excludit, sed supponit necessitatem gratiæ irresistibilis, ut homo non tantùm possit illud perficere, sed ut actu illud perficiat ex novi Fœderis promissione. Timor verò & tremor, non magis pugnant cum irresistibilitate causæ, quàm cum eventus certitudine & infallibilitate nobis perspectâ; cum qua posse consistere exemplum ipsum Christi docet, qui licet de victoria securus, metu tamen correptus legitur, Heb. 5:7. 8. Atque eò magis, quòd Timor iste non est incertæ dubitationis & diffidentiæ, sed *humilitatis & piæ sollicitudinis*, quæ est ex mediis, quibus Deus producit in nobis efficacissime istud velle & perficere. Vel 3. *Actum ipsum fidei non posse irresistibiliter effici, quia sic non esset actio, sed passio.* Quia divina hæc actio non lædit voluntatis libertatem, sed roborat, & nihil obstat actionem eandem liberè id. sponte ab homine effici, & fieri tamen per invictam Dei gratiam, quæ infallibilitatem eventus cum libertate voluntatis optimè conciliat: quia sic Deus agit in nobis, ut non evertat singularem rerum naturam, sed relinquat unicuique proprium modum agendi; *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, 2 Cor. 3:17. Utcunque ergo actus credendi à Deo immittatur, quia tamen ab homine exercetur, homini tribuitur. Vel 4. *non fidem, sed salutem dici donum Dei* Eph. 2:8. Quia si salus est donum Dei. Ergo & ipsa fides, quæ prima est pars salutis. Deinde quod v. 10. fideles dicuntur *opus Dei creati in Christo*, fidem necessario includit, ut principium regenerationis nostræ, aliàs si fides non esset donum Dei, homo posset in seipso gloriari contra Apostolum. Vel 5. agi de *jam credentibus & con-*

QUÆST. VI. *versis pro quibus erat Paulus* Heb. 13:21. 2 Thess. 1:11. Nam si ne conversi quidem facere possumus Dei voluntatem, nisi eam ipse faciat in nobis, quantò minus ante conversionem, & in ipsa conversione?

5. Ab absurdis. XVII. v. Argumentamur ab Absurdis sententiam Adversariorum consequentibus. 1. Quia si gratia operatur semper resistibiliter in nobis, ita ut positum sit penes liberum hominis arbitrium, vel ea uti, vel illi resistere, sequetur plus in conversione tribui hominis arbitrio, quàm Deo, & eum qui benè utitur gratià, seipsum ab aliis discernere contra Paulum 1 Cor. 4:7. & materiam aliquam gloriandi habere. Nam si post omnes gratiæ operationes, hominis voluntas in æquilibrio relinquitur; necessariò sequitur, non Deum per gratiam, sed hominem per liberum arbitrium esse principalem causam fidei & conversionis, & conferre quod majus est, Deo quod minus est conferente. Deinde si voluntas relinquitur in ancipiti, ut seipsam determinet, Quis non videt hominem propriè suæ discretionis causam esse, quandoquidem gratia quæ communis & resistibilis statuitur, non potuit hoc præstare? Et cum suasio non aliter agat quàm objectivè, non potest censeri causa efficiens, sed homo. At Paulus contrà, *Quis te discernit? Quid habes quod non acceperis? Et si accepisti, quare gloriaris de eo, quasi non acceperis?* (*1 Cor. 4: 7.*) Licet autem Apost. ibi agat de discretione Doctorum eminentium, ab iis qui minus donorum acceperunt; non obstat quominus ad fidelium discretionem optimè possit applicari, quia sententia generalis est, & quod de uno bonorum genere dicitur, idem de omnibus aliis vere dicitur tum naturalibus tum supernaturalibus, præsertim de Electionis gratia, quæ omnium est maxima, & radix ac causa cæterarum. Deinde à minori, si homo fidelis nihil potest facere in charismatis vel comparandis vel augendis, de quo gloriari possit, quanto minus in jaciendo fidei fundamento, quod longè difficiliùs est?

XVIII. 2. Hæc sententia enervat studium Precum & Gratiarum actionum. Ecquid enim peterent à Deo fideles fidei & conversionis actum, si is non pendet à gratia, sed à libero hominis arbitrio? Et quomodo gratias de eo dono agerent, si hoc voluntati suæ, non Dei virtuti acceptum ferre debent? Nihil tamen frequentius apud Paulum occurrit votis & orationibus, non minus ac gratiarum actionibus, quas pro fide & conversione hominum fundit, Eph. 1:17. & 3:16. 17. 1 Thess. 3:12. 13. & 5:23. & 2 Thess. 1:11. Heb. 13:21. Rom. 1:8. 1 Cor. 1:4. 5. 7. Eph. 1:3. 15. 16. 2 Cor. 1:3. 4. 2 Thess. 1:3. At si actus fidei sit in potestate hominis semper quantavis adhibeatur Dei gratia, quorsum vel à Deo petitur, vel de eo gratiæ aguntur?

XIX. 3. Sic Præscientia Dei incerta redditur & dubia. Nam si iis omnibus positis gratiæ operationibus, quibus voluntas apta nata est moveri, vo-

voluntas tamen pro innata libertate potest non moveri; Non poterit certò scire, quorsum inclinatura sit, quia rei quæ aliter se habere potest, nulla certa potest esse cognitio, ut fusè probatum est P. I. Lo. III. Q. 13. de Scientia media th. 12. QUÆST. VI.

XX. 4. Sic confunditur gratia Adami cum gratia Christi. Nam Adamo etiam datum fuit τὸ posse stare, ut nobis datur τὸ posse credere; Non ergo potior erit conditio nostra sub gratia, sorte ipsius in natura; Nec minus obnoxia casui & mutabilitati. Cum tamen constet magnum discrimen esse inter naturam & gratiam, illam semper mutabilem, istam semper certam & immutabilem, quia in ea homo relictus fuit in manu consilii, in hac verò custoditur virtute Dei. Nec tantùm habet à Deo *adjutorio sine quo non*, id. potentiam bene agendi, sed & *adjutorium quo*, id est, ipsum actum & velle quod potest.

XXI. 5. Sic Deus non efficaciùs operabitur in hominum conversione, quàm Satan operatur in hominum seductione, quia Satan etiam suasionibus, hortationibus, promissis, & minis utitur, ad pervertendos homines. Nec discriminis ratio in eo potest esse, quòd Deus æterna & incorruptibilia bona promittit, Satan verò tantùm temporalia & corruptibilia. Quia licet falsa sint & caduca bona quæ promittit, ea tamen exhibet ut vera & æterna, quæ felicitatem hominis absolvant, ut quum pollicebatur primis parentibus fore eos sicut Deos. Deinde qualiacunque bona Promittantur, Idem semper manet modus actionis cum Deo, si non alio modo quàm suasivo & resistibili agit. Nec si Satan resistibiliter agendo longè plures pervertit, sequitur Deum etiam irresistibiliter agentem non fortiùs ipso agere. Quia alia ratio est peccati, in quo homo jacet, & ad quod propensissimus est naturâ suâ, etiam sine impulsu Satanæ. Alia sanctitatis, à qua homo peccator ita est aversus, ut ad eam reduci non possit nisi vi quadam omnipotente. Quamvis verò longè pauciores sint illi qui eam sentiunt, pro reprobis, non ideo Satan plus Deo valere dicendus est, quia hoc non oritur ex impotentia, sed ex libertate, juxta quam efficaciam istam gratiæ suæ in istis paucis tantùm exerere decrevit.

XXII. Aliud est resistere Spiritui Sancto externè in Verbo imperanti. Aliud verò ei resistere in corde operanti. Aliud resistere Spiritui convincenti & coercenti tantùm, Aliud illi etiam convertenti & renovanti. Judæi quidem dicuntur restitisse Spiritui S. Act. 7: 51. primo modo, non secundo. Quod patet tum ex verbis sequentibus, *Quem Prophetarum non sunt persecuti, & occiderunt eos, qui ipsis prænunciabant adventum istius Justi*: tum ex Stephani exemplo, resistebant enim Spiritui Sancto per Stephanum loquenti, quia verbum ejus admittere nolebat; imò ferarum more in eum irruebant, quæ vis est verbi ἀντιπίπτειν. Dicitur quidem Act. 6: 10. 11. eos non potuisse resistere sapientiæ, & Spiritui quo loquebatur; sed tunc resistere *Fontes Solutionum.* *Act. 7: 51.* *Act. 6: 10. 11.*

 non

QUÆST. VI. non significat propriè adversari seu obsistere, sed superare seu vincere ut Luc. 21:15. Licet verò Judæi isti vi veritatis à Stephano per Spiritum Sanctum loquente fuerint convicti. Non sequitur Spiritum eam omnem adhibuisse gratiam, quæ ad conversionem erat necessaria, quia requirebatur præterea cordis seu animæ circumcisio, quâ caruisse hic dicuntur vers. 51. non minus quàm Patres ipsorum Deut. 29:4.

XXIII. Quamvis verò Spiritus Sanctus non decrevisset, nec intenderet eos convertere; non minus tamen dici possunt Spiritui S. restitisse, non quidem conversionem intendenti, sed officium præscribenti, & viam salutis ostendenti, ac externa omnia media adhibenti, quæ necessaria erant ad ipsorum conversionem. Resistebant ergo voluntati revelatæ, quæ regula est officii, non arcanæ, quæ eventus decernit. Nec si non poterant credere sine speciali gratiâ Spiritus Sancti quæ illis denegata erat, sequitur, Deum non posse justè conqueri de eorum contumacia. 1. quia poterant nec talem nec tantam resistentiam opponere Spiritui Sancto in Prophetis loquenti, qualem & quantam opposuerunt. 2. quia tenebantur nihilominus ad officium præscriptum, & eorum impotentia voluntaria & affectata eos excusare non potuit.

Ezec. 12:2. XXIV. *Oculi ad videndum, & aures ad audiendum*, de quibus Ezech. 12:2. agitur, non possunt notare conversionis gratiam, seu oculos fidei, quia ibidem additur de *domo Israelitis*, quòd sit *domus rebellis*, quæ per consequens oculum fidei non habuit. Sed notant tantùm *oculos mentis*, seu intelligendi & percipiendi ea quæ proponebantur facultatem, quâ propriâ malitiâ uti nolebant. Aliàs si Deus dedisset illis oculos & aures spirituales novi hominis, non potuissent non videre & audire. Nec si Deut. 29:4. oculi ad videndum, & aures ad audiendum, quas denegasse dicitur populo significant regenerationis gratiam, sequitur & hic eodem sensu sumi, quia circumstantiæ sunt diversæ.

Isa 65:2.3. XXV. Aliud est Deo monenti, & vocanti externè resistere; Aliud conversionem intendenti, & efficaciter ac internè vocanti. Prius asseritur Is. 65:2.3. quum dicit Propheta *se expandisse totâ die manus ad populum perversum* &c. Non posterius. *Expansio brachiorum* notat quidem blandam & benevolam Dei invitationem, quâ illos extrinsecus sive Verbo, sive beneficiis alliciebat, non semel atque iterum, sed quotidie ministerio Servorum suorum eos compellando. Sed non potest designare potentem & efficacem operationem, quâ brachium Domini illis revelatur, qui docentur à Deo & trahuntur à Patre, & per quam dicitur se patefecisse iis qui non interrogabant, & inventum ab iis qui ipsum non quærebant, quod de Gentium Vocatione efficaci dixerat Propheta vers. 1.

Mat. 23:37. XXVI. Quamvis Matt. 23:37. Christus profiteatur *se voluisse congregare filios*

filios Jerusalem, & eam noluisse: Non sequitur Gratiam esse resistibilem. QUÆST. VI.
1. Quia Jerusalem hic apertè distinguitur à liberis suis, & per eam notantur Seniores, Scribæ, Sacerdotes, & alii Primores Urbis, qui à potiori nomine Civitatis donantur, ut Matth. 2: 1. 3. & qui Patres haberi volebant populi. Nec dicit Christus eos quos congregare voluit, congregari noluisse. Sed tantùm Jerusalem noluisse congregari liberos suos, καὶ οὐκ ἠθελήσατε & *noluistis*, nimirum vos Primores. Atque ita Christus non tam quæritur de iis qui vocati non venerant, quàm de iis, qui aliorum vocationis quantum potuerunt obstiterunt, sublatâ clave cognitionis, nec introeundo quoad se, & alios qui introibant, id. qui introire studebant, quantum in ipsis fuit prohibendo, ut habetur Luc. 11: 52. Sed non desiit tamen Christus, non obstante resistentià Primorum Urbis, congregare quos voluit, ut loquitur August. Enchi. cap. 97. 2. Licet non distingueretur Jerusalem à liberis suis, sed pro incolis ipsis sumeretur, non sequeretur eos restitisse gratiæ efficaci, tum quia non notatur Voluntas decernens, sed præcipiens, quæ iteratis vicibus eos monuerat officii sui, tum quia aliud est *congregatio*, aliud *conversio*. Illa pertinet ad Vocationem externam, quà homines per Verbum congregantur in unum, & adducuntur ad communionem Ecclesiæ. Ista verò ad internam, quæ fit per Spiritum, cui homines resistere nequeunt. Christus ergo volebat quidem ut facerent quod jubebat, id est, hoc gratum habebat, & decreverat etiam præcipere. Sed nolebat tamen quoad eventum, id. non decreverat rem actu debere fieri, quam præcipiebat. Nam si voluisset seriò, nulla ratio afferri posset, cur congregati non fuissent, siquidem ejus voluntati nemo resistere potest.

XXVII. Quum Pharisæi dicuntur Luc. 7: 30. ἀθετῆσαι consilium Dei εἰς ἑαυτοὺς *irritum reddidisse contra seipsos*, non intelligitur Voluntas decernens, quæ immutabilis est & irrevocabilis Isa. 46: 10. Heb. 6: 17. Sed Voluntas præcipiens, quæ sæpe nomine βουλῆς seu consilii designatur Prov. 1: 24. 25. Act. 20: 27. Apoc. 3: 18. Sprevisse ergo dicuntur consilium Dei in propriam perniciem, quatenus rejecerunt mandatum Dei per Johannem propositum, quo vocabat eos ad fidem & resipiscentiam, & sic viam salutis sibi ab eo monstratam præcluserunt, & magno suo malo gratiam illam Dei sunt aspernati. *Luc. 7: 30.*

XXVIII. Exprobratio, quam Christus facit Corazinis & Bethsaïditis de contumacia sua & incredulitate, Matth. 11: 21. evincit quidem gravissimam eam fuisse & intolerabilem, odiosâ comparatione cum corruptissimis populis, & qui à Judæis ipsis præ cæteris omnibus infames & execrandi habebantur. Sed non potest probare gratiam, quam Christus erga Civitates illas exeruerat, & cui tam pervicaciter restiterant, fuisse sufficientem ad conversionem. Nec hoc colligi potest ex eo quòd dicitur Tyrios & Sydonios sese conver- *Mat. 11:21.*

QUÆST. VI. versuros fuisse, si eæ virtutes inter eos factæ fuissent, & similis gratia concessa. I. Quia verba ista non tam propriè de conversione actu futurâ intelligi debent, quæ per sola miracula præstari non potest, quam *hyperbolice* & populariter, ad incredulitatem & impœnitentiam Judæorum ipsorum exaggerandam, quæ superat etiam corruptionem perditissimarum istarum Gentium: Qualem exaggerationes comparativæ familiares sunt Scripturæ, Sic Ezech. 3: 6. Dominus ita Prophetam compellat, *Ad domum Israelis misi te, non ad populum ignoti sermonis, sive barbarum, nam si mittereris ad eos audirent te*, Non quòd reapse Gentes istæ procliviores futuræ fuissent ad audiendum Prophetam, quum præsertim non intelligerent; sed ut obstinationem Judæorum magis arguat. Eodem sensu idem Propheta Israelitas duplo pejores Samaritanis esse asserit, quum cap. 16: 51. dicit *Judam justificasse sorores suas*, longè graviùs ipsis peccando, quæ ad summum fere peccaverant. Non alia ratione Christus Luc. 19: 40. *Si hi siluerint*, inquit, *lapides clamabunt*. Et nihil usitatius & frequentius occurrit in ordinario sermone. Si hoc vel illud fecissem, vel saxa emollivissem, vel bruta docuissem, vel audivisset surdus, & cæcus vidisset, & sim. non hoc volumus, vel saxa posse emolliri, vel bruta posse doceri, vel surdos audire, & cæcos videre. Sed odiosâ istâ comparatione duritiem Judicis inexorabilis, & stupiditatem summam discipuli exprimere intendimus. Pari planè pacto hic Christus Tyrios & Sidonios convertendos fuisse dicit, si virtutes istæ factæ inter eos fuissent, non ut conversionem certò futuram notet tali hypothesi datâ, sed ut gravitatem peccati Judæorum exprimat, quasi diceret, Nulla Gens est tam effera & tam indomitæ cervicis, nec Tyrum, nec Sidonem, nec Sodomam ipsam excipio, quæ non conversa fuisset aut commota saltem, tot signis & miraculis a me inter vos factis, ad quæ tamen vos Corazini, Bethsaiditæ, & Capernaitæ obduruistis. Porrò fundamentum exprobrationis istius non necesse est dari in gratia sufficiente ad conversionem, quæ Judæis, non Tyriis & aliis contigerit. Sed petendum est, vel ἐκ τῶν φαινομένων secundùm rei probabilitatem, & more humano per modum accommodationis, Vel ex certa scientia Christi, respectu dispositionis subjectorum, quam noverat esse pejorem & obstinationem in Judæis, quàm in aliis, qui ut minorem lucem habuerant, minus etiam peccaverant, & mitiùs etiam puniendi erant. II. Rectè etiam dici potest, hic non agi de salutari & interna conversione, sed de pœnitentia tantum externa. Tum quia *sacco & cinere* exprimitur, quæ signa sunt externa pœnitentiæ. Aliud autem est in sacco & cinere conceptum dolorem exprimere & pœnitentiam aliquo modo inchoare. Aliud verò per gratiam efficacem converti; Tum quia adscribitur conspectui miraculorum, quæ sunt tantùm media externa, quæ non sufficiunt ad conversionem, nisi accedat virtus interna & vorticordia. Licet verò talis pœnitentia non suffecisset ad illorum conversionem & salutem, suffi-

cie-

ciebat tamen ad Judæorum condemnationem, qui tot virtutibus Christi excitati, ne minimum quidem etiam externæ istius pœnitentiæ motum ediderant. Quæst. VI.

XXIX. Actus obedientiæ, qui producitur eâ efficacitate, quâ positâ, non potest non existere actus, non desinit esse liber, atque adeo verus actus obedientiæ, si efficacitas illa, neque vim ullam homini inferat, nec necessitatem brutam & physicam inducat, sed spontaneitatem suam & προαίρεσιν illi relinquat, quod gratiam facere pertendimus. Non desinit enim homo velle liberrime quod vult, etsi id vult necessariò, nec gratia quæ volentes de nolentibus facit, libertatem tollit, sed restituit, quia ultrò & cum gaudio servire Deo libertas est. Πρῶτον ψεῦδος Adversariorum est, libertatem positam esse in ἀδιαφορίᾳ, nec consistere posse cum necessitate, quod non semel refutavimus; exemplo Angelorum & Beatorum, quorum actus obedientiæ est quidem necessarius & infallibilis, sed tamen liberrimus.

XXX. Licet gratia voluntatem hominis inclinet & flectat irresistibiliter; nulla tamen hic coactio fingenda est. 1. Quia in coactione, principium est tantùm extrinsecum, ad quod, qui cogitur, nihil confert, hic verò datur etiam intrinsecum, quia gratia est anima animæ nostræ. 2. Coactio non fit naturæ congruenter, sed conversio naturam perficit. 3. Impossibile est & ἀδύνατον voluntatem cogi, quia sic esset noluntas, non voluntas.

XXXI. Quamvis non alii converti possint, quàm qui actu convertuntur; Non sequitur frustra & hypocriticè alios vocari; quia alii sunt fines istius Vocationis, ut antea dictum, qui Deum ab omni simulatione & hypocrisi liberant.

XXXII. *Resistentia* alia est *partialis* & *incompleta*, quæ potest ad tempus oppugnare & obniti. Alia *totalis* & *completa*, quæ non tantùm potest ad tempus resistere gratiæ operationi; sed illam prorsus impedire, & irritam reddere. Non negamus hominem resistere posse Deo vocanti; Imò fatemur non posse non resistere priori resistentiâ. Sed non posteriori.

XXXIII. Quos Deus ordinariè per solum Verbum Evangelii vocat, illos eâ efficacitate non vult convertere, quâ positâ, non possint non credere & se convertere. Sed non eadem est ratio eorum, quos per Verbum & Spiritum simul vocat, quod facit erga omnes Electos, quia Spiritus eam adhibet efficacitatem, quæ superat omnem voluntatis resistentiam. Spiritus autem concurrit cum Verbo, & Verbum cum Spiritu, non *collateraliter*, ut aliquid agat Verbum, quod Spiritus non agat, sed *subordinate*, non quidem subordinatione successivâ, ut ibi demum incipiat actio Spiritus, ubi Verbi efficacia desinit, sed subordinatione simultaneâ, quæ est instrumenti ad causam principalem, quæ hic est Spiritus Sanctus, qui bifariam operatur, tum in Verbo, tum in Corde, In Verbo suadendo, in Corde persuadendo, In

Rom. 3: 3. Aliquando pro fide quam adhibemus aliis, per assensum rei factæ vel futuræ, dicentis veracitati innixum. Vel *objective*, pro fide *quæ creditur*, seu doctrina Evangelii, quæ est fidei objectum Gal. 1: 23. 1 Tim. 1: 19. Gal. 3: 25. & ejus professione externâ, Rom. 1: 8. Vel *subjective* & habitualiter pro fide *quâ creditur*, quæ iterum à quibusdam distinguitur, in fidem, quâ *credimus Deum*, vel quâ *credimus Deo*, vel quâ *credimus in Deum*, ut observat Lombard. lib. 3. sent. 3. dist. 23. ut credere Deum sit credere Deum esse, Credere Deo sit fidem adhibere Deo loquenti, Et credere in Deum sit fiduciam in eum collocare. Unde Aug. Trac. 29. in Joh *Credimus Paulo, sed non in Paulum.* Sed discrimen hoc non est perpetuum; nam licet credere Deum, & in Deum differant, Scriptura non rarò pro uno eodemque sumit credere Deo, & in Deum, ut de Abrahamo dicitur, quòd *credidit Deo*, Rom. 4: 3. ubi agitur de fide justificante, & alibi variis in locis.

QUÆST. VIII.

4. Species fidei.

IV. Rectiùs fides distinguitur in eam, quæ est nudi assensus veritati revelatæ & cognitæ, quæ in Diabolos etiam cadit, quæ *fides historica* dicitur, de qua Jac. 2: 19. Vel in eam, quæ cum assensu habet aliquem gustum & gaudium, sed evanidum bonitatis objecti, quæ *fides* vocatur πρόσκαιρος de quo Matt. 13: 20. Vel in eam, quæ assensum dicit promissioni alicui singulari de eventu aliquo miraculoso, vel à nobis, vel in nobis & circa nos supra ordinem præstando, quæ vocatur *fides miraculorum* Matth. 17: 20. 1 Cor. 13: 2. Vel denique in eam, quæ fiducialem apprehensionem Christi & beneficiorum ejus importat, quæ *fides justificans* & salvifica dicitur, de qua passim Scriptura. Quæ distinctio fundatur, tum in usu Scripturæ, quæ subinde diversimodè de fide loquitur, tum ex ejus variâ ad objectum relatione. Nam quum objectum offertur menti simpliciter sub idea veri, fides quæ circa illud versatur historica dicitur, ubi verò proponitur sub idea boni ratione promissionis alicujus singularis, & quoad eventum extraordinarium & miraculosum, fides miraculorum illud apprehendit. Ubi offertur sub idea boni utilis & jucundi, fides temporaria in eo occupatur. Ubi denique exhibetur sub idea boni honesti, pertinet ad fidem justificantem.

V. Perperam verò adversarii, ut Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 4. pertendunt species istas varias non diversam, sed unam eandemque fidem constituere; cùm à se invicem sint separabiles; nam in Diabolis & multis infidelibus est fides historica, qui tamen fide temporariâ & justificante carent Jac. 2: 19. ut & fide miraculorum, quæ patrare non possunt. In aliis occurrit fides temporaria, in quibus nec datur justificans Luc. 8: 13. nec fides miraculorum Act. 8: 19. In aliis fides miraculorum est absque justificante, ut in Juda, & in illis de quibus agitur Mat. 7: 22. In innumeris fidelibus datur fides justificans sine fide miraculorum.

QUÆST. VII.

VI. Licet verò variæ istæ fides possint concurrere in uno subjecto, ut in Apostolis & aliis visum, & tunc non plures sint habitus, sed unum eundemque saltem aggregatione constituant. Non sequitur à parte sui non differre, cùm & objecto formali, & modo operationis tàm clarè distinguantur. Ita fides salvifica potest dici continere eminenter fidem miraculorum, quia potest à Deo eò elevari, ut edat miracula. Sed non reciprocè fides miraculorum includit justificantem, cùm in reprobos varios cadat.

VII. Quamvis fides salvifica sit una & ἰσότιμος in omnibus, tàm à parte objecti, Eph. 4: 5. quod idem fuit tàm in Veteri quàm Novo Testamento, quoad substantiam, quàm à parte subjecti specificè. Hoc non obstat quominus vox fidei æquivoca in sua æquivocata distinguatur, quæ totidem ejus species constituunt.

Eph. 4: 5.

QUÆSTIO VIII.

DE VARIIS FIDEI JUSTIFICANTIS ACTIBUS.

Quot Fides salvifica includat actus in conceptu suo formali?

Sententia varia circa Actus fidei.

I. UT cognitio *Habituum* non aliunde certius haberi potest, quàm ex cognitione *Actuum* eorum præcipuorum, & *Objecti* circa quod versantur. Natura fidei ritè percipi non potest nisi duo ista cognoscantur. 1. Quibusnam actibus constet. 2. Quodnam sit ejus objectum.

II. Et ad *Actus* quidem quod attinet, diversimodè à Theologis explicantur, aliis plures, aliis pauciores statuentibus. Sunt qui unicam tantùm ponunt nim. Assensum, seu Persuasionem. Alii duos tantùm agnoscunt, Notitiam & Assensum. Alii tertium addunt, nimirum Fiduciam. Alii etiam quartum, confidentiam scilicet seu acquiescentiam voluntatis. Quæ diversæ sententiæ non tam mutant naturam fidei, quàm illam diversimodè explicant. Quod quidem inde fit, quòd alii, fidem collocant, pariter in intellectu & voluntate; alii verò tantùm in intellectu formaliter, & voluntate tantùm ἐνεργητικῶς, seu affectivè & consequenter, vel etiam præcipuè in voluntate. Atque ita quidam omnes illos actus formaliter includunt in fide, alii verò quosdam ex illis supponunt, vel inferunt.

III. Communior verò & verior sententia tres in fide actus agnoscit, *notitiam*, *assensum*, *fiduciam*, ad quos licet omnes alii facilè referri possint; tamen

tamen ut faciliùs rem totam assequi possimus, distinctiùs de illis agendum. QUÆST. VIII.

IV. Primò, Duplex actus fidei distinguendus venit. Alter *directus*, Alter *reflexus*. *Directus* versatur circa objectum ipsi oblatum, *Reflexus* verò occupatur circa actum directum; Per actum directum homo credit promissionibus Evangelii. Per reflexum verò homo fidem suam intuens scit se credere. *Actus directus & reflexus.* Actus directus præcedit, Reflexus sequitur, & talis datur inter utrumque subordinatio, ut quemadmodum directus post se trahit reflexum; Ita reflexus supponat necessariò primum, nec illi detur locus nisi isto posito, v. g. non potest quis scire se credere, nisi revera credat, non potest quis Christum pro suo agnoscere, nisi qui credit Christum pro omnibus credentibus & pœnitentibus datum.

V. Secundò Actus autem isti fidei non sunt unius generis, sed varii & multiplices pro variis ejus respectibus, quos ad sex possumus referre, ex quibus quinque sunt directi, & unus reflexus. *Sex actus fidei.* Primus est *Actus notitiæ* rerum omnium à nobis credendarum, sive quæ miseriam nostram spectant, sive Dei gratiam. *1. Actus notitiæ.* Ut enim veritas est objectum fidei, & quidem non quævis, sed divina & supernaturalis Verbo Dei revelata, cognitionem ante omnia requirit, quâ apprehendatur: non modò eam, quâ scimus quænam sint credibilia, & quâ sensum literalem verborum & terminorum assequimur, quæ supponitur ad fidem, & privato cujusque studio haberi potest, etiam ab iis qui non credunt: Sed etiam eam, quâ cognoscimus divinitatem, & veritatem infallibilem rerum credendarum, quæ primum actum fidei constituit, ut infrà contra Pontificios probabitur.

VI. Secundus est *Assensus theoreticus*, quo ut vera & divina recipimus quæ cognoscimus; *2. Assensus theoreticus.* qui vocatur *historicus*, non ab objecto, quòd sit tantùm historiarum, nec à causa, sacro scilicet Historico, sed à *modo*, quo aliquid creditur. Ut verò Philosophi tres gradus perfectioris in assensu observant *firmitatem* scilicet, *certitudinem*, & *evidentiam*. Firmitas, ut sit sine hæsitatione, Certitudo, ut certo & solido nitatur fundamento, Evidentia, ut non nitatur testimonio alieno, sed vel ex sensu vel ratione probetur, ut in scientia; fidei assensus habet quidem firmitatem, & certitudinem, quia Verbo divino & infallibili nititur, sed non evidentiam, quia nititur testimonio, non ratione, quod Apostolus notat Heb. 11: 1. quando dicit fidem esse ὑπόστασιν & ἔλεγχον ad firmitatem & certitudinem ejus designandam, sed τῶν οὐ βλεπομένων rerum quæ non videntur, ad inevidentiam innuendam.

VII. Tertius actus est *Assensus fiducialis & practicus*, seu persuasio intellectus practici, quâ Evangelium non modo verum esse, sed etiam bonum judicamus, *3. Assensus fiducialis & practicus.* & proinde amore & studio nostro dignissimum, & promissiones gratiæ de remissione peccatorum & salute conferenda omnibus credentibus & pœnitentibus, atque adeo & mihi si credidero, & pœniten-

QUÆST. VIII.

tiam egero, esse certissimas. Quo sensu fidei tribuitur πληροφορία, id. plena persuasio de Dei potentia & voluntate in Verbo nobis patefactâ Rom. 4:21. metaph. à navibus, quæ plenis velis in portum feruntur. Ita Col. 2:2. mentio fit πληροφορίας συνέσεως per hypallagen pro συνέσεως πεπληροφορημένης *intelligentiæ plane persuasæ*, & Heb. 10:22. vult Apost. ut *accedamus cum vero corde*, id. recto & sincero, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως id. cum certa mentis persuasione, & firmâ cordis fiduciâ, quæ Verbo Dei innitatur. Ista autem persuasio non debet esse tantùm inchoata & semiplena, quæ in reprobos etiam nonnunquam cadit, qui Verbum excipiunt cum gaudio; sed plena & absoluta, quæ voluntatem determinet & post se trahat; & quæ objectum Evangelicum & promissionem gratiæ, non modò ut veram, & bonitate aliquâ imbutam intuetur, sed etiam ut summum bonum nobis in Deo proponentem, & unicum ac sufficientissimum salutis in Christo medium.

4. Actus refugii.

VIII. Quartus est *Actus refugii*, qui oritur ex persuasione, per quem ad Christum ita à nobis cognitum actu desiderii confugimus in ipso remissionem peccatorum & salutem quærentes. Quia fieri non potest, ut homo qui se miserrimum novit, & qui persuasissimus est, nuspiam alibi, quàm in solo Christo salutis medium inveniri; nec posse quemquam hanc salutem consequi, nisi ad ipsum veniat, & cum ipso uniatur: fieri nequit, inquam, quia salutis & beatitatis appetitus est innatus omnibus, ut is ex seipso exiens & propriæ justitiæ, cujus vanitatem agnoscit, nuncium remittens, non seriò & ardentissimè ad Christum recurrat, illum desideret, quærat, & omnibus modis possidere studeat; quod Scriptura modò per προσαγωγὴν & *accessum* ad Christum notat, Matt. 11:28. Rom. 5:2. Eph. 2:18. modò per *Dei inquisitionem & studium* Isa. 55:6. modò per *famem & sitim justitiæ* Matt. 5:6. Psalm. 42:2. 3. Apoc. 22:17. Isa. 55:1. 2. id. per desiderium ferventissimum Christo & Deo fruendi Psalm. 84:1. 2. Cant. 1:2. & 3:1. cujus exemplum passim in Davide occurrit, in Sponsa Cant. 2. & 5. In filio prodigo, qui agnitâ miseriâ suâ & ad se rediens, constituit ad Patrem reverti, *Surgam & redibo ad Patrem meum.* In Paulo Philip. 3:7. 8. alia omnia pro damnis habente *præ excellentia cognitionis Christi ut inveniatur in ipso, habens non suam justitiam quæ est ex Lege, sed justitiam quæ est ex fide Christi.*

5. Actus receptionis & unionis.

IX. Quintus est *Actus receptionis* Christi, sive *adhæsionis, & unionis*, per quem non modò quærimus Christum per animæ desiderium, & ad illum confugimus, sed illum oblatum apprehendimus & recipimus, inventum amplectimur, & nobis applicamus, illique adhæremus, & nos unimus. Ut enim Deus animæ peccatrici oneratæ ac sensu peccatorum suorum dejectæ & contritæ, Filium suum, & Christus seipsum cum omnibus beneficiis suis, & plenitudine salutis quæ in ipso residet gratis offert in Evangelio:

Ita

Ita anima de plenitudine salutis in Christo firmiter persuasa, & confugiens ad ipsum seriò, & communionem ejus impensè desiderans, non potest non oblatum summum illud bonum, & inæstimabilem thesaurum summâ cum lubentiâ & voluptate amplecti, omnia pro ipso vendere Matt. 13:44. Christo unico Redemptori inniti, & illi se tradere & mancipare; Et ita firmiter eum retinere, ut quidvis potius amittere parata sit, quàm illum abjicere. Atque hic formalis & præcipuus est fidei justificantis actus, qui per *receptionem* designari solet Joan. 1:12. *Quotquot eum receperunt*, id. *qui crediderunt in nomen ejus*, & Rom. 5:17. fideles dicuntur *accipere donum justitiæ*, & Col. 2:6. *accipere Christum*, Cant. 3:4. *Inveni quem diligit anima mea, apprehendi eum, nec dimisi* &c. aliquandò per *esum* & *potum* Matth. 5:6. Joh. 6. per *induitionem Christi* Gal. 3:27. Et quia anima Christum ita apprehendens in ipsum recumbit, & illi innititur & adhæret, fides etiam per *actum reclinationis* non semel describitur Ps. 71:6. Isa. 10:20. & 48:2. & 50:10. Mich. 3:11. ut & per *actum adhæsionis*, & conglutinationis, & unionis arctissimæ, quâ simus os ex ossibus, & caro ex carne ejus, & unum cum ipso, & Christus ipse habitat in nobis Eph. 3:17. & nos in ipso Joan. 15:5. Ex qua unione personarum oritur communio beneficiorum Christi, ad quæ per unionem cum ipso jus acquirimus, justificationem scilicet adoptionem, sanctificationem, & glorificationem. QUÆST. VIII.

X. Sextus est *Actus reflexus* ex sensu fidei ortus, quo anima, quæ Christum ita recipit, in seipsam reflexa, & actum directum persuasionis, refugii, & receptionis in corde suo videns, concludit se credere, & quia credit, Christum certò pro se mortuum esse, & cum omnibus suis beneficiis ad se pertinere, & se per ipsum certò beatum iri. Cùm enim promissus sit omnibus fatigatis sensu peccati, & ad ipsum confugientibus, & sincerè eum recipientibus, id. verè in ipsum credentibus, Anima fidelis non potest se fatigatam deprehendere, & videre se hoc modo ad Christum confugientem, & illi innitentem, quin statim concludat Christum suum esse, & se illius, nec quicquam esse quod ab illius amore ipsam separare queat. Cujusmodi actus in Paulo occurrit Gal. 2:20. quum ait, *Crucifixus sum cum Christo, & vivo non ego, sed Christus in me, & quod in carne vivo, vivo in fide Filii Dei, qui me dilexit, & seipsum pro me tradidit.* Et 2 Tim. 1:12. *Novi cui credidi*, inquit, *& quod sit potens ad servandum depositum meum.* *6. Actus reflexus.*

XI. Hunc verò actum excipit septimò *Actus consolationis & confidentiæ*, qui consistit in gaudio illo, tranquillitate, pace, acquiescentia, & delectatione, quæ ex Christi possessione oritur, per quem anima fidelis innitens dilecto suo Cant. 8:5. & suæ sibi cum Christo unionis per fidem arctissimæ conscia, & certa de sui cum ipso mutua communione & amore, piè exultat & deliciatur in Domino, gloriatur in adversis, & quosvis hostes animosè pro- *7. Actus confidentiæ & consolationis.*

vo-

QUÆST. VIII. vocat & spernit Rom. 8: 38. 39. & lætatur gaudio ineffabili & glorioso 1 Pet. 1: 8. requiescens sub umbra arboris vitæ, & dulcissimis illius fructibus se satians Cant. 2: 3. certa, illum, qui bonum opus cœpit, illud promoturum & perfecturum infallibiliter. Cujus exemplum habetur in Sponsa Cant. 2: 16. & 7: 10. Davide Psal. 16: 7. 8. 116. & 118. Paulo Rom. 8: 38. & omnibus fidelibus Rom. 5: 1. 2.

XII. Atque hic postremus actus, non fidei essentiam propriè ingreditur & constituit tanquam ejus forma, sed ex ea fluit tanquam consequens necessarium & effectus inseparabilis. Alii verò ad eam propriè pertinent, & sedem suam habent partim in intellectu, partim in voluntate. In intellectu actus cognitionis, & assensus, qui licet requirantur in fide, non constituunt adhuc ejus formalem actum, qui in persuasione propriè consistit, quæ intellectûs est. In voluntate verò refugium, & receptio, seu adhæsio.

XIII. Mirum autem videri non debet, quòd fides statuatur in duabus animæ facultatibus. Nam præterquam quod, non pauci nec ignobiles Philosophi nullum reale discrimen inter intellectum & voluntatem agnoscunt, sed animam quà intelligentem & cognoscentem, intellectum dici volunt, quà verò volentem & appetentem, voluntatem. Non magis repugnat fidem ad duas facultates pertinere, quàm vel Liberum Arbitrium; vel Imaginem Dei, quæ partim in intellectu, partim in voluntate sedem habent. Cùm fides non sit habitus unus & simplex, sed compositus & per aggregationem, qui proinde sub unico conceptu comprehendi non possit, sed varios includat sibi subordinatos, qui ad utramque facultatem bene referuntur.

XIV. Atque hinc patet, perperam Bellarminum, & alios ex Pontificiis fidem ita in intellectu collocare, ut negent eam esse in voluntate. Cùm enim constet fidem pro objecto habere non solum verum, sed etiam bonum, & præcipuè consistat in refugio ad Christum & ejus receptione, quis dubio locus esse posset, quin propriè etiam pertineat ad voluntatem? Quod non pauci ex ipsis Pontificiis agnoscunt, Bonavent. in Disti. 9. quarti, *fides respicit intellectum & affectum.* Thom. 2. 1æ q. 2. artic. 2. *Credere ad intellectum pertinet prout est à voluntate motus ad assentiendum.* Sic Biel & Estius in 3. senten. distin. 23. q. 2. Altenstaig in Dictio. ad vocem *fides*, & alii.

QUÆ-

QUÆST. IX.

QUÆSTIO IX.

An fides sit assensus sine notitia, & melius definiatur per Ignorantiam, quàm per Notitiam? Neg. contra Pontificios.

I. QUæstio nobis hîc intercedit cum Pontificiis, qui ut faciliùs Populum per cæcam obedientiam sibi subjiciant, non modò eum arcent à lectione Scripturæ Sacræ, sed etiam à fide, quæ ipsi imponitur, excludunt notitiam, eam ad nudum assensum referentes, ut melius definiatur per ignorantiam, quàm per notitiam, ut loquitur Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 7.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur, An fides sit assensus, quod utrinque est in confesso. Nec, An sit plena & perfecta notitia mysteriorum, tam quoad τὸ διότι, quàm τὸ ὅτι, ut nihil credere debeamus, nisi quod clarè & distinctè percipimus. Nam ut pleraque mysteria Evangelica superant captum rationis longissimè, nunquam clarè & distinctè à nobis percipi possunt, quoad τὸ διότι, vel τὸ πῶς seu naturam & modum suum, sed tantùm quoad τὸ ὅτι, quod verè sint ita revelata. Deinde, ut sanctificatio est imperfecta; ita suos habet gradus fides, quibus augetur & crescit, & quoad notitiam, & quoad fiduciam. Hoc sensu non negamus fidem certo respectu *implicitam* posse dici, tum in pueris, & rudibus, qui obscuram tantùm habent notitiam, tum in provectioribus, in quibus lux semper est mixta tenebris, qui sæpe τὸ ὅτι solùm assequi possunt, sed ad τὸ διότι non assurgunt. Sic fides Patrum V. T. potuit dici obscura & implicita respectu nostræ, propter obscuritatem revelationis. Sed quæritur, An fides in conceptu suo includat notitiam, si non plenam; at veram & certam in suo ordine?

III. Non quæritur, An fides sit scientia, quæ habeat evidentiam. Sic enim distinguitur à scientia, quæ habet assensum certum & evidentem, qui nititur ratione clara & certa, & ab opinione quæ nititur ratione tantùm probabili; ubi fides notat assensum certum quidem, sed inevidentem qui non ratione, sed testimonio divino nititur. Sed, An assensus ille sit cæcus, qui omni notitia destituatur? Ita ut melius per ignorantiam definiatur, quàm per cognitionem, ut loquitur Bellarm. Sic fides illi est assensus cum ignorantia, & credere est assentiri rebus ignotis. Hæc est *fides implicita*, quam dicunt Laïcis sufficere ad salutem, si credant ea quæ Ecclesia credit, licet nesciant quid credat Ecclesia, nec quid debeat credere, nec cui Ecclesiæ credendum sit, quæ dicta est *fides Carbonarii*, quia interrogatus quid cre-

crederet, respondet, quod Ecclesia credit, rursus rogatus quid Ecclesia crederet, quod ego, inquit, credo.

IV. Scopus Pontificiorum est detinere populum in ignorantia, ut faciliùs jugum Traditionum, & quorumlibet Errorum & Superstitionum illi imponatur. Hinc enim factum, ut Laïcos à lectione Scripturæ arcuerint, ut Sacra omnia linguâ ignotâ peragi voluerint, ut Judicium de rebus sacris laïcis ademerint, Et ita crassâ ignorantiâ, & horribiles tenebræ totum Papatum occuparint, & dura tyrannis invecta sit; Cùm nihil tam falsum & absurdum esset, quod sub titulo Catholicæ fidei credendum non obtruderetur, & quidem ἀβασανίστως, & sine ullo examine.

V. Nos fidem in conceptu suo notitiam includere statuimus, non quòd fides sit absolutè idem cum notitia, vel quòd credere idem sit ac intelligere, ut Bellarm. perperam sententiam nostram proponit. Sed quòd, cùm genus omnium habituum sit notitia, fides autem ipso fatente sit habitus intellectus, fides etiam necessariò notitiam debeat complecti, ut sit vera. Unde patet non bona fide Bellarminum mentem Calvini exponere quum ait, *Eum dicere, non ignorantiâ, nec sensus nostri submissione, sed cognitione certâ & exploratâ regnum cælorum adiri*, ut ex ejus verbis colligi potest, Sic enim ille loquitur lib. 3. Inst. c. 2. s. 2. *Scholastici commentum fabricarunt implicitæ fidei, quo nomine crassam ignorantiam ornantes, miseræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt. Hoccine credere est nihil intelligere, modo sensum tuum obedienter Ecclesiæ submittas? non in ignoratione, sed in cognitione sita est fides, atque illa quidem non Dei modo, sed divinæ voluntatis. Nec enim ex eo salutem consequimur, vel quod parati sumus pro vero amplecti quicquid Ecclesia præscripserit, vel quod inquirendi, cognoscendique provinciam ad ipsam relegamus, sed quando Deum agnoscimus nobis esse propitium Patrem reconciliatione per Christum facta* &c. *Hac inquam cognitione, non sensus nostri submissione ingressum in regnum Dei obtinemus* &c.

In fide esse notitiam probatur.

Joh. 17: 3.

VI. In fide includi notitiam patet. 1. Quia per notitiam definitur, *Hæc est vita æterna ut te cognoscant*, Joh. 17: 3. Nec hoc ad cognitionem intuitivam patriæ tantùm refertur, sed ad cognitionem salutarem fieri debet extendi, quæ in via requiritur, quam Christus proponit ut medium certum & infallibile consequendi istam vitam, & quo ipsa in nobis inchoatur 1 Joh. 5: 13. Sic Is. 53: 11. *Servus meus justus justificabit multos cognitione sui*, id. fide, quæ sola nos justificat. Unde alibi ejus actus per intellectionem describitur Hebr. 11: 3. *Fide intelligimus secula esse aptata Verbo Dei.* Et Joh. 6: 69: *Credidimus, & agnovimus te esse Christum Filium Dei Viventis*, ubi notitia additur fidei ad ejus exegesin, ut innuatur in eo positam esse. Alibi fides exprimitur per πληροφορίαν συνέσεως *certitudinem intelligentiæ*, Col. 2: 2. per ἐπίγνωσιν ἀληθείας 2 Tim. 3: 7.

VII.

VII. 2. Quia fides & Verbum sunt relata Rom. 10: 17. Joh. 6: 45. Ergo ubi est fides, ibi debet esse notitia, quia Verbum non potest credi nec recipi nisi cognoscatur: nam ut ignoti nulla est cupido; ita nec assensus. Et si fides est ex auditu Verbi, & ex institutione Patris, *Quisquis audivit & didicit à Patre venit ad Christum* Joh. 6: 45. quomodo potest esse sine notitia? An fidelis potest esse θεοδίδακτος sine cognitione rerum quæ à Deo docentur? QUÆS I. IX. *2. quia fides & Verbum sunt relata.*

VIII. 3. Quia confessionem fidei edere, & rationem ejus reddere jubemur Rom. 10: 10. *Corde creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad salutem.* Et 1 Pet. 3: 15. *Estote parati ad rationem reddendam spei, quæ est in vobis, cuilibet petenti.* Ergo notitia in fide necessaria est, Quis enim dixerit confessionem edi, & rationem reddi posse rerum ignotarum? *3. quia confessio fidei nobis imperatur.*

IX. 4. Quia passim notitia in fide requiritur, hinc *Verbum fidei* vocatur *sapientia & intelligentia* fidelium Deut. 4: 6. Dan. 9: 22. *Ego veni*, inquit Angelus, *ut intelligere te faciam, intellige verbum & intellige visionem*, Christus jubet *scrutari Scripturas* Joh. 5: 39. quod sine cognitione fieri nequit. Laudantur Beroenses, quod auditis à Paulo temerè non crediderint, sed an cum Scripturis concordarent, sedulò investigaverint ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, *conferentes Scripturas*, Act. 17: 11. Et alibi Paulus laudat Corinthios, quod ditati sint omni cognitione 1 Cor. 1: 5. & provocat ad eorum judicium c. 10: 15. *Judicate ipsi quod dico, ut intelligentibus loquor.* Et Col. 3: 16. præcipit Colossensibus cognitionem & scientiam mysteriorum.

X. 5. Quia ignorantia arguitur ut erroris mater, & exitii causa, *Populus meus perit quia est sine scientia*, Hos. 4: 6. Et Isa. 1: 3. *Populus meus non intelligit.* Psalm. 32: 9. *Ne sitis sicut mulus & equus, in quibus non est intellectus.* Matth. 22: 29. reprehenduntur Sadducæi, quòd *errent nescientes Scripturas.*

XI. Aliud est fidem miraculorum, & donum interpretandi Scripturam distingui, ut diversa χαρίσματα. Aliud fidem justificantem, & notitiam, Prius dicitur 1 Cor. 13: 2. non posterius. Πᾶσα πίστις, *omnis fides*, non hic distributivè ponitur pro omnigenâ fide, sed collectivè pro perfectâ, & partibus & gradibus omnibus completâ, q. d. quicquid uspiam fidei est θαυματούργοις, si illud omne in unum conferretur, atque in me esset. Talem autem fidem intelligi, liquet non modò ex articulo, qui certam quandam fidei speciem notat, sed & ex addita exegesi, *adeo ut montes loco dimoverem*, id. res planè miras & stupendas efficerem proverbiali locutione ex Mat. 17: 20. *Fontes Solutionum. 1 Cor. 13: 2.*

XII. Quod removet omnem visionem tam sensitivam quàm intellectualem, non potest esse notitia. Sed fides quæ amovet visionem sensitivam, & intuitivam gloriæ, quo sensu dicitur esse ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων Heb. 11: 1. id. argumentum, demonstratio, rerum quæ vel invisibiles sunt, & sensibus inaccessæ, vel quæ ut futuræ sperantur, sed nondum videntur, id *Heb. 11: 1.*

QUÆST. IX. possidentur. Non removet tamen cognitionem intellectualem luminis gratiæ, cùm per eam habeamus oculos mentis illuminatos, ut cognoscamus quæ sit spes Vocationis, & divitiæ gloriæ &c. Eph. 1: 18. & ea quæ nobis data sunt 1 Cor. 2: 12.

2 Cor. 10: 5. XIII. *Captivare intellectum in obedientiam Christi*, 2 Cor. 10: 5. non est ignorare Christum, aut ejus doctrinam, vel nihil de ea intelligere; aliàs frustra Paulus diceret Corinthiis se nihil proposuisse scire inter ipsos, quàm Jesum crucifixum 1 Cor. 2: 2. Sed est Christo, & ejus doctrinæ agnitæ fidem habere, & illi se subjicere, licet rationi & sapientiæ mundanæ absurda videatur, exemplo Abrahæ Rom. 4: 20. Hæc est *fidei obedientia*, quâ credimus Deo loquenti, etsi non intelligamus τὸ διότι rei credendæ, si modò agnoscamus τὸ ὅτι.

Isa. 7: 9. XIV. Locus Isa. 7: 9. non potest huc trahi, quasi innuere velit Propheta fidem esse tantùm gradum & viam ad notitiam; ut Versio Vulgata perperam reddit, *nisi credideritis, non intelligetis*. Quia Hebræa aliter sonant, אם לא תאמינו כי לא תאמינו *nisi credideritis, non permanebitis*, ut sit reprehensio incredulitatis Achazi & aulæ ejus; hoc sensu, si verbis meis fidem non adhibetis, non alia est causa, quàm quia non estis stabiles, sed perfidi in Fœdere Dei, Vel quod convenientius videtur, est comminatio pœnæ illis imminentis; Si non creditis promissioni divinæ de servanda Urbe, sanè non permanebitis, scilicet adversus hostes, vel in vestra terra, sed captivi inde abducemini, ut exitium certum vos maneat.

XV. *Inevidentia* quæ tribuitur fidei, non excludit omnem notitiam, sed tantùm eam, quæ nititur medio scientifico, id est, sensu aut evidente ratione à naturâ rei petitâ. Dicitur *habitus inevidens* non ad negationem omnis notitiæ, sed ad remotionem notitiæ, quæ fit per ratiocinationem philosophicam, cùm nitatur testimonio & auctoritate loquentis. Excludit ergo notitiam luminis naturalis, non supernaturalis revelationis, excludit scientiam philosophicè dictam, quæ opponitur opinioni, sed non populariter, ut opponitur ignorantiæ. Et quamvis judicium quod nititur alterius testimonio & authoritate, non sit notitia evidens & scientifica, non tamen ob id ignorantia potius vocari debet quàm notitia, quia intelligere semper debemus quis, & quid testetur, ut illi credamus.

QUÆSTIO X.

An Fides sit Fiducia? Affir. contra Pontific.

I. DIximus Fidem tribus actibus potissimùm constare, *Notitiâ*, *Assensu*, & *Fiduciâ*. De notitiâ jam egimus contra Pontificios. Nunc misso secundo, de quo nulla est controversia. De tertio, qui situs dicitur in fiducia, & de quo lis inter Nos & Adversarios movetur, paucis est agendum.

II. Duplex verò hic Quæstio occurrit. Altera cum Pontificiis, qui negant fiduciam ad fidem pertinere, quæ assensum tantùm rei ignotæ importet; Altera inter ipsos Orthodoxos, non propriè; An fiducia pertineat ad fidem, sed sub quâ σχέσει illi tribuenda sit, formæne, an effectus. De qua paucis dicendum antequam ad aliam, quæ majoris est momenti, transeamus. *Duplex quæstio de fiducia.*

III. Diversitas, quæ inter Orthodoxos occurrit, oritur ex diversa acceptione fiduciæ, quæ trifariam potest sumi. 1. pro *fiduciali assensu* seu *persuasione*, quæ oritur ex judicio practico intellectus, de veritate & bonitate promissionum Evangelicarum, & de potentiâ, voluntate ac fidelitate Dei promittentis, quomodo synonyma illi est πεισμονὴ Gal. 5: 8. & eo sensu tribuitur fidei πληροφορία Col. 2: 2. Heb. 10: 22. 2. pro actu *refugii* & *receptionis* Christi, quo fidelis cognitâ veritate & bonitate promissionum, ad Christum confugit, illum recipit & amplectitur, & in illius meritum unicè recumbit. 3. pro *confidentia*, seu *acquiescentia* & *tranquillitate animi*, quæ oritur ex refugio animæ ad Christum & ejus receptione. Nam qui firmiter in Christum recumbit, & illum amplectitur, non potest non in eo securè acquiescere & confidere se invenisse, & accepisse quod quærebat. Primo & secundo significatu fiducia est de essentia fidei, & bene à Theologis dicitur ejus forma; quia, ut postea probabitur contra Pontificios, est fiducialis apprehensio Christi cum omnibus beneficiis Verbo Evangelii oblati. Sed tertio rectè ab aliis non forma, sed effectus fidei dicitur, quia nascitur ex ea, non verò eam constituit. *1. Inter Orthodoxos, quæ conciliatur.*

IV. Hinc facilè sensus patet loci Paulini Ephes. 3: 12. ubi fides distinguitur à πεποιθήσει, seu fiduciâ, *per fidem habemus accessum ad ipsum cum fiducia*: Nam πεποίθησις hic fiduciam notat, quatenus est conscientiæ tranquillitas, seu confidentia in eo, in quem collocata est fides. Sensus est *fideles in Christo*, id. Christo insitos per fidem habere παῤῥησίαν, id. tum *audaciam* prædicandi Evangelium intrepidè apud quoscunque, tum *securitatem* *Eph. 3: 12.*

QUÆST. X. *ſpiritualem*, quâ liberè audent Deum ut Patrem invocare, καὶ προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, *& acceſſum liberum ad ipſum in confidentia*, nempe eum inveniendi & petita impetrandi, διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, *per fidem illius*, id. quam parit fides Chriſti.

V. Quoad alteram Quæſtionem inter Nos & Pontificios, Quæritur. An fiducia includatur in conceptu fidei. An verò ab ea differat? Pontificii ut commentum ſuum de fide implicita & cœca ſeu nudo aſſenſu ſtabiliant, poſterius volunt, fidem nihil aliud eſſe pertendentes, quàm nudum aſſenſum, qui non habeat pro objecto ſpecialem Dei miſericordiam, ſed totum Dei Verbum, ut loquitur Bellarm. lib. 1. de Juſtifi. c. 5. 6. Orthodoxi contrà ita de eſſentia fidei fiduciam eſſe cenſent, ut non poſſit dici fides, quæ tali fiducia deſtituitur.

Fidem eſſe fiduciam probatur 1. Ab Objecto. VI. Rationes ſunt. 1. ab *Objecto*. Quia objectum fidei juſtificantis proprium & ſpecificum, ut poſtea probabitur ſunt promiſſiones Evangelii, quæ non poſſunt niſi per fiduciam recipi, quia non proponuntur tantùm ut veræ, ſed & ut bonæ. Evangelium non eſt tantùm *objectum contemplationis* intellectus, ſed & *objectum conſolationis* cordis, quod fides non poteſt apprehendere niſi fiducialiter. Hinc ut lacte, & cibo, & ſuaviſſimis deliciis adumbratur: Ita fides quæ circa illud verſatur cum *eſu*, *potu*, & *guſtu* ſpirituali, qui ſine fiducia dari nequit, bene confertur.

2. Ab actibus fidei. VII. 2. Ab *Actibus fidei*, Cùm enim ut ſuprà probatum in conceptu fidei includatur actus perſuaſionis, & actus refugii & receptionis Chriſti, qui ſine fiducia dari non poſſunt, eo ipſo patet fiduciam à fide non poſſe ſeparari, ſed eſſe de ejus eſſentia. Et vel ſola πληροφορία quæ illi tribuitur, hoc invictè probat. Eò pertinent loca in quibus fides per apprehenſionem fiducialem Chriſti & ſatisfactionis ejus deſcribitur, ut Joan. 1: 12. *Quotquot eum receperunt dedit hoc jus eis, ut ſint filii Dei, nempe iis qui credunt in Nomen ejus* Act. 26: 18. *ut remiſſionem peccatorum accipiant per fidem quæ eſt in me, id. Chriſtum.* Alibi fides ponitur in eo, *ut credamus mortuum eſſe propter peccata noſtra & ſuſcitatum propter noſtram juſtificationem*, Rom. 4: 25. ut per *fidem apprehendamus eum ut Placamentum à Deo conſtitutum in ſanguine ejus* Rom. 3: 25. Quo actu à cæteris fidei ſpeciebus, quæ vel promiſſionem Dei non reſpiciunt, vel non reſpiciunt eodem modo, diſtinguitur.

3. Ab effectis. VIII. 3. Ab *Effectis*, Quia proprietates & effecta, quæ fidei tribuuntur, non poſſunt eſſe nudi aſſenſus, ſed ſupponunt neceſſariò fiduciam antecedentem ut cauſam, quales ſunt pax conſcientiæ Rom. 5: 1. acceſſus ad Deum, & ad thronum gratiæ Eph. 2: 18. Heb. 4: 16. παρρησία quâ Deum tanquam *Patrem compellamus* Rom. 8: 15. Gal. 4: 6. πεποίθησις confidentia de exauditione precum Eph. 3: 12. θάρσος *audacia ſancta*, per quam confidentes ſumus in omnibus malis, καύχησις *gloriatio* in Domino Rom. 5: 11. & in adverſis Rom. 5. quæ omnia in fideli eſſe non poſſunt, niſi ſuppoſitâ fiduciâ à qua oriuntur.

IX.

IX. 4. Ab *Oppositis*, Quia diffidentia, hæsitatio, metus, pusillanimitas, quæ propriè fiduciæ repugnant, illi opponuntur Matt. 14: 31. *Homo ὀλιγόπιστε cur dubitasti*, & 21: 21. *Si habeatis fidem, non dubitabitis.* Sic de Abrahamo dicitur Rom. 4: 20. quòd per *ἀπιστίαν non hæsitaverit, sed confirmatus fuerit fide.* Luc. 8: 25. Apostolis timentibus in tempestate, *ubi est fides vestra*, inquit Christus, Jac. 1. vult eum qui aliquid petit, à Deo petere cum fide & non hæsitando; ubi hæsitatio opponitur manifestè fiduciæ, quæ in fide requiritur. Ita alibi Christus exprobrando discipulis fidei defectum, non eos arguit; quòd non assentirentur articulis fidei; sed quòd diffiderent & sibi timerent. QUÆST. X. 4. *Ab oppositis.*

X. 5. Ab *Exemplis* fidelium, quorum fides celebratur propter fiduciam, qualis Cananeæ Matt. 15. *ô mulier magna est fides tua*, quia scilicet confidebant in Christi promissione. Abrahami qui πίστει πληροφορηθεὶς dicitur credidisse sub spe contra spem Rom. 4: 21. Discipulorum, qui ad Christum sequendum omnia relinquunt, quia norunt in eo esse verba vitæ Joan. 6: 69. Pauli qui credit misericordiam sibi esse factam. 1 Tim. 1. *5. Ab exemplis.*

XI. Fides dicitur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, καὶ ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων, *substantia rerum sperandarum, & demonstratio earum quæ non videntur* Heb. 11: 1. Non tantùm quia facit bona futura subsistere speculativè in intellectu per assensum; sed præcipuè practicè in corde per fiduciam & spem. Unde Heb. 3: 6. 14. ὑπόστασιν fidei per παῤῥησίαν & fiduciam exponit Paulus. Ita ἔλεγχος dicitur invisibilium, quia per fiducialem apprehensionem sistit oculo fidei tanquam præsentia, quæ invisibilia sunt oculis corporis, ut hic non agatur de demonstratione merè logica & theoretica, quæ scientiam gignit, sed de practica & fiduciali, quæ aditum ad Deum parat Roman. 5: 2. Heb. 11: 6. Nec si inter actus fidei, de qua loquitur Paulus, refertur notitia Creationis v. 3. sequitur excludi fiduciam, quia unius positio non est exclusio alterius. Quod facilè ex exemplis ab Apostolo allatis fidei Patrum, colligitur, quæ non tantùm sunt speculativa mentis, sed & fiducialia cordis, quatenus Patres promissionibus Dei non solùm certò assensi, sed & firmiter confisi fuerunt, ut exempla Enochi, Noachi, Abrahami, Mosis, & aliorum testantur. *Fontes Solutionum. Heb. 11: 1.*

XII. Quod pro objecto habet totum Dei Verbum tam genericè quàm specificè, id non est fiducia, fateor. Sed quod pro objecto communi & generico habet totum Dei Verbum, potest habere pro proprio & specifico promissiones gratiæ. Quæ sub illud cadunt, per assensum, sed quæ sub hoc per assensum simul & fiduciam creduntur.

XIII. Licet τὸ credere aliquando sumatur pro assentiri simpliciter. Non sequitur semper ita sumi, vel totam naturam fidei solo assensu contineri; quia

QUÆST. X. quia aliis innumeris in locis τὸ credere assensum & fiduciam complectitur.

XIV. Tantùm abest, ut ex exemplo Abrahæ, de quo Rom. 4. colligi possit fidem non esse fiduciam; ut ex eo invictè demonstretur necessariò in ea includi, quia non posset dici πληροφορηθεὶς, & *credidisse sub spe contra spem*, nisi per fiduciam, quatenus firmam in corde concepit de veritate & potentia Dei fiduciam, licet omnia contraria viderentur. Ita v. 20. non posset dici *non hæsitasse diffidentiâ*, nisi quatenus per fiduciam illi oppositam confirmatus fuit adversus ea omnia quæ obstare videbantur promissioni divinæ.

XV. Si fiducia à Scholasticis dicitur *spes roborata*, hoc intelligendum de fiducia spei, quæ à fiducia, quæ propria est fidei, differt in variis, quia illa est tantùm futuri boni; Ista verò est præsentis, vel quasi præsentis, ut & præteriti. Illa pro objecto magis habet *rem Verbi*, id. bona promissa. Ista verò potius *Verbum rei*, seu promissiones ipsius. Ita tamen differunt, ut una ab altera pendeat, nec invicem separari possint.

QUÆSTIO XI.

DE OBJECTO FIDEI.

Quodnam sit objectum Fidei in genere? Et An illi subesse possit falsum? Neg.

I. Quia circa fidei *Objectum* variæ moventur Quæstiones, De illis distinctè agendum, quod quatuor Propositionibus complectimur.

Prima Propositio de objecto fidei, quòd debet esse verum, non falsum.

II. Prima Propositio, *Objectum fidei debet esse verum, nec illi potest subesse falsum.* Ratio est. Quia Verbum Dei solum est objectum fidei, quod est verissimum, nec potest ulli errori vel mendacio obnoxium esse, non magis quàm Deus ipse ejus author; qui est ipsissima veritas, quique ut non potest quenquam fallere, mentiri nescius. At si fidei posset subesse falsum, Verbum Dei posset esse falsum, Lex obligaret nos ad credendum mendacio, & fides divina esset principium deceptionis, quod implicat. Unde Paulus 1 Cor. 15: 14. vanam fore fidem Corinthiorum, & Apostolos falsos testes inventum iri ait, si Christus non resurrexit, & si credatur quod falsum est.

III. Exempla varia, quæ afferuntur ad probandum fidei posse subesse falsum, nihil tale evincunt. Ninivitæ tenebantur credere urbem suam evertendam,

dam, non absolutè & simpl. sed conditionatè tantùm, nisi resipiscerent, ut patet ex Edicto Regis Jejunium indicentis, *Quis scit an reversurus sit, & pœniteat Deum, ut reverso eo ab æstu iræ suæ non pereamus?* Jon. 3: 9. Ezechias non debuit credere falsum, quum Isaïas illi mortem denunciat, quia verbum hoc non tam fuit prædictio prophetica rei futuræ absolutè, quàm *comminatio conditionata*, ad humilem ejus deprecationem excitandam, quod ipse satis percepit, quum illico ad parietem conversus oravit Jehovam, qui etiam exaudivit ejus precationem, addendo quindecim annos vitæ ejus Isa. 38:2. 5. Vel fuit declaratio gravitatis morbi, quæ juxta naturalem rerum ordinem talem eventum debebat sortiri, nisi miraculosè Deus eum liberare vellet.

QUÆST. XI. *Jon.* 3: 9. *Isa.* 38: 25.

IV. Adam non tenebatur credere absolutè in statu integritatis vitam æternam sibi obventuram, sed tantùm conditionatè, si perstaret in obedientia, quæ conditio non fuit credenda, quia non erat promissa, sed præstanda fuit, quia præcepta. Nec si post lapsum tenebatur credere absolutè mortem sibi obventuram, debuit pariter credere ante lapsum se vitâ potiturum. Quia non est par ratio; Nam in statu integritatis, conditio adhuc erat præstanda. At post lapsum, conditio erat violata de facto, atque ita comminatio poterat in actum exeri. Interim licet post lapsum teneretur credere absolutè se esse mortis reum, de eventu nihil distinctè tenebatur credere, quia ipsi non fuit revelatus.

V. Abraham ex mandato Dei Gen. 22. de offerendo Filio suo tenebatur credere quod erat verissimum, Deum sibi hoc dedisse in mandatis, ut Filium occideret, & eventum Deo committere. Sed non tenebatur credere, fore ut Isaac à se occideretur, quod falsum erat, etsi fortè in eam opinionem devenerit, eò quòd sensum & finem mandati ad se facti non satis perciperet, sed quæ fides humana erat tantùm, non divina. Licet verò fide divinâ crediderit Abrahamus Deum potentem esse ad suscitandum Filium, si moreretur; Non sequitur pariter fide divina debuisse credere ejus mortem; Nec hoc minuere debuit ejus alacritatem in exequendo officio, quia non debuit attendere ad eventum, sed tantùm ad officium sibi præscriptum: Vel impedire potuit fidei suæ explorationem, quæ in eo satis patuit, quando non obstantibus omnibus impedimentis impletionis illius præcepti, accinxit se tamen ad ejus impletionem Deo commendans eventum. *Gen.* 22.

VI. Non tenebantur Israëlitæ credere absolutè ex Dei promissione omnes & singulos ingressuros in terram Canaan sine ulla conditione; eventus enim docuit conditionem fidei, licet tacitam, semper suppositam fuisse, quâ cùm plerique destituti fuerint, mirum non est si exclusi fuerint ab hoc beneficio.

VII. Licet teneamur credere Deum velle præceptivè & approbativè quod nunquam de facto futurum est propter contumaciam hominis, non

QUÆST. XI.

inde sequitur nos teneri credere falsum; Quia non tenemur credere hoc futurum reipsa, vel Deum illud decrevisse, sed tantùm Deum velle hoc præcipere homini, & hoc esse officium ejus, quod est verissimum.

Jer. 4: 10.

VIII. Jer 4: 10. Deus non dicitur decepisse populum effectivè; ad falsum credendum illos obligando, sed permissivè, quomodo sæpe verba sono activa, sensu sunt permissiva, vel declarativa, sinendo eos seduci & decipi per os falsorum Prophetarum, vel judicialiter eos tradendo spiritui erroris. Possunt etiam verba intelligi interrogativè, licet interrogatio desit, ut alibi non semel q. d. Tu-ne decepisti populum? Num fieri potest, ut populum lactes vanâ spe & promissione pacis, quum nihil tale cogitas?

Secunda Propositio. Non aliud datur objectum fidei, quàm Dei Verbum scriptum.

IX. Secunda Propositio, *Fidei objectum non aliud est quàm Dei Verbum scriptum juxta mensuram revelationis.* Aliud scilicet est πίστις, Aliud γνῶσις. Ista habetur etiam ex natura per intuitum Operum Dei, Illa verò tantùm ex gratia & revelatione supernaturali per auditum Verbi, quòd solum est πιστόν. Unde fides dicitur *esse ex auditu* Rom. 10: 17. Quod Paulus testatur 1 Cor. 1: 21. *Quia mundus* id. genus humanum, *in sapientia*, id. per contemplationem opificii mundi, in quo mira Dei elucet sapientia, *non cognovit Deum per sapientiam*, scilicet ad salutem, *placuit Deo Credentes servare per stultitiam prædicationis*, id. per Evangelium, quod hominum judicio videtur stultum, solam fidem, per quam Verbo credimus, substituendo cognitioni, quæ ex Operibus ejus oritur.

X. Verbum autem istud ut scriptum dicimus esse objectum fidei, contra Pontificios, qui verbum aliquod ἄγραφον dari pertendunt in voce Ecclesiæ, quod possit fundare fidem nostram; quia nullum aliud Verbum Dei θεόπνευστον agnoscimus, quàm ἔγγραφον & scriptum, cui proinde vel addere vel detrahere quicquam severè prohibemur. Licet autem Verbum quoad substantiam idem semper sit quod à fide apprehendi debet, non tamen pariter secundùm gradus, quia Deus πολυμερῶς & πολυτρόπως revelare illud voluit, modò obscuriùs, ut sub Vet. Test. modò clariùs ut sub Novo. Unde fidei objectum, non est simpliciter Verbum, sed Verbum hoc vel illo modo revelatum; Ut mensura revelationis, sit etiam mensura fidei, & quidem non eo sensu, ut fides semper pervideat, quæ sunt in objecto declarata, & prout declarata sunt; sed ut non plus videat vel videre teneatur aut possit, quàm quod revelatum est.

Tertia Propositio, Objectum vel est materiale, vel formale.

XI. Tertia Propositio, *Objectum fidei, vel est materiale, vel formale. Materiale* sunt res creditæ, nim. totum Dei Verbum, & omnes ejus propositiones, sive ad Legem, sive ad Evangelium pertineant, quæ revelatione divina & supernaturali nobis innotescunt, si non quoad τὸ διότι, seu modum & rationem; saltem quoad τὸ ὅτι. Vel explicitè & totidem verbis, vel implicitè, & per necessariam ac evidentem con-

consequentiam, quæ ad Verbum Dei pertinere probavimus Loc. I. Q. X. QUÆST. XI.

XII. *Objectum formale* innuit rationem seu causam sub qua res creduntur, nimirum principium ipsum credendi, quod est, non authoritas Ecclesiæ, ut vellent Pontificii, quia licet Ecclesia possit esse credituris motivum ad fidem, & instrumentum ac medium humanum illius, nunquam potest tamen dici ejus principium, ut suo loco visum. Sed authoritas Dei ipsius solius αὐτοπίστου, ceu primæ & infallibilis Veritatis, se revelantis in Verbo, in quam datur ultima fidei analysis, tanquam in objectum suum formale, quod solum fidem divinam fundare potest, quia in nullo nisi in solo Deo acquiescit Jer. 17: 5. 7.

XIII. Quarta Propositio, *Objectum* fidei, vel est *generale* & *commune*, Vel est *proprium* & *speciale*. Generale est totum Dei Verbum, quod ideo proponitur nobis ut credatur, sive respectu *Historiarum*, quæ facta narrant, sive respectu *Vaticiniorum*, quæ futura prædicunt, sive respectu *Dogmatum* & *Præceptorum*, quæ nullam temporis differentiam spectant, sive respectu *Promissionum* & *Comminationum*, quæ fiunt piis vel impiis, quæ omnia cadunt sub objectum fidei, licet diversimodè pro cujusque natura & conditione. *Quarta Propositio, Objectum vel est commune, vel proprium.*

XIV. Licet verò primariò & per se non sint de fide omnia, quæ continentur in Dei Verbo, ut pertineant ad fidei dogmata & articulos, & ut omnia illa scire sit de necessitate salutis. Tamen est de fide & salutis necessitate credere omnia θεοπνεύστως ad plenitudinem cognitionis Ecclesiæ fuisse scripto consignata.

XV. *Objectum proprium & specificum* fidei justificantis, non quà est *virtus Theologica*, sub quo respectu solum & totum Dei Verbum ex æquo ut verum & infallibile amplectitur. Sed quà est *conditio Evangelica*, est doctrina de Jesu Christo, & promissio remissionis peccatorum & salutis in ejus Sanguine. Quæ pro objecto proponit Deum, non simpliciter ut Creatorem & Dominum, sed ut Redemptorem & Patrem in Christo, ut Fœderatum, & nostrum, qui vult esse Deus noster, ut salutem nobis impertiatur. Atque hìc indivulso nexu conjungi debent *Deus*, & *Christus*, Deus ut summum bonum, quo beandi sumus, Christus ut medium unicum & infallibile, quo adducendi sumus ad Deum, quod Christus innuere voluit Joan. 17: 3. quum vitam æternam dicit positam esse in cognitione, id. fide Dei Patris, & illius quem misit Jesu Christi, nimirum, quia non potest salutariter cognosci aut adiri Pater nisi per Filium, qui & Patrem nobis manifestavit, & viam ad eum nobis Sanguine suo paravit Matth. 11: 27. & Joan. 14: 6. *Joan. 17: 5.*

XVI. Quum autem Deum & Christum dicimus esse objectum fidei, Cavendum est in primis, ne hoc sensu Sociniano sumamus, qui ut Divinitatem Christi evertant, distinguunt *objectum* fidei, in *primarium* & *secundarium*. *An Christus sit tantùm objectum secundarium fidei?*

QUÆST XI. Patrem esse objectum primarium, qui sit causa prima & suprema salutis nostræ, Filium verò objectum secundarium, qui sit tantùm causa secunda intermedia ac instrumentalis salutis nostræ. Fidem in Patrem terminari in ipso tanquam in objecto ultimo, sed fidem in Christum non terminari in ipso, sed per ipsum dirigi in Deum, & in hoc demum conquiescere. Illum esse cultum divinum supremum, soli Deo proprium, Istum cultum divinum subalternum, mediatum ex gratia attributum. Sic loquitur *Socinus* contra Viekum cap. 4. *Catech. Rakov.* de Persona Christi c. 1. q. 90. & 91.

XVII. Nos verò Christum quidem à Patre distinguendum censemus in fide ejusque objecto bifariam; tum Personâ, quâ ab æterno est à Patre, tum Officio, quo factus est Mediator inter Deum & homines. Sed ut nec ordo subsistendi in Personis divinis, nec Officium quod gerit, ipsarum inter se Personarum æqualitatem abolet, utpote quæ manent semper inter se ὁμοούσιοι; Ita nec disparitatem sive objecti, sive cultus religiosi circa illud inducere statuimus; ut ita sit fides, quâ in Deum Patrem & in Deum Filium θεάνθρωπον creditur, una fiducia quæ in utroque collocatur, non diversa, una suprema, altera intermedia & tantùm subalterna.

XVIII. Rationes sunt. 1. Quia Christus est verus & æternus cum Patre Deus, ut suo loco fusè demonstratum. 2. Quia æqualitas honoris & cultus

Joh. 5: 23. illi cum Pare tribuitur Joh. 5: 23. *Omnes honorare debent Filium καθὼς sicut Patrem*, id. æquali cultu, quia æqualem se faciebat Deo v. 18. & talem se O-

Joh. 14: 1. peribus demonstrabat v. 19. 21. Sic Joh. 14: 1. *Creditis in Deum, etiam in me credite*, ne scilicet cor vestrum turbetur. Quid ita? quia sum unus cum Patre Deus. Si enim non fuisset, nec arrogasset sibi quod Dei erat, nec Discipulos ad fiduciam non minus in se, quàm in Patre ponendam hortatus esset. Sic alibi passim fides in Christum æquè ac in Patrem exigitur, & in Symbolo Apostolico tres Personæ S. S. Trinitatis in objecto fidei, ordine, sed non gradu distinguuntur; nec alia in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum Sanctum, sed una eademque in tres istas Personas unius Deitatis fides exigitur. 3. Quia fides in merum hominem, qualem Sociniani Christum fingunt, sine sacrilegio poni non potest Jer. 17: 5.

Joh. 12: 44. XIX. Quum Christus ait Joh. 12: 44. *Qui credit in me, non credit in me sed in eum qui misit me.* Non vult seipsum excludere ab objecto fidei primario, sed vel loquitur ex hypothesi, nempe ex falsa opinione Judæorum, qui ipsum nudum hominem esse, & absque mandato Dei docere credebant, ut Johan. 7: 16. Vel non absolutè intelligendus est, sed comparatè, id. non tam, vel tantùm in me, sed etiam in eum qui misit me, ut Marc. 9: 37.

1 Pet. 1: 21. XX. Quum Petrus primæ cap. 1: 21. *Fides*, ait, *per Christum credere in Deum*, non removet Christum ab ejusdem objecti ambitu; Sed partim

cau-

causam & authorem fidei docet, partim ordinem notat, quo fides ascendit ad Deum non immediatè, sed mediatè per Christum Mediatorem. Sed ordo iste sapientissimo Dei consilio constitutus nihil derogat æqualitati Personarum. QUÆST. XI.

XXI. Honor & gloria dicitur tributa Christo exaltato à Patre Phil. 2: 9. 10. 11. ad cultum, non quasi eâ caruerit antea, quia fides in ipsum & adoratio jam præcepta fuerat Psal. 2: 12. imò ab æterno illam habuit Joan. 17: 5. Sed quatenus in carne & cum eo declaratus est & agnitus Filius Dei, qui antea latebat sub velo Carnis tanquam merus homo. *Phil. 2: 9. 10.*

QUÆSTIO XII.

An Fidei Justificantis Objectum proprium sive specificum, sit Promissio specialis Misericordiæ in Christo? Affirm. contra Pontifi.

I. LIcet ex iis, quæ de fiducia dicta sunt Qu. X. jam liquere possit fidem in Objecto suo potissimùm respicere specialem misericordiam. Quia tamen acriter de eo certant Pontificii, ut fidei certitudinem fortiùs impugnent, & ad nudum ac simplicem assensum conceptum ejus formalem referant. De ea etiam Quæstione paucis est agendum.

II. Quia Quæstionis Status sæpe involvitur, Observ. 1. Non quæri de *Objecto communi* & adæquato fidei, quod certum est esse totum Dei Verbum, ut antea visum, sed de *Objecto speciali & proprio*, & prout à reliquis fidei speciebus distinguitur, quod pertendimus esse promissionem Evangelicam de Christo Mediatore, & speciali misericordia, quæ in ipso datur credentibus & pœnitentibus. Fatemur enim propriè justificat & salvat, quatenus Christi meritum in Verbo Evangelii sibi revelatum apprehendit & amplectitur, & fidelis non tantùm aliis credentibus, sed sibi quoque privatim credenti remissionem peccatorum Christi merito partam esse firmiter credit. *Status Quæstionis.*

III. Non quæritur, An promissio specialis misericordiæ respiciat omnes & singulos homines, quibus proponitur Evangelium. Sed An respiciat omnes & singulos fideles, quibus facta est? Quod non satis attenditur à variis, qui ex eo quòd Nostri disputant contra Pontificios fidem habere pro objecto specialem misericordiam, colligunt specialem istam misericordiam ad omnes & singulos pertinere, & unumquemque posse istam promissionem, tanquam suam sibi applicare. Quia aliud est fidelem sibi applicare posse & de-

QUÆST. XII. debere talem promissionem. Aliud verò hominem. Cùm enim promissiones Evangelicæ non datæ sint hominibus simpliciter quà talibus, sed hominibus credentibus & resipiscentibus; Nemo nisi credens & resipiscens potest eas verè sibi applicare. Non quòd fides faciat à priori, ut tales promissiones ad eos pertineant; cùm hoc pendeat antecedenter ab Electione Dei. Sed quia est conditio & instrumentum à posteriori, per quod ex ordine Dei participes debeant fieri promissionum, & argumentum ex quo colligunt eas verè ad se pertinere.

IV. *Misericordia specialis* potest trifariam spectari, Vel ut *promittitur in Verbo* omnibus credentibus & pœnitentibus, & ut apprehendenda est ab iis. Vel ut *confertur* actu credentibus, illam apprehendentibus, & ad Christum seriò confugientibus. Vel ut *collata jam de facto* iis, qui per fidem illam apprehenderunt. Huic triplici σχέσει respondet triplex actus fidei, qui circa illam versatur. Primus, qui credit remissionem peccatorum ex speciali Dei misericordia propter Christum conferendam in futurum omnibus credentibus & pœnitentibus, adeoque & mihi si credidero. Secundus, qui credit remissionem peccatorum in præsenti mihi credenti & pœnitenti actu conferri. Tertius, qui illam intuetur ut jam collatam in præterito, quo credo mihi propter Christum, in quem scio me credere, peccata mea mihi jam esse remissa. Primus dicitur *actus dispositorius* ad justificationem, quia ad eam recipiendam nos disponit. Secundus *justificatorius*, quia eum comitatur sententia absolutoria justificationis nostræ. Tertius *consolatorius*, quia eam sequitur. Duo primi sunt directi, qui feruntur in promissionem. Tertius est reflexus qui fertur in actum directum. Illi justificationem præcedunt, si non ordine temporis, saltem naturæ, ut ejus causa. Iste verò eam sequitur ut effectus. Licet verò utrique ad fidem justificantem pertineant, non æquè tamen illi sunt essentiales, vel ab ea inseparabiles. Nam duo primi ita sunt essentiales fidei, ut sine illis nemo possit esse verus fidelis, vel justificationem consequi. Sed tertius non æqualis est necessitatis, saltem quoad exercitium & potius pertinet ad perfectionem fidei, quàm ad ejus essentiam; Cùm certum sit verum fidelem posse aliquando illo sensu carere.

V. Hinc patet applicationem specialem promissionum duplicem esse. Aliam quæ respicit remissionem peccatorum, ut bonum certò obtinendum. Aliam quæ illam intuetur, ut bonum jam collatum. Utraque distinguit fidem justificantem ab historica; Sed prima sola est præcipuus actus fidei qui nos justificat, secunda verò eam sequitur ut ejus fructus. Fides historica respicit promissionem Evangelii merè theoreticè, sine ulla applicatione. Sed fides justificans ulteriùs tendit, dum facit ut homo fidelis respiciat promissiones ut destinatas pœnitentibus, ex quorum numero ipse sit, quam applicationem, nec Dæmones nec Impœnitentes facere possunt. Hanc verò applicationem

alia

QUÆST. XII.

alia excipit per actum reflexum, quo videns fidelis se credidisse, certò persuadetur peccata sua sibi esse remissa. Prima applicatio est *fiducia adhæsionis*, per quam scilicet fit, ut homo confugiens ad Christum, illi innitatur & adhæreat. Altera est *fiducia sensus*, quæ nititur sensu Christi recepti, & in eo remissionis indultæ.

VI. Atque hinc facilè respondetur ad Quæstionem, quæ hîc moveri solet. An objectum fidei salvificæ sit remissio peccatorum, vel jam impetrata; vel adhuc impetranda? Unde Adversarii occasionem sumunt doctrinam nostram traducendi ut absurdam, quæ circulo ridiculo implicetur, quasi dicamus fidem justificantem, quâ obtinemus remissionem peccatorum, in eo consistere, ut credamus peccata nobis jam esse remissa, ut *Arnaldus* post Bellarm. fusè hoc exequitur lib. 3. cap 9. *Subversionis doctrinæ moralis* &c. Sed facile est illusiones istiusmodi & calumnias discutere. Primò remissio potest dici impetrata de *jure* per mortem Christi, in cujus sanguine remissionem habemus Eph. 1: 7. vel de *facto* per efficacem ejus applicationem, quæ fit in corde. Priori sensu bene dicitur objectum fidei esse remissionem peccatorum jam impetratam scilicet merito Christi. Sed posteriori est tantùm remissio impetranda; quia cùm fides sit causa instrumentalis justificationis, debet præcedere justificationem. At fiducia remissionis impetratæ, eam necessariò sequitur, quia persuasio de re aliqua facta, semper est posterior ipsâ re factâ, quæ est ejus objectum, nec potest esse ejus causa. Secundò *actus fiducialis*, ut jam dictum, duplex est, alter qui *præcedit justificationem*, ut ejus causa, alter qui *eam sequitur*, ut ejus effectus. Ille, qui consistit in persuasione de Satisfactione plenissima Christi pro peccatis omnium credentium præstitâ, & in refugio ad ipsum ac ejus receptione, respicit remissionem merito Christi jam impetratam, sed re ipsâ mihi credenti applicandam. Iste qui consistit in actu reflexo fidei, & in justificationis sensu, respicit remissionem, ut jam mihi applicatam. Per illum credo peccata mea mihi remissum iri de futuro, vel de præsenti hic & nunc remitti. Per istum verò peccata mihi in præterito jam remissa esse. Unde ad obtinendam remissionem peccatorum, non debeo credere peccata mihi jam remissa, ut perperam nobis impingunt; sed debeo credere peccata mihi credenti & pœnitenti juxta promissionem factam credentibus & pœnitentibus, remissum iri certissimè, quæ postea actu secundario & reflexo ex sensu fidei credo mihi esse remissa.

VII. His positis. Quæstio eò redit, An proprium & specificum objectum fidei sit promissio specialis misericordiæ Dei in Christo. Quod negant Pontificii, Nos affirmamus. Rationes sunt. 1. Quia idem est objectum fidei & Evangelii, siquidem hæc se invicem respiciunt, At Evangelii subjectum proprium & specificum est promissio specialis misericordiæ in Christo. Rom. 1: 16. Joan. 3: 16. non aliò quippe tendit, quàm ut Christum crucifixum nobis pro-

Objectum proprium fidei esse promissionem specialis misericordiæ probatur.

QUÆST. XII. proponat ut Authorem salutis omnibus credentibus & pœnitentibus, atque adeo Messiam & Redemptorem nostrum si credimus. 2. Quia fides respicit

2. A Fide. promissionem gratiæ, At omnis promissio infert specialem applicationem respectu eorum quibus fit. Licet enim in genere proponatur omnibus credentibus, quia tamen sub genere continentur omnia individua, quisquis apprehendit promissionem generalem de servandis omnibus credentibus ut veram, debet etiam eam sibi applicare in specie, si sentit se esse ex credentium numero. Cùm verò constet fidelem posse esse certum de fide sua, ut postea probabitur; Nihil obstat quominus ritè & legitimè possit sibi promissionem generalem applicare tanquam ad se pertinentem. Imò cùm promissiones non alium in finem fiant quàm ut recipiantur, omnes & singuli possunt & debent eas sibi applicare.

3. Ab Exemplis Sanctorum. VIII. 3. Quia fides Sanctorum præcipuè semper respexit specialem misericordiam in Christo, Gal. 2: 20. Paulus testatur se credere Christum se dilexisse & mortuum esse pro se, & 1 Tim. 1. Christum venisse ad servandos peccatores, quorum sit primus *&c.* Idem passim profitetur de fidelibus Rom. 8: 16. 32. 33. *&c.* Eph. 1: 3. 4. 5. 2 Cor. 5: 1. Col. 1. 1 Pet. 1. 1 Cor. 2: 12. 1 Joan. 3: 2. Nec hic recurrendum ad revelationem quandam specialem & extraordinariam, quæ quorundam sit, non omnium. Quia persuasio ista non nititur ullo privilegio certorum fidelium, sed pendet ex fundamentis generalibus, & omnibus fidelibus communibus, puta à Fœderis natura, à Christi Morte & Resurrectione, à Dei Fidelitate & sim.

4. A Sacramentis. IX. 4. Quia Sacramenta, quæ sunt sigilla promissionum particularem istam applicationem important, quatenus in eum finem instituta sunt, ut promissiones generales & indefinitæ applicentur & obsignentur sigillatim cuique fideli. Unde non in genere tantùm proponuntur, sed in specie huic & illi individuo, qui supponitur habere fidem, administrantur & proponuntur. Quæ autem est ratio Sacramentorum, eadem debet esse promissionum. Nec juvat dicere cum Bellarmino Sacramenta esse signa salutis infallibilia, non absolutè, sed ex parte sui, si homo non ponat obicem. Quia ut jam dictum, agimus hic de vero fideli, non de hypocrita, qui ponit obicem, & cui Sacramentum ideo nihil obsignat.

5. Ab obsignatione Spiritus. X. 5. Quia, Qui obsignati sunt Spiritu Sancto, & qui arrhabonem hæreditatis acceperunt, possunt sibi applicare promissiones, quia nemo signatur in spem indefinitam, sed tantùm ille cui peculiariter applicatur promissio. Arrhabo autem non datur solùm, ut quis sciat promissam esse omnibus & nullo delectu salutem paucis obventuram, sed ut norit se inter omnes & ex omnibus delectum, cui certa fieret promissio. At hoc passim de fidelibus prædicatur. 2 Cor. 1: 21. 22. Eph. 1: 13. & 4: 30. Rom. 8: 16.

XI. 6. Quia Fides justificans sine speciali misericordia non differret à fide

Dæ-

Dæmonum & Reproborum, quibus notitia & assensus competere possunt, sed non fiducia in promissionibus divinis. QUÆST. XII.

XII. Licet promissio specialis misericordiæ respectu singulorum fidelium in particulari non contineatur expresse & explicite in Verbo; implicite tamen & per necessariam consequentiam inde deducitur. Nam qui dicit, quisquis credit servabitur, dicit etiam Petrum & Johannem credentem servatum iri. Ut in Lege sub præceptis generalibus specialia continentur, & quod in genere omnibus interdicitur, etiam in specie singulis applicari debet. Ita quod omnibus in aliquo genere promittitur, potest & debet applicari singulis sub illo genere contentis. Rursus quemadmodum Christus variis in particulari promissiones applicavit, ut Paralytico, Latroni, Peccatrici. Ita easdem speciatim applicat credentibus Spiritus S. Rom. 8: 16. & Ministri Evangelii Joh. 20: 23. qui Legatione pro Christo funguntur 2 Cor. 5: 20.

XIII. Quod Apostolus Hebr. 11: 1. dicit fidem esse *demonstrationem invisibilium*, probat quidem in fide requiri notitiam & firmam persuasionem veritatis rerum, quæ proponuntur credendæ; Sed non negat fiduciam specialis misericordiæ ad eam pertinere; Imo hoc supponit necessario, quum eam dicit esse ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων. Quod addit v. 3. de Mundi creatione, & Arcæ exstructione eodem spectat. Nam ut Redemptio Creationem, sic illius notitia, hujus cognitionem supponit, ut fides justificans historicam. De Noacho autem falsum est, quod in exstructione Arcæ nihil respexerit nisi horrendum Dei judicium in delendo genere humano, de sui autem & suorum liberatione ex speciali misericordia nihil cogitarit, imò non alia de causâ Arcam exstruxit, quàm ut sibi suisque prospiceret. Quum verò vers. 6. objectum fidei dicitur esse credere Deum esse, & esse remuneratorem ipsum quærentibus, patet duo necessario conjungi, notitiam & assensum respectu Existentiæ Dei, & fiduciam præmiorum, quæ largitur gratis ex speciali misericordiâ. *Heb.* 11: 1. *vers.* 3. *vers* 6.

XIV. Cùm Christus Auditoribus suis se in objectum fidei proponat, non potest dici exegisse tantùm fidem Omnipotentiæ, vel Divinitatis suæ, sine speciali misericordiâ, quæ non alibi quam in ipso exhibetur. Patet exemplo Cœcorum Matth. 9: 27. 28. qui misericordiam ejus implorant, *Miserere nostri, Fili David*, Et Petri ac Apostolorum, qui profitentur se credere Jesum Christum esse, & Filium Dei Viventis, id. Mediatorem, qui gratiam Dei nobis erat conciliaturus, ut alibi hoc explicant Joh. 6: 68. Centurionis Luc. 7: 9. qui non tantùm credidit, quòd Christus posset per potentiam, sed quòd etiam vellet per gratiam servum suum sanare. Marthæ Joh. 11: 27. quæ asserit se credere Christum esse Messiam, qui venturus erat ad salutem hominum.

XV. Quamvis Christus Leprosum de voluntate sua non plenè persuasum

QUÆST. XII. ſanaverit Marc. 1:40. Non ſequitur fidem juſtificantem non reſpicere ſpecialem miſericordiam. Quia longè diſpar eſt ratio beneficii temporalis, & æterni. Nec ſi leproſo de ſanitatis recuperatione, de qua nullam peculiarem promiſſionem acceperat], dubitare licuit; nobis etiam, de gratiæ & ſalutis omnibus credentibus promiſſæ participatione, ſine Dei injuria dubitare licet. Deinde licet Chriſtus humanæ infirmitati ſeſe accommodans, defectus clementer diſſimulet & tegat, non propterea eos approbat, cùm alibi dubitationem de ſua benevolentiâ,& ὀλιγοπιςίαν in Diſcipulis non ſemel arguat, Matt. 8:26. & 14:31.

XVI. Fides de Reſurrectione & Divinitate Chriſti, quæ exigitur ab Apoſtolis Rom. 4. & 10. 1 Cor. 15. Act. 2:38. & 4:12. & 10:43. non excludit ſpecialem miſericordiam, ſed ſupponit, quia in eo eſt fundamentum ſalutis & conſolationis noſtræ, quòd Deus Filium ſuum in mundum miſerit, ut moreretur propter peccata noſtra, & ſuſcitaretur propter juſtificationem noſtram.

XVII. Licet Symbolum explicitè nihil habeat de miſericordia ſpeciali, ſatis expreſsè tamen illam involvit, non modò in articulo remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, ſed præcipuè ubi fides in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum deſcribitur, quæ neceſſariò infert fiducialem miſericordiæ ſpecialis apprehenſionem.

XVIII. Licet fides *quæ juſtificat* totum Dei Verbum pro objecto ſuo reſpiciat, & includat multa quæ merè ſunt hiſtorica & dogmatica. Tamen *qua juſtificat*, proprium ejus objectum eſt miſericordia ſpecialis, quia non poteſt juſtificare niſi prout reſpicit miſericordiam Dei in Chriſto.

XIX. Tantùm abeſt, ut fides ſpecialis miſericordiæ tollat è medio Orationem, Sacramenta, & bona Opera; ut eorum neceſſitatem ſupponat, quia ſunt media quibus obſignatur & confirmatur ac augetur in nobis. Nec gratia Dei ſecuritatis eſt pulvinar, vel licentiæ cauſa, ſed vigilantiæ mater, & ſanctitatis incentivum 2 Cor. 5:14. Gal. 2:20. Pſ. 130:4.

XX. Licet fides Fidelium pro menſura revelationis, vel obſcurior, vel clarior fuerit in Veteri & Novo Teſtamento, ſemper tamen pro objecto habuit ſpecialem Dei miſericordiam in Chriſto. Sub Novo Teſtamento quidem clarè Chriſtus prædicavit ſe eſſe Meſſiam Servatorem Mundi Joan. 4:26. merito mortis, Matth. 20:28. & 26:28. & efficaciâ Spiritus Joan. 4:14. & 7:37. & quidem iis qui credunt in Nomen ſuum Joann. 3. & 6. cap. Et ſi Apoſtoli non ſatis intellexerunt quod de paſſione ſua & morte dicebat Luc. 18:32. 33. 34. hoc infirmitati ipſorum, & præconceptæ opinioni de Chriſti regno temporali, quæ poſtea à Chriſto ſanata eſt, tribuendum. Sed non defectui revelationis, quæ hic ſatis clara fuit. Quoad Fideles Veteris Teſtamenti, fides eorum licet obſcuriùs habuit etiam pro objecto Chriſtum & promiſſio-

sionesgratiæ in ipso, ut constat ex Joan. 8: 56. Luc. 10: 24. Act. 10: 43. QUÆST.
Heb. 11. 1 Pet. 1: 10. 11. Et vel sola clausula Fœderis hoc evincit, quæ non XII.
potuit ab ipsis per fidem recipi, quin in Messiam etiam crederent, in quo fundatur illud Fœdus, & in quo omnes promissiones Dei sunt Etiam & Amen, 2 Cor. 1: 20.

QUÆSTIO XIII.

An forma Fidei justificantis sit Charitas, vel Obedientia Mandatorum Dei? Neg. contra Pontifi. & Socini.

Duplex Quæstio de forma fidei.

I. DUplex hic Quæstio movetur, 1. contra Pontificios, qui Charitatem volunt esse formam fidei. 2. contra Socinianos, qui formam ejus constituunt in obedientia Mandatorum Dei, de quibus distinctè agendum.

Prima cum Pontificiis.

II. Pontificii, ut fidem in se consideratam non justificare obtineant, sed totam vim justificandi à charitate mutuari, fidem distinxerunt in *formatam*, & *informem*. *Informis* dicitur illis, quæ à charitate sejuncta est, *formata* verò, quæ à charitate tanquam formâ perficitur, quod operosè adstruunt Scholastici in 3. Sent. D. 23. Illi quidem inesse volunt quicquid creditu necessarium est, sed charitatem debere illi adesse & cum illa concurrere ad nostri vivificationem & justificationem coram Deo. Quia verò videbant opponi posse, fidem habere suam internam formam, per quam constituatur, & sit vera fides, & ab aliis distinguatur, ideoque à charitate quæ sit distincta virtus ab ipsa, non posse formari. Respondent charitatem non esse formam essentialem fidei; sed quoniam perfectionem aliquam addit fidei, metaphoricè dici posse formam ob analogiam ad formam propriè dictam, quæ suo modo subjectum perficiat, ut loquitur *Grego. de Valen.* Tom. 3. disp. 1. Q. 4. Vel ut *Durandus* exponit in lib. sen. charitatem non esse formam fidei secundùm *esse naturæ*; imò posse separari à fide; Sed quoad *esse meritorium*, quatenus meretur vitam æternam, quia actus fidei non est meritorius, nisi quatenus imperatur à charitate, sine qua non habet rationem meriti, & per quam homo est gratus Deo.

III. Sed hæc opinio duplici falsissimo nititur fundamento. Primum est dari aliquam veram fidem informem: Cùm enim forma det esse rei, fidem dari informem est ἀσύςατον. Alterum est de merito Fidei & Operum, ut suo loco demonstrabitur. Ideo tanquam falsa & absurda meritò rejicitur. Nec potest

QUÆST. XIII. test confirmari ex loco Gal. 5:6. ubi fides dicitur ab Apostolo, *δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, *per charitatem efficax*, quia hoc non *passive* est intelligendum, ut vellent Adversarii, ut fides dicatur reddi operosa per charitatem, quasi universam suam efficaciam mutuetur à charitate, quia eam potius largitur aliis, ut earum causa & radix, quàm ab illis recipit. Sed *active*, ut sæpè alibi sumitur verbum ἐνεργεῖσθαι Rom. 7:5. 2 Cor. 1:6. & 4:12. Col. 1:29. Jac. 5:16. quatenus est illudquod à fide producitur ut terminus, non quod producit fidem ut principium, id. quod post se trahit charitatem, & in qua producenda sese exerit & manifestat. Atque ita Paulus vult probare non quamvis fidem in Christo valere, sed solam veram & vivam, quæ actuosa est per charitatem & bona opera, ut actiones charitatis à fide sint *imperative*, non *elicitivè*.

Jac. 2: 26. IV. Non melius sententia Adversariorum probatur ex Jac. 2:26. ubi *fides sine operibus* dicitur *mortua*, quia hoc non est intelligendum de causalitate operum ad vitam fidei à priori, quasi opera redderent fidem vivam, sed de declaratione à posteriori, quia opera vivam demonstrant. Ut *corpus* dicitur *mortuum sine spiritu*, id. cognoscitur mortuum ex defectu respirationis & halitus, hic enim πνεῦμα pro πνοῇ seu respiratione usurpatur.

2. Cum Socinianis. V. Sociniani, ut faciliùs evertant fiducialem apprehensionem Satisfactionis Christi, in qua fidei essentiam constituunt Orthodoxi, & ita justitiam operum, utut tam expresse distinctam à justitia fidei in scriptura, retineant; Nihil aliud esse volunt fidem, quàm obedientiam mandatorum Dei; Ita ut bona opera non tàm sint fructus fidei, quàm ejus forma, ut loquitur *Ostorod.* Inst. c. 2. & *Volkel.* l. 4. c. 3. de Fide, ubi tertium gradum fidei collocat in obedientia Mandatorum Dei. *Tertius*, inquit, *est Christo confidere, perque ipsum Deo, atque adeo spe immortalitatis subnixum, totum se ad Dei studium accommodare, id est, Christi, & sic etiam Dei Præceptis obtemperare.*

VI. Sed contrà fides non potest esse obedientia Mandatorum, Quia sic confunduntur duæ virtutes, quæ inter se sunt distinctæ, *fides* & *charitas* 1 Cor. 13:13. Illa versatur circa promissiones Evangelii. Ista circa præcepta Legis, quæ ideo dicitur finis seu *impletio Legis*, Rom. 13:10. Illa est causa, ista effectus, *nam finis mandati est charitas ex mundo corde, & fide minime simulata* 1 Tim. 1:5. Illa est instrumentum justificationis; Hæc verò fructus consequens. Unde in negotio justificationis opponuntur fides, & opera, ut opposita & contraria Rom. 3:28.

VII. Nec reponi potest opera opponi fidei in justificatione, non quævis, sed perfecta, & Legi per omnia consentanea. Quia clarum est ex Paulo, omnia omnino opera sive perfecta, sive non, opponi fidei in justificatione. Nec fidem justificare ut opus, quod πρῶτον est ψεῦδος Adversariorum, qui ita confundunt Legem cum Evangelio, & conditionem Fœderis gratiæ cum conditione legali, ut suo loco demonstrabitur.

VIII.

VIII. Licet τὸ credere sit obedire mandato credendi, præscripto in Evangelio 1 Joan. 3:23. Non ideo fides bene dicitur obedientia Mandatorum Dei, ex sensu Adversariorum, qui mandata hic intelligunt Præcepta Legis, quæ nobis facienda & implenda sunt bonis operibus, non mandatum Evangelii, quod præscribit nobis fidem in promissionibus gratiæ. Et si fides dicitur *opus Dei* Jo. 6:29. hoc fit potius μιμητικῶς ratione habita ad petitionem Turbarum, quæ rogaverant quid sibi faciendum esset, ut operarentur opera Dei, quia fides dare ipsis poterat, quod frustra quærebant in operibus Legis. Ut alibi Evangelium nomine Legis donatur, & opera charitatis & beneficentiæ Jejunium vocantur Is. 58:6. 7. quia præstant reipsa quod frustra quærebant Judæi in Jejuniis suis hypocriticis.

QUÆST. XIII.

Joan. 6:29.

IX. Fides, quâ fuit justificatus Abraham, non potest dici obedientia Mandatorum, Licet conditio obedientiæ ipsi præscripta sit Gen. 17:1. nam promissionis fidem fuisse apertè docetur Gen. 15:5. 6. & Rom. 4:11. 13. 16. Ambulatio verò coram Deo, de qua Gen. 17:1. agitur, non est conditio justificationis fidei, sed ejus effectum. Nec oblatio filii ejus, causa ejus etiam dici potest, quia jam ante triginta annos justificatus fuerat. Gen. 15. Ergo particula causalis *quoniam*, vel *quandoquidem*, quæ habetur Gen. 22:16. est causa seu nota consequentiæ, non consequentis.

X. Licet autem charitas non sit forma fidei, sed ab ea distinguatur, non propterea potest dici ab ea separabilis, ut vellent Pontificii, *Bellarm.* lib. 1. de Justif. c. 15. Quia proprium & immediatum est fidei effectum, quòd à causa sua separari nequit. Unde dicitur efficax per charitatem Gal. 5:9. & sine operibus mortua Jac. 2:21. Hinc Johannes cognitionem Dei sine ejus cultu falsam esse & mendacem asserit 1. c. 2. 4. *Qui dicit novi eum, & Mandata ejus non observat, mendax est, & veritas non est in eo.* Et cap. 3:23. Mandatum Evangelicum ad fidem & charitatem refert, tanquam duos characteres verorum fidelium ad invicem inseparabiles.

An charitas a fide sit separabilis? Neg.

XI. Nec contrarium potest probari, Vel ex 1 Cor. 13:2. quia agitur ibi de fide Miraculorum, non de fide justificante, ut suprà dictum. Nec obstat quod v. 13. agitur de fide salvifica, quia non est conclusio oriens à præcedentibus, sed novum argumentum, idque postremum à comparatis, nimirum à fidei cessatione, & duratione charitatis. Vel ex Joan. 12:43. ubi agitur de Principibus credentibus in Christum. Quia non potuit esse vera fides justificans, siquidem *dicuntur magis dilexisse gloriam hominum, quam gloriam Dei*, quod fidelibus non competit. Unde fuit tantùm assensus theoreticus ortus ex evidentiâ doctrinæ Christi, & virtute Miraculorum ejus, non verò fiducialis & practicus. Nec si in eodem capite τὸ credere in Christum de vera fide sumitur, debet etiam hic sumi eodem modo, quia circumstantiæ variant. Vel ex eo quòd quis *dicit se fidem habere*, quæ sit sine ope-

QUÆST. XIII. operibus Jac. 2: 14. Quia aliud est fidem reipsa habere, Aliud *dicere se eam habere*, quod faciunt hypocritæ, inani fidei professione se jactando. Si fides in cœlo debet cessare manente charitate 1 Cor. 13: 8, hoc intelligendum formaliter quoad modum cognitionis qui cessabit, non materialiter quoad substantiam notitiæ, quæ eadem futura est, quia cognitio quæ hic inchoatur per auditum Verbi in lumine Gratiæ, consummabitur per aspectum in lumine Gloriæ.

1 Cor. 13: 8.

QUÆSTIO XIV.

DE SUBJECTO FIDEI.

An Infantes habeant Fidem? D.

Status Quæstionis. De Fide Infantium.

I. Circa *Subjectum Fidei* quæstio movetur quoad *Infantes*, In qua peccatur bifariam, 1. in *Defectu* ab Anabaptistis, qui omnem fidem Infantibus denegant, & sub hoc prætextu eos à Baptismo excludunt. 2. In *Excessu* à Lutheranis, qui, ut se opponerent Anabaptistis, in aliud extremum sunt delapsi, Statuentes infantes in Baptismo regenerari, & fide actuali donari, ut constat ex Colloquio Mompelgardensi. *Brokmannus* de Fide Justifi. cap. 2. q. 10. *Nostrorum Theologorum rotunda assertio est, quod fides actualis jure justissimo tribuatur infantibus.*

II. Orthodoxi inter duo extrema medium tenent, fidem actualem denegant infantibus contra Lutheranos, & fidem seminalem, seu radicalem & habitualem illis tribuendam esse contra Anabaptistas statuunt. Ubi ante omnia notandum. Non agi de quorumvis parentum infantibus etiam Infidelium & paganorum, sed tantùm Fidelium, seu Christianorum & Fœderatorum. 2. Nec de omnibus & singulis, quasi nemine excepto talis fides omnibus detur; quamvis enim de eorum salute bene sperare nos jubeat charitas Christiana, non possumus tamen pro certo statuere omnes & singulos ad Electionem Dei pertinere, sed hoc arcano Dei consilio & supremæ libertati relinquimus. Siquidem Prædestinatio Dei inter infantes discrimen facit Rom. 9: 11. & promissio Fœderis, non in carnis, sed in promissionis filiis rata est v. 8. Agitur ergo hic indefinitè de cujusvis ordinis ac conditionis infantibus, qui ad Electionem Dei pertinent, quos discernere non est humani judicii.

Infantes non habere fidem actualem, contra Lutheranos probatur. 1. Quia nullius rei actualis notitia in ipsos cadit.

III. Sententiam nostram duabus Propositionibus complectimur. Prima opponitur Lutheranis. *In Infantes non cadit fides actualis.* Rationes sunt 1. Quia in eos nullius rei actualis notitia cadit, unde dicuntur non cognoscere

re bonum aut malum, nec discernere posse inter dextram & sinistram Deut. 1:39. Is. 7:16. Jon. 4:11. Nec excipi debet 1. Nasci tamen nobiscum multarum rerum notitias. Quia aliud est habere principia & semina notitiarum in communibus notionibus nobis insitis, quod concedimus. Aliud habere actualem notitiam, quod negamus. 2. Fidem non pendere ab usu rationis, imò debere subjugare in sui obsequium rationem 2 Cor. 10:5. Quia aliud est fidem pendere ab usu rationis tanquam à principio. Aliud fidem supponere rationem tanquam subjectum. Prius negamus cum Paulo, qui ideo vult captivari rationem in obsequium fidei. Posterius statuimus cum eodem, qui vult cultum nostrum spiritualem esse λογικὸν Rom. 12:1. Ubi ergo non datur usus rationis, ibi nec usus seu exercitium fidei dari potest. QUÆST. XIV.

IV. Secundò. Quia Infantes non sunt capaces actuum fidei, nec notitiæ, quia non datur sine actione intellectus, nec assensus, qui debet ferri in objectum cognitum, nec fiduciæ, quæ versatur in speciali applicatione promissionis gratiæ. Ergo nec fidei, quæ tribus istis actibus constat. Imò ἀσύστατον est dari motum intellectus, vel voluntatis sine cognitione, quæ ad illos semper supponitur. *2. Quia actus fidei in eos non cadunt.*

V. Tertiò. Quia non sunt capaces auditionis & meditationis Verbi, ex quo fides concipitur, *Fides enim est ex auditu*, Rom. 10:17. Nec dicendum cum Brokmanno Deum destinasse Baptismum, ut lavacrum aquæ in Verbo regenerandis infantibus, ut pro Adultis destinavit auditionem Verbi. Quia, quamvis Baptismus sit signum externum gratiæ regenerationis, ad cujus præsentiam Deus infantibus eam potest dare per Spiritum sine Verbi auditu; Non potest tamen dici illis dari fidem actualem, quæ talis esse non potest, nisi quatenus actu se exerit circa auditum Verbi. *3. Quia non sunt capaces Verbi.*

VI. Parvuli, de quibus agitur Mat. 18:6. qui dicuntur in Christum credere, non sunt infantes in tenella ætate, sed pueri, qui aliquem rationis usum jam habent; quia de iis agitur, qui possunt *vocari* & *scandalizari*, quod in infantes non cadit, nullâ dum boni vel mali notitiâ præditos. Nec obstat vel nomen παιδίων, quod illis tribuitur, quia generale est, non minus adultioris ætatis pueros, quàm infantes significans. Vel vox βρέφους, quæ habetur Luc. 18:15. quia, præterquam quod non occurrit Matth. 18. ubi agitur de parvulis credentibus, potest etiam ad ætatem capacem institutionis extendi, ut Timotheus dicitur *ἀπὸ βρέφους didicisse Sacras Literas*, 2 Tim. 3:15. Adde Christum hic per παιδία, quæ in ipsum credunt posse intelligere adultos, qui humilitate, innocentiâ, & modestiâ pares sunt infantibus. Nec concludi potest infantes & pueros spirituali intelligentiâ pares esse, cùm ætas nihil conferat ad fidem. Quia licet ætas nihil conferat ad fidem, ut causa efficiens per se, requiritur tamen ad eam, ut subjectum recipiens, quia unumquodque recipitur ad modum recipientis. *Fontes Solutionum. Matt. 18:6.*

VII. Quum Apostolus ait, *sine fide impossibile esse placere Deo* Heb. 11:6. *Heb. 11:6.*

lo-

QUÆST. XIV.

loquitur de Adultis, quorum exempla varia ibidem commemorat quibusque solis convenit proposita fidei descriptio Heb. 11: 1. Infantium verò alia ratio est, qui placent Deo propter Satisfactionem Christi ipsis donatam & imputatam à Deo ad remissionem peccatorum obtinendam, etiamsi eam nec apprehendant ipsi, nec apprehendere possint per ætatis defectum.

VIII. Licet fides pendeat ab operatione Spiritus effectivè. Potest etiam pendere utcunque à ratione instrumentaliter & subjectivè, quia est instrumentum, quo elicitur fidei actus ex mente renovata per subjectum in quod recipitur. Unde sublato usu rationis nulla potest dari fides actualis.

Mat. 28:19. IX. Causa Pædobaptismi non est fides actualis infantium, cujus non magis capaces sunt, quàm illius institutionis, quà docentur Adulti, & discipuli Christi fiunt Matth. 28: 19. Sed tum mandatum generale de omnibus Ecclesiæ membris baptizandis, tum promissio Fœderis parentibus juxtà ac liberis facta Gen. 17: 7. Act. 2: 39. Nec inde sequitur Sacramentum sive fides utentis esse inanem cæremoniam, quia hoc locum tantùm habet in Adultis, qui fidei sunt capaces, & in quibus ideo dari debet mutua stipulatio à parte Dei & hominis. Sed non respectu infantium, quibus non desinit à parte Dei esse efficax & ratum Sacramentum, licet à parte hominis non possit cognosci, vel per fidem recipi.

X. Aliud est fructum consequi Baptismi per obsignationem activam à parte Dei. Aliud fructum ejus sentire per obsignationem passivam à parte fidei. Prius infantibus bene tribuitur, sed non posterius.

XI. Exempla Jeremiæ, & Joh. Baptistæ, docent quidem Infantes capaces esse Spiritus S. & eum etiam in hac ætate donari, sed non potest colligi ipsos actu credidisse. Jeremias quidem dicitur sanctificatus ab utero in Prophetam Dei. Et Johannes exiliisse in utero matris ad præsentiam Christi, sed neuter actu credidisse dicitur. Adde quòd, etsi quid tale ipsis tribueretur, non valeret consequentia, quia hoc esset singulare & extraordinarium, ex quo non debet colligi regula universalis.

XII. Aliud est Deum laudare subjectivè & formaliter ex notitia & affectu. Aliud objectivè & materialiter. Infantes dicuntur Deum laudare posteriori sensu non priori, quatenus Deus in eorum cura & conservatione gloriam suam mirificè ostendit Psal. 8: 3.

Propositio, Datur in Infantibus fides seminalis.

XIII. Secunda Propositio. *Licet in Infantes non cadat fides actualis; Non potest ipsis negari semen seu radix fidei, quæ à Spiritu Sancto ipsis à teneris ingeneretur, & suo tempore exeat in actum, accedente foris institutione humanâ, & intus majore efficaciâ Spiritus Sancti.* Opponitur Anabaptistis, qui fidem omnem non modò quoad actum, sed etiam quoad habitum

&

&c formam denegant infantibus. Licet verò fides habitualis, prout vox habitus propriè & strictè solet usurpari pro perfectiore consummatiore statu, non benè illis tribuatur, rectè tamen de illis prædicatur latè, prout notat fidem potentialem seu seminalem. Per *semen* autem *fidei* intelligimus Spiritum Sanctum fidei & regenerationis Effectorem, ut vocatur 1 Joh. 3: 9. quoad principia regenerationis & sanctas inclinationes, quas jam operatur in infantibus pro modulo ipsorum, mirà ac nobis ineffabili ratione; quæ postea maturiore ætate in actum exeunt, accedente humanâ institutione, & gratià ejusdem Spiritus opus suum promoventis, quibus semen illud excitari & in actum deduci solet. QUÆST. XIV.

XIV. Rationes cur ita statuamus sunt. 1. Quia promissio Fœderis non minus ad Infantes, quam ad Adultos pertinet; siquidem Deus pollicetur se fore *Deum Abrahami, & seminis ejus* Gen. 17: 7. & Act. 2: 39. promissio dicitur facta *Patribus & Liberis*. Ergo & beneficia Fœderis, qualia sunt *remissio peccatorum*, & *sanctificatio* ad eos pertinere debent ex Jer. 1: 32. & pro statu ipsorum à Deo ipsis communicantur. Quo sensu juxta quosdam fidelium liberi dicuntur *sancti* Paulo 1 Cor. 7: 14. Licet hoc melius referatur ad sanctitatem externam & fœderalem quæ illis competit, secundùm quam, quia nascuntur ex parentibus fœderatis & Christianis, saltem ex altero, censentur etiam in *sanctitate* geniti, id. in *Christianismo*, & non in Ethnicismo, qui status erat ἀκαθαρσίας & impuritatis. *1. Quia fœdus ad ipsos pertinet.* *1 Cor. 7: 14.*

XV. 2. Quia ad infantes pertinet Regnum cœlorum Matt. 19: 14. Ergo & regeneratio, sine qua non datur ad illud introitus Joh. 3: 3. 5. Licet autem Christus hoc Adultis proponat in exemplum humilitatis, ut similes pueris quoad mores esse debere ostendat, ut in regnum cœlorum admittantur; Non excludit tamen, sed includit in ista promissione ipsos infantes, à quibus facit initium. *2. Regnum cœlorum ad eos pertinet. Mat. 19: 14.*

XVI. 3. Quia dantur exempla variorum infantium, qui sanctificati fuerunt ab utero, ut constat ex Jeremiâ, & Johanne Baptistâ Jer. 1: 5. Luc. 1: 15. 80. Licet enim quædam hic occurrant singularia & extraordinaria, quæ ad ipsos solos, non ad alios pertinebant, benè tamen hinc colligitur infantes participes fieri posse Spiritus Sancti, qui cùm otiosus esse non possit, operetur in ipsis motus & inclinationes ætati ipsorum convenientes, quæ dicuntur *semen fidei*, seu principia sanctificationis. *3. Exempla Infantium qui sanctificati fuerunt Jerem. 1: 5. Luc. 1: 15. 80.*

XVII. 4. Quia infantes trahunt ex naturali generatione κοινὰς ἐννοίας, & principia tam theoretica quàm practica Legis naturalis, & si Adam in integritate perstitisset, imago divina, quæ in sanctitate consistit, per propagationem ad liberos ejus transiisset. Quid obstat ergo quin ex supernaturali regeneratione accipiant semina quædam fidei, & primordia sanctificationis, cùm non minus capaces sint istorum per gratiam, quàm illorum per naturam? *4. Datur in ipsis κοιναὶ ἐννοίαι.*

QUÆST. XIV. *Fontes Solutionum.*

XVIII. Licet non videantur in infantibus indicia, ex quibus colligi possit eos esse donatos Spiritu Sancto & semine fidei, quia hoc per ætatem non licet: Non sequitur hoc ipsis esse denegandum, cùm ratio salutis ipsorum necessariò hoc postulet, & exemplis allatis contrarium pateat.

XIX. Ut ante rationis usum homines rationales benè dicuntur, quia habent principium rationis in anima rationali. Ita nihil obstat fideles dici ante fidem actualem, quia semen quod datur ipsis, est principium fidei, ex quo rectè denominantur, quomodo peccatores rectè dicuntur, licet peccati actus nondum exerere possint.

XX. Si qui ex Nostris negant fidem esse in infantibus, vel ipsis ad salutem esse necessariam, ut ex quibusdam locis *Martyris*, *Bezæ*, *Piscatoris*, colligitur. Certum est hoc de fide actuali intelligi adversus Lutheranos, non de semine fidei, vel Spiritu regenerationis, quem infantibus tribui non semel asserunt. *Martyr.* lo. com. Cl.4. cap. 8. p. 826. postquam dixit Scripturam Sacram non dicere parvulos credere &c. addit, *Judico satis esse, ut statuantur qui servandi sunt, eo quod per Electionem ad peculium Dei pertineant, Spiritu Sancto perfundi, qui radix est fidei, spei, charitatis, & omnium virtutum, quas postea exerit & declarat in filiis Dei, quum per ætatem licet.* Ita Calvin. lib. 4. Instit. cap. 16. sect. 17. *At quomodo, inquiunt, regenerantur infantes, nec boni nec mali cognitione præditi? Nos autem respondemus, opus Dei, etiamsi captui nostro non subjaceat, non tamen esse nullum. Porrò infantes qui servandi sunt, ut certe ex ea ætate omnino aliqui servantur, antè à Domino regenerari minime obscurum est. Nam si ingenitam sibi corruptionem e matris utero secum afferunt, eâ purgatos esse oportet, antequam in Regnum Dei admittantur, quò nihil ingreditur inquinatum & pollutum.* Quod fusè persequitur in sequentibus.

QUÆSTIO XV.

An Fides Temporaria differat tantùm gradu & duratione; An etiam specie à Fide Justificante? Prius Neg. Poster. Affirm. contra Remonstr.

I. QUæstio hæc mota fuit à Remonstrantibus circa discrimen Fidei temporariæ & justificantis. Nam ut Apostasiam Sanctorum evincerent, argumento à Temporariis petito potissimùm utebantur. Cùm verò Nostri responderent, non fuisse eos veros fideles, nec fidem eorum salvificam

cam & justificantem, sed totâ specie à fide verorum fidelium differentem. Illi contra discrimen tantùm graduale voluerunt esse, non specificum, ut solâ duratione & perseverantiâ, non vero ipsâ naturâ differrent ab invicem, ut loquuntur in Declarat. exhib. *Fides πρόσκαιρος est vera fides justificans, & Deo grata, quamdiu durat, nec differt specie à vera fide ad finem duraturâ.* Orthodoxi, licet in variis similes esse non diffiteantur, specificum tamen & essentiale discrimen intercedere statuunt. QUÆST. XV.

II. Rationes sunt 1. Quia fides salvifica differt à temporali in *origine & fundamento*. Nam illa fluit à Gratiâ speciali Electionis. Unde dicitur *fides Electorum* Tim. 1: 1. qui datur tantum iis qui vocati sunt κατὰ πρόθεσιν Rom. 8:28. & ordinati ad vitam æternam Act. 13:48. Ista verò pendet à Gratia communi, quæ etiam Reprobis certa beneficia, non modò externa & temporalia, sed etiam spiritualia, & dona initialia, licet non salutaria, largitur ad alicujus amoris generalis testificationem, & ad reatum eorum augendum, suppositâ eorum contumaciâ. Hinc Paulus 2 Tim. 2: 19. loquens de apostasia Hymenæi & Phileti, dicit, *nihilominus fundamentum Dei firmum stare*, id est, non ideo nutare fidem verorum fidelium, quæ immoto Electionis Dei nitatur fundamento. *Fides temporaria differt à justificante ratione originis.* *Tit. 1:1.*

III. 2. Ratione *subjecti* recipientis, tum τοῦ, quod in fide justificante est Electus Tit. 1: 1. Rom. 11:7. In Temporaria, reprobus Matt. 24: 11. 1 Joh. 2:19. Tum ἐν ᾧ, quod in illa est *cor bonum*, In ista *cor petrosum*: Nam fides πρόσκαιρος est in *solo petroso*, nimirum in corde lapideo & ingrato Matth. 13: 20. sed salvifica recipitur in *terra bona*; vers. 23. quæ explicatur per καρδίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν Luc. 8: 15. *cor bonum & honestum*, id est, egregiè bonum, nam conduplicatio facit ad epitasin, ex græco dicendi genere. Tale autem cor, cùm non possit esse à natura, debet nobis dari à gratia, dum aufert à nobis cor lapideum & dat carneum Ezech. 36. Quod cùm non detur Temporariis, qui cor lapideum suum retinent; eo ipso totâ specie eorum fides a fide salvifica differre debet. *2. Ratione subjecti recipientis.* *Mat. 13:20.*

IV. 3. Ratione *principii interni*, & *modi radicationis*. Nam fidei salvificæ principium est Spiritus regenerationis & adoptionis Joh. 3: 5. Rom. 8: 15. sed fidei temporariæ Spiritus illuminationis, Heb. 6: 4. *Modus radicationis* est profundus in illa, & superficialis in ista. Fides justificans radicata est intimè in corde, utpote quæ consistit in profunda, penitissima, vitali, & amica ac efficaci impressione, per quam Verbum fit ἔμφυτον, & fide contemperatum Jac. 1: 21. Heb. 4: 2. Et fideles sunt ἐρριζωμένοι ἐν ἀγάπῃ Ephes. 3: 18. *radicati in Christo & confirmati in fide* Col. 2: 7. At fides πρόσκαιρος *radicem non habet*, Matth. 13: 21. id est superficie extima animæ hæret, scilicet in intellectu, non ad cor ipsum penetrat, nec veram fiduciam in Christum habet, cujus vi Christo unimur tanquam fundo *3. Ratione principii interni & radicationis.* *Mat. 13:21.*

QUÆST. XV.

solido & optimo à quo succum vitæ ducimus Heb. 3: 14. Rom. 11: 17. 20.

4. Ratione effectuum. Luc. 8: 6.

V. 4. Ratione *Effectuum*. Nam fides πρόσκαιρος, ut est in terra petrosa, quæ radicem non habet, ita manet ἄκαρπος infrugifera & sterilis, quia semen statim enatum exaruit, φυὲν ἐξηράνθη Luc. 8: 6. quia non habet humorem, nec radicem ex qua hauritur, nec βάθος τῆς γῆς profundam terram, quam radix alta postulat. Sed fides salvifica ferax est & frugifera, & qui eâ præditi sunt, dicuntur καρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ, *fructum ferre constanter*, & quidem copiosum, Mat. 13: 23.

5. Ratione actuum fidei.

Quoad notitiam.

VI. 5. Ratione *Actuum essentialium* fidei, puta, notitiæ, assensus, & fiduciæ: Nam in fide justificante *notitia* est *profunda* in imo hærens corde; experimentalis, non solo auditu hausta, sed ipso experientiæ sensu confirmata 1 Pet. 2: 3. Phil. 1: 9. *viva* & *practica*, non lucem tantùm gestans, sed & calorem 1 Joh. 2: 4. Sed in temporaria, notitia est *superficialis*, & *theoretica*, quæ hominem doctiorem, sed non meliorem reddit.

Quoad assensum.

Assensus in illa est certus & solidus, in quo est πληροφορία τῆς συνέσεως Col. 2: 2. ut in res credendas feratur actione quasi intuitiva, absentia tanquam præsentia sibi sistendo, & invisibilia ut visibilia, quà ratione dicitur esse ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, & ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων Heb. 11: 1. Sed in temporaria assensus est debilis & lubricus, cum perpetua titubatione & hæsitatione conjunctus, unde absque radice dicitur, & obortis tentationibus facilè concidit & prosternitur Matth. 7: 26. 27.

Quoad Fiduciam.

Fiducia in fide justificante est vera ac realis, orta quippe ex penitissima gratiæ Dei cognitione & sensu 1 Tim 1: 5. 2 Tim. 1: 5. In Temporaria verò fucata & levis, in solis hærens labiis, nec cor ipsum attingens, quæ vana proinde præsumptio & confidentia est potius, quàm vera fiducia, qualis in Juvene illo Matth. 19. deprehenditur, & hypocritis variis de gratia Dei & salute temerè gloriantibus. Nec obscura ratio, siquidem isti salutem Evangelio promissam ad se pertinere imaginantur, vel sine ullo fundamento, vel ex falso; dum absque ullo sui examine, quod ut molestum nimis ac rebus suis incommodum refugiunt, ipsi sibi stultè blandientes, gratiam Christi fastuosè sibi arrogant, & vano illi somnio securè indormiunt, non inquirentes, nec volentes inquirere, quodnam sit imaginationis suæ fundamentum, quod aliquando petunt à conceptu falso de universali Dei misericordiâ, & nescio quâ facilitate Fœderis Evangelici, vel à communione externa Ecclesiæ & cultus religiosi, vel ab honestate quadam morali, quia paulò minus mali sunt nequissimis, vel à securitate quadam dormientis & torpentis conscientiæ, quam sibi fingunt esse pacem & consolationem Spiritus Sancti, quibus seipsos perperam decipiunt, quasi sufficientia gratiæ Dei indicia forent. Sed veri fideles longè aliter se comparant, ex intimo quippe miseriæ suæ sensu ad gratiam Christi anhelantes, & illam firmâ fide, sed submissâ cum humilitate apprehendentes, non tamen

de

de ea tanquam sua gloriari audent, nisi post exactum tum gratiæ κριτηρίων, tum proprii cordis sui examen, & postquam diligenti scrutinio certa & infallibilia gratiæ argumenta & effecta in se deprehenderint. QUÆST. XV.

VII. Hoc verò luculentiùs confirmatur ex variis fiduciæ istius actibus antè notatis, sive quoad *persuasionem* intellectus, sive quoad *refugium* voluntatis & receptionem ac adhæsionem Christo. Nam *persuasio* quidem in veris fidelibus certa est & verissima, nata ex manifestatione veritatis ac bonitatis promissionum gratiæ, quam ut inæstimabilem thesaurum respicit, & pro merito æstimat. Sed in προσκαίροις incerta ac levis est, pro ratione luminis illi indulti, quæ licet gratâ veritatis Evangelicæ novitate, & raritate utcunque afficiatur, nunquam tamen plenè persuadetur de ejus bonitate, tanquam summâ & inæstimabili, propter quam omnia deserenda sint. Unde quoties alia animo obversantur, quæ magnâ voluptatis vel utilitatis specie blandiuntur, vel quæ malum aliquod talem doctrinam profitentibus inferunt, facilè patitur ideas istarum veritatum, quæ commodis suis adversantur, obliterari, & aliud judicium practicum à Carne fieri de sequendo mundo & abnegando Christo. Unde non mirum si in actu *refugii*, mirum quantum inter se discrepent. Nam ut fides justificans planè est persuasa de miserrimâ suâ conditione, & summâ gratiæ necessitate & excellentiâ, & Deum ut summum Bonum, Christum ut unicum & perfectissimum Servatorem respicit; Non potest quin ferventissimo affectu & desiderio ad eum confugiat, & oblatum recipiat & amplectatur absolutè & totaliter, illique indivulso nexu uniatur & constantissimè adhæreat 1 Cor. 6: 17. rejectis etiam aliis omnibus, quæ hanc unionem & communionem impedire possent Matt. 13: 44. & 19: 27. Phil. 3: 7. 8. 9. & parata quidvis agere & pati pro Christo lucrando & retinendo Luc. 9: 23. & 14: 26. 27. Mat. 16: 24. 25. Act. 15: 26. Sed ut πρόσκαιρος levem habet & incertam persuasionem, frigidè etiam & remissè ad Christum recurrit, & si eum apprehendit & recipit, hoc fit potius ore, quàm corde Matth. 15: 8. Vel si recipit in anima, hoc est potius in intellectu per cognitionem, quàm in voluntate per amorem Tit. 1: 16. Vel si voluntate & corde, nunquam hoc facit toto corde, sed *dimidiato* & diviso inter mundum & Christum, ut se totum Deo nunquam tradat, sed aliquid cum Anania Act. 5. νοσφίζειν, & sibi servare velit. Unde δίψυχοι vocantur hypocritæ Jac. 1: 8. qui *cor & cor* habent, id. partim Deo, partim mundo adhærens; Nec absolutè & illimitatè sine ulla restrictione, ut fieri debet à verbis fidelibus, sed *conditionatè* & limitatè cum reservatione mentali, modò professio veritatis non noceat commodis suis, & liceat ipsi juxtà cum Christo potiri suis opibus, honoribus, deliciis, & aliis vitæ commodis. Quæ ubi ἀσύστατα esse videt, recedit potius à Christo, & eum turpiter deserit, quàm ut mundo & ejus deliciis nuncium mittat Luc. 18: 23.

QUÆST. XV.

6. Ratione adjunctorum & proprietatum, tum gaudii.

VIII. Idem discrimen clarè probatur ex duabus proprietatibus, vel fructibus fidem consequentibus, *gaudio* scilicet & *consolatione*, cum *sanctificatione*, & pietatis studio. Fides enim salvifica gaudium solidum & ἀνεκλάλητον in corde generat, ex penitissimo scilicet præsentis gratiæ divinæ sensu, & spe non fallaci futuræ gloriæ, quod tale est ut constans & æternum sit, quod à nobis nemo auferre queat Joh. 16:22. Sed fides πρόσκαιρος gaudium aliquod habet, quia dicitur recipere Verbum μετὰ χαρᾶς *cum gaudio* Mat. 13:20. sed gaudium evanidum & fluxum, quod non oritur ex vera & fiduciali Christi apprehensione; sed vel ex doctrinæ novitate & raritate, Joh. 5:35. quæ solet intellectum oblectare, vel ex ejus suavitate & dulcedine, quæ libertatem & salutem pollicetur, vel ex utilitate ad commoda vitæ consequenda, ut in iis visum, qui Christum propter panem & miracula quæ ab ipso patrabantur, sequebantur. Unde mutatâ rerum facie, statim atque crux & persecutio propter Verbum succedit, scandalizantur illico & recedunt Mat. 13.

Tum Sanctificationis.

IX. Sanctificatio fidem salvificam sequitur necessariò, quia purificat cor Act. 15:9. & efficax est per charitatem Gal. 5:6. tam patheticè, quippe incredibilem Dei erga nos amorem, & summam Christi morientis charitatem repræsentat, ut mutuo benignissimi Servatoris amore inflammet fidelem, ut nihil antiquius ducat, quàm ipsi rursus vivere & mori 2 Cor. 5:14.15. Gal. 2:20. tam profundis characteribus honesti speciem animæ imprimit, ut nihil sibi pulchrius arbitretur, quàm ei omni studio operam dare, & tam altè meditationem promissæ beatitatis insculpit, ut pro ea omnia experiri, & sustinere paratus sit 2 Cor. 4:16:17. Sed fides temporaria inani confidentiâ hominem decipiens, vel profundo securitatis sopore eum obruit, ut carni indulgendo altùm stertat, Vel si per superficiariam Veritatis Evangelicæ, & boni quod Evangelio ostentatur, cognitionem, excitatur ad aliquam vitæ emendationem, & externam actuum in melius mutationem, ut per *agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi pollutiones mundi aliquatenus effugiat* 2 Pet. 2:20. Non penetrat usque ad ipsum cor ad illud purificandum, & introducendos novos sanctitatis habitus. Unde, quotiescunque vel blanditiæ mundi & carnis, vel persecutiones ingruunt, mox in inchoatæ probitatis cursu fatiscunt, & ad sordes pristinas redeunt. Tunc notiones veri & boni, quas Evangelium ipsis suggesserat, adeo ex animo inducuntur, ut præsentem voluptatem, utilitatemque, & fugam imminentis damni, omnibus Evangelii promissis, & pietatis à Christo præscriptæ studio facilè præferant.

7. Ratione Objecti.

X. Ratione *Objecti*, & respectus sub quo apprehenditur à fide. Nam ut objectum Evangelicum præter ideam *veri*, habet etiam ideam triplicis *boni, honesti, utilis, & jucundi*, quando proponitur nobis sub idea, vel *deliciarum* omnis generis, vel *divitiarum*, & thesaurorum immensorum, vel summæ

summæ *gloriæ* & *perfectionis* omnimodæ. Ita diversimodè fines inde afficitur. *Fides historica* apprehendit illud simpliciter sub *idea veri*, Et *fides temporaria* sub idea *boni utilis*, vel jucundi, quod vel commodum aliquod memorabile, vel voluptatem aliquam eximiam potest nobis afferre. At *fides justificans* propriè & primariò respicit illud sub *idea honesti*, licet alias σχέσεις non negligat secundariò. Ut verò anima, quæ honesti amore est penitus imbuta, aut non agitatur perturbationibus, aut si nonnunquam ab aliquo vehementi objecto percellitur, vel promissione bonorum, vel minis malorum, resurgit statim, præstantioris boni, quod menti obversatur, consideratione. Ita, quæ honesti specie, vel non ducitur omnino, vel languidè tantùm & frigidè movetur, utilis verò & jucundi ideâ tenetur fortiter irretita, non deficit quidem, quandiu duo bona illa conjuncta sunt. At ubi separantur, ut separantur quum ex. gr. crux & persecutio propter Christum ingruit, levis tum veri & boni honesti impressio facessit, & φιλαυτία facit ut homo utilis & jucundi ideam sequendam judicet. QUÆST. XV.

XI. Si Temporarii, *Christi discipuli*, & *filii Dei*, *fideles* & *credentes* quandoque vocantur, hoc fit, vel κατὰ δόξαν, propter id quod videntur ex opinione aliorum & ex judicio charitatis, quia per fidei professionem, & Sacramentorum initiationem in publicam Ecclesiæ societatem coalescunt, sed non ex rei veritate. Unde Aug. de corrept. & gr. cap. 9. dicit, *Filios Dei quosdam esse Deo, qui non sunt nobis, & quosdam esse, qui propter susceptam vel temporaliter gratiam, filii Dei dicuntur à nobis, nec tamen sunt Deo.* *Fontes Solutionum.*

XII. Fides non est vera, quia perseverat, sed perseverat, quia vera est, ut perseverantia non sit causa veritatis fidei, sed consequens & effectum, quia enim soliditatem habet & profundam radicationem in corde, Ideo constans est & perpetuò durat. Ut ex levitate oritur labilitas; ita ex soliditate stabilitas. Licet enim propriè duratio non constituat rei essentiam, tamen eam ita sequitur, ut ex ea de veritate rei judicium bene fieri possit à posteriori; duratio est index veritatis, ut veritas est principium durationis.

XIII. Nihil de Temporariis dicitur Matth. 13. quod arguat eorum fidem specie convenire cum fide justificante, & solùm gradu differre. Non quòd *audiant Verbum, & illud statim recipiant cum gaudio.* Quia receptio illa est in mente, non in corde, ut semen cadens in loca petrosa, recipitur quidem in extremâ superficie terræ, sed non ulteriùs penetrat. Et gaudium cum quo excipitur, non est solidum & verum, quod oriatur ex fiduciali sensu gratiæ Dei, sed ex rebus caducis, doctrinæ scilicet novitate, & jucunditate, vel etiam commodorum terrenorum spe. Non quòd *semen germinet*, licet non maturescat. Quia germinatio illa superficialis, ut sit in diversa specie terræ, ita specificè differre debet ab intimâ & verâ, quæ fructus bonos profert,

QUÆST. XV. fert. Non quòd *bona quædam opera faciant*, ut dicitur de Israëlitis quòd quærant Deum & delectentur cognitione viarum ejus If. 58: 2. & de Judæis qui exultabant ad lucem Joh. Baptistæ Joan. 5: 35. Et de Herode, quòd illo audito multa faceret Marc. 6: 20. Quia ista non alia sunt quàm bona opera externa quoad substantiam operis, & honestatem moralem, sed non verè talia, quoad rei veritatem, & modum secundùm quem debent fieri.

XIV. Locus Heb. 6: 4. 5. 6. non evincit Apostatas fuisse veros fideles, & fidem eorum eandem fuisse specie cum justificante. 1. Quia Apost. hypotheticè loquitur non absolutè, nam τὸ παραπεσόντας, idem est ac si dixisset, ἐὰν παραπέσωσι. Ab hypothetico verò ad absolutum non valet consequentia, nisi positâ conditione. Nec propterea frustra minatur Apostolus, quia per tales comminationes conditionales Deus efficit in renatis ne prolabantur, absterrendo eos à levitate Apostatarum, & ad studium perseverantiæ excitando. Et licet conditio à parte Dei, & quoad eventum sit impossibilis, à parte hominis sibi relicti nimis esset possibilis. 2. Quicquid istis tribuitur, potest in non renatos & reprobos cadere, qui possunt *fieri participes Spiritus S.* si non quoad dona fundamentalia & salutaria conversionis & consolationis, at quoad *dona initialia* illuminationis & convictionis, vel etiam quoad *dona extraordinaria*, miraculosa, & ministerialia; Possunt *illuminari*, & cognitionem veritatis habere, si non practicam & consolantem, at theoreticam & coercentem. Possunt *gustare bonum Dei Verbum*, gustu extimo & labiali, sed non intimo & radicali. Possunt *gustare Virtutes futuri seculi*, non tam per spem & gaudium, quæ sunt primitiæ gloriæ cœlestis, quàm respectu miraculorum, quæ sæpe nomine virtutum veniunt, quæ in Ecclesia primitiva fieri solebant, quæ dicitur seculum futurum, ut Heb. 2: 5. *mundus futurus*, quia talis erat tempore Patrum Vet. Test. Possunt *gustare donum cœleste*, quoad participationem fidei, si non salvificæ, at vera in suo genere, & quæ non aliunde quàm cœlitus potuit haberi. 3. Hæc potius istis tribuuntur sacramentaliter & extrinsecè quoad veritatis professionem, & Baptismi susceptionem, quàm spiritualiter & internè, quoad fidei ἀνυποκρίτου, quæ Electorum est donum ἀμεταμέλητον, receptionem.

XV. Licet fides Temporariorum sit vera in suo ordine, quia verè semen excipit cum gaudio, & non fingitur ab illis qui ita credunt, qui non simulant tantùm se credere, sed reipsa & verè credunt, unde *credere* etiam dicuntur Joan. 2: 23. Luc. 8: 13. Non tamen est vera & viva fides justificans, quo sensu *hypocritica* etiam dicitur, quia est æmula fidei Electorum, & externam speciem ejus habet, licet ejus veritate destituatur, & tanta est sæpe cum ea similitudo, ut non major videatur inter imaginem & prototypum. Unde non modò alii, qui eos vident, facilè iis decipiuntur, sed ipsi Credentes etiam in eo falluntur & sibi ipsis imponunt, se verè fideles non simulando,

do, sed credendo; Deo solo, qui intimos cordis recessus scrutatur, veritatem cognoscente. Certum tamen est multiplex esse & maximè essentiale discrimen, ut antea dictum, quod ostendit non gradu tantùm aut duratione inter se differre, sed specie ipsâ & naturâ. Quæst. XVI.

Quæstio XVI.

De Perseverantia Fidei.

An verus Fidelis possit à Fide vel totaliter, vel finaliter deficere? Neg. cont. Pont. Socin. Remonst. & alios Patronos Apostasiæ Sanctorum.

I. Ut duo sunt præcipua Fidei justificantis Adjuncta, *Perseverantia* & *Certitudo*, Illa, quæ ejus durationem perpetuam, & inamissibilitatem importat, ut fidelis nunquam ab ea penitus deficiat. Ista, quæ ejus cognitionem certam & sensum subjectivè inducit. Ita duæ Quæstiones inde oriuntur. Prima de Perseverantia. Altera de ejus Certitudine, de quibus distinctè agemus.

II. Quæstio de Perseverantia nobis intercedit cum veteribus & novis Pelagianis & Semi-Pelagianis, qui in ea oppugnanda & neganda consentiunt. Quales sunt *Pontificii*, *Sociniani*, *Anabaptistæ*, & *Remonstrantes*, qui in hoc capite, ut in cæteris de Gratia ab Orthodoxa Doctrina recesserunt, & à Synodo Dordracena in V. Articulo condemnati sunt.

III. I. Non quæritur De Fidelibus & Sanctis, qui tales sunt æquivocè ab externa tum vocatione, tum professione, qui ita nonnunquam dicuntur, sive ex præsumptione propriâ, propter dona initialia ipsis concessa, sive ex opinatione alienâ: Quos non modò deficere posse à fide sua, sed & reipsa deficere fatemur. Sed de iis, qui univocè & propriè tales sunt, Christo Servatori per veram fidem insiti, quibus fundamentalia & salutaria dona Adoptionis, Justificationis, Sanctificationis, non destinata tantùm fuère, sed etiam collata. *Status Quæstionis.*

IV. II. Non quæritur De *possibilitate deficiendi à parte hominis*, & in sensu diviso. Nemo enim negat Fideles in se spectatos pro mutabilitate & infirmitate naturæ suæ, non tantùm deficere posse, sed nihil posse aliud sibi relictos, accedentibus inprimis Satanæ & mundi tentationibus. Sed à *parte Dei*, quoad ejus Propositum, in sensu composito, & ratione ipsius even-

QUÆST. XVI. eventus, quo sensu impossibilem dicimus eorum defectionem, non absolutè & simpliciter, sed hypotheticè & secundùm quid.

V. III. Non quæritur, De *actu*, vel *exercitio fidei*, An possit intercipi & deficere etiam quoad tempus, quod nimis quotidie experimur per graves Sanctorum lapsus. Sed de *essentia vitæ spiritualis*, & *Statu*, ac *habitu* fidei. Non, An possit quoad facilitatem & promptitudinem operandi quandoque imminui & valdè atteri, & vita ipsa spiritualis vehementem syncopen pati, ut parum à morte abesse videatur. Sed An possit eatenus debilitari & corrumpi, ut prorsus auferatur & esse desinat; seu de totali & finali defectione, per quam excidant penitus à fide, & in æternùm pereant.

VI. IV. Non quæritur, An Fidelis *demeritoriè* possit amittere fidem, & vinculum communionis Christi quantum in se est abscindere; ut per ipsum non stet quominus & separetur à Christo, & fidei jacturam faciat; quod nemo negat. Sed An *de facto* & *effectivè*, fidem penitus perdere possit, & à Christo separari; Quod propter intercedentem Dei gratiam fieri non posse sustinemus. V. Non quæritur, An dum in atrocia incidit peccata, indignationem Dei paternam incurrat, justificationis & adoptionis & sensu privetur, aptitudinem & dispositionem ad regnum cœlorum, quæ in praxi fidei & sanctitatis consistit, amittat, & reatum damnabilem contrahat, ita ut dum in eo statu impœnitens manet, debeat statuere se morti esse obnoxium, & certò moriturum, nisi convertatur. Hæc enim omnia lubentes concedimus. Sed, An propterea in odium hostile Dei Judicis incidat, quò Jus ad regnum cœlorum ab ipso auferatur, status Adoptionis & Justificationis abrogetur, & fidei ac regenerationis gratia penitus ex corde ejus eradicetur? Quod vellent Adversarii, Nos negamus.

VII. Quæstio ergo eò redit, An *verus fidelis*, qui vocatus est secundùm Dei Propositum, & verè justificatus, fide non dogmaticâ & temporariâ, sed vivâ & salvificâ præditus, *possit*, non minus *quoad Deum* & eventum, quàm quoad se, *fidem*, non objectivè quæ creditur tantùm, sed etiam *subjectivè* quâ creditur, amittere, non demeritoriè tantùm, sed effectivè, *totaliter*, non tantùm quoad actum & sensum, sed etiam quoad *habitum* & *potentiam*, & *finaliter* in incredulitate & impœnitentia manere, atque ita jure ad regnum cœlorum & statu adoptionis excidere, & in æternùm damnari. Affirmarunt olim Pelagiani, Affirmant adhuc hodie Pontificii, Sociniani, Remonstrantes, & alii qui eos sequuntur. Negant constanter Orthodoxi, qui habitum fidei semel Electis indultum, posse quidem interdum intendi vel remitti censent, firmiorem vel languidiorem esse pro ratione peccatorum intercurrentium, sed ita ut nunquam penitus & finaliter deleatur & amittatur, nec gratia regenerationis semel homini collata penitus ab eo auferatur.

VIII. Adversarii hîc in duas classes distinguuntur. Quidam pugnant tantùm

tùm pro *intercisione* fidei & justificationis, ut fides quidem *totaliter* deficiat, sed non finaliter, restituta scilicet ante obitum per singularem Dei gratiam, ne mors superveniens hominem fide destitutum occupet. Alii non modò totalem, sed & finalem urgent Sanctorum Apostasiam, & fidei *excisionem*. Utrique iisdem argumentis oppugnantur. QUÆST. XVI.

IX. Fundamenta Sententiæ Orthodoxæ sunt varia. 1. *Electio Dei.* Cùm enim Consilium hoc sit æternum & ἀμετάθετον Hebr. 6: 17. Rom. 9: 11. & & fundamentum στερεὸν firmum 2 Tim. 2. 19. efficax tum ratione finis, tum ratione mediorum indivulso nexu cum fine conjunctorum Rom. 8: 29. 30. Nec actus Dei immanens rescindi possit vel mutari, aut à Creatore, qui sibi semper constat, & apud quem nec est transmutatio, nec conversionis obumbratio, vel à Creatura, cui nihil potestatis est & potentiæ in Creatorem, vel ejus actus; Fides quæ fructus est istius Electionis immutabilis, & medium infallibile salutis, non potest non esse firma & immutabilis, ut fusè probatum Lo. IV. Q. 12. *Perseverantia fidei probatur 1. Ab Electione Patris.*

X. 2. *Fæderis gratiæ natura*, quòd cùm firmum sit & immutabile, quod in æternùm abrogari nequit, quia solà Dei gratia nititur, & non hominis obedientià quemadmodum Legale, quod propterea rescissum est & irritum factum; perpetua etiam debent esse & immutabilia, quæ ab ipso pendent beneficia, qualia sunt imprimis fides, justificatio, & regeneratio, quæ propria sunt ejus bona. Quod Jeremias in illustri Oraculo cap. 31: 32. 33. & cap. 32. testatur eximiè, ubi non tantùm asserit Deum novum Fœdus velle pangere cum Ecclesia, quo salutaria omnia ipsi largiturus sit dona, tum justificationis, non recordando amplius illius peccatorum, tum sanctificationis per inscriptionem Legis in cordibus; sed & perpetua illa redditurum & æterna, tum amore constanti eos prosequendo, ne ab ipsis recedat, tum timorem sui ipsis indendo, ne recedant ab ipso, *Pangam cum ipsis Fœdus æternum, me non recessurum ab ipsis, ut benefaciam ipsis*, inquit, cap. 32. 40. *ut non avertam me, & reverentiam mei animis ipsorum indam, ut non recedant à me:* Non dicit hortabor ad timorem, & impellam eos ad me timendum, sed ipse *indam* timorem ut non recedant; ut doceat se effecturum certissimè, ut Fœdus executioni mandetur. Cùm enim duo tantùm possent irritum reddere istud fœdus, hinc amoris Dei mutatio, inde verò timoris & fidei nostræ inconstantia & labilitas, Deus adversus utrumque periculum nos confirmat, quum illis pollicetur, hinc amoris sui constantiam, ne recedat à nobis; inde verò timoris nostri perpetuitatem; ut jam nec metuere debeamus, ne nos deserat, & ne ipsum deseramus, cùm ipse utrumque hoc beneficium se largiturum polliceatur, implendo ita non modò quod suarum erat partium, sed etiam quod erat nostrarum, curando ne desimus officio nostro. Unde Aug. de bono persever. c. 7. *Nonnisi ad gratiam suam* *2. A fæderis gratiæ naturâ.* *Jer. 31: 32. & c. 32.*

QUÆST. XVI. *Deus pertinere voluit, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam pertinere voluit, ut homo non recedat ab eo.*

XI. Huc pertinent illustres illæ Promissiones de custodia & conservatione fidelium, quæ passim leguntur in Scriptura, Deut. 31:8. Heb. 13:5. *Nunquam te deseram, nec te derelinquam*, quod absurdum esset & falsum, si pateretur nos deficere à fide & salute. Is. 54:10. *Montes*, inquit, *recedent, & colles amovebuntur, attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis meæ, inquit Jehova.* Similitudinem sumit à rebus firmissimis, ut doceat prius montes commotum iri, quàm ut amor Dei recedat, & Fœdus gratiæ cum Ecclesia initum abrogaretur, quod vocat c. 55:3. Fœdus sempiternum, & τὰ ὅσια πιστὰ Δαβίδ, *misericordias fideles & constantes Davidis*, quæ Davidi promissæ sunt, vel quæ in Davide mystico fundantur, & sunt Etiam & Amen. Cap. 59: 21. *Et hoc est Fœdus meum quod pangam cum iis, Spiritus meus qui est in te, vel super te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & nunc & usque in seculum.* Ubi pollicetur Ecclesiæ perpetuam Verbi & Spiritus sui, quæ duo sunt media fidei ingenerandæ & conservandæ, præsentiam per omnia secula usque ad finem mundi. Sic Hos. 2:19. *Desponsabo te mihi in sempiternum*, notat intimam & constantem amoris & conjunctionis speciem, quâ nos sibi desponsat in Christo per matrimonium indissolubile & æternum, quòd non ad tempus tantùm durare debuit, & postea irritari, quale fuit prius, quod Populus ruperat, sed in æternum. Ejusdem generis sunt Promissiones istæ Novi Testamenti Joh. 10:27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & novi ipsas, & ipsæ sequuntur me, & ego do eis Vitam æternam, & in æternum non peribunt, nemo rapiet eas de manu mea, quia Pater qui mihi eas dedit, major est omnibus*; dicit se dare Vitam æternam, id. certissimè daturum, ita ut quisquam non sit rapturus eas, nec per vim vel dolum, ne ipse quidem Diabolus qui habet imperium mortis, non mundus, non caro, non prospera, non adversa, de manu sua, id. de potentiâ quâ custodiuntur, quia Deus qui eas illi custodiendas & servandas dedit, potentior est omnibus, tàm Angelis quàm hominibus, & quibusvis creaturis. Sic Matt. 16:18. *Super Petram*, ait Christus, *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*, firmitatem & perpetuitatem Ecclesiæ & singulis ejus membris pollicetur, ædificatis scilicet super Christum Rupem & Petram immotam seculorum, ita ut nec vis mortis & sepulchri, quæ sæpè per ᾅδου πύλας designari solet Esa. 38:10. & Job. 38:17. eos detinere & perdere valeat, quia qui credit transit de morte ad vitam Joh. 5: 24. & certò suscitandus ultimo die Joh. 6:40. Nec molimina Satanæ, qui Princeps est mundi, & qui in illo imperium suum exercet, ut olim Principes in Portis Urbium sedebant, & ibi jus dicebant, prævalitura sint adversus ipsos. Innumeræ sunt istiusmodi promissiones, quæ custodiam Dei, & perseveran-

Deut. 31:8. Heb. 13:5. Isa. 54:10. & 55:3. Cap. 59:21. Hos. 2:19. Joh. 10:27. Mat. 16:18.

rantiam homini fideli pollicentur, ut 1 Cor. 1:9. & 10:13. Phil. 1:6. 1 Thes. 5:23. 24. & 2ª 3:3. 1 Pet. 1:5. &c. Unde colligitur, cùm Deus qui fidelis est & constans in promissis, Verbo suo toties & tam expressè perseverantiam nobis promiserit, non posse non certam esse & indubitatam. QUÆST. XVI.

XII. Exceptiones Adversariorum eò redeunt. 1. In genere *Promissiones Dei non semper impleri, maxime quum non sunt absoluta, sed conditionata, quales ista sunt, qua conditionem semper supponunt à parte hominis, cui potest sibi desse.* Resp. 1. perperam confundi *promissiones de fine* cum *promissionibus de mediis*, Illas esse conditionatas, & tales esse revera non diffitemur; Sed istas nequaquam, quia non dantur conditiones conditionum, alias res abiret in infinitum, præterquam quod sic conditio coincidet cum promissione, Deus scilicet promitteret homini perseverantiam, si modò perseveret, hoc enim est ejus officium, ne sibi desit, quod nugatorium est, cui bono enim promitteretur illi quod jam habet? Nos verò dicimus promissionem dari fideli ut faciat officium, non quia fecit. 2. Absolutum potest bifariam dici, vel quod excludit media, & æquivalet immediato, vel quod excludit conditionem à qua pendeat, posteriori sensu certum est promissionem perseverantiæ non esse conditionatam, quia nulla datur conditio, quæ non cadat sub ipsam promissionem, sed priori nihil obstat promissionem requirere media, quibus executioni mandetur, cùm *perseverantia* non sit *physica*, sed *moralis*, quæ ab homine ipso ope gratiæ perficitur; sed ista media includuntur in ipsa promissione, ut ab homine possint impleri. II. *Defectum non esse ex parte Dei, qui præstat quod est pollicitus, sed hominis, qui pro arbitrii summa levitate subtrahit se ab oblatis.* Unde Deus quidem nos munit ab externis hostibus, sed non à nobis ipsis & domesticâ perfidiâ. Quò spectat illud Bellarmini lib. 3. de Justif. c. 15. *Charitas non excidit, sed nos ab ea interdum excidimus.* Resp. Sed inane hoc est effugium, cùm Scriptura nullius conditionis meminerit, quæ promissionis adimplendæ sit causâ; sed innuat tantùm Deum ipsam hanc conditionem quam requirit, promittere & præstare. Nam aliàs in quem finem indit Legem in cordibus, sustentat manu, dat exitum tentationi, nisi ut voluntas in quodvis scelus & periculum præceps non succumbat, nec à recepta gratia prorsus resiliat? Fateor requiri fidem & pœnitentiam in subjecto, quia promissio non datur nisi fideli, sed non statim supponi debet perseverantia quæ promittitur. III. Additur, *Promissiones fieri Ecclesiæ, non singulis fidelibus.* Sed contrà quod Ecclesiæ Corpori promittitur, respicit etiam singula ejus vera Membra, quæ participant naturam Corporis. Unde necesse est eum qui *Servator est Corporis*, eâdem operâ servare omnes qui membra sunt, ut Corpus completum sit & non mutilatum.

XIII. II. In specie Ad locum Jer. 31. & 32. 1. Agi *de reductione populi* *Jerem. 31. & 32.*

QUÆST. XVI. *puli ex captivitate Babylonica* ex v. 37. *non de Perseverantia, quæ solis Electis competat, quæ jam concessa supponitur fidelibus omnibus Veteris Testamenti.* Resp. Licet Oraculum possit eò referri quoad beneficium temporale, ulterius tamen respicere ad tempora Novi Testamenti, quoad beneficium spirituale, & Christus ipse docet Joan. 6: 45. quando applicat omnibus Electis, quod futuri sint θεοδίδακτοι, quod Propheta de Israële dixerat, & Paulus clarè testatur 2 Cor. 3. & Heb. 8. in applicatione ejus ad Fœdus Novi Testamenti. Ergo sub promissione reductionis ex captivitate, quæ fit toti Israëli secundùm carnem, includitur promissio renovationis Fœderis Gratiæ, quæ fit toti Israëli secundùm Spiritum, qui suo tempore totus servari debuit Rom. 11: 26. cujus ille typus fuit, ut solenne est Prophetis hæc inter se connectere. Nec si perseverantia jam Electis concessa fuit sub Veteri Testamento, ideo sequitur non posse denuo promitti; nam & Fœdus Gratiæ jam erat, sed promittitur tamen, quia longè illustriùs & efficaciùs debuit renovari, tum ob copiam beneficiorum, tum ob Caput venturum, tum quia typis sublatis omnia nudè erant proponenda. II. Notari *intentionem & finem, quem Deus sibi proponebat, sed non eventum, ut notetur magna quadam & efficax Dei motio, quæ futura erat per insignia multa beneficia, quibus affecturus erat populum, ejusque cor & animum emolliturus, ut per ipsum non staturum sit, quominus effectus planè consequatur, & ut Deus omnia facturus esset quantum in se erat, quantum & hoc aliter evenire posset, quia illud non absque eorum cooperatione erat eventurum*, ut Collat. Hagi. cavillantur post Socin. Prælect. cap. 12. Sect. 6. Resp. Perperam separatur intentio ab eventu, quia Deus nunquam excidere potest intentione & fine suo. 2. Non agitur hic de Lege vel præcepto, quo præscribat homini officium suum, quod homo malitia sua non exequitur; sed de *promissione*, quam ipse impleturum se dicit, *Ego inscribam Legem, indam timorem, ut non recedant, faciam ut ambuletis in præceptis.* 3. Si nihil aliud notatur quàm per Deum non staturum, vel Deum facturum quantum in se est, Ergo nulla fuit prærogativa Novi Fœderis, nam jam tot & tantis beneficiis populum affecerat, ut nihil superaddi potuerit Is. 5. Jer. 25: 4. 5. *Vidisti*, inquit Moses, *signa*, &c. *sed Deus non dedit cor*, Deut. 29. hoc est quod deerat, & quod pollicetur se daturum; Nec tantùm est promissio, sed *prædictio* & prophetia, non tantùm de intentione, sed de eventu ipso, quid enim alias inde solatii habere potuissent.

Is. 54: 10. & 59. 21. Hos. 2: 19. XIV. Ad loca Isa. 54. 10. & 59: 21. Hos. 2: 19. *Promissiones fieri Ecclesiæ, & filiis Dei in sensu composito, quandiu tales manebunt, ut ostendatur, quid Deus sit facturus à parte sua, nimirum se Fœdus illud non violaturum; sed non inde colligi posse, tales infideles non posse fieri.* Sed cùm promissiones istæ eò tendant, ut Ecclesia & fideles, qui facti sunt tales per gratiam regeneran-

rantem, ita conserventur à Deo, ut perire non possint; Quis non videt, includere necessariò donum perseverantiæ fidei, ne unquam desinant esse tales, & de facto pereant? Nec tantùm importare Deum ex parte sua facturum quod requiritur ad Fœderis conservationem, sed etiam Deum effecturum in nobis, ne unquam Fœdus illud penitus abjiciamus? Quod patet, tum ex eo quòd confertur cum Fœdere cum Noacho inito, quod absolutum fuit & semper duraturum, non autem conditionatum Isa. 54. v. 9. tum ex eo quòd sub symbolo *Sponsalium* proponitur Hos. 2. ubi nulla conditio locum habet, in quibus Christus sibi debet parare Sponsam suam Ezech. 16. & Eph. 5: 25. Nec addi debet, *hanc promissionem & similes ad regnum gloriæ pertinere.* Quia Deus desponsare sibi debet populum eodem die, quo illi prospiciet de tritico & vino, & oleo, quibus in regno gloriæ non erit opus. Nec necesse est, ut Deus curet ne recedamus ab ipso, ubi periculum nullum, nullus metus, & ne possibilitas quidem ulla recedendi est; ubi pro *posse non peccare*, quod in Paradiso fuit, erit in æternùm *non posse peccare*, qui jam Angelorum electorum status est & conditio. QUÆST. XVI.

XV. Ad Joh. 10: 28. *Christum promittere, quòd nemo sit rapturus Oves suas dum sunt Oves, sed non sequi eas non posse desinere esse oves, aut è manibus Patris transfugere per peccata.* Sed argumentum Christi supponit, Oves quæ non rapiuntur, habituras vitam æternam, *Dabo illis vitam æternam, & nunquam peribunt.* Quod falsum esset, si oves possent perire, etsi non rapiantur. 2. Oves quæ non possunt rapi è manibus Christi, tentationibus ullorum hostium, non possunt desinere esse oves, quia nulla talis mutatio fieri posset nisi per aliquam hostium tentationem. 3. Nulla esset promissio Christi; Quid juvaret enim ab hostibus externis custodiri, si periculum semper nobis imminet ab internis? Fideles non tantùm ab aliis, sed potissimùm a seipsis metuere debent. Pastor qui spondet se oves absolutè custoditurum & servaturum, non liberabit fidem, si permittat eas aberrare & perire; sed debet curare non tantùm ne furto & vi sibi subducantur, sed ne morbo, vel vitio tollantur, vel pro innatâ simplicitate se ab ovili subtrahant, & per avia vagentur. *Joh. 10: 28.*

XVI. III. *Christi Redemptoris meritum & efficacia*, qui nec evanidum beneficium suis acquisivit per ἱλασμὸν in terris, nec id mutabiliter applicat per Intercessionem in cœlis. Quis enim credat, passurum esse Christum, ut qui ipsi dati sunt à Patre in hæreditatem & peculium, quos tàm carè emit, non auro, non argento, sed precioso suo sanguine, & diris animi & corporis cruciatibus & morte maledicta ipsi subducti, in alterius & quidem infensissimi sibi hostis potestatem prolabantur? Imò ut Servator est Corporis sui, non potest pati ut quisquam ex iis pereat, qui ipsi dati sunt à Patre, sed custodit ipsos gratiâ suâ, in ipsis perpetim habitando, & unionis vinculum ne unquam solvi possit magis magisque stringendo. Huc spectat quòd Paulus Rom. 8: 32. dicit *3. à Christi merito & efficacia.*

Deum,

QUÆST. XVI. Deum, qui non pepercit Filio, sed illum tradidit pro nobis, daturum omnia cum ipso, quia qui dedit majus, non potest denegare minus, dedit Filium inimicis, quod majus est, quomodo non daret perseverantiam amicis jam reconciliatis? Sed Christus ipse testatur hoc extra dubium ponendum esse Joh. 6:37. quia *Quicquid*, inquit, *das mihi Pater, ad me veniet, & venientem ad me non ejiciam foras*, Et vers. 39. *Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut neminem perdam ex iis quos mihi dedit, sed eos suscitem novissimo die.* Quomodo verò hoc exequeretur, nisi immunes eos præstaret non modò à perditione mortis, sed & à perditione peccati, quæ certissima est exitii causâ? Hinc ipse alibi asserit, *Se servasse eos omnes, quos illi Pater dedit, & neminem ex iis periisse*, Joh. 17:12. quia eos sibi conjunxit per unionem arctissimam, à qua fluit communio omnium beneficiorum ejus, & præsertim vitæ ejus per Spiritum, *quia vivo*, inquit, *vos etiam vivetis* Joh. 14:19. Imò jam vivit in nobis Gal. 2:20. Ideo vocatur ab Apostolo ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως *Dux & Consummator fidei* Hebr. 12:2. non tantùm merito, sed & efficaciâ, quia ut est Author fidei, est etiam ejus Conservator, qui illam Verbo & Spiritu in nobis productam, confirmat perseverantiæ dono, & tuetur adversus omnes tentationes, & tandem perficit & complet gloriæ & immortalitatis coronâ. Licet verò fidelium obedientia ad hanc perseverantiam requiratur, non sequitur non esse certam; Quia ita est officium hominis, ut sit etiam donum Christi, quo fidem in nobis semel inchoatam promovet & perficit, dando gratiam non modò credendi, sed & perseverandi.

XVII. Quod confirmatur ex *natura unionis fidelium* cum Christo tanquam Membrorum cum Capite, quæ non modò intima est & arctissima *intensivè*, sed & *extensivè* ἀδιάλυτος & perpetuæ durationis; ita ut nihil vinculum istud abrumpere possit, nec nos ab eo separare, Rom. 8:38. quia qui *Christo agglutinatur unus fit cum eo spiritus* 1 Cor. 6:17. & ab eo non influxum tantùm gratiæ regenerantis habet, sed & gratiæ corroborantis & conservantis, ut non modò ab externis tentationibus, sed & internis peccati & carnis, præservetur, Philip. 1:6. Unde Aug. de Doct. Chr. l. 3. c. 32. *Non est reverà Corpus Christi, quod non erit cum eo in æternum.* Et ut à Corpore naturali Christi jam glorificato impossibile est membrum unum avelli. Ita ut à Corpore ejus mystico nullus fidelis avelli potest. Hinc fit ut fideles per veram fidem Christo insiti, & quoad præteritum dicantur jam transiisse de morte ad vitam, & quoad præsens, vitam æternam habere, & quoad futurum non venturi in condemnationem, nec perituri in æternùm, Joh. 5:24. Joh. 10:28. Licet verò Unio ista sit reciproca, ut non modò Christus maneat in nobis, sed nos manere debeamus in ipso, Joh. 15:5. non tollitur ista certitudo, quia ipse Christus facit ut maneamus, dum nos ad id hortatur, ex officio faciendo be-

beneficium. Hinc Cant. 8:6. 7. *Amor Christi* dicitur esse *fortis*, id est insuperabilis, *ut mors*, quæ omnia vincit & *zelus durus instar sepulchri*, *ut prunæ ignitæ Dei*, id. flamma maxima, quam Deus calore potentissimo Spiritus sui in æternùm duraturam accendit, *ut aquæ multæ non possint illum amorem extinguere*, quod sanè dici nequit, si dilectio ista mutari, & unio arctissima ex illa fluens dissolvi posset. Quæst. XVI. Cant. 8:6.7.

XVIII. Hanc unionis & amoris Christi constantiam, Paulus magnificè exprimit Rom. 8. postquam enim dixit v. 28. *Omnia Deum diligentibus, qui vocati sunt κατὰ πρόθεσιν cooperari in bonum*, quod verum non esset, si quid eorum fidem & sanctitatem extinguere posset, rationem addit petitam ex connexione indissolubili beneficiorum Dei, Prædestinationis cum Vocatione, Vocationis cum Justificatione, & Justificationis cum Glorificatione; Unde sub finem adjicit plenam illam fiduciam, imò & gloriationem, quà hostes omnes salutis nostræ provocat, certissimè persuasus nihil unquam separare nos posse à dilectione Christi. *Quis nos*, inquit, *seprabit à dilectione Christi*? v. 37. 38. *An afflictio, angustia, persecutio, nuditas, periculum, gladius? Sed in his omnibus ὑπερνικῶμεν sumus plusquam victores propter eum qui nos dilexit. Persuasus enim sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque ulla alia creatura separare nos potest ab amore Dei in Christo.* Quomodo verò Apost. ita confidenter provocaret omnes hostes salutis nostræ, & plenam persuasionem poneret de perseverantia finali fidelium ex indissolubili fidelium cum Christo unione, & dilectionis ejus æternitate; si verum esset, Diabolum, mundum, & peccatum, aut ullas tentationes posse fidelem justificatum separare ab amore Dei, & in æternum exitium adducere; vana esset proculdubio Pauli gloriatio, & falsa quam ex illa deducit fidelium adversus omnes tentationes consolatio. Nec hic regeri potest, Vel *Pauli hoc esse privilegium speciale, non commune cæteris.* Cùm enim non alia in re spem atque fiduciam suam collocet, quàm in Prædestinationis æternæ immutabilitate, Vocatione efficaci, amore ac unione Christi, quæ communia sunt omnibus Electis, non vult de se tantùm loqui, imò expresè in plurali loquitur, *Quis nos separabit*? se cum aliis conjungens. Vel *hæc omnia esse conditionata, id. modò ipsi nos non separemus à Deo per peccatum, vel hostibus nostris nos non dedamus; ideoque Paulum non meminisse peccati, quod tamen præcipuè nos separare posse à Deo nemo dubitat.* Nam præterquam quod hoc pacto, nihil diceretur hic de fideli, quod de Adamo pariter dici non potuisset, nim. nihil potuisse eum ab amore Dei separare, si justitiam suam retinuisset; Oratio Pauli sensum ridiculum funderet, nim. nihil nos posse separare à dilectione Christi, dummodo maneamus in illa, id. nos perseveraturos si perseveremus, quia manere in charitate nihil aliud est quàm perseverare. Ut verò inutile est tutum esse ab Rom. 8: 37. 38.

QUÆST. XVI. hostibus externis, si à nobismet ipsis periculum exitii nobis semper impendet; Ita absurdum est gloriari tanquam de victoria parta eum, cujus spes pendet ex conditione incerta & dubii ac periculosi eventus. Unde ut sua constet Apostoli gloriationi veritas, certa debet esse & indissolubilis fidelium cum Christo unio. Et sanè quid eos ab ipso separare posset? An Diabolus Princeps mundi? Sed ut nihil habuit in Christum; Ita nec in ejus membra quicquam potestatis habet, & fortior est qui in nobis est eo qui est in mundo, 1 Joh. 4: 4. An mundus? Sed Christus mundum vicit Joh. 16. & ut mundum vinceremus, fidem, quæ victoria est mundi, nobis dedit. An mors & sepulchrum? Sed qui credit in Christum non videbit mortem, imò jam transiit à morte ad vitam Joh. 5: 24. An Christus nos amare desinet, illum amare desinemus? Sed nos amore æterno prosecutus est, & dat sui timorem, ne ab eo amando cessemus. An peccatum & caro? Sed qui Christo insitus est, illi est mortuus & sepultus Rom. 6: 6. An denique voluntatis nostræ inconstantia, & imaginaria liberi arbitrii indifferentia? Sed is in quo vivit Christus, charitate ejus ita constringitur, ut non amplius sibi vivat, sed in ejus obsequium arctâ quidem, sed suavi tamen & gratâ necessitate addicatur, 2 Cor. 5: 14.

XIX. Huc pertinet etiam *efficacia intercessionis*, quæ cùm irrita esse non possit, Joh. 11: 42. certa & indubitata debet esse, quam tam sollicitè pro suis petiit, Perseverantia. Sic pro Petro orat ne fides ejus deficiat, *Satan petiit vos cribrare*, inquit Luc. 22: 31. *sed oravi pro te, ne fides tua deficiat.* Ubi opponuntur duæ petitiones, altera Diaboli ut cribraret Petrum & cæteros Apostolos, id est, tentaret & concuteret, & tentando ac agitando à Christo separaret, quæ duo in cribratione occurrunt agitatio & segregatio. Altera Christi pro Petro præcipuè tanquam plus tentando, non ne ejus fides tentetur & minuatur, sed ne deficiat, si non quoad actum, qui intercipi debuit, at quoad habitum. Et ne quis dicat hoc solum Petrum respicere, alibi pro aliis Apostolis, imò & pro omnibus credituris orat Joh. 17: 11. *Pater Sancte serva eos in Nomine tuo, ut sint unum, sicut & nos*, & v. 20. *Non pro iis tantum rogo, sed pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, quod antea se facturum promiserat Joh. 14: 16. *Rogabo Patrem, qui dabit vobis alium Consolatorem, qui maneat vobiscum in æternùm*: Nec in terris tantùm, semel atque iterùm orat, sed in cœlis perpetuò semper vivens ut intercedat pro nobis Heb. 7: 25.

Luc. 22: 31.

XX. IV. *Spiritus Sancti custodia & obsignatio.* Quia Spiritus qui nobis datur debet manere nobiscum in æternùm Joh. 14: 16. *Rogabo Patrem, & dabit vobis alium Paracletum, qui mansurus est vobiscum in æternùm.* Ubi promittitur mansio Spiritus perpetua, non modò quoad intentionem, sed & quoad eventum ipsum, non in Apostolis duntaxat, sed & in omnibus fidelibus, qui ex virtute Fœderis gratiæ Isa. 59: 21. doni istius participes fiunt Gal. 4: 6. non ad tempus, ut semel datus ab iis auferri possit, sed in æternùm

nùm, ut gratiâ suâ eos continuò soletur & sustentet ad finem usque, licet inæqualiter & in dispari gradu. Quomodo verò perpetua illa præsentia & inhabitatio Spiritus consistere potest cum totali & finali Sanctorum apostasiâ? Quod ulteriùs confirmatur ex operatione Spiritus in nobis, quæ per *obsignationem* describitur, quum dicitur nos *obsignare ad diem redemptionis*, Eph. 1:13. & 4:30. Cùm enim σφαγὶς ista non aliò pertineat, quàm ad confirmandam in cordibus fidelium certitudinem promissionum Dei de gratia & salute, ut sigilla instrumentis apposita eorum immutabilitatem important. Quis non hinc certitudinem salutis & perseverantiæ colligat? nisi velimus fallax esse Spiritus Sancti testimonium, & irritam obsignationem, quod vel cogitare impium. Unde Patres vocant sigillum istud ἀκατάλυτον, quod ideo dicitur nobis imprimi, non ad quoddam tempus tantùm, sed ad *diem ipsum redemptionis*, id. ad finem usque. Atque eò magis stringit argumentum, quando modus istius obsignationis attenditur, qui non est externus tantùm per Sacramenta, sed & internus per consolationem & sanctificationem, quæ sigilli istius totidem sunt velut partes, quæ ab una parte æternitatem amoris Dei in nobis confirmant, ab altera de constantia fidei & obsequii nostri ex gratia Dei nos persuadent. Unde patet frustra regeri ab Adversariis agi de obsignatione ad salutem, non ad fidem. Nam eo ipso quo obsignamur ad salutem certò obtinendam, obsignamur etiam ad fidem constanter in nobis duraturam, quæ medium est salutis. Nec si fides supponitur jam in obsignatis, nemo enim nisi credens obsignatur, continuò promissio statuitur conditionata, quæ pendeat ab hominis arbitrio, non absoluta. Nam aliud est fidem supponi in subjecto, aliud fidem perseverantem, quæ sub promissionem cadit.

QUÆST. XVI.

Eph. 1:13. & 4:30.

XXI. v. *Donorum per Spiritum nobis collatorum natura*, quæ cùm ἀμεταμέλητα & æterna sint, non patiuntur fideles iis ornatos, vel totaliter vel finaliter excidere Rom. 11:29. *Dona Dei & vocatio sunt* ἀμεταμέλητα. Jam verò *si talia* sunt, quorum semel concessorum Deum nunquam pœniteat, id. nunquam ea revocet, ea manere in nobis necesse est. Quomodo autem essent sine pœnitentia, id. immutabilia & constantia, si homo potest ea amittere, vel penitus ab illis deficere? Licet verò hic primò Apost. respiciat ad Judæorum vocationem, quorum varii ceciderunt & confracti sunt; Non minus tamen validum manet argumentum Apostoli; Nimirum quamvis varii ex Judæis in incredulitate maneant, non posse Deum rejicere populum quem præscivit, dilectum semper esse propter Patres, neque fieri posse ut penitus deficiat, imò fore aliquando, ut totus in Ecclesiam Christi colligatur, quia Dona Dei & Vocatio sint ἀμεταμέλητα. Quod ergo respectu Gentis Judaïcæ locum habet, idem & respectu Ecclesiæ & singulorum fidelium obtinere debet, ut vocatio & dona Dei semel illis collata, sint ἀμεταμέλητα

5. *A donorum natura* Rom. 11:29.

QUÆST. XVII. & irrevocabilia, ſiquidem par eſt utrobique ratio. Nec addendum, *Etſi doni ſui Deum non pœniteat, hominem tamen pœnitere poſſe doni accepti vel retenti.* Quia Vocatio & Dona iſta ἀμεταμέλητα eò tendunt ut confirment fidem in homine, & faciant ut nunquam pœniteat ipſum ſaltem penitus doni accepti. Ideò virtutibus Chriſtianis perpetuitas adſcribitur, ut *Fidei*, quum dicitur victoria noſtra quæ ſuperat mundum 1 Joh. 5:4. *Charitati*, quia *non excidit* 1 Cor. 13:8. *Spei*, quia *non confundit* Rom. 5:5.

& Vita ſpirituali. XXII. Hoc verò ulteriùs confirmatur ex *natura Vitæ ſpiritualis*, quæ per Spiritum nobis ingeneratur, quæ non eſt interitui vel extinctioni obnoxia, inſtar animalis, ſed perpetua eſt & æterna. Ideo fideles in gratia dicuntur jam habere vitam æternam, *qui credit in me habet vitam æternam*, Joh. 5:24. & & 6:40. non dicit habiturus eſt in futuro, ſed habet jam in præſenti, & Joh.

1 Joh. 5:13. 1ª 5:13. *Hæc ſcribo vobis qui creditis in Nomen Filii Dei, ut ſciatis vos vitam æternam habere.* At ſi vita, quam hîc habemus per gratiam eſt æterna, quomodo extingui vel deficere poteſt? An fieri poteſt ut à vita æterna in quam per fidem tranſlati ſumus, in mortem æternam à qua tranſlati ſumus denuò recidamus? *At beati*, inquit Joh. Apoc. 20:6. *qui partem habent in reſurrectione prima, In hos enim ſecunda more poteſtatem non habet.* Licet verò vita iſta ſpiritualis non minus ac animalis ſua deliquia patiatur in gravibus Sanctorum lapſibus, nec idem ſemper ſit ejus tenor & vigor, langueat quandoque, & præfocari videatur, nequaquam tamen planè ſuffocatur & extinguitur, ſed per actus ſubſequentes pœnitentiæ & fidei inſtauratur, quotieſcunque eluctatur peccator, & ab ipſo caſu, velut collecto ſpiritu, graviore odio mali, & ardentiore amore boni inflammatur.

1 Joh. 3:9. XXIII. Non omittendus verò hic eſt illuſtris locus 1 Joh. 3:9. ubi Apoſtolus Theſim noſtram clariſſimè probat, In quo eludendo vel depravando, mirum quantum ſudant Adverſarii. *Quiſquis natus eſt ex Deo*, inquit, *peccatum non facit, quia ſemen Dei manet in ipſo, nec peccare poteſt, quia natus eſt ex Deo.* Si quiſquis natus eſt ex Deo non peccet, quiſquis peccat, non eſt natus ex Deo; imò non vidit, nec novit eum v. 6. Non dicit ſimpliciter non peccare natum ex Deo, id. verum fidelem, nam peccatum in ſanctis agnoſcit Apoſtolus, imò ne ſe quidem ipſum excipit cap. 1. v. 8. Sed *peccatum non facere*, id. ita ut peccatum illi dominetur, quo totus in Diaboli poteſtatem regrediatur, eo modo quo irregeniti peccant, cum ſtudio & habitu peccandi, peccato regnante: Ut *juſtitiam facere* dicitur, non qui quodlibet opus juſtitiæ facit, ſed qui illi dat operam per continuum ejus exercitium, ut *medicinam facere* dicitur, qui eam profitetur, & in ejus praxi verſatur, *mercaturam facere*, *artem facere*, qui eam exercet. Nec tantum dicitur non peccare, ſed nequidem *id poſſe*, non modò quia hoc *non debet*, ex officio, ſic enim non renatus dicendus eſſet non poſſe peccare,

quia

quia non debet, Vel quia hoc non *potest moraliter*, id. difficulter facit, quia sic tollitur gradatio Apostoli à minori ad majus, non peccat, & non potest peccare, quia non peccare majus est quàm difficulter peccare. Sed absolutè *quoad eventum*, quia hoc fieri nequit, duplici de causa, Primò propter ipsum principium internum, *quia semen Dei*, nimirum Verbum ἔμφυτον, & Spiritus S. cujus vi regignimur, non tantùm est ad momentum, sed *manet in ipso*, id. permanenter inest; hic enim non solam existentiam notari, sed constantem mansionem, patet, quia agitur de semine incorruptibili, de regeneratione ad vitam æternam, de mansione, quæ non sinit regenitum peccare, & per quàm Spiritus manet in æternùm cum ipso Ioh. 14: 16. & fidelis debet manere perpetuò in domo, & nunquam ex ea ejici Ioh. 8: 35. Secundò propter ipsam generationem ab isto semine factam, quia nativitas ex Deo habet causam sui conservatricem, & effectricem perseverantiæ in eo qui natus est, quia semen Dei in eo manet, cujus ope à peccato defenditur. Actus ille regenerationis, in quo fundamentum relationis est, quia non potest non fuisse, non potest non esse, semen enim ejus quod manet in illo; vinculum relationis æternum facit, ut semper sit Filius Dei, qui semel est. Licet verò semen istud non semper fructificet in fideli quoad actum secundum, non sequitur non manere quoad actum primum, ut vita manet in arbore tempore hyemis, quo nec folia nec fructus ferre potest. QUÆST. XVI.

XXIV. Nec hic dicendum veram esse sententiam Iohannis in *sensu composito*, nimir. eum qui natus est ex Deo non posse peccare, quatenus natus est ex Deo, posse tamen in *sensu diviso*, si negligat semen Dei. Quia sic mutatur causalis in conditionalem; Non dicit Ioh. natum ex Deo non posse peccare, quatenus natus est ex Deo, sed *quia natus est*, & quia semen maneti in illo, id. semper perseverat & manet in eo, unde natus est Filius Dei. Aliàs frigida redditur oratio Apostoli, asserentis id de quo nullus dubitare potuit; Nam nec Diabolus ipse, nec impius quisquam peccatum facit, secundùm quod à Deo factus est. Absurdiùs verò Bellarm. lib. 3. cap. 15. de Iustific. ita exponit *natum ex Deo non peccare*, *quamdiu perseverat Filius Dei*, id. non peccare, quandiu non peccat. Sic nec Adamus potuit peccare quandiu perseverabat. Sed aliud intendit Iohannes, nimirum ut fideles à peccato saltem regnante caventes, se cognoscant hoc pacto natos ex Deo in quos non cadit. Non hoc sensu, quem nobis affingunt Adversarii, *Ne peccate*, *quia non potestis peccare*, quem ridiculum esse constat, sed alio qui optimus, *Cavete fratres ne peccatis indulgeatis*, *quod si quis faciat*, *& natum se tamen ex Deo putet*, *seipsum planè decipit*, *qui enim natus est ex Deo*, *non ita facere solet*, *nec quidem fieri potest*, *ut sic faciat*. Porro impossibilitas ista non se tenet ex parte hominis, sed ex parte seminis fidelem præservantis à tali lapsu, & ex parte geniture spiritualis, quæ causa est istius

 per-

QUÆST. XVI. perseverantiæ, & quæ apostasiam excludit; Ut τὸ non posse peccare, & ex Deo nasci se habeant ad invicem, ut causa & effectum. Unde non potest propositio Apostoli esse identica, ac si diceret, qui non peccat, non peccat, non magis quàm ista, qui natus est ex homine, ratione utitur, quia homo fidelis in subjecto propositionis describitur ab origine, in prædicato verò à proprietate essentiali.

6. A similibus variis. XXV. Huc pertinent similia varia, quibus Spiritus Sanctus utitur ad adumbrandam istius vitæ perennitatem; ut quum confertur *semini incorruptibili* 1 Pet. 1:23. non tantùm in se formaliter, sed & in nobis effectivè, quia producit vitam æternam, & quod manet semper in fideli 1 Joh. 3:9. *Fonti salienti in vitam æternam, ex quo quisquis bibit non sitiet in æternum*, Joh. 4:14. plantationi quæ non avellitur Amos 9:15. *Arbori plantatæ ad rivos aquarum*, cujus folium non decidit Psal. 1:3. & 92:14. Non dicit tantùm aquam istam manere, sed multiplicari ac fontem perennem effici salientem ad vitam æternam, id. qui à terra ad cœlum usque, & ad Deum ac vitam æternam assurgat, & nos deducat, ut à Deo ad nos descenderat, ut aquæ salire solent usque ad altitudinem suæ originis. *Domui ædificata super rupem*, quæ stat immota contra ventos, pluvias, & torrentum inundationes Matt 7:25. & contra quam portæ inferorum non possunt prævalere Matt. 16:18. Jam si fidelis qui ex Deo natus est, posset fieri filius Diaboli, si aqua salutaris gratiæ posset penitus arescere, si pius qui super rupem seculorum ædificatus est posset excidere, quomodo posset dici semen incorruptibile, & aqua saliens in vitam æternam, & domus rupi inædificata?

1 Pet. 1:23.

Joh. 4:14.

Psal. 1:3.

Mat. 7:25.

Joh. 4:14. XXVI. Frustra ad Joh. 4:14. regeritur. Primò *agi de vita æterna, in qua sitis perfectè expletur, non vero de vita gratiæ, in qua sitire est* Mat. 5. *imò & possumus à bibendo cessare.* Quia scopus Christi est ostendere prærogativam aquæ spiritualis quam dabat, supra aquam elementarem. Primò in eo quòd aqua putealis non planè extinguat sitim, sed aqua Christi sitim ita auferat, ut qui semel biberit, non sitiat in æternùm, nimirum *siti totalis indigentiæ*, quæ impiis competit, Isa. 65:13. licet possit adhuc sitire *siti desiderii* & fruitionis totalis, quæ semper est in fidelibus in hac vita, qui nondum perfecti sunt 1 Pet. 2:2. 3. Secundò quòd aqua putealis non maneat in eo qui bibit, sed transeat & evanescat, unde rursus sitire cogitur; sed aqua Christi sit fons permanens & perennis, non tantùm ratione gloriæ, ubi plenitudo istius aquæ dabitur, sed etiam in hac vita, ubi ex illa jam bibere incipimus; Unde non dicit fontem istum esse vitam æternam, sed salire in vitam æternam, ut innuatur fontem istum perennem jam inchoari in corde fidelis in gratia, donec eum deducat ad vitam æternam, ut alibi Christus dicit Joh. 7:38. ex eo *qui credit flumina aquæ vivæ exoritura* loquendo de donis Spiritus Sancti, qui dandus erat credentibus. Secundò *verbum bibendi intensum esse*,

id

id est actum continuum vel saltem finalem notare, ut non hoc voluerit Christus qui semel biberit, & semel crediderit, sed qui continenter & perseveranter, ille victurus sit in æternum. Sed verba Christi hoc effugium præcludunt; non dicit qui continuò biberit, sed qui biberit, id. qui semel verè biberit, quia facit potus iste semel haustus, ut semper hauriatur, quia aqua quam Christus dat sit fons; Dat aquam homo Christus, ubi semel bibitur. Ubi ergo semel bibitur, fit ibi fons aquæ scaturientis ad refectionem æternam. Aliàs si hoc tantùm vult Christus, quòd quandiu homo bibit ex illa aqua non sitiat, idem de quolibet alio potu dici poterit, quod quandiu ex eo aliquis bibit, non sitiat. QUÆST. XVI.

XXVII. VI. Huc facit *Judicium*, quod fit in Scriptura de *Apostatis*, quasi à veris fidelibus plane diversis; *Egressi sunt ex nobis*, inquit Joh. 1 æ 2:19. *sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum, sed ut pateficret quòd non sint omnes ex nobis.* Quia ut benè August. notat de Doct. Christ. lib. 2. *Non est revera Corpus Christi, quod non erit cum illo in æternum.* Et alibi de Correpr. cap. 9. *Non erant filii etiam quando erant in professione & nomine filiorum.* Ita Apostolus distinguit *esse in Ecclesia* quoad professionem externam, & Corpus Ecclesiasticum; Et *esse ex Ecclesia* quoad communionem internam & Corpus Christi mysticum, quod solis Electis competit. Apostatæ autem illi & Anti-Christi, de quibus loquitur Johannes, fuerant quidem inter ipsos in Cœtu Christiano & Ecclesia visibili fidelium per fidei professionem & Sacramentorum communionem. Et ab illa communione defecerant, non tam mutatione loci, quàm doctrinæ, & affectus, ut egredi e mundo dicuntur, non qui corpore, sed qui animo & affectibus ab eo se separant. Quia verò scandalum ingens inde oriri poterat, quasi Ecclesia tales pestes gemuisset; vel veri fideles deficerent, Johannes illi occurrit, quum addit, non fuisse ex numero verorum fidelium, quia si fuissent ex illis, utique constanter cum iis mansissent. Sed hoc ideo factum esse, ut pateficret non omnes, qui sunt in Ecclesia, & qui fidem profitentur, esse verè fideles & Corporis Christi membra, quod utique dicere non potuisset Apostolus, nisi supposuisset ut certum & indubitatum Eos, qui semel in Corpus Christi mysticum & Ecclesiam invisibilem allecti sunt, non posse ab ea deficere. Nam quod à quibusdam excipitur Egressum istum notare missionem Apostolicam, quasi illi finxissent se missos ab Apostolis, quod non esset tamen, tam est absurdum ut refutatione non indigeat. Licet verò non negemus veros fideles posse ad tempus recedere ab externa professione & in abnegationem Christi incidere; sed vel metu & infirmitate, vel errore mentis, vel spe lucri, à quo lapsu possunt resurgere. Non ideo fieri potest, ut deficiant lapsu totali & ex malitia & deliberato animi proposito, ex odio & contemptu veritatis, ut fiant persecutores & seductores, imò & Anti-Christi, quales erant isti Apostatæ, de quibus loquitur.

6. *à Judicio de Apostatis.* 1 *Joh.* 2:19.

QUÆST. XVI.

XXVIII. VII. Ab *Absurdis*. Quia positâ Apostasiâ Sanctorum 1. Suspenduntur Dei decreta, & dona Dei ἀμεταμέλητα ab incerto hominis arbitrio. 2. Rumpitur catena mediorum salutis, quam Deus in suorum solatium contexuit inviolabilem. 3. Evangelii doctrina in meras conjecturas convertitur, & fiducia & certitudo salutis afflictis conscientiis prorsus eripitur. 4. Distinctio tollitur inter Reprobos & Electos, dum promiscuè hi & illi vel admittuntur pro libitu ad salvandorum conditionem, vel excluduntur. 5. Tota œconomia salutis inanis redditur. Nam si possibile est fidelem omnem deficere à fide, fieri potest ut nulli omnino sint Electi; nam si unus excidit, quare non & alter? Et eadem ratione, cur non omnes? sic nulla potest esse Ecclesia, & Christus gratis esset mortuus.

7. ab Absurdis.

Fontes Solutionum.

XXIX. Exempla quæ afferuntur Eorum, qui defecisse dicuntur à fide, non evincunt Apostasiam Sanctorum. Quia vel est *defectio à fide temporaria*, non à fide salvifica, Ut illi de quibus agitur Matth. 13. Vel à *communione externa* & visibili Ecclesiæ, non internâ & mysticâ, qualis intelligitur in locis illis, ubi mentio fit Israëlitarum fœdifragorum, qui defracti sunt per incredulitatem suam Rom. 11: 20. qui contradistinguntur Electis ad gloriam, qui assecuti sunt salutem Rom. 11: 7. & *Palmitum*, qui non ferentes fructum in Christo, non manent, sed exscinduntur & exarescunt Iohan. 15: 2. 6. qui in Christo dicuntur esse, quia sunt in Ecclesiæ societate, & per Baptismum Christo sunt initiati, & tum suâ tum aliorum opinione videntur Christo insiti, sed qui illi adhærent potius per contiguitatem communionis externæ, quàm inhærent per continuitatem communionis internæ, & per influxum vivificum Spiritus. Vel à *sanctificatione fœderali* & *sacramentali*, & qualicunque externâ, non intimâ & reali, de qua Heb. 10: 29. Vel à *fide qua creditur*, seu à Doctrina Evangelii, ejusque professione, non verò à *fide quâ creditur*, seu habitu vero fideli semel indito, ut dicitur de novissimis diebus, quòd quidam *defecturi essent à fide* 1 Tim. 4: 1. nimir. à veritate Evangelii attendentes spiritibus deceptoribus &c. & de Hymenæo & Phileto 1 Timoth. 1: 19. 20. & 2 Tim. 2: 17. quòd *naufragium fecerant* περὶ τὴν πίστιν *circa fidem*, recedentes scilicet à pura & sincera Evangelii prædicatione, quam ad tempus retinuerant, quo sensu dicuntur *rejecisse bonam conscientiam*, animi scilicet sinceritatem & affectum non fucatum Evangelii puritatem retinendi, quam abjecerunt velificantes ambitioni & aliis affectibus suis, interpolantes veram doctrinam variis erroribus exitialibus, qualis erat negatio resurrectionis ultimæ, dicentes eam jam contigisse; vel repulisse dicuntur bonam conscientiam, non rejiciendo quam habuerant, sed eam non admittendo, quomodo τὸ ἀπώσασθαι, quod hic habetur, primariâ significatione pro repulsione & rejectione ponitur rei quæ non habetur, ut Act. 13: 46. non pro excussione rei quæ jam possidetur. Potest

Matth. 13.
Rom. 11:20.
Joh. 15:2.6
Heb. 10:29.
1 Tim. 4:1.
& 1:19.20.
2 Tim. 2:17

test etiam observari, non dici eos naufragium fecisse à fide; Sed περὶ τὴν πίστιν *circa fidem*, ut Versio Vulgata reddit, ut metaphora sit à navigantibus desumpta, & fides hic proponatur veluti portus, ad quem via quam insistebant receptâ doctrinâ Evangelii eos deducere potuisset, ut in eo pacem conscientiæ & salutem invenirent, ut Theophyl. in h. l. observat, & ad quem ut pervenirent regendus erat bonâ conscientiâ navigationis cursus, quam abjiciendo, non potuerunt eum adsequi; & sic circa illum naufragium fecerunt, non modo ad eum non appellendo, sed ad infames scopulos errorum impingendo, ubi naufragium verè fecerant, id est, in exitium sese dederant præcipites. Quomodo alibi fides confertur scopo & metæ, ad quam tendimus, & circa quam dicuntur *aberrare* ἀστοχεῖν περὶ τὴν πίστιν 1 Tim. 6: 21. qui ψευδώνυμον γνῶσιν sectantur.

XXX. Exempla Sanctorum, qui in gravia & atrocia peccata inciderunt, non probant eos defecisse totaliter & finaliter à fide. Quia aliud est labi in peccatum, aliud regno peccati subesse, ut aliud est labi in lutum, aliud in lutum se projicere, & cum voluptate volutari, quorum in altero casus, & peccandi fragilitas, in altero consilium est vitæ, & destinata voluntas. Sancti primo modo peccant, sed non secundo. Si pro tempore à fidei & veritatis tramite aberrant, non penitus à scopo deficiunt, in naufragio retinent tabulam, in hyeme semen, in paroxysmo rationis principium, nec cum actu perit habitus, vel cum affectu seducto tollitur redeundi propositum.

XXXI. *David* peccavit graviter, & contra conscientiam, imò in peccato suo duplici & adulterii & homicidii aliquando obtorpuit. Unde fides ejus non modò imminuta, sed etiam sopita procul dubio fuit, ut sensum gratiæ ad tempus non perciperet. Sed totaliter tamen non defecit; quia non tam ex deliberata malitia, & ex habitu peccavit, quàm ex vehementi cupiditate & seductione carnis, illectus scilicet suâ concupiscentiâ 2 Sam 11:3.4. Hinc reprehensus à Nathane statim agnovit, & confessus est peccatum suum, & ad gratiam Dei confugit, atque ideo Propheta veniam peccati mox annunciat. Ideo Ps. 51: 13. 14. tam ardenter petit, non ut reddatur illi Spiritus, sed *ne ab illo auferatur*, & ut illi *reddatur gaudium salutis*, quod evincit, sensum quidem gratiæ interceptum fuisse, sed non gratiam ipsam penitus ablatam. Nec si David se agnoscit *virum mortis* 2 Sam. 12: 5. id. reum mortis, qui talem pœnam revera erat commeritus peccato suo, continuò sequitur defecisse penitus à fide & à gratia, quia à demerito & reatu peccati ad eventum non valet consequentia. Sequitur quidem in eo fuisse statu, ut dignus esset, qui morte plecteretur, & separaretur à Deo; Sed non statim eum actu & de facto separatum fuisse, propter interventum misericordiæ Dei. Certum quidem est Davidem posse dici mansisse in morte quoad reatum, quandiu mansit in peccato, nec conversus est, & perdidisse justificationis fructum & sensum; 2 Sam. 11: 15.

QUÆST. XVI. sed non propterea potest dici excidisse absolutè à gratia adoptionis, & à jure vitæ, quod illi ut filio Dei competebat. Quod ergo Johannes dicit primæ c. 3:15. homicidam *manere in morte*, *nec habere vitam æternam in se manentem*; intelligendum est de homicida impœnitente & non converso, qualis non fuit David.

XXXII. *Salomon* tristissimum fuit humanæ fragilitatis exemplum in gravibus illis peccatis, quibus sese contaminavit, tum per idololatriam, tum per effrænem polygamiæ licentiam, & insanum peregrinarum mulierum amorem. Dum Rex ille mortalium sapientissimus, à Deo dilectus, tantæ dignitatis, ut Domus Dei extruendæ negotium illi daretur, typus Christi, qui in diebus juventutis exemplar sapientiæ & justitiæ habitus fuerat, jam senex cor avertit à Deo, & abit post idola, & fit architectus Idolorum & Templorum Diaboli, qui antea fuit δημιουργὸς Templi Dei, quod sanè peccati ejus gravitatem ita auget, ut in sanctis vix ullum simile occurrat. Interim si penitiùs excutitur, tale non est, quod nos cogat ut credamus eum à fide totaliter defecisse, ut habitus ejus non modò debilitatus fuerit & imminutus valdè, & sopitus, sed planè extinctus. Imò non pauca sunt, ex quibus ejus pœnitentia & perseverantia colligi potest. 1. Ex illustri promissione, quæ facta est Davidi de ipso 2 Sam. 7:15. tanquam typo Christi, quæ peccanti virgas minatur, sed gratiam non aufert, contra quam Sauli factum, *Ero illi in Patrem, & erit ille mihi in filium, si inique egerit, virgis hominum eum castigabo, misericordia mea non recedet ab ipso.* Ubi datur promissio fœderalis, non tantùm Regni, ut vult Kimchi, sed omnium gratiarum, quibus Pater filium prosequitur, quæ cum desertione est ἀσύστατος. 2. Hoc confirmatur ex singulari illo amore, quo Deus illum complexus dicitur 2 Sam. 12:25. Unde illi nomen *Jedidja* id. dilectus Domini, inditum; amor enim Dei erga suos æternus est Jer. 31. 3. Quia fuit illustris typus Christi, quem sustinere non posset, si in Apostatarum & Reproborum numerum reponendus esset. 4. Quia 1 Reg. 11:4. ubi peccata ejus recensentur, dicitur *Salomonis animus non fuisse integer erga Deum suum, sicut fuerat animus Davidis Patris sui, nec plenè sequebatur Jehovam sicut David pater ejus* v. 6. Unde colligi potest, licet vir uxorius amore & indulgentiâ erga uxores à vero Deo recesserit, sive idolorum cultum tolerando, imò & fana illis extruendo, per idololatriam tantùm participatam & indirectam, ut non pauci ex Hebræis & Christianis putant, sive ipse ea colendo, non tamen penitus ejerasse Dei cultum, vel Idola in Templum intulisse, in quo verus Dei cultus continuavit, etiam dum idololatria obtinuit. Unde August. de Civ. Dei, l. 14. c. 11. illum conjungit cum Aarone, quem dicit *erranti populo ad idolum fabricandum non consensisse inductum, sed cessisse obstrictum.* 5. Quia Salomon post mortem laudatur 2 Paralip. 11:17. ubi de Roboamo agitur, *ambulavit in via Davidis, & Salomonis triennio.* Ubi de pie-

2 Sam. 7: 15.

pietatis imitatione agitur, quod Spiritus S. non dixisset, si penitus à fide defecisset. 6. Idem probatur ex ejus resipiscentia, cujus testis est, non modò qualiscunque Ecclesiæ reformatio extremis vitæ annis instituta, 2 Chron. 11:17. sed præcipuè Ecclesiastes ejus, quem constans est Hebræorum opinio, non modò ab ipso conscriptum fuisse, ut vel ex titulo libri cap. 1: 1. colligi potest, dum vocatur *Coheleth, filius Davidis Rex in Jerusalem*, sed etiam post lapsum & sub vitæ finem, ut ex summa libri colligitur, qui nihil aliud est quàm mera humiliatio coram Deo, vanitatum & voluptatum omnis generis, quas degustaverat, graphica descriptio, peccati sui expressa confessio, sapientiæ propriæ, quâ abusus erat abnegatio cap. 7: 23. mulierum à quibus fascinatus & ad peccatum seductus erat detestatio v. 26. & ad timorem Dei solius opposité ad ἀσέβειαν & falsitatem idolorum, studii omnis revocatio, ut ad rem unam necessariam, & ἀρχὴν καὶ τέλος *principium & finem* veræ sapientiæ c. 12. Nec huic Salomonis pœnitentiæ obstare potest, Vel quòd non expressè legatur in Scriptura, quia nec Adami, Lothi, Samsonis, & aliorum pœnitentiæ explicitè habentur, quæ tamen à nemine in dubium meritò revocantur; Et argumenta allata sufficiunt ad eam probandam. Vel quòd Idoleia non sustulerit, quia 2 Reg. 23: 13. dicitur *Josias Excelsa, quæ ædificaverat Salomon ipsi Astaroth, Chemos, & Milcom, profanasse.* Quia potuit relinquere illa Excelsa, ut servirent posthac cultui, non idololatrico, sed veri Dei Israelis, ut dicitur de populo post abolitum cultum idololatricum à Manasse 2 Paralip. 33: 17. quòd *populus immolaret adhuc in Excelsis tantummodo Jehovæ Deo suo*, quæ Josias, ut cultum Dei presiùs repurgaret, ab omni superstitione, destruere voluit.

QUÆST. XVI.

2 Reg. 23: 13.

XXXIII. *Petrum* graviter peccasse, Christum abnegando, & abnegationem suam perjurio etiam confirmando, dubitari non potest. Sed penitus non ablatam fuisse fidem in corde, etsi confessio in ore defecerit, solidè colligitur. 1. Ex oratione Christi, qui pro illo oravit, *ne fides ejus ἐκλείπῃ deficeret* Luc. 22: 32. quam à Patre exauditam esse nemo est qui neget. Nec hoc intelligi potest tantùm de defectione finali, quia verba Christi, non ad tempus referri possunt, sed ad rem, quæ deficere dicitur, quocunque tempore id fiat, ut fides non penitus extingueretur, sed in ipso perstaret; aliàs non fuisset compos voti Christus, & Satan assecutus esset finem suum. 2. Modus quo peccavit Petrus, ostendit non fuisse totalem defectionem, quia non malitiâ & deliberato animi proposito, sed ex infirmitate & metu carnis peccavit, qui ita mentem occupaverat, ut nec primâ nec secundâ, & vix tertiâ negatione animum recolligeret, aut omninò se peccâsse cogitaret. 3. Dolor & amaræ lachrymæ, quæ lapsum ejus secutæ sunt ad Christi intuitum, & galli cantum, ostendunt fidem non planè in eo defecisse. Unde Servator eum respiciendo, non novum infudit habitum, sed conservatum arcanâ Spiritus virtute resuscitat, Et *recordatus est*

QUÆST. XVI. *Petrus*, ut habet textus, id est, ad se rediit, quem antea timor distraxerat. Ita *fidei robur concessum fuit*, ut ait Tertull. lib. de fug. in persec. sed *non excussum*, fides mota, sed non amota, debilitata, sed non deleta, obscurata, sed non extincta; *non tam eversa dilectio, quam turbata conscientia*, ut inquit Leo Serm. 9. de Passi. *amabat intus, quem negabat foris*, tametsi affectus metu constrictus torperet, mansit fides actu primo, secundum intercepit periculi metus. Hinc Theophyl. ad verba Christi, *Rogavi*, inquit, *ut non deficiat fides tua, Quamvis enim brevi tempore concutiendus sis, habes tamen recondita fidei semina, etiamsi folia abjecerit Spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua, non omnino relinquam te.* Quamvis verò confessio sit effectus fidei, qui eam sequitur; Non sequitur semper & ubique sese exerere, ubi fides est, vel fidem prorsus extingui, cujus confessio non sponte abjecta, sed metu tantùm oppressa fuit.

XXXIV. Qui opera carnis patrant plenâ voluntate & datâ operâ, & in iis perseverant, rectè dicuntur à fide penitus deficere. Sed hoc sensu fideles non possunt dici peccare, ex 1 Joh. 3: 9. & 5: 18. quia non tàm ex malitia & pleno voluntatis consensu sine reluctantia peccant, quàm ex infirmitate & affectuum impotentiâ. Licet verò non rarò peccata illa fiant ex prævia aliqua deliberatione, & contra conscientiam, quia tamen προαίρεσις illa non tàm oritur ex habitu, quàm ex vehementi affectuum perturbatione, in quibus est semper vel antecedens lucta, vel subsequens dolor, & renisus quidam conscientiæ. Hinc patet non posse vocari peccata nequitiæ, & superbiæ, quæ fiunt elatâ manu, & gratiam omnem ex corde excutiunt. Nec si renisus aliquis conscientiæ occurrit etiam in irregenitis, nonnunquam; Idem censendum est de peccatis fidelium, quia in illis lucta est tantùm inter appetitum & rationem, quæ peccatum reprimit potius quàm perimit, quæ horrorem pœnæ, non fastidium peccati inducit; sed in istis lucta est inter carnem & spiritum, quæ fidem & gratiam semper aliquam in corde supponit. Unde August. Enchir. c. 64. *Filii Dei quamdiu moraliter vivunt cum morte confligunt, & quamvis sit de illis veraciter dictum, quotquot Spiritu Dei aguntur sunt filii Dei, sic Spiritu Dei excitantur & tanquam filii proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maximè aggravante corruptibili corpore, tanquam filii hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad seipsos & ideo peccent.* Hinc fit, ut sicut propter reluctantiam carnis, actiones quæ Spiritum sequuntur nunquam ita sunt ab omni labe depuratæ, quin aliquid habeant nævi & vitii: Ita illæ in quibus caro præpollet, nunquam eò usque peccato inhabitanti mancipentur, quin semper per Spiritus oppositionem, vel simultaneam, vel succedaneam, & ex postfacto illius tyrannis & dominium impediatur & infringatur.

XXXV. Alia est *perseverantia physica* & sui nescia, quæ oritur vel ex du-

duritie materiæ, vel à natura formæ, qualis est in auro, vel in cœlo. Alia est *moralis*, quæ fit ab animi proposito, & constantiâ voluntatis in retinendo objecto. Ad primam inutiles omnino essent hortationes & promissiones; Sed non pariter ad secundam, quia media sunt quibus ipsa promovetur & impletur. Unde tantùm abest, ut per doctrinam nostram tollatur usus hortationum & promissionum, ac comminationum circa perseverantiam; Ut potius necessitas earum firmiter stabiliatur, cùm sint media à Deo instituta ad eam obtinendam, quatenus per ea Deus fidem, timorem sui, studium cavendi lapsus, & postquam admissus est, ab eo resurgendi operatur. Nec si promisit Deus perseverantiam fidelibus, eam promisit absolutè & sine mediis, sed per media ab ipso homine usurpanda conferendam, ita ut Deo hominem conservante, seipsum etiam conservare teneatur per Spiritus gratiam 1 Joh. 5: 18. Unde fideles certi sunt de sua perseverantia per fidem promissionum, non per vim aliquam externam, quæ eos volentes nolentes, imò & in peccatis manentes retineat in via salutis, sed in usu mediorum & praxi pietatis, dum operantes salutem suam cum timore & tremore, confidunt Deum esse qui operatur velle & perficere, & qui quod cœpit bonum opus gratiosè perficit. Ita perperam ex hac doctrina licentiæ & impietatis occasio deducitur, quum sit ἀσύςατον flagitiis indulgere, & habere gratiam perseverantiæ effectricem. Imò qui habet hanc spem purificat seipsum 1 Joh. 3: 3. & pro certo sibi persuadere debet neminem sine sanctitate visurum Deum, & non aliam viam quàm pietatem dari ad assequendam vitam: Nulla ergo alia *securitas* ex certitudine perseverantiæ in homine oritur, quàm *spiritualis*, quæ usum mediorum non excludit, sed supponit, & timorem non diffidentiæ, sed sollicitudinis, & studii ad constantem istorum mediorum usum in animis nostris ingenerat. Quæst. XVI.

XXXVI. Alia est justitia primæ institutionis in natura, Alia restitutionis in gratia, Ab illâ potuit Adamus deficere, quia fuit mutabilis, Sed non possumus ab ista, quæ est immutabilis & ἀμεταμέλητ☉.

XXXVII. Locus Ezec. 18: 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecit non commemorabuntur, propter iniquitatem suam quam fecit morietur.* Non facit pro Apostasia Sanctorum. 1. Quia locutio est hypothetica, non absoluta, בשוב צדיק, *cum se averterit justus*, id est, *si se avertat*: Notum autem est conditionem nihil ponere in esse, sed connexionem tantùm necessariam antecedentis cum consequente notare. Nec si possibilitas aliqua defectionis notaretur à parte hominis, quum in sensu diviso spectatur, statim inferri potest possibilitas in sensu composito à parte gratiæ Dei, & quoad eventum, quia quod possibile est respectu causæ proximæ & cognitæ, impossibile est ratione remotæ & occultæ, quæ est in Decreto Dei. Hic autem, ubi Deus hominibus officium præscribit & Legislatorem agit, non verò eventus rerum à se decretos Ezec. 18:24

 ape-

QUÆST. XVI. aperit, tanquam Dominus mundi, & Dispensator bonorum & malorum, non aliud intendit, quàm regulas illas officii sui tradere, & præmia vel pœnas, quæ ex præstatione vel neglectu ejus ipsis impendent, declarâre, sine ullo ad possibilitatem vel impossibilitatem rei respectu. 2. Quia agitur ibi de Justitiâ Legali & Operum, non de Justitiâ Evangelicâ & Fidei; Scilicet Propheta ad hominem loquitur, & ex mente eorum quos hîc compellat, qui ut erant sub Lege legalem justitiam sectabantur ex Lege, & ex operibus Legis justificari volebant. Cujus erroris vanitatem ut detegat Dominus, & simul justitiam Providentiæ suæ adversus eorum calumnias tueatur, dicit Justitiam justi nihil illi prodesse, nisi sit constans & perpetua, aliàs si se justus avertat, omnia opera sua præcedentia frustra esse, moriturum esse in iniquitate sua, quod cùm in seipsis animadverterent, mirum sibi videri non debere, si pœnas à justitia Dei inflictas sustineant. Talis autem justitia, à qua quis deficit, licèt non sit fucata & hypocritica, & tantùm quoad externam speciem, sed vera etiam in suo genere; non potest tamen censeri salutaris & vivifica, quæ Deo grata si ; quia ex defectione vanitas ejus demonstratur. Nec si Justo promittitur vita, sequitur justitiam de qua loquitur esse perfectam, quia promittitur vita justo perseveranti, id est, justè agenti, non quomodocunque prout justus à justitia sua deficiens eam exercet, sed sincere, ex animo, & constanter 1 Tim. 1: 5. Matt. 22: 37.

Joh. 17:12. XXXVIII. Judas non dicitur Joh. 17: 12. fuisse ex numero eorum, qui dati erant Christo servandi, quia jam erat υἱὸς ἀπωλείας *filius perditionis*, id. tum perditissimus, atque adeo perditione dignus, qui eam crimine suo in se accersivit, tum perditioni & exitio destinatus ac devotus, ab æterno justo Dei judicio Act. 1: 16. & cap. 4: 27. 28. qui ideo opponitur filiis Dei electis, qui dati sunt Christo servandi Itaque εἰ μὴ non hîc est particula *exceptiva*, sed *adversativa*, pro *sed*, *Nemo periit ex iis quos mihi dedisti*, *sed* periit tantùm *filius perditionis*, qui non erat ex datorum numero, sed reproborum & exitio devotorum, ut alibi non semel sumitur Gal. 2: 16. 1 Cor. 7: 17. Gal. 1: 7. Apoc. 21: 27.

Gal. 5: 4. XXXIX. Aliud est *à gratia excidere positivè* per realem gratiæ jam receptæ privationem. Aliud verò *excidere ab ea negativè*, illam non assequendo. Illi de quibus loquitur Paulus Gal. 5: 4. posteriori sensu, non priori dicuntur *excidisse à gratia*, quatenus miscere volentes Judaïsmum cum Christianismo, & Legem cum Evangelio, Iustitiam suam cum Iustitiâ Christi, istâ se privabant, & ab ea ita excidebant, ut alibi de Iudæis dicit Rom. 9: 31. cùm enim gratia & meritum sint ἀσύστατα, non potest non gratiâ excidere quisquis justitiam suam, vel ex toto, vel ex parte in Lege quærit.

1 Cor. 5: 5. XL. Aliud est tradi Satanæ cum Epulone ad æternum tormentum. Aliud cum Incesto Corinthiaco in exitium carnis, ut Spiritus salvus fit in die Domini,

1 Cor.

1 Cor. 5: 5. fidelis potest tradi posteriori hoc modo, non priori. Excommunicatio lapsos à regno cœlorum simpliciter non excludit, sed cum conditione, nisi resurgant per pœnitentiam, quam censura ista tanquam salubris medicina operatur in verè fidelibus per Dei gratiam 2 Cor. 7: 11. Unde Excommunicatus non desinit in occulto esse membrum Christi, licet quoad externam disciplinam pro tempore à Corpore externo Ecclesiæ resecetur, & à Sacrorum communione: Nimirum Excommunicatio est flagellum piæ Matris in pravum filium, quem non quia flagellat, ideo habet pro non filio, sed castigat graviter, ut emendet, ne fiat omninò non filius. QUÆST. XVI.

XLI. Licet Sancti per gravia, in quæ labuntur, peccata mereantur exclusionem à regno cœlorum, & justificationis ac adoptionis abrogationem, fit tamen Dei misericordiâ, ut propterea nec Jus ad regnum cœlorum tollatur, nec Iustificatio & Adoptio revocetur, nec status regenerationis aboleatur effectivè. Quia Ius ad regnum non in actionibus nostris fundatur, sed in gratuita Dei adoptione, & nostra cum Christo unione indissolubili; Et reatus hujus vel illius peccati non abrogat justificationem universalem peccatorum præcedentium, & statum personæ Deo per Christum reconciliatæ; Et adoptionis privilegium à nobis non pendet, sed à sola Dei Patris misericordia, & gratia regenerationis fluit à Spiritu, qui ut semen istud vivificum semel in cordibus nostris implantavit, ita illi imprimit vim cœlestem & incorruptibilem, eandemque perpetuò fovet & tuetur. Ita quamvis possit homo peccans usum illius Iuris, & justificationis sensum amittere saltem ad tempus; Non potest tamen jure ipso excidere; Etsi adoptionis solatio privetur, non tamen statim istâ adoptione exuitur, ut filius fiat Diaboli & servus peccati, qui factus fuerat Filius Dei. Et si semen istud in corde latet, nec foris se prodit ad fructus ferendos, non moritur tamen, vita semper est in radice, actus fidei potest intercipi, sed non ipse habitus excuti, ut ignis qui sub cineribus latet, ut vita quæ sua deliquia patitur, ut planta durante hyeme, quæ nec floret, nec fructificat.

XLII. Aliud est fidelem graviter peccantem, esse suo merito damnandum, si quoad se in sensu diviso spectetur. Aliud si consideretur in sensu composito, & quoad Decretum Dei. Priori sensu verum est reum esse mortis, & si in eo statu moreretur, certò damnandum. Sed posteriori rectè dicitur absolvendus & salvandus; Deo ita immensâ suâ charitate & sapientiâ rem disponente, ut nunquam in eo statu obeat, sed prius per fidei & pœnitentiæ actum renovatum redintegretur & redeat in viam, antequam perveniat ad metam. Unde juxta duplicem σχέσιν, duæ istæ propositiones, licet contrariæ videantur, possunt veritatem suam simul obtinere, Impossibile est ut David electus, & vir secundùm cor Dei pereat; Impossibile est ut David adulter & homicida, si mors illum oppresserit impœnitentem, servetur. Illud ratione Decreti Dei.

QUÆST. XVI. Dei. Hoc ratione gravitatis & demeriti peccati. Sed nodum hunc divina Providentia & gratia solvit, curando ne David vel ullus Electorum in eo statu moriatur, in quo propter impœnitentiam, à salute excludendus esset.

XLIII. Si verò quæritur, Quomodo fides cum atrocibus istis peccatis in fideli subsistere queat? facilè respondetur. Quomodo contraria in eodem subjecto manere possunt, sed in gradu remisso. Ut Caro & Spiritus licet inter se semper pugnent, non tamen se expellere penitus possunt, dum in hâc mortalitate vivimus. Et ut Spiritus dum prævalet in lucta, deprimit quidem carnem, sed non penitus perimit. Ita dum Caro concupiscit adversus Spiritum & hominem captivum abducit sub Legem peccati, reprimit vim Spiritus, sed non illico destruit & excutit. Actus quidem peccaminosi non possunt subsistere cum actibus justitiæ oppositis, v. g. actus adulterii, cum actu castitatis, actus incredulitatis cum actu fidei, actus odii cum actu amoris; sed non possunt tamen habitum ipsum excutere. Ita nihil obstat fidem & charitatem manere in homine peccante, sed quoad actum primum, non secundum, quoad semen, non quoad fructum, quoad habitum, sed languentem & imminutum, non quoad ejus exercitium & operationes.

XLIV. Nec hac ratione, ut cavillantur Adversarii, idea virtutum planè corrumpitur, quia dicuntur subsistere cum atrocibus peccatis, ut fideles debeant dici propter inamissibilitatem fidei, etiam qui in infidelitatem labuntur, justi & sancti, qui variis injustitiæ & impuritatis sordibus sese polluunt, casti, qui sunt adulteri *&c.* Quia cùm duo principia in homine fideli semper dentur Caro & Spiritus, nihil obstat quominus secundùm varia illa principia, varia etiam sortiatur nomina, ut fidelis & justus dicatur à parte Dei, qui ipsum elegit & redemit, & ratione Spiritus; incredulus verò & injustus à parte sui, & ratione carnis. Deinde cùm habitus perficiatur per actum, & virtus denominationem sumat, non tam ab habitu latente, quàm ab actu sese exerente, absurdum est fidelem in adulterium vel in homicidium labentem, castum vel mitem vocare, quia actus oppositos castitati & charitati edit; licet habitus charitatis, sed infirmus & languens in eo possit adhuc superesse. Atque hoc eò magis dici debet, quòd licet semina ista & habitus virtutum Christianarum debilitati, qui in ipsis manent, veri sint in suo genere; non tamen possunt dici salutares, & Deo grati, qui aptitudinem proximam illis concilient ad ingrediendum in cœlum, quia hoc obtinent tantùm ratione actuum suorum, non ratione habituum, nec fides justificat, nisi per actum, nec charitas grata est Deo nisi dum exercetur.

XLV. Aliud est excidere à *Statu gratiæ*, quatenus notat Dei beneficium, seu conditionem filiorum, & Jus ad vitam, quod Deus illis confert per Vocationem efficacem & Adoptionem. Aliud verò, quatenus notat hominis of-

officium, seu aptitudinem & dispositionem ad regnum cœlorum per praxim fidei & exercitium pœnitentiæ, quibus in eo statu ponitur fidelis, ut in eo moriens necessariò salvandus sit. Quo sensu Pontificii loquuntur ut plurimum de statu gratiæ. Non negamus posteriori hoc sensu fidelem per peccata sua imprimis atrocia excidere à statu gratiæ, quatenus amittit dispositionem ad regnum cœlorum, quia nihil inquinatum eò potest ingredi, & incurrit in statum damnationis ex Dei justissimo judicio, quò injusti, rapaces, scortatores, adulteri, arcentur à regno cœlorum, & pœnis æternis adjicuntur. Sed priori rectè dicitur fidelem a statu gratiæ non excidere, quia Jus filiorum semel ipsi indultum, nunquam tollitur à parte Dei, licet usus ejus & sensus subinde ad tempus possit intercipi, & semina gratiæ & virtutum nunquam ab eo auferuntur.

XLVI. *Peccati regnum* spectari potest, vel quoad *statum universaliter*, vel *quoad actum partialiter*: Non negamus fidelem posse subesse nonnunquam regno peccati partiali, id est, quoad actum, & quoad certa peccata, quibus indulget. Sed negamus subesse regno peccati universali, quoad statum, ut absolutè in ejus potestatem veniat, & sine ullo renisu & reluctantia in illo dominetur. Caro victrix est in variis certaminibus, sed nec totaliter, ut nihil sit amplius in homine, quod illi resistat, nec finaliter, ut perpetuò sit superior. Imò ut Spiritus semen gratiæ semper in illo conservat, tandem victor suprà carnem evadit, & facit fidelem in ipso ὑπερνικᾶν: Hoc sensu non malè de fideli dicitur, quod olim dictum de Romanis, *prælio* quidem *nonnunquam victos fuisse*, *sed nunquam bello*. Licet enim de utroque regno & peccati & gratiæ aliquid sit in ipso propter Carnem & Spiritum in nobis habitantes, regnare tamen dicitur in eo, non caro, quæ atteritur paulatim & excidit, sed Spiritus gratiæ, qui confirmatur indies, & perficitur.

XLVII. Aliud est à gratia, hoc est gratuito Dei in Christo favore, & salutari influxu recedere aliquomodo sive retrocedere, Aliud prorsus excidere & exautorari. Aliud peccare, Aliud funditus perire. Aliud actum fidei remittere, vel interimere; Aliud habitum ipsum excutere. Aliud sensu justificationis privari, Aliud verò de statu deturbari. Prius damus, sed non posterius; nec quoties actio pervertitur, fides statim subvertitur, vel toties charitas excutitur, quoties in lucta tentationis concutitur; decidunt fructus & folia, dum succus arboris fructiferæ latet in radice; nec qui nonnunquam cum Nebucadnezare possessionem regni amittit, vel cum leproso, ab habitatione domus suæ excluditur, statim jus ad illam perdit. Pater quoties filio prodigo irascitur, toties illum non expungit ex filiorum numero, nec quum incipit severè castigare, desinit sincerè amare.

QUÆST. XVII.

QUÆSTIO XVII.

DE CERTITUDINE FIDEI.

An Fidelis possit & debeat esse certus de Fide, & de Justificatione sua, Certitudine Divinâ, & non tantùm conjecturali? Aff. cont. Pont. & Remonst.

I. POst assertam Perseverantiam fidei contra Apostasiam Sanctorum; Demonstranda est etiam ejus *Certitudo* contra ἐποχὴν & dubitationem Adversariorum Gratiæ. Cùm autem duplex certitudo fidei tribui soleat; Prima *de seipsa*, per quam novit & certus est quisque fidelis se fidem justificantem habere. Altera de *Gratia justificationis* & *salutis*, per quam fidelis certus est sibi remissa esse peccata sua, atque adeo se salutis participem fore. De utraque simul disputabimus.

Sententia Pontificiorum.

II. Res nobis hic est cum iisdem Adversariis, qui Perseverantiam oppugnant. Pontificii certitudinem fidelis de sua fide nullam esse nisi conjecturalem docent. Nec ullum fidelem posse esse certum, quòd fide verâ, non hypocriticâ, vivâ non mortuâ, in Christum credat, cùm & falli omnes, & fallere seipsos variè possint, & sæpè soleant, ut *Bellarm.* statuit l. 3. de Justif. c. 6. & 8. ubi quatuor ista probanda sibi proponit. 1. Non posse haberi certitudinem fidei de propria justitia. 2. Neminem teneri ad illam habendam, etsi fortè posset haberi. 3. Non expedire, ut ordinariè habeatur. 4. Reipsa non haberi, nisi à paucis, quibus à Deo specialiter justificatio propria revelatur. Quoad certitudinem Gratiæ Concil. Trident. Sess. 6. cap. 9. & Can. 13. & 14. negat *quemquam scire posse certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*, Negat oportere *eos qui vere justificati sunt, absque ulla omninò dubitatione apud se statuere, se esse justificatos.*

III. Licèt verò de Sententia Decreti Synodici disceptent Adversarii, utraque contendentium parte, tam eorum qui pro certitudine pugnabant, quales erant *Catarinus* & *Marinarus*, quàm eorum qui intolerabilis arrogantiæ arguebant præsumptam de certitudine gratiæ opinionem, ad mentem suam sensum Concilii versatilem trahente, ut factum à *Soto* & *Vega*, qui uterque Synodo interfuit, & qui discrepantes sententias ex Concilio probare satagit. Certum tamen communiorem inter Pontificios esse sententiam de incertitudine, præcipuè verò inter Jesuitas, qui docent neminem sine speciali revelatione

tione posse certum esse certitudine fidei divinæ, sibi remissa esse peccata, quia perpetuò supponunt certitudinem hanc niti propriâ dispositione, seu ut loquitur Concilium, propria infirmitate & indispositione. Unde concludunt certitudinem justificationis tantùm esse conjecturalem, opinabilem, fallacem, hoc est revera nullam. Nimirum distinguunt certitudinem fidei, & certitudinem spei seu fiduciæ. *Certitudo fidei* illis dicitur, quæ à solo Dei Verbo, & solà Dei promissione pendet, nec ullo alio fundamento nititur. Ideoque ex suo genere absoluta est & infallibilis, & omnem non modò dubitationem, seu formidinem etiam excludit. *Certitudo* verò *spei* seu *fiduciæ* duplici fundamento nititur, partim divinâ promissione à parte Dei, partim propriâ dispositione à parte hominis, quo respectu non excludit quidem penitus formidinem, neque est certitudo simpliciter, sed secundùm quid, & conjecturalis, quatenùs aliquis seipsum sedulò excutiendo colligit ex variis signis & animi motibus, se verâ peccatorum pœnitentiâ duci, & sincerè Deum amare, tanta tamen est, ut satis esse possit ad securitatem gignendam, ut exponit *Bellarm.* lib. 3. de Justif. cap. 2. & *Stapleto.* lib. 9. de Justif. cap: 11. Licèt verò dum argumentis nostris respondent, negent se tollere omnem de propriâ gratiâ certitudinem, & concedant fideles esse posse persuasos & certos de sua coram Deo justificatione, nec necessarium esse, ut de remissione peccatorum suorum perpetuò dubitent. Tamen quum contra nos disputant, aut apud plebem concionantur, multis argumentis probare nituntur fideles circa propriam justitiam dubios & incertos esse, nescire an sint in Dei gratia, nec nisi temerè posse certò & sine dubitatione statuere, peccatorum remissionem se per Christum esse consecutos. Unde colligitur, vel ἀσύστατα loqui, vel omnem illam certitudinem, quam videntur agnoscere, nihil aliud esse quàm meram conjecturam, quæ nec dubitationem, nec formidinem ex animis potest eximere.

IV. Non de nihilo autem est, quod tam acriter Pontificii pro retinenda sua ἐποχῇ & dubitatione certant. Intelligunt scilicet totam negotiationem nundinationis Pontificiæ hoc fundamento niti, & stabilitâ semel salutis fiduciâ concidere statim regni Pontificii Vectigalia, Vota, Peregrinationes, Fraternitates, Opera superrogatoria, Purgatorium, Indulgentiarum mercem, Nundinationes Missarum, & cæteras ejusdem αἰσχροκερδείας mensas nummularias. Nam qui certus esset de salute sua, neque ad patrocinia Sanctorum, neque ad merita Martyrum, neque ad Sacerdotis absolutionem confugeret, quæ est Romanæ tyrannidis carnificina.

V. Arminiani non longè abeunt hic à Pontificiis. Collocutores Hagi. *Laudabile & utile esse* ducunt *dubitare*, *An ii semper futuri simus*, *qui nunc sumus*. Verentur siquidem, ut alibi se explicant, ne certitudo talis sit loco pulvinaris, quo seipsos molliter fovere, & suaviter demulcere possint, *Sufficit* *Sententia Arminianorum.*

 igitur

QUÆST. XVI.

igitur, ut loquitur Corvinus adversus Molinæum, *ea certitudo quâ fideles sciunt se, siquidem in fide perseverent, permansuros in Dei gratia, & vitam æternam consecuturos, quæ certitudo est tantùm conditionalis, non absoluta.*

Sententia Orthodoxorum.

VI. Sententia Orthodoxorum est, Fideles non modò certos esse posse de fide suâ, ejusque veritate & sinceritate, certitudine non humana & fallibili, sed divinâ & infallibili, quæ tamen sit major vel minor, prout ipsa fides firmior aut languidior deprehenditur: Sed & posse & debere de gratia Dei & remissione peccatorum certos esse, quatenus in seria contritione de peccatis verâ fide apprehendunt promissionem gratuitæ misericordiæ in Christo, in ea fiducialiter acquiescunt, & ita corda sua secura reddunt. Quæ tamen securitas, nec confidentiam carnalem inducit, nec timorem filialem, & piam sollicitudinem excludit, nec extra tentationis aleam, vel contrarii formidinem semper est posita. Cujus fundamentum est partim promissio infallibilis Evangelii Joh. 3: 14. 15. 16. 1 Tim. 1: 15. partim testimonium infallibile Spiritus S. in uniuscujusque conscientia Rom. 8: 16. Ut autem clariùs percipiatur sententia ista, & liberetur à calumniis & cavillis, quibus solet impeti ab Adversariis, tanquam impietatis pulvinar, & securitatis mater, notandum 1. Certitudinem de qua agitur tria potissimùm respicere, *Electionem præteritam*, ut sciamus nos esse e x Electorum numero; *Gratiam præsentem*, ut certi simus de gratia Dei, & fide nostra, nos scilicet verè credere, & esse in gratia Dei. Et *Gloriam futuram*, ut persuadeamur de gloriæ & felicitatis à Deo promissæ possessione. 2. Certitudinem præteritæ Electionis, & futuræ glorificationis, pendere ex certitudine gratiæ præsentis, quæ cùm sit vinculum Electionis & Glorificationis, fructus scilicet illius, & medium ad istam, quisquis certus est se esse in gratia Dei, & fide, potest statuere se esse electum, & certò glorificandum. 3. Certitudinem gratiæ præsentis non contineri immediatè in Verbo, sed pendere a testimonio Spiritus S. & visione cordis, in serio sui examine, & sensu experimentali notarum & effectuum propriorum gratiæ, quales sunt, dolor de peccato, desiderium gratiæ, pœnitentia, & sanctitatis studium, abnegatio sui ipsius, & amor Dei supra omnia, & sim. Cùm enim tales effectus non possint produci à carne, sed à Spiritu, ex eo constare potest, eum, qui eos in se deprehendit, esse in statu gratiæ. 4. Quia verò effectus isti non æqualem semper habent perfectionis gradum, sed modò majorem, modò minorem, prout fidelis vel adhuc est in initio vocationis, vel gravibus tentationibus exponitur. Inde fieri, ut actus istius persuasionis, non eundem semper habeat certitudinis gradum, sed modò firmior, modò debilior sit, imò aliquando planè deficiat. Sed ita tamen, ut fidelis ex gravium tentationum fluctibus emergens, non modò eandem, quæ penè suffocata erat, fiduciam & πληροφορίαν exsuscitet, sed & majorem ejus gradum

ac-

acquirat, virtute ab agone fortiore & exercitatiore redeunte, ut nube pulsâ clarior dies, & post morbum valetudo fit confirmatior. QUÆST. XVII.

VII. Hinc Quæstionis Status facilè potest colligi. 1. Non quæritur de morali & conjecturali certitudine, quam Adversarii concedunt. Nec de extraordinaria per revelationem paucis indultam, quam etiam admittunt. Sed de divina & infallibili, quæ ordinariè sit vel esse possit in quolibet fideli, non ex propriâ dispositione, vel lumine naturali, sed ex gratia Spiritus per fidei ἐνέργειαν, quæ externis Verbi promissis, & Spiritus Sancti interno nixa testimonio, in omnibus plus minusve, sed quantum ad verum solatium sufficit, se exerat. 2. Non quæritur, An certitudo illa possit esse in fideli extra usum mediorum, id est, studium sanctitatis, & exercitium pœnitentiæ & actuale piè vivendi propositum, multò minùs, An possit consistere cum actuali & directo peccandi proposito, ut fidelis possit statuere se esse in gratia, & salvatum iri certissimè, dum illi decretum est peccato & cupiditatibus carnis indulgere. Statuimus enim hæc à se invicem divellenda non esse, & persuasionem istam in actum existere non posse extra sanctitatis studium, quia in illa tantùm via ambulantibus promissiones suas dedit, & ibi sunt effecta & γνωρίσματα indubitata veræ fidei & justificationis. *Status Quæstionis.*

VIII. 3. Non quæritur, An Certitudo ista semper in actum exire possit, aut exeat semper ex eodem gradu. Nam cùm non detur in nobis, ut jam dictum, extra usum mediorum, certum est quum media illa non adhibentur, vel quum adhibentur contraria, non posse actum istum exeri. Rursus, quum non æquabilis sit fidelis status quoad studium sanctitatis, sed modò infirmior, modò fortior, & fides modò sit ægra & infirma, modò sana & vivida, modò in tentatione & lucta, modò extra eam, persuasio quæ inde oritur, non est etiam semper in eodem gradu, sed modò vivida, modò languida, modò, ut in gravissimis tentationibus, nulla. Nec tamen propterea de veritate fidei actum esse putandum est. Quia licet certitudinis istius actus elicitus necessarius sit ad fidelis consolationem, non tamen ad fidei veritatem requiritur, ut singulis momentis eliciatur, & statim fide carere dicendus sit, qui eo destituitur; nec enim ignis flammam semper emittit, nec fons rivos aquarum, nec mater fœtus motum semper sentit. Ita quamvis ista persuasio ex fidei natura exurgat, Non semper ut potest & debet, actum suum exerit, sed nonnunquam supprimitur, sive propter infirmitatem & imperfectionem fidei, sive ex gravitate tentationum. Sed hoc non obstat quominus in fideli sit semper fundamentum & principium ex quo, si rectè statum suum & promissionem divinam pensitet, deducere potest actualem istam πληροφορίαν.

IX. 4. Non quæritur, An certitudo, quam habet fidelis de fide sua & justificatione, sit ejusdem omnino rationis cum certitudine illa, quam habemus de fidei articulis & dogmatibus illis quæ Verbo Dei expresse continentur;

QUÆST. XVII.

ut eadem omninò ſide, quâ fidei Dogmata creduntur, teneatur quisque fidelis credere ſe eſſe in Dei gratia. Nam licet utraque ſit vera & indubia; quæ nititur duplici teſtimonio infallibili, promiſſionis in Verbo, & Spiritus in corde, non eſt tamen paris neceſſitatis: Illa enim in fideli omninò neceſſaria eſt, & facit ad veritatem fidei, nec quisquam poteſt fidelis permanere, & pro tali haberi, dubitare de fidei articulis v. g. An Chriſtus ſit Filius Dei & verus Meſſias, & ſim. Sed iſta facit tantùm ad ejus perfectionem; nec enim qui dubitat, An ſit juſtificatus, propterea judicandus eſt carere verâ fide, nec eſſe in Dei gratia. Illa opponitur dubitationi, quâ quis dubitat de promiſſionibus Dei, an ſint veræ nec-ne. Altera verò dubitationi, quæ eſt de propria ſalute & peccatorum remiſſione ex propriæ ſuæ infirmitatis ſenſu. Quæritur Ergò, An Certitudo iſta poſterior, utut differat à priori, ſit divina & infallibilis, An merè conjecturalis?

X. 5. Non quæritur, An Certitudo iſta habeat talem certitudinis gradum, qui omnem contrarii ſormidinem perpetuò excludat, ſed qui eum tandem ſuperet & evincat. Agnoſcimus enim fiduciam iſtam, innatæ imbecillitatis reſpectu, concuti aliquoties & fluctuare, præſertim in Vocationis tyrocinio, quando fideles ſunt νεόφυτοι, vel ὀλιγόπιστοι, vel ſub cruce & afflictionibus, maximè ſi ſunt graves & diuturnæ, vel in lucta tentationis, & in deſertionibus ſpiritualibus, ubi Spiritus conſolationis ſic nonnunquam intercluditur; & lumen divini vultus abſconditur, ut in exceſſu mentis, excidant fideli ſæpe triſtes querelæ, *Projectus ſum à facie oculorum tuorum* Pſal. 31:23. *Terrores Domini militant contra me*, Job. 6:4. Quamvis verò ad tempus in filiis Dei ſopiri poſſit ſenſus gratiæ præſentis, & fiducia futuræ, pertendimus tamen certò ex illâ tentationum abyſſo eluctari animam fidelem ex Dei eligentis, redimentis, cuſtodientis, ac erigentis gratiâ, quæ illi reddit ſalutis ſuæ gaudium, & facit ut tandem ſeriùs ocyùs ſenſum iſtum ad ſui ſolatium eliciat.

XI. Unde Status Quæſtionis eò redit. An verus fidelis poſſit, non ex dignitatis & diſpoſitionis propriæ, ſed dignationis & cuſtodiæ divinæ intuitu, certus eſſe, non certitudine tantùm objecti, ſed ſubjecti, non moralis conjecturalis opinationis & ſpei, ſed fidei veræ & juſtificantis, per adoptionis Spiritum in ejus corde excitatæ, ex legitimo ſui examine, non tantùm de præſenti de fide ſua & juſtificatione, ſed & quoad futurum de ſua ſalute & glorificatione. Negant Adverſarii, Nos affirmamus.

Probatur Certitudo fidei.

1. A natura fidei.

XII. Rationes ſunt. 1. A *natura fidei*. Quæ cùm duplicem actum habeat, ut ſuprà viſum, directum & reflexum, directo fertur in promiſſionem ipſam, reflexo verò in propriam apprehenſionem, & ita non tantùm credit, ſed & ſcit ſe credere: quemadmodum in vita naturali anima, non tantùm intelligit, ſed & conſcia eſt ſibi ſuæ operationis, & ſcit ſe intelligere, quod pro-

proprium est animæ rationalis privilegium. Ita in vita spirituali, anima regenita hoc habet proprium, ut non modò actus fidei & charitatis eliciat, sed & in se ipsam reflexa cognoscat, se illos elicere, & de illis certò persuadeatur. Nec magis ratio debet quæri istius persuasionis, quàm illius, per quam homo novit se vivere & intelligere. Quia tamen falsa carnis præsumptio potest veram fidei persuasionem mentiri, veritas istius persuasionis ulteriùs ab effectis & fructibus veræ fidei à posteriori potest haberi, nimirum tum consolationis & gaudii spiritualis suavitate, tum sanctificationis & pœnitentiæ studio: Nam qui utrumque istum fidei effectum in se deprehenderit, dubitare non debet de fidei suæ veritate, *Per hoc scimus quòd ipsum novimus, si mandata ejus observamus*, 1 Joh. 2: 3. 4. Quòd si notæ istæ non ita sunt sensibiles, ut à nobis clarè semper percipiantur, si frigeat sanctificationis studium, si gaudium contrarià dubitatione turbetur, non ideo despondendus est animus, vel de salute desperandum, sed ad principia ipsa prima sanctificationis ascendendum, cujusmodi sunt 1. corruptionem internam sentire. 2. sibi ipsi ob eam displicere. 3. peccata odio prosequi. 4. dolere quoties labimur, & Deum offendimus. 5. vitare occasiones peccandi, & mediis à Deo præscriptis uti ad donum Dei excitandum, qualia sunt oratio, Verbi meditatio & similia. QUÆST. XVII.

XIII. Hanc porrò fidei cognitionem & sensum, non modò natura fidei, sed & Scriptura apertè adstruit, Paulus de se loquens, *novi*, inquit, *cui crediderim, & certus sum, quod potens est ad servandum depositum meum in illum diem*, 2 Tim. 1: 12. Ita Joh. 1^æ 2: 3. γινώσκομεν ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, *scimus quòd eum novimus*, & cap. 5: 10. *qui credit in Filium Dei, habet testimonium in se ipso.* Ideò Apostoli profitentur se credere Ioh. 6: 69. *nos credimus & scimus te esse Christum illum, Filium Dei Viventis*, & cap. 14: 20. Christus hanc cognitionem ipsis vendicat, *In illo die cognoscetis me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.* At Christus habitat in nobis per fidem, nec nos sumus in Christo nisi per fidem; Non potest ergo cognosci Christus esse in nobis, nisi cognoscamus nos habere fidem. Et ne quis hoc ad privilegium peculiare Apostolis referat, Paulus extendit ad omnes 1 Cor. 2: 12. *Accepimus Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus nobis est gratificatus.* Nec aliud innuit Christus Apoc. 2: 17. quando *nomen novum* se inscripturum pollicetur in calculo albo Victori dando, *quod nemo cogniturus sit, nisi qui accepit.* Quomodo verò nomen illud eximium filiorum Dei, quod Spiritus S. scribit in corde nostro renovato, tanquam in calculo albo absolutionis nostræ, & glorificationis certissimo indice, posset dici soli fideli notum, si in perpetua versatur ἐποχῇ, nec certi quidquam de statu suo cognoscere potest?

2 Tim. 1: 12. 1 Joh. 2: 3. Joh. 6: 69. cap. 14: 20. 1 Cor. 2: 12.

XIV. Hoc ipsum verò fortiùs adhuc confirmatur ex descriptione fidei, quæ

QUÆST. XVII quæ habetur in Scriptura, quæ certitudinem istam necessario importat; Ut quum vocatur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, & ἔλεγχος τῶν οὐ βλεπομένων Heb. 11:1. *hypostasis rerum quæ sperantur, & demonstratio earum quæ non videntur.* Ubi Græcus Scholi. observat hoc dici, quatenus facit, ut non præsentia aliquo modo extent, & indivisibilia in conspectum non oculorum, sed mentis veniant; Cùm enim quæ in spe sunt ἀσυπόστατα sint, & subsistentiam non habeant, ut quæ nondum adsint, fides dat ipsis aliquam subsistentiam quoad esse cognitum, efficiens quodammodo ut sint & adsint per id ipsum quod ea credat esse, & invisibilia sibi præsentia sistit, & coram intuetur per ἔλεγχον, quem Chrysosto. dicit esse ἐπὶ τῶν λίαν δήλων, *de iis, quæ valde sunt manifesta.* Quomodo vero vel ὑπόστασις vel ἔλεγχος dici posset, si in perpetua dubitatione & ἐποχῇ fideles fluctuare deberent? Imo miram hic certitudinem notat, cùm enim varii sint ejus gradus, tum ille summus, qui est in ipsa præsentia. Hinc πεποίθησις fiducia Ephes. 3:12. παῤῥησία 2 Cor. 3:12. Heb. 3:6. & 4:16. πληροφορία 1 Thessal. 1:5. Heb. 6:11. fidei tribuuntur, quæ certitudinem vel supponunt, vel post se necessario trahunt, & dubitationi ac diffidentiæ opponuntur Matt. 21:21. Jac. 1:6. Nec reponi debet *Ista quidem de re concludere, sed non de persona:* Quia, ut fides hæc habet in se, eadem necessario confert iis, in quibus inest particulatim; Ut vera non sint tantùm in thesi, sed & in hypothesi. Imo non potest hoc tribui fidei nisi relatè ad subjectum cui inest, & in quo talem certitudinem producere apta nata est.

1 Cor. 11:28 XV. Nisi fidelis posset fidem suam cognoscere, frustra examen fidei suæ illi præscriberetur, ut non raro fieri solet 1 Cor. 11:28. *Exploret quisque seipsum* antequam ad Cœnam accedat, nimirum an verè in Christum credat, & talis sit, qualem esse oportet eum, qui tanta mysteria tractat. Et 2 Cor. 2 Cor. 13:5. 13:5. *Tentate vos ipsos, An sitis in fide, ipsi vos probate, Annon agnoscitis vosmet ipsos, quòd Iesus Christus in vobis sit?* respicit scil. ad id quod dixerat v. 3. Corinthios quærere δοκιμὴν probationem seu argumentum Christi in ipso loquentis, qualis dicat, vultis experiri, utrum Christus in me loquatur, sed hortor vos & admoneo, ut priusquam hoc quæratis in nobis, quæratis potius de vobis, & velitis vosmet ipsos experiri, Num sitis in fide? & annon agnoscatis vos ipsos, quòd Christus est in vobis, nempe per fidem quam in vobis esse invenitis, sic enim de me, cujus ministerio fidem accepistis, ambigere non debetis, quin loquatur in me Christus, ex fructu scil. mei Apostolatus inter vos, & ex mutua inter fidem Populi, & Ministri prædicationem relatione. Cur verò Apostolus ad hoc examen fidei suæ hortaretur, & ad cognitionem Christi in ipsis habitantis & operantis, si de eo nulla certitudo solida potest haberi? Nec hic regeri potest agi *de præsentia Christi inter ipsos per miracula, non vero de præsentia Christi in ipsis per justificatio-*

tionem. Quia falsitatem istius commenti verba ipsa innuunt. Non jubet Paulus circumspicere extra se potentiæ & miraculorum Christi experimentum, sed probare seipsos, an sint in fide, & an per fidem sentiant Christum in se habitantem. Nec aliud insinuant verba sequentia, *nisi forte reprobi sitis*, quia hoc de fide miraculorum dici non posset, siquidem non statim reprobus & rejectaneus debet censeri, quia eâ privatur, sed ad fidem justificantem pertinet. QUÆST. XVII.

XVI. Idem colligitur ex eo quòd singuli tenentur fidei suæ confessionem edere, 1 Pet. 3:15. Rom. 10:9. Quomodo enim eam sincerè & constanter confiteri possent, si de ea certi esse non possunt? Fateor non paucos mentiri & hypocriticè agere profitendo fidem quam non habent. Sed hoc non obstat, quin fideles verè confessionem istam edant, & per consequens fidem suam perspectam habeant, quam aliàs confiteri non possent. *1 Pet. 3:15. Rom. 10:9.*

XVII. Secundum argumentum petitur *à Spiritus S. Testimonio & Sigillo.* Scilicet non satis fuit Deo ad gloriam suam nos conservare, nisi de ista conservatione nos faceret certiores, ut de ea illi gratias ageremus; Nec nobis sufficeret propter solatium nostrum nos esse in gratia Dei, nisi ejus sensum haberemus, cùm ad felicitatem non tantùm possessio boni requiratur, sed etiam cognitio istius possessionis. Ideo utriusque certitudinem nobis dare voluit, primò in Verbo, quod de veritate promissionum testimonium perhibet, secundò in corde per Spiritum de veritate applicationis earum testantem. Cùm autem testimonium istud non possit esse incertum & fallax, utpote à Doctore veritatis profectum, certitudo etiam quam ingenerat, non est tantùm conjecturalis & probabilis, sed divina & infallibilis. Quod ut efficaciùs demonstraret Scriptura, non unam tantùm adhibere voluit similitudinem, sed plures, quæ miram quandam emphasim habent, maximè si non seorsim singulæ, sed ἀθρόως, & omnes simul spectentur. Eò pertinet quòd Spiritus, Modò ut *Spiritus veritatis* proponitur, qui instar *Doctoris* nos ducit in omnem veritatem, & facit nos θεοδιδάκτους, Joh. 6:45. & 14:17. & 16:13. Modò ut *Testis*, qui de gratia Dei, & in Christo testimonium nobis infallibile perhibet Joh. 15:26. & 16:14. ut & de statu nostro Rom. 8:16. quum *testatur spiritui nostro nos esse Filios Dei*, non tantùm ad certitudinem objecti confirmandam, sed præcipuè ad certitudinem subjecti ingenerandam, qui scopus est testis. Unde Chrysostomus rectè, *Quanam hic relinquitur dubitatio? Si homo, vel Angelus aliquid promiserit, forte quis dubitaverit, supremâ vero Essentiâ, Spiritu Dei, qui orare facit, orantibus promittit, promissum largitur, testimonium nobis intus perhibente, quisnam dubitationi locus?* Modò ut *Scriba*, qui exarat Legem & Fœdus Dei in cordibus nostris Jerem. 31:33. & 2 Cor. 3:3. ut innuatur scilicet testimonium ejus non esse actum momentaneum & mutabilem, sed constantem & perpetuum, quò ad instar Cancellarii cœ-

2. A Spiritus S. testimonio.

Joh. 6:45. & 14:17. & 16:13. Rom. 8:16.

Jer. 31:33. 2 Cor. 3:3.

QUÆST. XVII. cœlestis exscribit in cordibus nostris justificationis nostræ diploma, quô Electio Patris, & Redemptio Filii in nobis confirmatur. Modò ut *Sigillum*, quô
Eph. 1: 13. & 4: 30. obsignantur fideles ad diem redemptionis Eph. 1: 13. & 4: 30. Non tantùm ut promissionum gratiæ veritatem & certitudinem in cordibus nostris confirmet, ut diplomata & literæ regiæ solent sigillis muniri, ut firma & indubitata authoritas illis concilietur; sed etiam ut fideles ipsi obsignentur, tum ut distinguantur à cæteris, & sciant se in numerum illorum assertos esse, quibus Jus vitæ datum est, tum ut sub sigillo Dei sciant se esse, qui ab eo custodiuntur certissimè, donec ad eam perveniant. Modò denique ut *Arrhabo*
2Cor. 1: 22. & 5: 5. Eph. 1: 14. 2Cor. 1: 22. & 5: 5. Eph. 1: 14. quô Deus non tantùm certitudinem promissionum in nobis obsignat, sed & certum pignus nobis largitur constantis & æterni amoris sui, quod jam facit partem hæreditatis futuræ, & consummatæ beatitatis, quæ in cœlo nos manet in communione intimâ Sponsi nostri cœlestis. Quod non faceret proculdubio, nisi de hæreditatis plenariâ possessione certos nos reddere vellet, οὐ γὰρ εἰ μὴ ἔμελλε τὸ πᾶν διδόναι, εἵλετο αὐτὸν ἀῤῥαβῶνα παραφεῖναι, καὶ ἀπολέσαι εἰκῆ καὶ μάτην, ut Chrysost. loquitur in h. l. *Neque enim nisi totum largiturus esset, voluisset temerè arrham relinquere & illius jacturam facere.* Porrò ut magis magisque in animis nostris certitudo ista confirmetur, mutuam inter se & fideles voluit esse Deus oppignerationem: Nam ut arrham divinam cordibus nostris indit; Ita & nos depositum nostrum instar pignoris illi committimus, 2 Tim. 1: 12. Quod utrumque pignus, non ad utriusque, sed ad unius tantùm partis securitatem & confirmationem datur, nempe nostri; Utrumque, licet utrinque possideatur, unius tantùm partis fidelitate conservatur, nempe Dei.

XVIII. Exceptiones Adversariorum eò redeunt, I. *Spiritus testimonium quidem esse certum & indubitatum; sed non constare cuiquam fide divinâ, sed ex conjecturis tantùm, quæ fallaces esse possunt, An quod sentit in se testimonium, sit revera Spiritus Sanctus, cùm multi hic se decipere soleant; & possit esse malus*, ut monet Grego. de Valentia, *qui foveat securitatem ad perniciem.* Resp. Eos qui sic loquuntur, satis prodere se nunquam corditus sensisse hoc Spiritus testimonium; nam ea sui indicia præbet, ut de sui præsentiâ dubitare non sinat veros fideles, licèt hypocritæ non rarò seipsos hic decipiant; præsumptionem inanem carnis pro vera Spiritus Sancti persuasione sumentes. Et vel sola effecta Spiritus in nobis tàm consolationis, quàm sanctificationis, quæ à carne neutiquam proficisci possunt Gal. 5: 20. 21. satis superque causam suam probant; Ut ignis ex calore, vita à motu & sensu, & causæ à propriis effectis certissimè dignoscuntur. II. *Testimonium hoc esse tantùm experimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, quod non possit producere certitudinem, nisi conjecturalem.* Resp. Licet testimonium hoc sit experimentale, fundatum scilicet in visione cordis, & sensu gratiæ; Non mi-

minus tamen certum est, quia pendet à principio infallibili. Nec se habet tantùm ad modum suavitatis levis & momentaneæ, quæ decipere possit hominem, sed suavitatis efficacissimæ, quæ victrix dicitur ab Augustino, quia captivat mentem in obsequium fidei, & plenam persuasionem in animis nostris ingenerat. III. *Dona illa, de quibus Paulus dicit Spiritum testari* 1 Cor. 2: 12. *talia esse, ut nunquam in cor hominis ascenderint; Ergo de iis certitudinem non posse haberi.* Resp. Sed ne sic quidem ulla eorum cognitio posset haberi, quam Paulus tamen singulari Dei gratia fidelibus indultam esse testatur. Ergo nihil aliud intendit Apostolus, quàm divinitatem & excellentiam mysteriorum Evangelicorum & donorum, quæ Deus suis largitur, ostendere, quæ tanta est, ut nulli hominum vel Angelorum cognita esse potuerint, nisi Deo revelante, ad quæ nec acies oculorum, licet sensus iste plurimùm valeat ad cognitionem rerum comparandam, nec aurium attentio, quæ sunt tamen sensus disciplinæ, nec cordis sagacitas, vel lumen naturale eò unquam potuerint assurgere. IV. *Spiritus testimonium esse conditionale, modo nobis non desimus, atque ideo Paulum hortari Ephesios ne contristent Spiritum, quo obsignati sunt, quod necessarium non foret, si testimonium hoc indubitatum esset.* Resp. Licet Spiritus testimonium non possit dari in nobis extra usum mediorum, id. sanctitatis studium; Non sequitur dubium esse & incertum, quia ista etiam media à Deo nobis promittuntur, & procurantur per Spiritum.

QUÆST. XVII.

1 Cor. 2: 12.

XIX. Tertiò, *Ab exemplis Sanctorum. Ut Abraham Pater Credentium contra spem sub spe credidit, non infirmatus fide, sed πληροφορηθεὶς, plenissime sciens, quod ille qui promisisset potis erat efficere* Rom. 4: 21. An verò ista conveniunt ἐποχῇ Pontificiæ, vel certitudinem conjecturalem tantùm notant? Annon spirant divinam & infallibilem certitudinem? Eandem testantur verba Jacobi Gen. 49: 18. anhelantis ad salutem Domini, & eam cum fiducia expectantis, *salutem tuam expectavi.* Nec aliter David animatus erat in variis Psalmis Psalm. 16: 8. 9. 10. *Proposui Dominum coram me, quia est a dextris meis, non confundar. Ideo lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, caro mea requiescet in spe, Quia non derelinques animam meam in sepulchro, nec patieris Sanctum tuum videre corruptionem.* Licet enim Oraculum istud directè & primariò respiciat Christum, in quo solo perfectè impleri debuit, ut Petrus colligit Act. 2. Nihil obstat, quin secundariò & consequenter ad Davidem ipsum pertineat, qui sibi jure immunitatem à morte promiserit, quia Christus non sibi privatim resurgendo immortalitatem peperit, sed fidelibus omnibus. Idem alibi profitetur sæpius Ps. 23: 6. misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & Ps. 31: 1. non confundar in æternùm, & Psal. 62: 1. 2. & 118: 5. *&c.* Paulus idem testatur non semel, sed præcipuè Rom. 8: 38. πέπεισμαι *persuasus sum nihil nos separare posse ab amore Dei in Christo*, Ubi persuasionem notat,

3. *Ab Exemplis Sanctorum.*

Rom. 4: 21.

Psal. 16: 8. 9. 10.

Rom. 8: 38.

QUÆST. XVII. non moralem tantùm & conjecturalem, sed certam & minimè fallacem, utpote quæ fluat ex Electione v. 29: 33. & à virtute Spiritus S. v. 26. & firmam gignat consolationem v. 31. per quam non qualicunque opinione & spe se lactet, sed indubitatâ fiduciâ se erigat, adversus quosvis hostes; Certus non modò nihil fideles separaturum, sed ne posse quidem separare ab amore Dei.

XX. Frustra hic reponitur I. Paucos istos eximios Viros, peculiari forsan revelatione certos esse factos. Sed hoc gratis fingitur & ab ipso Paulo refellitur, qui hoc fidei Abrahami, non revelationi adscribit Rom. 4. & Heb. 11. Nec hoc sibi tribuit tantùm tanquam peculiare, sed tanquam commune cæteris prædicat, & arcessit ab Electionis immutabili proposito, ab amore Christi, ab ejus Morte & Intercessione, quæ non hujus vel illius, sed omnium fidelium sunt bona. II: Voces *scimus*, *&* *cognoscimus*, *non necessario includere certitudinem fidei divinæ*, *sed ex signis quandam conjecturam.* Resp. Non negamus per signa & notas internas nos deduci in hanc notitiam, sed Spiritus Sanctus obsignat conscientiis hæc signa non esse fallacia, quod confirmat Johannes 1æ 3: 21. *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum. Et per hoc novimus habitare eum in nobis, ex Spiritu quem nobis dedit.* Frustra autem Johannes diceret nos scire & cognoscere nos Spiritum Dei habere, & Spiritum illum esse nostræ cum Christo communionis argumentum, si hoc ex signis tantùm fallacibus & conjecturalibus habere possemus.

4. A precibus Sanctorum. XXI. IV. A *Precibus Sanctorum.* Quia jubentur fideles petere à Deo remissionem peccatorum. Ergo possunt de ea certi esse; cùm sciant preces suas non vanas esse apud Deum, sed certò eas obtinere juxta Dei promissionem quicquid in fide petierint Marc. 11: 24. & 1 Joh. 5: 14. 15. Nec obstat quod preces fidelium, non semper exaudiuntur, ut in Paulo visum 2 Cor. 12. quia aliud est temporalia, aliud spiritualia à Deo petere. De illis promissio non est definita, sed conditionalis, quatenus Dei gloriæ & nostræ saluti convenit. De istis verò est absoluta, *Petite & dabitur vobis, quicquid petieritis in nomine meo faciam*, Matt. 7. Joh. 14 Apostolus autem tulit repulsam boni corporalis, non spiritualis. Frustra additur, Ex ipsa oratione colligi, nos de gratia & salute non esse certos, quia nemo sanus illud petit quod possidet. Nam etsi possideamus salutem per spem, nondum tamen quoad rem & perfectè eam possidemus, Unde oratio intervenit, ut præcipuum ad eam consequendam medium. Nec si circumstantiæ quædam in oratione neglectæ preces nonnunquam inanes reddunt, continuò tollitur earum omnis certitudo. Quia loquimur de precibus ritè factis, non vitiosis, Et certitudo non nititur precum perfectione, sed cordis affectu; Deus enim non respicit orantis meritum, sed sinceritatem. Idem confirmatur ex gratiarum actionibus

quas

quas fideles tenentur præstare ob beneficia ipsis in Christo collata, remissio- QUÆST.
nem puta peccatorum & regenerationem &c. Coloss. 1: 12. 13. 1 Pet. 2: 9. XVII.
Quis enim congruenter potest gratias Deo agere pro beneficio illo, quod an
spectet ad ipsum, ut ejus sit particeps, ignorat & dubitat? Nam qui gratias
agit de eo quod incertus est, an ipsi donatum sit nec-ne, illudere potiùs
videtur, quàm gratum animum testari.

XXII. v. *Ex fructibus Spiritus & fidei.* Quia *justificati fide pacem habemus apud Deum* Rom. 5: 1. & *fructus Spiritus est charitas, gaudium & pax*, Gal. 5: 22. Petrus 1æ 1: 8. dicit *fideles exultare lætitiâ ineffabili & gloriosâ*, quam Paulus ait superare omnem cognitionem Phil. 4. Jam quæ pax, quod gaudium concipi potest in iis; qui nesciunt an Deum habeant iratum & Judicem infensum, An verò pacatum, ut misericordem Patrem? An sint in statu salutis, An verò æternæ damnationis; & qui dubitatione & diffidentiâ perpetuâ anguntur? Unde nasci potest ineffabilis illa lætitia, nisi ex intimo & vivido sensu divini erga se amoris, & certâ fiduciâ beatitudinis & gloriæ æternæ? *5. Ex Fructibus Spiritus.* *Rom. 5: 1.* *1 Pet. 1: 8.*

XXIII. vi. Ab *Absurdis*, quæ sententiam Adversariorum sequuntur. Doctrina de diffidentia & incertitudine Deum arguit mendacii 1 Joh. 5: 10. abjicit testimonium Spiritus Sancti, pugnat cum pace conscientiæ, & gaudio Spiritus, quod est proprium verorum fidelium, impedit veram invocationem, quæ debet esse cum fide; Et ad desperationem ducit. Nam qui nunquam certus est de gratiâ Dei, non habet exortâ tentatione ubi pedem figat, & quò confugiat, ut sauciatam liget, vel languentem & dejectam erigat conscientiam. Cujus documentum luculentum exhibent miseræ illæ conscientiæ sub tyrannide Pontificiâ gementes, cùm ad mortis fauces deventum est; quas videas tremebundas & anxias perpetuò hærere, nihil habentes in quo consistant, dum dubitationum & trepidationum fluctibus jactatæ, ad pacis & tranquillitatis portum nunquam appellere possunt, sed in Euripo tentationum miserè pereunt. Quemadmodùm verò certâ peccatori in vita & morte consolatione propositâ subvertitur abacus à Collybistis Romanensibus in Templo Dei erectus; Ita eadem consolatione eversâ erigitur, & hinc itur à conscientiâ tremulâ & vacillante ad cultus spontaneos, & Indulgentiarum mercatum. Imò hinc spolia opima, & magnum Clero Romano compendium, dum in extremo agone trepidantes animæ vectigales fiunt institoribus, extrudentibus pictas suffragiorum & meritorum merces, & vana ex sacrificio Missatico refrigeria, imaginariis Purgatorii flammis vel mitigandis vel redimendis destinata. *6. ab Absurdis.*

XXIV. Alia est certitudo perfectæ justitiæ inhærentis, Alia certitudo fidei & gratiæ seu reconciliationis cum Deo per Christum, & remissionis peccatorum. Aliud propriâ justitiâ intumescere. Aliud gratuitæ reconciliationis *Fontes Solutionum.*

 con-

QUÆST. XVII. conscientiâ erigi. Priori sensu Salomon intelligendus, quum ait Prov. 20: 9. *Neminem dicere posse mundum esse cor suum.* Sed non posteriori, Nam licet
Prov. 20:9. nemo possit gloriari de justitiæ inhærentis perfectione, ut LXX. vertunt τίς καυχήσεται ἁγνὴν ἔχειν καρδίαν. Non sequitur non posse fidelem gloriari de gratia Christi imputatâ & per fidem apprehensâ, quia certitudo hæc non pendet à justitiæ inhærentis perfectione, sed à Spiritus intus operantis veritate.

XXV. Exempla Jobi Job. 9: 12. 15. 28. & 31. 14. Davidis Psal. 19: 13. Pauli 1 Cor 4: 4. & 9: 27. qui non audent justitiam sibi arrogare, ostendunt quidem eos agnovisse imperfectionem sanctitatis suæ, quæ non sustinere queat examen judicii divini ad suam justificationem. Sed non arguunt eorum incertitudinem de gratia Dei & fide sua, quam alibi tam magnificè prædicant. Jobus cap. 13: 15. & 19: 25. David Psalm. 32: 4. 5. & 103: 1. 2. 3. & 118: 17. Paulus Rom. 8: 38. 2 Tim. 1: 12. Gal. 2: 20. & alibi passim.

Joël 2: 12. 14. XXVI. Particulæ, quæ dubitationem aliquam, vel incertitudinem videntur inferre gratiæ, Joël. 2: 12. 14. *Convertimini ad me in toto corde vestro, quis scit si convertatur & ignoscat Deus?* Dan. 4: 27. *Forsan ignoscet Deus delictis tuis.* Jon. 3: 10. *Quis scit si convertatur & ignoscat Deus?* Act. 8: 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga Deum, si forte tibi remittat.* Vel non agunt propriè de peccati remissione quoad pœnam æternam, sed de pœnæ temporalis plenariâ relaxatione, quæ non semper conceditur etiam resipiscentibus. Vel non sunt semper notæ dubitantium, sed potius rei difficultatem exprimentium propter peccatorum gravitatem, & studium fidelium ad gratiam tanto majori ardore expetendam excitantium, & animantium ad fiduciam optatam consequendam. Cujusmodi exempla occurrunt sæpius 2 Reg. 19: 4. Prov. 24: 18. Eccl. 5: 5. Joh. 5: 46. & 8: 19. Rom. 11: 21. Exod. 32: 30. Vel conditionem sub qua remissio promittur exprimunt, ut Act. 8: 22. ubi εἰ ἄρα ἀφεθήσεται idem est, quod ἵνα, vel ὅπως δὴ, *ut remittatur tibi*, ut Phil. 3: 10. 11. εἴπως καταντήσω *si forte perveniam ad resurrectionem*, id. ut perveniam, quo sensu sæpe sumi observat Eustath. in Homer.

Dan. 4: 27. Jon. 3: 10. Act. 8: 22.

XXVII. Aliud est loqui de certitudine objectivâ fidei quæ creditur, id. est, doctrinæ Verbo traditæ. Aliud de certitudine subjectivâ fidei quâ creditur, id est, habitus qui est in fidelibus. Illa debet immediatè & expressè in Scriptura extare, & ex ea elici; Sed ista non debet esse in Scriptura, sed in corde fidelis ex Scriptura, & secundùm eam digito Dei exarari, quia oritur ex visione cordis, seu sensu & experientia fidelis. Nec minus tamen censeri debet *certitudo fidei.* Quia licet hæc veritas non contineatur expressè in Scriptura quoad hypothesim, ex ea tamen deducitur & eâ nititur quoad thesim; ex regula generali Logicorum, secundùm quam propositiones particulares in-

includuntur in universalibus. Cùm ergo Scriptura dicat omnes credentes remissionem peccatorum & salutem obtenturos. Eo ipso relinquit fideli concludendum, quòd sibi credenti talis remissio & salus destinata sit; Sensus quippe & experientia non mutat regulam in se, nec reddit humanam si divina est, sed applicat in hypothesi subjecto particulari regulam generalem. Quamvis verò non velimus parem esse duplicis istius certitudinis tam revelatæ, quàm experimentalis, necessitatem, vel gradum evidentiæ, ut antea visum; Non desinit esse utraque fidei divinæ, siquidem utraque testimonio divino & infallibili nititur, illa quidem Spiritus loquentis in Verbo, ista verò Spiritus loquentis in corde, qui testis omni exceptione major est.

XXVIII. Ut non omnis timor est ἀσύστατος cum certitudine gratiæ; Ita nec omnis timor vel præcipitur fideli, vel ab eo removetur. Alius est timor servilis, Alius filialis, ille respicit solam pœnam, vel peccatum propter pœnam, qui convenit servis, qui unicè proprium commodum vel incommodum attendunt. Sed iste respicit vel solum peccatum, vel pœnam propter peccatum, qui convenit filiis & respondet reverentiæ & amori filiorum erga Patres. Ille est ἀσύστατος cum certitudine, & charitas hoc sensu dicitur expellere timorem 1 Jo. 4: 18. & fideles dicuntur non accepisse Spiritum servitutis ad metum Rom. 8: 15. sed iste tantùm abest, ut sit incompatibilis cum certitudine, ut sit medium per quod in nobis generatur & confirmatur. Cùm enim certitudo gratiæ in nobis esse non possit cum proposito peccandi & extra usum mediorum, Timor iste qui non aliò respicit, quàm ad peccatum fugandum, & sanctitatis studium in nobis promovendum; non potest certitudinem tollere; sed eam potius ponit; Cùm certitudo finis non excludat, sed supponat necessitatem mediorum. Si ergo timor nobis commendatur, non est servilis, qui diffidentiam & dubitationem secum trahit, sed filialis, qui in tribus potissimùm versatur. 1. *In filiali reverentia & humilitate* respectu Dei, oppositâ superbiæ & præsumptioni Pharisæorum. 2. *In sollicitudine, cautione, & vigilantia* respectu Diaboli, ad fugiendas omnes tentationes peccati, & adhibenda omnia media & sanctitatem ducentia, oppositâ securitati carnali Epicureorum. 3. *In constanti proposito Deo magis magisque adhærendi*, & viis Domini insistendi longè à viis carnis & mundi, opposito licentiæ & levitati profanorum. Tollit ergo timor iste falsum certitudinis modum, qui fluit à securitate carnali, & profanâ licentiâ, sed verum confirmat & auget, & quò magis fidelis hoc modo per piam sollicitudinem cavet, ne exorbitet à via sanctitatis, & magis magisque Deo suo per constans obsequium adhæret, eò magis etiam persuadetur de gratia & amore Dei & de saluta sua. 1 Joh. 4:11.

XXIX. Quoties φόβος & τρόμος in Scriptura junguntur, ut 1 Cor. 2: 3. & 2 Cor. 7: 15. Eph. 6: 5. & Phil. 2: 12. non ingerunt ullam dubitationem, 1 Cor. 2: 3 & 2 Cor. 7: 15. Eph. 6: 5. Phil. 2: 12.

vel

QUÆST. XVII. vel incertitudinem & indifferentiam; Sed humilitatem tantùm, & summam animi demissionem notant; quod vel ex postremo loco clarè colligitur, in quo jubet Paulus *salutem operari cum timore & tremore*, non utique diffidentiæ & dubitationis, siquidem statim addit *Deum operari in nobis velle & perficere*, quod eum de gratia certum omnino reddebat, sed reverentiæ & sollicitudinis, per quam gratia Dei salutem nostram operatur. Hinc fit, ut timor cum certitudine & gaudio non semel jungatur. Quis Paulo certior de gratia Dei & de salute sua, in qua exultat Rom. 8:38. 2.Tim. 4:6.? Quis tamen eo magis sollicitus fuit in cavendis peccatis, & promovendâ sanctificatione 1. Cor. 9:27. Phil. 3:13. 14? Sic Psl. 2:11. *Servire Deo in timore* jubemur, *& exultare in tremore*, Quia Gaudium sine timore superbia, Timor sine gaudio desperatio est, utrumque junctim certam fiduciam cum profunda humilitate animo addit: Ita fidelis timet ob peccata, gaudet ob gratiam, timet ob infirmitatem propriam, & pericula ingruentia, & sollicitè media omnia adhibet, ne in securitatem carnalem labatur, gaudet tamen fiduciâ auxilii divini sibi promissi, ne in desperationem ruat. Et si quæ loca ad timorem & metum hortantur, ut Proverb. 28:14 1.Pet. 1:17. & sim. inculcant potius sollicitudinem de mediis, quàm dubitationem de fine; Et talis timor non opponendus est fiduciæ erga promissa Christi, sed præsumptioni carnali de viribus propriis.

Prov. 28: 14. 1. *Pet.* 1:17.

XXIX. Licet fidei veritas pendeat à conditione cordis integri Act. 8. 37. Rom. 10:9. 10. non minus potest esse certa, quia Deus, qui requirit fidem ex integro corde, id est, sincero & minimè fucato 1. Timot. 1:5. tale cor ipse largitur, & indit Credentibus per gratiam regenerationis Ezech. 36:26. Loca quæ afferuntur ex Jerem. 17:9. & Prov. 20:9. quæ testantur cor hominis esse pravum & inscrutabile, & neminem dicere posse cor suum esse mundum, ostendunt tantùm quale sit cor hominis naturâ, non quale fiat à gratiâ. Non ergo temeritatis & præsumptionis damnanda est certitudo fidelis, cùm non nitatur judicio cordis naturali & fallibili, sed judicio cordis regeniti, testimonio Spiritus Sancti nitentis, qui veritatem & sinceritatem fidei ex ejus adjunctis & effectis, juxta κριτήρια in Verbo proposita, probat; Tum ratione *Subjecti*, quum cor deprehenditur bonum & honestum Luc. 8:15. non durum, sed fractum & contritum Isa. 61:2. & 66:2. Psalm. 51:19. non hypocriticum, quod tegat, extenuet, ac dissimulat peccata, sed sincerum, quod ea confiteatur & suppliciter deprecetur Psal. 32:2. Tum ratione *objecti & modi*, quum fides amplectitur Evangelium, non propter novitatem doctrinæ, aut licentiam peccandi, ex libertate Christiana & gratuita justificatione, Rom. 6:2. 1. Pet. 2: 15. 16. aut propter vitæ commoda, sed unicè propter Deum omnis boni fontem, & propter Christum, in quo omnis plenitudo gratiæ habitat. Tum ratione *actuum*, quales sunt contritio cordis, & serius dolor peccati propter Deum, esu-

Jerem. 17: 9. *Prov.* 20: 9.

esuries & sitis seu desiderium justitiæ, sensus gratiæ non evanidus, bona conscientia, studium cavendi lapsus, & se Deo approbandi magis magisque per praxim sanctitatis, non ad momentum, sed seriò & constanter. In quibus tamen non expectanda est perfectio omnimoda, sed spectanda sinceritas, quia Christus arundinem quassatam non frangit, nec linum fumigans extinguit, & non tàm fidei quantitatem, quàm qualitatem attendit.

XXXI. Quod tenemur credere fide divinâ, debet credi semper ut indubitatum, quum agitur de veritatibus immediate revelatis, & à nobis independentibus, quales sunt Articuli fidei, de quorum veritate non possumus dubitare sub quocunque prætextu. Sed non eadem est ratio certitudinis, quam fidelis habet de remissione peccatorum suorum, quæ non immediatè revelatur in Verbo, sed quæ oritur ex experientia & sensu interno cordis, qui à nobis pendet, & qui sæpè potest dubius esse & incertus, non minus ac principium quo nititur. Unde falsum est verum fidelem quovis tempore posse & debere certum esse de remissione peccatorum suorum, etiam quum jacet in peccato, & carnis cupiditatibus indulget, quia, uti diximus, certitudo non datur extra usum mediorum.

XXXII. Alia est *certitudo absoluta*, quæ non pendet ab ulla conditione, quæ non possit illam reddere incertam, qualis est certitudo, quòd Deus sit, & quòd anima sit immortalis, & si. Alia est *certitudo conditionata*, quæ ab aliqua conditione pendet, qualis erat certitudo vitæ in Ezechia producendæ ad quindecim annos, quæ illi promissa fuit, & de qua certus proinde esse poterat, sed sub conditione tamen, ut non sibi denegaret victum necessarium, sed media necessaria ad conservationem vitæ adhiberet. Talis est certitudo fidelis, de qua loquimur, quæ supponit conditionem usus mediorum, ut diximus. Prima certitudo est ἀσύστατος, cum timore, quia pro objecto habet veritatem independentem à nobis; sed secunda non modò timorem non excludit, sed eum supponit necessariò, tanquam medium ad ejus confirmationem.

XXXIII. Timor mali futuri, quod debet necessariò contingere, non potest cum certitudine consistere. Sed timor mali, quod posset contingere, nisi maturè illi prospiceretur, non modò non pugnat cum certitudine, sed illi producendæ inservit, dum solicitudinem & vigilantiam inducit, per quam cavemus ne in tale malum incidamus, Talis est timor quem Spiritus S. exigit in fidelibus.

XXXIV. Cùm certitudo quam urgemus debeat esse semper conjuncta cum usu mediorum, frustra quæreretur in peccatore impœnitente. Et si fidelis aliquando verum actum istius certitudinis exercere potuit, dum in via & praxi sanctitatis fuit; fieri non potest ut eum exerat pariter, dum carni indulget, vel grave aliquod peccatum committit; quia non debet ignorare perseverantiam in peccato esse ἀσύστατον cum ista certitudine. Ideo nunquam eò adducitur ut dicat, Certus fui semel de gratia Dei, debeo ergò certus

QUÆST. XVII. esse in posterum de ea, quicquid faciam; quia ut certitudinis actum non exeruit in præterito, nisi cum usu mediorum: Ita nec potest eum exercere in præsenti nisi in eodem statu, & non aliter. Et si prior actus certitudinis respicit etiam futurum, respicit illud in eadem hypothesi, nimir. si utatur mediis, & sit in via sanctitatis.

XXXV. Dubitatio sanctorum est nota infirmitatis, non firmamentum incertitudinis. Ostendit quid aliquando fiat de facto, non quid fieri debeat de jure. Ut non laudanda sit, & ad virtutem humilitatis referenda, ut vellent Pontificii, sed oppugnanda omni studio, & deploranda ut vitiosa infirmitas, ad peccati reliquias pertinens.

XXXVI. Ut certitudo Perseverantiæ est solatium laborantium, non securitatis mater, quæ cum lascivia & ignavia carnis consistere possit, cùm in via sanctitatis ambulantibus tantùm concedi queat; Ita defectus istius certitudinis, non statim desperationem debet producere, quasi actum esset de salute, cùm non semper fides actum istum certitudinis elicere queat. Hic propriè fœtus est animi in Domino confirmati, & sensuum exercitatorum. Ideo nondum confirmatis gradatim & sensim viis Domini insistendum, potiùs quàm immensa illa perseverantiæ spatia uno fidei intuitu complectenda & antecapienda. Et in hac fidei praxi malo nonnunquam gemitus audire lugentis, quàm cachinnos, non tàm fide, quàm opinione exultantis; & sæpè fit, ut qui præsumunt, seipsos fallant, qui verò suspirant, & cum Publicano oculos attollere reformidant, rem tamen ipsam, quam non vident, habeant, eum quem quærunt Jesum præsentem aspiciant, nec dignoscant; Alii verò quod habere putant, sibi postea sentiant eripi.

XXXVII. Alia est *securitas carnis*, quæ feriatur & otio segni vitam amat fallere, Alia *securitas hominis fidelis* & pii, qui orat semper & laborat in negotio salutis. Ut in Urbe, alia est securitas hominum stupidorum, qui somno & vino sepulti stertunt, & incauti capiuntur, alia vigilantium & excitatorum, qui excubias agentes, ne improviso incursu turbentur, nec panico terrore, nec insano metu corripiuntur ad stationem deserendam. Talis est securitas sancta piorum, quæ vigilantiam & pietatis studium non modò non excludit, sed supponit necessariò ut certum conservationis suæ medium.

Cætera quæ huc pertinent, petantur ex Lo. IV. Qu. XIII.

LOCUS

LOCUS DECIMUS SEXTUS DE JUSTIFICATIONE.

QUÆSTIO PRIMA.

An verbum Justificandi hoc in argumento sumatur semper sensu forensi; An etiam morali & physico? Prius Affirmatur, Posterius Negatur contra Pontificios.

I. UT in catena salutis *Justificatio* sequitur Vocationem Rom. 8: 29. & passim proponitur ut primarius fidei effectus, Locum de Vocatione & Fide excipit Locus de Justificatione, qui eò majori studio & accuratione tractandus, quò doctrina hæc salutaris majoris est momenti in Religione. Luthero dicitur *Articulus stantis, & cadentis Ecclesiæ*, aliis Christianorum peculium, & Christianismi basis non abs re vocatur, præcipuumque Religionis Christianæ propugnaculum, quo adulterato vel subverso impossibile est puritatem doctrinæ in aliis locis retinere. Unde Satan omnibus modis hunc articulum corrumpere ab omni ævo est conatus: Ut præcipuè factum est in Papatu; Quamobrem inter primarias Secessionis nostræ ab Ecclesiâ Romanâ, & Reformationis causas meritò reponitur.

II. Licèt verò nonnulli ex Pontificiis cordatioribus vi veritatis victi saniùs cæteris de hoc articulo senserint & locuti sint. Nec desint etiam ex Nostris, qui studio minuendarum Controversiarum ducti, censeant circa illum non tantam esse dissidii materiam, & non paucas hic esse logomachias. Certum tamen est non verbales, sed reales multas, & magni momenti controversias nobis cum Pontificiis adhuc intercedere in hoc argumento, ut ex sequentibus fiet manifestum.

QUÆST. I.

III. Quia verò ex falsa & præpostera Verbi explicatione, Rei ipsius veritas mirum quantum est obscurata; primò genuinus ejus sensus, & in hoc potissimùm argumento aperiendus est, quo posito faciliùs rei ipsius naturam alloqui poterimus.

Homonymia Verbi Justificare.

IV. Verbum הצדיק, cui respondet τὸ δικαιοῦν apud Græcos, & *Justificare* apud Latinos, bifariam sumitur in Scriptura. Propriè & Impropriè. *Propriè* verbum est forense, quod ponitur pro *absolvere* aliquem in judicio, vel *justum habere* & declarare, oppositum verbo condemnare & accusare, ut Ex. 23:7. Deut. 25:1. Prov. 17:15. Luc. 18:14. Rom. 3.4 5. c. Inde extra judicium sumitur pro justum aliquem agnoscere & celebrare, idque, vel meritò, ut quum terminatur ad Deum, quomodo homines dicuntur *justificare Deum*, quum eum ut justum celebrant Psl. 51:6. Luc. 7:35. *Sapientia* dicitur *justificata à liberis suis*, Mat. 11:19. id. agnita & celebrata talis, vel δοξαστῶς, ut quum Pharisæi dicuntur seipsos justificare, Luc. 16:15. *Impropriè* vel ministerialiter usurpatur pro adducere ad justitiam, Dan. 12:3. ubi τὸ מצדיקי videtur ἐξηγητικὸν τῷ משכילים; quia dum præcones Evangelii instituunt & docent fideles, eo ipso eos justificant, ministerialiter scilicet docendo eos verum modum, quò possunt justificari, eodem sensu quo servare dicuntur 1 Tim. 4:16. Vel synecdo. antecedente posito pro consequenti pro *liberare* Rom. 6:7. *qui mortuus est, justificatus est à peccato*, id est liberatus. Vel comparatè Ezech. 16:51. 52. ubi propter collationem peccatorum Israëlis & Samariæ, Israël dicitur *justificare Samariam*, & crescentibus Judæ peccatis, *Iuda* dicitur *justificasse Israelem* Jer. 3:11. quia Israel justior erat Judâ, id. peccata ejus minora erant peccatis Judæ.

Status Quæstionis.

V. Hinc verò oritur Quæstio cum Pontificiis, De acceptione istius vocis, An sensu forensi demum sumenda sit in hoc negotio; Annon etiam sensu physico & morali sumi debeat pro infusione justitiæ, & Justificatione, si ita loqui licet, vel per acquisitionem, vel per ejus incrementum. Nam illi non negant quidem Justificationis vocem, & verbum justificandi forensi sensu sæpè sumi, in hoc etiam argumento, ut *Bellarm.* lib. 1. de Justif. cap. 1. *Tirin.* Contr. 15. nu. 1. *Tolet.* ad Rom. 2. Ann. 13. & alii non pauci. Sed hoc non volunt esse perpetuum, sed sæpè significare veram productionem, acquisitionem, vel augmentum Justitiæ; & hoc imprimis locum habere, quando agitur de hominis justificatione coram Deo. Unde distinguunt Justificationem in *primam*, & *secundam*. *Prima* est per quam homo ex injusto fit justus, *Secunda*, per quam ex justo fit justior, Unde Bellarminus lib. 2. cap. 2. *Iustificatio sine dubio quidam motus est de peccato ad Iustitiam, & nomen accipit à termino ad quem ducit, ut omnes alii motus similes, illuminatio, calefactio, non igitur potest intelligi vera justificatio, nisi aliqua præter remissionem peccati justitia acquiratur.* Tho. 1.2.q.113. *Iustificatio* pas-

passivè accepta importat motum ad justificationem, sicut calefactio motum ad calorem. Nos verò, licet non negemus non unam esse istius vocis significationem, & diversimodè sumi in Scriptura, modò propriè, modò impropriè, ut jam dictum; pertendimus tamen nunquam pro infusione justitiæ sumi, sed semper quoties Scriptura de justificatione nostra ex professo loquitur, & tanquam in sua sede, forensi ratione esse exponendam.

Verbum Justificandi esse forense probatur.

VI Rationes sunt. 1. Quia loca, quæ de Justificatione agunt, non alium quàm forensem sensum admittunt, Job. 9: 3. Psalm. 143: 2. Rom. 3: 28. & 4: 1. 2. 3. Act. 13: 39. & alibi, ubi processus judicialis proponitur, & mentio fit *Legis* accusantis, *Reorum*, qui sunt ὑπόδικοι Rom. 3: 19. *Chirographi* obstringentis Col. 2: 14. *Justitiæ* divinæ pœnam postulantis Rom. 3: 24. *Advocati* causam agentis 1 Joh. 2: 2. *Satisfactionis* & justitiæ imputatæ Rom. 4. & 5. *Throni gratiæ* coram quo absolvimur Heb. 4: 16. *Iudicis* sententiam ferentis Rom. 3: 20. & peccatores absolventis Rom. 4: 5.

VII. 2. Quia Justificatio in hoc negotio opponitur condemnationi, *Quis intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus est qui justificat, quis est qui condemnet?* Rom. 8: 33. Ut ergo accusatio & condemnatio non fit nisi in judicio; Ita nec justificatio. Nec concipi potest quomodo Deus possit dici condemnare aut justificare, nisi vel adjudicando ad pœnam, vel ab ea judicialiter nos absolvendo, quod Toletus fateri cogitur in h. l. *Iustificandi verbum in hoc loco in ea significatione accipitur, quæ est opposita antitheto, nimirum condemnationi, ut idem sit in hoc loco justificare, ac justum pronunciare, sicut Iudex suâ sententiâ innocentem absolvit & pronunciat.* Cornelius à Lapide, qui aliàs omnem lapidem movet ad obscurandam veritatem, vi veritatis tamen victus agnoscit, Deum justificare id. ab intenta peccati & Dæmonis actione absolvere, justosque pronunciare.

VIII. 3. Quia phrases æquipollentes, quibus justificatio nostra describitur sunt judiciales; quales sunt *non venire in judicium* Joh. 5: 24. *non condemnari* Joh. 3: 18. *remittere peccata, imputare justitiam,* Rom. 4. *reconciliari* Rom. 5: 10. 2 Cor. 5: 19. & sim. 4. Eo sensu debet usurpari ista locutio, quo usurpata est à Paulo in disputatione adversus Judæos; At certum est non actum ibi fuisse de infusione justitiæ, An scilicet ex fide, An verò ex operibus Legis infunderetur in hominem habitus justitiæ. Sed quomodo homo peccator posset coram Dei judicio subsistere, & jus ad vitam consequi, An per opera Legis? ut Judæi sibi imaginabantur, An verò per fidem Christi? Et cùm cogitatio de Justificatione nata sit haud dubie ex metu Judicii divini; & iræ venturæ, non potest alio sensu quàm forensi usurpari. Quomodo usurpata est in origine quæstionum istarum, quæ motæ sunt superiori seculo occasione Indulgentiarum, Satisfactionum, & remissionis peccatorum. 5. Denique nisi sensu forensi sumatur hæc vox,

QUÆST. I. confundetur cum Sanctificatione, quas tamen esse distinctas, & rei natura, & Scripturæ vox non semel asserit.

Fontes Solutionum. IX. Licet vox Justificationis in quibusdam Scripturæ locis à propria significatione recederet, & alio, quàm forensi sensu sumeretur; Non sequeretur perperam à Nostris sumi judicialiter, quia proprius sensus spectandus est in iis locis, in quibus sedes est illius doctrinæ. 2. Quamvis fortè non sumeretur præcisè sensu forensi, pro eo quod est justum pronunciare, & absolvere in judicio, non sumi tamen posse sensu physico pro infusione justitiæ, ut vellent Pontificii, pertendimus, ut facilè probatur ex locis à Bellarmino ipso allatis.

Isa. 53: 11. X. Nam Isa. 53: 11. ubi *Christus* dicitur *justificaturus multos cognitione sui*; Manifestum est notari causam meritoriam, & instrumentalem absolutionis nostræ coram Deo, nimirum Christum, & ejus cognitionem seu fidem. Hîc enim cognitio Christi non debet sumi *subjective*, de cognitione quâ ipse scit quid inter se & Patrem conventum fuerit, quæ nihil facit ad nostram justificationem. Sed *objective* de ea, quâ cognoscitur à suis ad salutem, quæ nihil aliud est quàm fides, cui passim justificatio adscribitur. Nec alium sensum quærendum esse verba sequentia ostendunt, quando additur & *iniquitates eorum portabit*, ut notetur Satisfactio Christi, quam fides amplecti debet, ut justificemur.

Dan. 12: 3. XI. Non magis urget locus Dan. 12: 3. Quia, ut jam dictum, justificatio Ministris Evangelii tribuitur, ut alibi salus fidelium 1 Tim. 4: 16. 1 Cor. 9: 22. Non utique per habitualis justitiæ infusionem, quæ ipsis non competit. Sed per fidelium institutionem, per quam ut aperiunt viam salutis; Ita docent modum, quò peccatores justificationem possunt consequi in Christo per fidem. Unde V. V. non reddit justificantes, sed *erudientes ad justitiam.*

Ap. 22: 11. XII. Locus Apoc. 22: 11. *qui justus est justificetur adhuc*; non favet Adversariis; ut justitiæ infusionem, vel incrementum notet. Quia sic esset ταυτολογία cum verbis sequentibus, *qui sanctus est sanctificetur adhuc*, nec enim illa justificatio differret à sanctificatione. Sed optimè ad justificationis applicationem & sensum refertur; Quamvis enim à parte Dei justificatio non fiat successivè, tamen à parte nostri, variis iteratisque actibus à nobis apprehenditur, dum per novos fidei actus Christi meritum nobis subinde applicamus in remedium quotidianorum peccatorum in quæ incurrimus. Imò licet concederetur hic intelligi justitiæ exercitium, ut in M. S. habetur δικαιοσύνην ποιησάτω, ut opponatur verbis præcedentibus, *qui injustus est, injustus sit magis*; Non ideo obtinebit sententia Pontificiorum.

Rom. 4: 5. XIII. *Justificatio impii*, de qua Paulus loquitur Rom. 4: 5. non debet referri ad justitiæ habitualis infusionem aut incrementum, sed pertinet ad remissionem peccatorum, ut ab Apostolo ex Davide explicatur. Imò non foret

ret justificatio impii, si alio sensu sumeretur, quàm pro absolutione judiciali in throno gratiæ. Fateor Deum declarando justum, debere etiam eo ipso facere justum, ut judicium ejus sit secundùm veritatem. Sed homo potest fieri justus bifariam, vel in se, vel in alio, vel ex Lege, vel ex Evangelio. Deus ergo justum facit, quem justificat, non in se, quasi ex intuitu justitiæ inhærentis justum declararet, sed ex intuitu justitiæ imputatæ in Christo. Abominatio quidem est Jehovæ, qui justificat impium citra debitam satisfactionem, sed Deus hoc sensu nullum impium justificat, dato nobis in Sponsorem Christo, qui pœnas nobis debitas in se recepit.

XIV. Etsi quædam voces ejusdem ordinis cum justificatione effectionem in subjecto designent, non eadem est istius ratio, quæ, aliàs barbara, latinitate donata est ad exprimendam vim τῦ הצדיק & δικαιῶν, quarum neutra sensum physicum admittit. Sic magnificamus & justificamus Deum, non ex parvo magnum, vel ex injusto justum faciendo, sed tantùm declarativè eum ut talem celebrando.

QUÆSTIO II.

An causa impulsiva & meritoria, propter quam homo justificatur in Judicio Dei, sit Justitia inhærens nobis infusa, vel bona Opera? Neg. cont. Pont.

I. Cum ex præcedenti Quæstione constet vocem justificationis esse forensem, & judicialiter in hoc negotio sumi, quia agitur de modo quo subsistere potest homo peccator coram judicio Dei, & veniam peccatorum cum jure ad vitam obtinere. Inquirendum est ante omnia, quodnam sit fundamentum istius Justificationis, seu quænam sit vera & propria causa meritoria, cujus intuitu à Deo absolvitur à peccatis, & ad vitam adjudicatur. De qua primò κατ᾽ ἄρσιν ex methodo Paulinâ agendum, ut videamus. In quo non consistat; secundò κατὰ θέσιν, in quo statuenda sit.

Status Quæstionis.

II. Observandum autem hic in antecessum, Deum δικαιοκρίτην non posse quemquam justum pronunciare, & jure ad vitam donare, nisi intuitu justitiæ alicujus perfectæ, quæ necessariam cum vita connexionem habet. Sed justitiam illam non esse unius generis. Nam ut duo sunt Fœdera, quæ Deus cum hominibus pacisci voluit, Legale unum, & Gratiæ alterum; Ita & datur duplex Justitia, Legalis & Evangelica, juxta quam gemina etiam datur justificatio, seu duplex ratio subsistendi coram Deo in judicio, Legalis & Evangelica. Illa consistit in obedientia propria, seu perfecta cum Lege confor-

mi-

QUÆST. II. mitate, quæ est in eo qui justificandus est; Ista in obedientia aliena, seu observatione perfecta Legis, quæ fit a Sponsore loco illius qui justificandus est. Illa in nobis, Ista in Christo. De prima Paulus agit Rom. 2: 13. *Non qui audiunt Legem, sed qui præstant, justificantur*, Et cap. 10: 5. *Moses describit justitiam per Legem, dicens, fore ut, qui fecerit hæc per ea vivat.* De altera Rom. 1: 16. 17. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, quia in eo revelatur justitia Dei de fide in fidem, ut scriptum est, Iustus fide vivet.* Et cap. 3: 24. *Iustificati gratis ipsius gratiâ per redemptionem in Iesu Christo.* De utraque Phil. 3: 9. *Ut inveniar in Christo habens, non quidem justitiam meam ex Lege, sed eam quæ est per fidem Christi*, & Rom. 9: 30. 31. Unde duplex justificatio fluit, alia quidem in Fœdere Legali per justitiam propriam juxta clausulam, *Fac hoc & vives*, alia vero in Fœdere Gratiæ, per justitiam alienam Christi nobis imputatam, & per fidem apprehensam juxta clausulam, *Crede & servaberis*. Utraque perfectam justitiam postulat, sed illa quidem in homine ipso justificando eam requirit, ista verò justitiam vicariam Sponsoris admittit. Illa potuit locum habere in statu integro, si Adam in innocentia perstitisset. Sed quia post peccatum facta est impossibilis homini, ad alteram puta Evangelicam confugiendum est, quæ justitiâ Christi nititur.

III. Hoc posito, Non quæritur De Justificatione Legali, Fatemur enim in ea justitiam inhærentem esse causam ejus meritoriam; nec posse illam nisi per perfectam hominis obedientiam obtineri. Sed quia jam Lege infirmâ factâ per peccatum; hæc justificandi ratio est ἐκ τῶν ἀδυνάτων, agitur de Evangelicâ, quæ in Fœdere Gratiæ nobis proponitur, quam in Iustitia inhærente fundari negamus.

IV. 2. Non quæritur, An justitia inhærens per Christi gratiam nobis infundatur, cujus interventu fimus participes naturæ divinæ 2 Pet. 1: 4. & veram ac realem sanctitatem Deo gratam & acceptam obtinemus, quia justi & sancti bene denominamur. Quicquid enim Adversarii per calumniam Orthodoxis affingant, nos scilicet *nullam justitiam inhærentem admittere*, ut Bellarm. lib. 2. de Iustif. c. 1. & alii post ipsum; Certum est putidissimam esse calumniam, quæ ex Nostrorum Scriptis, sive publicis sive privatis, falsi convincitur, in quibus passim & communi consensu docent beneficia Iustificationis & Sanctificationis ita inter se connexa esse indissolubili vinculo, ut neminem Deus justificet, quin pariter sanctificet, & justitiâ inhærente donet per novi hominis creationem in vera justitia & sanctitate. Sed quæritur, An justitia illa inhærens, qualis est in Viatoribus, ingrediatur justificationem nostram, vel ut causa ejus, vel ut pars, ita ut constituat partem aliquam justificationis nostræ, & sit causa meritoria & fundamentum sententiæ nostræ absolutoriæ in judicio Dei, Pontificii enim, ut justificationem duabus partibus constare pertendunt, remissione peccatorum, & internâ animi renovatione; Ita alle-

asserunt causam illam propter quam Deus nos justificat esse justitiam Dei, quæ nobis infusa, internè justos nos constituit. Licet enim non videantur excludere penitus justitiam Christi, quatenus volunt ut per eam meruerit, ut Deus nobis per Spiritum Sanctum justitiam internam communicaret, atque ita sit conditio causæ formalis, id est, justitiæ inhærentis, ut ea donari homini possit; statuunt tamen à justitia inhærente pendere jus petendi vitam, & propter eam Deum nos justificare. QUÆST. II.

V. Patet ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 4. Ubi *justificatio impii dicitur esse translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adamum Iesum Christum Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*, &c. Et cap. 7. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ* &c. Et postea. *Demum unica formalis causa est, Iustitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Et Canon. II. *Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ justificamur esse tantum favorem Dei, Anathema sit*. Ex quibus patet Concilium velle justitiam inhærentem esse causam propter quam justificamur. Nec morari nos debet, quòd ibi distinguere videtur inter *causam formalem*, & *meritoriam*, istam quidem esse Christum, sed illam justitiam infusam. Quia cùm agatur de justificatione coram Deo, causa formalis non potest distingui à meritoria, quia hoc respectu causa formalis nihil aliud est, quàm illud ad cujus conspectum Deus à damnatione nos liberat, & ad vitam æternam acceptat.

VI. Orthodoxi verò longè aliter sentiunt. Quamvis enim non negent justitiam inhærentem Christi meritò nobis acquisitam esse, & per ejus gratiam nobis conferri, ita ut per eam verè justi & sancti simus, & dominari possimus. Negant tamen ingredi ullâ ratione justificationem, vel tanquam causam, vel tanquam partem, ut in ea justificatio posita dicatur, & per & propter eam homo justificetur coram Deo; solam quippe justitiam Christi nobis imputatam esse fundamentum & causam meritoriam, quâ nititur

QUÆST. II. sententia nostra absolutoria, ut non propter aliud Deus remissionem peccatorum, & jus ad vitam largiatur, quàm propter justitiam perfectissimam Christi nobis imputatam, & per fidem apprehensam. Unde facilè colligitur, meram hic non esse logomachiam, ut nonnulli perperam sibi fingunt, sed controversiam maximè realem, & quidem tanti momenti; ut in ea de præcipuo salutis nostræ agatur fundamento, quo subruto vel labefactato, omnem fiduciam & consolationem nostram & in vita & in morte perire necesse est.

VII. Hoc verò clariùs patet, quum in rem ipsam ventum est, nec frigidè & extra certamen in umbra & pulvere scholastico tanquam ex longinquo controversia agitatur. Sed in lucta & agone, ubi conscientia sistitur coram Deo, & peccati & justitiæ divinæ sensu territa quærit modum standi in judicio, & fugiendi iram venturam. Facile quidem est in Scholarum umbra de inhærentis justitiæ & operum dignitate ad justificandos homines multa garrire; sed ubi in conspectum Dei ventum est, facessant talia nugamenta oportet, quia res illic agitur seriò, non ludicra λογομαχία exercentur. Huc omnino attollendi sunt oculi, si volumus cum fructu inquirere de vera justitia, quomodo cœlesti Judici respondeamus, quum nos ad rationem vocaverit. Sanè dum in hominibus subsistit comparatio, quisque habere putat, quod alicujus sit pretii & valoris. Sed ubi ad cœleste Tribunal assurgimus, & summum illum Judicem nobis ob oculos ponimus, non qualem intellectus nostri sponte imaginantur, sed qui describitur nobis in Scriptura, cujus scilicet fulgore obtenebrantur stellæ, cujus robore liquefiunt montes, cujus irâ terra concutitur, cujus ferendæ justitiæ nec Angeli ipsi pares sunt, qui nocentem non facit innocentem, cujus vindicta quum semel accensa est penetrat usque ad inferni novissima. Tum dicto citius perit & corruit vana hominum fiducia, & cogitur conscientia, quicquid antea de propria justitia gloriaretur tumidè coram hominibus, deprecari judicium, & fateri nihil habere se, quô subsistere possit coram Deo, clamans cum Davide, *Domine, si iniquitates observaveris, quis subsistet?* Et alibi, *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia nulla caro justificabitur in conspectu tuo.*

VIII. Hic ergò verus est Controversiæ status: Quum mens perterrefacta est conscientiâ peccati, & sensu iræ Dei, quæ sit res illa propter quam coram Deo absolvatur, & justus censeatur homo, quænam sit illa justitia, quam opponere debet Judicio Dei, ne juxta Legis ἀκριβοδίκαιον damnetur, sed ut remissionem peccatorum, & jus ad vitam æternam consequi possit. An sit Justitia nobis inhærens, & inchoata sanctitas. An verò sola Justitia & obedientia Christi nobis imputata? Adversarii prius volunt, Nos posterius, quod distinctè demonstraturi sumus, 1. quoad justitiam inhærentem. 2. quoad imputatam. De ista Quæstione sequenti disputabitur. De illa nunc agitur.

IX.

IX. Non posse Justitiam inhærentem esse causam meritoriam justificationis nostræ probamus. 1. Quia nemo justificatur per imperfectam justitiam, siquidem Dei judicium est secundùm veritatem, & in eo non datur locus acceptilationi; nec Legi ac justitiæ ejus fraus fieri potest. Sed Justitia inhærens non est perfecta, nec actualis, nec habitualis; Non *actualis*, quia in multis impingimus omnes Jac. 3: 2. & nemo est qui non peccet 1 Reg 8: 46. quod non diffitetur ipse Bellarm. lib. 2. de Justit. cap. 16. Non *habitualis*, quia perfectio & imperfectio actus, pendet à perfectione vel imperfectione habitus; Et regeneratio nostra hic semper imperfecta est 1 Cor. 13: 12. & Gal. 5: 17. Nec regeri debet vel *perfectionem istam omnimodam requisitam fuisse sub Lege, sed non sub Evangelio.* Quia relaxatio quæ facta est sub Evangelio, non eò tendit, ut imperfecta justitia pro perfecta acceptetur; Deo enim non potest satisfieri, nisi per perfectam justitiam. Sed in eo quòd vicaria & aliena justitia Sponsoris admittitur pro propria. Vel *Justitiam recte dici perfectam, quia est ex operibus Dei, quæ non possunt non esse perfecta, quia Opus Rupis perfectum* Deut. 32: 4. Nam alia est ratio operum, quæ Deus immediatè per se facit, quæ rectè perfecta dicuntur absolutè & simpliciter, & mediatorum, quæ fiunt interventu creaturarum, quale opus est regeneratio, quæ non statim perfecta sunt, quia Deus ad captum nostrum operando paulatim illa promovet & perficit.

QUÆST. II.

Justitiam inhærentem non posse causam esse justificationis, probatur 1. quia est imperfecta.

X. 2. Quia Justificatio nostra fit sine operibus; Ergo & sine justitia inhærente, quæ tota consistit in operibus, vel in habitibus ex quibus opera. Loca sunt obvia, vix enim quicquam sæpius dictum, & constantiùs assertum, nihil certè prolixiùs disputatum Rom. 3: 20. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur*, & v. 28. *colligimus hominem justificari fide sine operibus Legis*, quod confirmat Apost. c. 4: 6. & Gal. 2: 16. & alibi passim. Nec hic reponendum, Non excludi omnia opera absolutè, sed quædam tantùm, nempe *cæremonialia*; vel si *moralia* excluduntur, intelligi tantùm quæ *præcedunt fidem* & gratiam, & quæ fiunt liberi arbitrii viribus, non verò quæ fiunt ex fide & gratiâ. Quia cùm Apostolus absolutè & simpliciter omnia opera excludat absque ulla exceptione, nostrum non est limitare, quod ille non limitat. Et res ipsa hoc evincit, ex antithesi enim opponit fidem operibus in hoc negotio; Unde liquet omnia in universum opera qualiacunque sint, & non certa quædam excludi; alias non potuisset simpliciter opponere *operantem*, & *credentem*, *facere*, & *credere*, sed certum faciendi genus aliis.

2. Quia excluduntur opera.

Rom 3: 20.

XI. Quod in specie demonstratur, 1. quoad *Opera Cæremonialia.* Nam illa Lex intelligitur excludi ab Apostolo cum ejus operibus, per quam est agnitio peccati Rom. 3: 20. & obnoxius fit totus mundus condemnationi v. 19. de qua dictum, qui fecerit hæc vivet in iis, Gal. 3: 12. & à cujus exsecratione Christus nos redemit v. 13. quod de tota Lege intelligendum est, &

Tum Cæremonialia.

 præ-

QUÆST. II. præcipuè morali non cæremoniali. 2. Si Lex cæremonialis tantùm excluderetur non moralis, cùm pars sit minùs principalis Legis, justificatio Legi potius tribuenda esset, quàm detrahenda, ratione Legis moralis, quæ longè potior est, 3. Hæc exceptio rejicitur à plerisque Pontificiis *Lombardo*, *Thoma*, *Toleto*, *Pererio*, *Iustiniano*, *Salmerone*, & aliis, ut eorum Commentarios legenti patet. Lombard. in 3. Rom. *Sine operibus Legis quibuslibet etiam moralibus*. Thom. lect. 4. in h. l. *Sine operibus Legis non solùm cæremonialibus, quæ gratiam non conferebant, sed significabant, sed etiam sine operibus moralium præceptorum secundùm illud* Tit. 3: 5. *non ex operibus justitiæ quæ fecerimus nos.* Augustinus expressè docet lib. de Spiritu & Litera cap. 8. Paulum loqui de tota Lege. Nec si controversia quæ intercessit Paulo cum Pseudo-Apostolis initium duxit à Circumcisionis usu, & Legis cæremonialis observatione, quam illi urgebant ut necessariam ad justificationem; sequitur de ea sola loqui Apostolum, quum excludit opera Legis ab ea. Quia à parte ad totum transit, hàc Pseudo-Apostolorum hypothesi totius Legis observandæ necessitatem trahente, ut habetur Act. 15: 5. Et Paulus ipse testatur Gal. 5: 3. dum ait eum, qui circumcisionem urget ut necessariam, *debitorem esse totius Legis servandæ*, quia Lex non partialem, sed perfectam postulat in omnibus obedientiam. Unde quia vidit sic fideles relabi ad Vetus Fœdus, & excidere à Novo, tanto fervore in hunc errorem ut pestilentissimum invehitur.

Tum moralia post gratiam. XII. Non meliùs alii respondent de Legis moralis *Operibus ante fidem & gratiam factis.* 1. Quia Paulus excludit omnia opera quæ fidei opponuntur. At omnia opera citra distinctionem fidei hic opponuntur, ut operans & credens Rom. 4: 5. 2. Nihil necesse fuit opera irregenitorum excludere, cùm in confesso esset peccata esse, utpote sine fide facta Rom. 14: 23. 3. Exempla Abrahami & Davidis, quæ afferuntur à Paulo Rom. 4. quatenus jam erant conversi & fideles, evincunt excludi opera etiam post fidem facta; ut Apostolus de seipso jam fideli loquens 1 Cor. 4: 4. dicit se *nullius rei sibi conscium esse, sed non propterea justificari.* 4 Illa opera omnia excluduntur, quæ gloriationis aliquam causam relinquere possent homini Rom. 3: 27. At talia sunt opera facta ex fide, quæ volunt esse meritoria. 5. Opera fidelium sunt effecta, quæ sequuntur justificationem, non causæ quæ eam præcedunt. 6. Scopus Apostoli in Epist. ad Galatas fuit disputare contra Pseudo-Apostolos, qui fidem & opera, gratiam Christi & merita sua in justificatione conjungebant. 7. Si opera naturæ tantùm, & non gratiæ excludere voluisset; Cur toties & tàm sollicitè opera fidei opponit absolutè? Cur nunquam opera naturæ opponit operibus gratiæ, quod imprimis faciebat ad retundendam calumniam Adversariorum, quâ gravabant ejus doctrinam, quasi excludendo opera à justificatione aperiret januam peccato Rom. 6: 1. *Permane-*

nebimusne in peccato, ut gratia abundet? At nullo prorsus fundamento niteretur ista illatio, si Paulus excludere voluisset tantùm opera ante fidem facta; Quis enim alioqui colligeret ideo post fidem peccato non esse indulgendum, quia opera fidem antecedentia minimè justificant? At excluso utroque genere operum, proclive fuit objicere id ipsum, quod hodieque nobis objiciunt Pontificii; nempe supervacaneum esse bene operari, si nullum est operum meritum, imò potius peccandum ut abundet gratia. Quam profanorum objectionem non refellit Apostolus per distinctionem operum antecedentium & subsequentium, quod utique facto opus erat ex Adversariorum hypothesi; sed explicatione sanctificationis, ejusque cum justificatione indissolubili nexu.

3. Quia Justificatio sit gratis.
Rom. 3:24.

XIII. Tertiò, Quia *justificatio nostra fit gratis, gratiâ Dei per redemptionem Christi* Rom. 3:24. ubi gratia Dei non potest notare habitum infusum charitatis, ut vellet Bellarm. sed favorem & benevolentiam Dei, tum quia dicimur justificati τῇ αὐτοῦ χάριτι, *ipsius gratia*, id. tanquam causâ προηγουμένῃ, procatarctica verò & meritoria ponitur in redemptione Christi, falsa rejicitur per particulam δωρεὰν *gratis*, quæ excludit omnia merita, quæ sint in nobis. 2. Gratia ista opponitur operibus & gloriationi Rom. 11:6. & Eph. 2:8. 3. Non possimus justificari per redemptionem Christi, aliter, quà per imputationem justitiæ ipsius, quæ est ἀσύστατος cum justitia inhærente in negotio justificationis, nam si justificamur in alio, non possumus justificari in nobis. 4. Pererius fatetur χάριν potius hic notare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga homines, quæ alibi χρηστότης & φιλανθρωπία dicitur Tit. 3:4. Nec si benevolentia Dei efficit in hominibus εὐδοκίας, id bonum quod ipsis vult, sequitur Deum dare inhærentem justitiam, ut per eam justificemur, quia Deus id bonum facit distinctis actibus, bonum quidem justitiæ imputatæ actu justificationis, inhærentis verò actu sanctificationis, ut Christum nobis fecit & justitiam & sanctificationem 1 Cor. 1:30.

4. Quia Justificatio consistit in remissione peccatorum.

XIV. Quartò, Quia justificatio consistit ex Paulo Rom. 4:8. in remissione peccatorum. Nec potest aliter fieri, cùm agatur de peccatore. At cui remittitur peccatum gratis, non potest justificari per inhærentem justitiam, nec justitia inhærens est remissio peccatorum. Nec elabitur qui dixerit, non esse quidem remissionem peccatorum, sed cum ea tamen conjungi in justificatione. Quia implicat hominem justificari simul per justitiam inhærentem & per remissionem peccatorum, ut est ἀσύστατον justificari in se, & in alio, obedientiâ propriâ, & alienâ.

5. Quia Justificatio non est ex Lege.

XV. Quintò, si Justificatio fit per justitiam inhærentem, Justificatio erit ex Lege, non ex Evangelio, & confundentur duo Fœdera, quæ tamen constanter opponuntur tanquam ex diametro sibi opposita. Quia Justificatio Legalis non aliter fit, quàm per Justitiam inhærentem sive actualem

QUÆST. II. sive habitualem; Cùm Evangelica non in nobis, sed in alio quærenda sit. Quod Apostolus clarè docet Phil. 3:9. quum vult *inveniri in Christo*, scilicet in judicio Dei; *habens, non suam justitiam quæ est ex Lege, sed eam quæ est per fidem Jesu Christi.* Id. non justitiam inhærentem, quæ oritur ex observatione Legis, & quæ nostra dicitur, quia nobis inest, & nostris actionibus perficitur, sed Justitiam Dei & Christi, quæ nobis imputatur, & per fidem apprehenditur.

Phil. 3:9.

6. Quia hoc injurium est Christo, & dat materiam gloriandi homini.

XVI. Sextò, Quia hoc derogat meritis Christi, Et gloriationis ac superbiæ est argumentum. Nam si justitia & merita Christi plenissimè sufficiunt ad justificationem nostram; Cur assuuntur merita humana? Nonne sic injuria fit Christo, & materia datur homini in seipso apud Deum gloriandi? Nec hoc absurdum tollitur dicendo totam hanc justitiam à Christo pendere, qui & illam nobis impertitur, & illi dat vim merendi. Quia, præterquam quod gratis supponitur Christum meritum esse nobis vim merendi, ut suo loco videbitur, quicquid homo boni accipiat à Deo per gratiam, ex eorum hypothesi, non excludit liberi arbitrii concursum, cujus interventu fit, ut homo aliquam in se gloriandi habeat materiam, cùm in Domino solo gloriandum nobis sit. Pharisæus non minùs damnatur etsi gratias agens Deo profitetur se ab eo, non à se omnia sua habere Luc. 18.

7. Quia non tollit reatum.

XVII. Septimò, Quia Remissio peccati, requirit abolitionem reatus per λύτρυ debiti solutionem. At Justitia inhærens, nec potest offensam Dei seu reatum ex ea nascentem tollere, nec læsionem Divinæ Majestatis compensare. Nam præterquam quod respicit in futurum, ut homo fungatur officio suo, non in præteritum, ut defectum officii satisfactione datâ compenset, impossibile est per qualitatem finitæ virtutis & dignitatis, offensam infinitæ indignitatis deleri aut compensari.

8. A Testimoniis Contareni & Bellarmini.

XVIII. Octavò, Non possumus hîc omittere eximia duorum Cardinalium testimonia, qui vi veritatis victi, nobis adstipulantur. Primus est Cardinalis Contarenus, qui in Tract. de Justifica. sic loquitur. *Quoniam*, inquit, *ad duplicem Justitiam pervenimus per fidem, Justitiam inhærentem nobis, & charitatem ac gratiam quâ efficimur consortes divinæ naturæ; Et justitiam Christi nobis donatam & imputatam, quoniam inserti sumus Christo, & Christum induimus. Restat inquirere, utrânam debeamus niti, & existimare nos justificari coram Deo, id est, sanctos & justos haberi. Ego prorsus existimo piè & Christianè dici, quod debeamus niti, niti inquam tanquam re stabili, quæ certò nos sustentat, Justitia Christi nobis donatâ, non autem sanctitate & gratiâ nobis inhærente. Hæc enim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assiduè peccemus. Idcirco in conspectu*

spectu Dei non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni, quemadmodum deceret filios Dei esse bonos & sanctos. Sed Justitia Christi nobis donata est vera & perfecta justitia, quæ omnino placet oculis Dei, in qua nihil est quod Deum offendat, quod Deo non summopere placeat. Hac ergo solâ, certâ & stabili nobis nitendum, & ob eam solam credendum nos justificari coram Deo, id est, justos haberi & dici justos. A quo non longè abit *Bellarm.* lib. 5. de Justific. cap. 7. qui postquam omnem suam industriam posuit in meritorum humanorum defensione, eò tandem conscientiâ veritatis adactus redit ut dicat, *Propter incertitudinem propriæ Justitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum esse fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere* &c. Cui propositioni respondit hæc clausula sui Testamenti, *Et precor, ut me inter Sanctos & Electos suos, non ut æstimator meriti, sed ut veniæ largitor admittat.* QUÆST. II.

XIX. Christus per obedientiam suam rectè dicitur nos *justos constituere*, non per inhærentem justitiam, sed per imputatam, ut Rom. 4: 6. docetur, & ex oppositione antecedentis condemnationis c. 5. v. 19. colligitur. Justi enim non minùs constituuntur coram Deo, qui propter obedientiam Christi ipsis imputatam absolvuntur à meritis pœnis, quàm ii qui propter Adami inobedientiam injusti constituuntur, id. rei sunt mortis & condemnationis. Nec si Adamus nos etiam injustos constituit effectivè per propagationem vitiositatis inhærentis, propter quam etiam rei sumus mortis coram Deo; sequitur pariter Christum nos justos constituere per justificationem forensem judicii Dei per justitiam inhærentem nobis ab ipso datam. Quia scopus Apostoli, qui unicè respiciendus, non eò tendit, sed tantùm vult aperire fundamentum communionis reatus ad mortem, & juris ad vitam, ex unione nostra cum Adamo primo & secundo quoad rem, licet modus sit diversus propter diversitatem subjecti. Περισσεία τῆς χάριτος καὶ τῆς δικαιοσύνης v. 17. non denotat habitualem gratiam, aut justitiam inhærentem, sed abundantiam divinæ misericordiæ, & infinitum justitiæ thesaurum, quem in Mediatoris obedientia fideles consequuntur. Et hoc donum majus esse dicitur, quàm Adæ peccatum, quia gratia Dei Christi justitiam nobis donans, non modò reatum unius transgressionis, sed omnium peccatorum actualium abstulit, ut bene Aquinas in h. l. observat. Nec magis urget quod dicimur *accipere gratiæ abundantiam*, v. 17. quia accipimus eam manu fidei, non ut nostra fiat per modum infusionis, vel inhæsionis, sed per modum imputationis. *Fontes Solutionum.* *Rom. 5: 19.*

XX. 1 Cor. 6: 11. *Justificatio* non proponitur, ut genus, quod complectatur sub se *ablutionem*, & *sanctificationem*, sed contrà *ablutio*, quæ in Baptismo adumbratur, ut vox generalior primo loco proponitur, quæ sub se justificationem & sanctificationem, ut duas species continet, ut non rarò utrumque istud beneficium unâ ablutionis voce solet describi, tam justifica- *1 Cor. 6: 11.*

tio

QUÆST. II. tio Pſ. 51: 4. 1 Joh. 1: 7. quàm ſanctificatio Heb. 9: 14. Quod verò additur de *nomine Christi*, non notat propriè invocationem, quæ fiat per illud, ſed vim & efficaciam ejus, *ut juſtificari in nomine Christi*, nihil aliud ſit quàm juſtificari per & propter Chriſtum, quia nullum aliud nomen eſt, in quo ſalutem poſſimus conſequi.

Tit. 3: 5. 6. 7 XXI. Paulus non dicit Tit. 3: 5. 6. 7. Nos regeneratione juſtificari, imò cùm juſtificationem gratiæ Dei tribuat, & operibus adimat, oſtendit ſe juſtitiæ per regenerationem inhærenti nolle eam tribuere, quæ juſtificationis eſt potiùs fructus quàm cauſa. Sed mens ejus eſt notare, quomodo Deus nos ſalvos fecerit, per duo beneficia quæ nobis largitur, regenerationem, cujus Spiritus Sanctus eſt author in nobis, & juſtificationem, quam per Chriſtum conſequimur, per quam ſiamus hæredes vitæ æternæ; Illa notat viam ſalutis, Iſta verò ejus cauſam.

Rom. 8: 29. XXII. Conformitas cum imagine Chriſti, ad quam prædeſtinati ſumus Rom. 8: 29. vult quidem ut ſanctitatis & juſtitiæ inhærentis ad ejus inſtar ſiamus participes; ſed non eò reſpicit ut per juſtitiam iſtam inhærentem juſtificemur, ut ille; cùm & peccatum præcedens, & juſtitiæ iſtius imperfectio talem juſtificationem impoſſibilem reddat. Nam fieri nequit, ut ii qui ſunt filii iræ naturâ, & qui nunquam ſunt ſine peccato, juſtificentur eo modo, quô juſtificatus eſt, qui non novit peccatum, & in cujus ore non inventus eſt dolus.

XXIII. Licet Abel & Noachus juſti fuerint, & bona opera fecerint, non ideo tamen per inhærentem ſuam juſtitiam & bona opera ſunt juſtificati. Imò Paulus Heb. 11. teſtatur juſtos fuiſſe juſtitiâ, fidei, Ille quidem dum per fidem ſacrificium majoris pretii obtulit, per quam etiam teſtimonium obtinuit quòd juſtus eſſet v. 4. Iſte verò juſtitiæ, quæ per fidem eſt, factus eſt hæres v. 7. quæ non alia eſt, quàm juſtitia, quam Deus imputat per fidem Rom. 4: 5. 6. Unde fluxerunt bona opera quæ præſtiterunt.

XXIV. Cùm Juſtificatio deſcribebatur in Scriptura per remiſſionem peccatorum & juſtitiæ imputationem; Non poteſt dici motus à peccato ad juſtitiam, qualis fit in illuminatione, & calefactione. Et hoc eſt πρῶτον ψεῦδος Adverſariorum, qui actionem forenſem & judicialem, quæ fit coram Deo, convertunt in actionem phyſicam vel moralem, quæ fiat in nobis.

Pſal 7: 9. & 17: 1. & 18: 21. XXV. Quum fideles petunt à Deo judicari ſecundùm juſtitiam ſuam Pſ. 7: 9. & 17: 1. & 18: 21. non intelligenda eſt *juſtitia Perſonæ*, quâ alibi ſe deſtitutos fatentur Pſalm. 130: 3. & 143: 2. ſed *juſtitia cauſæ*, quam tuebantur, & propter quam ab impiis perſecutionem patiebantur, vel ſi intelligitur juſtitia perſonæ, non eſt univerſalis & abſoluta, quæ in nullo mortalium datur; ſed *particularis* quoad certos actus, in quibus bene ſe gerere poſſunt ex Dei gratia, qualis fuit actio Phineazi, quæ illi imputata eſt ad juſtitiam, &

com-

comparata, non relatè ad Deum, sed ad impios, qui immeritò eos calumniabantur.

XXVI. Proportio hominis ad summum bonum, vel est ex præscripto Legis, Hoc fac & vives, vel ex indulto Gratiæ. Priori sensu homo integer proportionem habuisset ad summum bonum. Sed per peccatum viâ illâ jam clausâ, alia quærenda fuit in Christo, qui Legem pro nobis implendo, jus nobis ad summum bonum seu vitam æternam acquisivit. Quum ergo vita dicitur danda piis & justis, notatur qualitas seu dispositio subjecti, quod vitâ potiri debet, non verò causa talis boni, id. *quales* felices esse debeant, non *quare & propter quid*.

XXVII. Licet iis, quibus imputatur Satisfactio Christi, infundatur etiam habitus justitiæ, qui a parvis initiis paulatim contendit ad perfectionem, quam in altera vita tantùm assequemur; Et isto habitu moraliter & inhærenter justi incipiamus esse, non possumus tamen justi dici relatè ad judicium divinum. Eò enim justi tantùm constituimur in foro divino, quò diluere possumus accusationem, quâ insimulamur peccati, tam præteriti quàm præsentis. At talis justitiæ habitus inchoatus talem accusationem diluere nequit, sive eam falsam reddendo, quia constat semper nos peccasse, atque adeo reos esse, sive eam expungendo per solutionem pœnæ debitæ, quia non potest habere rationem satisfactionis pro peccatis commissis, quâ eorum reatus tollatur; nam eò tendit ut non peccemus in posterum, sed non potest facere ut non peccaverimus, atque adeo non egeamus justitiâ alienâ nobis imputatâ ad justificationem nostram.

QUÆSTIO III.

An Justitia & Obedientia Christi nobis imputata sit causa meritoria & fundamentum nostræ Justificationis coram Deo? Affir. cont. Pont. & Socin.

I. Rejectâ falsâ & ementitâ justificationis nostræ causâ impulsivâ & meritoriâ, quæ in Justitiâ inhærente collocatur à Pontificiis; vera jam & genuina ex Scriptura aperienda est, Justitia nimirum & Obedientia Christi nobis à Deo imputata. Cujus veritas & modus ut clariùs percipiatur, & fortiùs retineatur contra Adversariorum cavilla; Hæc in antecessum sunt observanda.

Sententia Orthodoxa de Imputatione Justitiæ Christi.

II. Primò supponimus Justificationem esse actum forensem Dei, ut jam probatum, non ut Creditoris & personæ privatæ, sed ut Rectoris & Judicis pro

QUÆST. III. pro tribunali sententiam de nobis ferentis 2. Actum esse non Judicis subalterni, qui ad Legis formulam adstringitur, sed supremi Magistratus & Principis, ad quem solum pertinet pro jure suo αὐτοκρατορικῷ gratiam facere reis, & relaxare de rigore Legum positarum. 3. Deum hic non sedere in throno Justitiæ, ut κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον νόμου, sed in throno Gratiæ, ut agat juxta ἐπιείκειαν Evangelicam. 4. Ita agere ex misericordia, ut hoc fiat tamen illæsâ justitiâ, quæ cùm non possit pati Leges suas impunè violari, & peccatum inultum abire, requirit necessariò λύτρον aliquod, quò ipsi satisfiat.

III. Unde sequitur 5. Deum nemini gratiam facere posse, nec quenquam justificare sine perfecta justitia. Cùm enim judicium Dei sit secundùm veritatem, non potest quenquam justum pronunciare, qui revera talis non sit. Cùm verò nullus mortalium post peccatum talem justitiam in se ipso habeat, Imò per peccatum filius iræ factus sit & mortis reus, quærenda fuit extra nos in alio, cujus interventu homo peccator & impius justificetur sine justitia propria. Humana sanè Judicia impium sæpè justificant, vel per ignorantiam quum impietas ignoratur & latet, vel per injuriam, quum non attenditur, vel per iniquitatem, quum approbatur. Sed in Foro Divino, in quo nobis res est cum justissimo Judice, qui nec sontem habet pro insonte, nec insontem pro sonte, hoc locum habere nequit. Ideo qui destituitur propriâ justitiâ, aliam debet habere quâ justificetur. Licet enim Deus, ut summus rerum Arbiter, & supremus omnium Dominus, potestatem habeat gratiam pœnæ faciendi peccatoribus; non potest tamen, quia est justissimus, hoc indulgere peccatori, nisi datâ prius satisfactione, quâ & justitiæ fiat satis, & pœna de peccato sumatur, quæ cùm à nobis reis proficisci non potuerit, in alio quærenda fuit, qui Sponsor nostro loco constitutus, pœnam nobis debitam in se recipiendo, justitiam & δικαίωμα, quò destituebamur, ipse largiretur.

IV. Quod verò in nobis reperiri non potuit, & in alio fuit quærendum; Non alibi inveniri posse Evangelium docet, quàm in Christo θεανθρώπῳ, qui Vadis nostri recepto in se munere, plenissimè justitiæ Dei per obedientiam suam omnibus numeris absolutam satisfecit. Et ita Justitiam seculorum, quâ unà justificari possumus coram Deo, nobis attulit, ut eâ tecti & induti tanquam primogeniti nostri veste, ad instar Jacobi æternam Patris cœlestis benedictionem sub ea obtineamus.

V. Porrò, Quia quandiu Christus est extra nos, & nos extra Christum, nullum ex justitia aliena fructum percipere possumus; Deus duplici nos vinculo cum Christo unire voluit, naturali uno, mystico altero, cujus beneficio fit, ut & mala nostra in Christum transferri, & bona Christi ad nos transire potuerint, & nostra fieri. Prius est *Communio Naturæ* per Incarnationem, quâ Christus carne nostrâ assumptâ Frater noster, & verus Goël factus, peccata

no-

nostra in se recipere potuit & jus nos redimendi habuit. Posterius est *Communio Gratiæ*, per Mediationem, quâ Vas pro nobis factus à Deo, & in Caput nobis datus, justitiam suam & omnia bona sua nobis communicare potest. Hinc factum, ut quemadmodum pro nobis peccatum factus à Deo est per peccatorum nostrorum imputationem: Ita vicissim fiamus justitia Dei in ipso per obedientiæ ipsius imputationem, 2 Cor. 5:21. QUÆST. III.

VI. Quemadmodum verò duplicem σχέσιν sustinet Christus erga nos, *Vadis & Capitis*, Vadis, qui tollat reatum peccati solutione pro ipso præstitâ, Capitis, quod ejus vim & maculam auferat per Spiritus efficaciam. Ita duplici modo beneficia sua nobis impertitur Christus, *Imputatione forensi*, Et *morali*, ac *internâ infusione.* Prior fluit à Christo ut Vade, & fundamentum est justificationis nostræ. Posterior pendet ab eo ut Capite, & principium est sanctificationis. Ideo enim nos justificat Deus, quia Christi Vadis justitia nobis imputatur. Et ideo renovamur, quia à Christo Capite Spiritum haurimus, qui ad imaginem Christi nos renovat, & justitiam inhærentem largitur.

VII. Quia autem hic de imputatâ Christi Justitiâ agimus, Notandum est ulteriùs, verbum *imputandi*, quod Heb. est חשב, Græcis λογίζεσθαι vel ἐλλογεῖν, bifariam posse sumi, vel propriè vel impropriè. *Impropriè* imputari dicitur alicui, id quod fecit ipse, vel habet, quum nimirum propterea præmium, vel pœna illi decernitur. Ut *peccatum imputari* dicitur impiis 2 Sam. 19:20. quum merces injustitiæ illis decernitur, & Judicium à Phinea exercitum in scortantes *imputatum est in justitiam* Pf. 106. id. gratum Deo fuit, & illi cessit in laudem sanctæ zelotypiæ, & perpetui Sacerdotii pactum. *Propriè* est eum, qui aliquid non fecit, habere ac si fecisset, & vicissim non imputare, est eum qui aliquid fecit, habere ac si non fecisset, ut Paulus sibi petit imputari culpam Onesimi, quam ipse non admiserat Ep. ad Phil. 18. & culpam desertoribus suis non imputari rogat, quam ipsi admiserant, 2 Tim. 4:16. Ex qua duplici vocis acceptione, duplex oritur imputatio, de qua Paulus κατὰ χάριν, & κατ' ὀφείλημα, *ex gratia, & ex debito*, Rom. 4:4.5. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito, sed ei qui non operatur, sed qui credit in eum qui justificat impium, fides illi imputatur ad justitiam*, nimir. ex gratia, nam fundamentum imputationis, vel est in merito & dignitate personæ, cui aliquid imputatur, vel est extra eam in sola gratia & misericordia imputantis, primus modus est Legalis, alter verò Evangelicus. Unde colligitur vocem hanc esse forensem, quæ non est intelligenda physicè de infusione justitiæ, sed *judicialiter & relativè* de gratuita acceptione in judicio Dei, quod etiam liquet ex vi vocis λογίζεσθαι & ἐλλογεῖν, quæ à rationariis petita est.

VIII. Cæterùm hîc accuratè distinguendum est τὸ *imputatum à putativo* seu

QUÆST. III.

seu fictitio, ut occuratur calumniæ Adversariorum, qui imputationem istam traducunt, quasi meram fictionem mentis, circa rem non existentem. Cùm sit res non minus realis in suo ordine scilicet juridico & forensi, quàm infusio in genere morali seu physico; Ut imputatio solutionis à Vade factæ, quæ fit Debitori, maximè realis est, per quam scilicet à debito liberatur, & eximitur à jure quod in ipsum habebat Creditor. Unde patet actum istum Dei Iudicialem non carere *veritate*, quia non pronunciat nos justos in nobis, quod esset falsum, sed in Christo quod est verissimum; nec *justitiâ* quia datur communio inter nos & Christum, quæ solidum fundamentum est istius imputationis.

IX. Cùm ergò dicimus Christi justitiam ad justificationem nobis imputari, & nos per justitiam illam imputatam justos esse coram Deo, & non per justitiam ullam quæ nobis inhæreat; Nihil aliud voluimus, quàm obedientiam Christi Deo Patri nomine nostro præstitam, ita nos à Deo damnari, ut verè nostra censeatur, eamque esse unicam & solam illam justitiam propter quam, & cujus merito absolvimur à reatu peccatorum nostrorum, & jus ad vitam obtinemus. Nec ullam in nobis esse justitiam, aut ulla bona opera, quibus beneficia tanta promereamur, quæ ferre possint severum judicii divini examen, si Deus juxta Legis suæ rigorem nobiscum agere vellet; nihil nos illi posse opponere, nisi Christi meritum & satisfactionem, in qua sola, peccatorum conscientiâ territi, tutum adversus iram divinam perfugium, & animarum nostrarum pacem invenire possumus.

X. Licet verò nolimus quicquam esse in nobis, quod opponi possit in judicio Dei ad justificationem, malè tamen quis inde concluderet, quod falsò & per calumniam nobis affingunt Adversarii; Nos nullam agnoscere justitiam inhærentem, quæ fidelibus insit, & cujus ratione verè apud Deum justi & sancti censeantur; Adeoque docere fideles semper in se manere impios & injustos, & Christi justitiam ad hoc solum nobis imputari, ut peccata nostra tegantur, non verò tollantur. Unde occasionem sumunt Doctrinam nostram de Imputatione Iustitiæ Christi, quasi impiam & execrandam traducendi. Quia, ut supra jam diximus, agnoscimus duo ista beneficia esse inseparabilia; & neminem à Christo justificari, qui etiam non sanctificetur, & justitiâ inhærente donetur, à qua verè sancti & justi, licet non perfectè in hac vita, denominari possint fideles.

Status Quæstionis. Cum Socinianis.

XI. Ex quibus ita positis facilè Status Quæstionis colligi potest. Primò contra Socinianos quæritur, An Iustitia, Obedientia & Satisfactio Christi nobis imputentur ad justitiam? Ut enim negant obedientiam & satisfactionem Christi pro nobis præstitam; Ita obedientiæ istius & satisfactionis imputationem & applicationem rejiciunt, & velut commentum humanum explodunt, *Socinus* Tract de Iustif. *Ostoro.* Instit. cap. 36. 37. *Smalcius* Disp. de Iustificatione. Orthodoxi verò censent Obedientiam ac Satisfactionem

nem Christi nobis imputari ad justitiam, quatenus per gratuitam Dei misericordiam nostra censetur, & nos propter eam in Dei judicio à peccatis absolvimur, & justi pronunciamur. QUÆST. III.

XII. Contra Pontificios verò Non quæritur, 1. An Justitia Christi sit causa formalis justificationis nostræ, id. An sit forma, per quam homo constituitur justus inhærenter, ut Pontificii intelligunt, Justificationem per infusionem justitiæ describentes. Nam cum antea probatum sit esse actum forensem non physicum, frustra quæritur de causa formali interna, quæ pertinet ad beneficium Sanctificationis. Sed quæritur de causa meritoria & impulsiva Judicii divini seu sententiæ nostræ absolutoriæ, Non, An justitia Christi sit nostra formalis & inhærens subjectivè justitia; Sed An sit Justitia nostra realis & sufficiens imputativè, per quam, si non sumus formaliter justi justitià inhærente, sumus tamen *formaliter justificati* per illius imputationem, ut præter eam nulla alia sit materia justitiæ nostræ coram Deo? *Et cum Pontificiis.*

XIII. 2. Non quæritur; An justitia & meritum Christi nobis imputetur. Hoc enim Pontificii non audent diffiteri; Concil. Triden. Sess. 6. cap. 8. dicit *Christum sanctissima sua passione in ligno crucis nobis justificationem meruisse, & pro nobis Deo Patri satisfecisse, & neminem posse esse justum, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur.* Hinc Vasques in 1. 2. q. 114. disp. 222. cap. 1. *Concedimus*, inquit, *nobis imputari ad aliquem effectum, non solum ea quæ nobis insunt, ut peccatum, fidem & justitiam, sed etiam aliqua extrinseca, ut merita & obedientiam Christi, quia non modo ea quæ nobis insunt, sed etiam aliena, intuitu quorum nobis aliquid donatur, computari dicuntur inter nostra ad aliquem effectum, ac si verè nostra essent.* Quod etiam agnoscit Bell. l. 2. de Iust. c. 7. *Si Protestantes hoc solum vellent*, inquit, *nobis imputari Christi merita, quia à Deo nobis donata sunt, & possumus ea Patri offerre pro peccatis nostris, quoniam Christus suscepit onus satisfaciendi pro nobis nosque, Deo Patri reconciliandi, recta esset sententia.* Atqui nihil aliud volumus; Nam quod addit, *Nos velle ita imputari nobis Christi justitiam, ut per eam formaliter justi nominemur, & simus.* Hoc gratis & falsò supponit, ex perversâ & præposterâ suâ hypothesi de Iustificatione morali. Sed quæritur, Ad quid imputatio ista fiat, An ad justificationem & vitam, ut Nos pertendimus, An verò tantùm ad gratiæ internæ & justitiæ inhærentis infusionem, ut Illi volunt, Id est, An ita imputentur & communicentur nobis merita Christi, ut sint causa meritoria sola nostræ justificationis, nec ulla alia detur justitia propter quam absolvamur in conspectu Dei. Quod volumus, An verò ita imputentur, ut sint conditiones causæ formalis, id justitiæ inhærentis, ut eâ homo donari possit, vel causæ extrinsecæ, quæ mereantur infusionem justitiæ, per quam justificatur homo;

QUÆST. III. ut ita non meritum Christi propriè, sed justitia inhærens per meritum Christi acquisita sit causa propria & vera, propter quam homo justificatur, quod illi statuunt; Coarctando ita beneficium imputationis meritorum Christi ad effectum gratiæ infusæ obtinendum, ut non alium in finem imputatio ista fiat, quàm ad promerendam nobis gratiam infusam, cujus virtute nos ipsi Legem præstamus, & in nobis justi justificamur. Ut Vasques l. cit. c. 3. observat. Unde Bonavent. in 3. Sent. Dist. 19. q 1 negat causalitatem justificationis, seu remissionis peccatorum *proprie* convenire morti aut resurrectioni Christi, sed tantùm per *modum meriti intervenientis*, quod reducitur ad causam materialem, formalem autem esse statuit charitatem infusam. Ex quibus constat hic quæri, An Iustitia & Satisfactio Christi ita nobis imputentur à Deo, ut sint unicum fundamentum & causa meritoria, cujus solius intuitu coram Deo absolvimur à peccatis, & Ius ad vitam obtinemus, Adversarii negant, Nos affirmamus.

XIV. Non opus est autem, ut moneamus per justitiam Christi, nos hîc non intelligere *Iustitiam essentialem Dei*, in nobis habitantem, ut somniabat *Osiander* cum Swenkfeldio, opponens se Stancaro Collegæ suo, qui Christum Mediatorem tantùm agnoscebat secundùm Naturam humanam, qui error pridem explosus & cum authore suo periit. Quia non posset illa justitia nobis subjectivè & formaliter communicari, quod est attributum essentiale Dei, quin Dii quoque essemus. Et Scriptura justitiam Christi, quæ nobis imputatur, passim refert ad obedientiam vitæ & passionem mortis, quâ respondit Legi & perfectè eam implevit. Nec si infinitâ justitiâ opus habebamus, debuit esse talis essentiâ, sed tantùm valore & merito. Si Christus est Iehova justitia nostra, & si factus est nobis justitia à Patre, hoc non dicitur respectu justitiæ essentialis, sed obedientiæ, quæ nobis imputatur ad justitiam, quæ dicitur justitia Dei, quia est Personæ divinæ, atque ideo infiniti valoris, & quæ Deo summè grata est & accepta. Per hanc autem justitiam intelligimus totam obedientiam Christi tam vitæ, quàm mortis, tam activam, quàm passivam, ut suprà probatum est Loc. XIV. Q. XIII.

Justitia imputata probatur 1. *Ex Rom.* 5: 18. 19.

XV. Hanc autem Christi Iustitiam esse fundamentum & causam meritoriam nostræ justificationis; Probamus 1. Quia unius Christi justitiâ & obedientiâ justi constituimur, *Sicut per unam offensam*, inquit Paulus Rom. 5: 18. 19. *in omnes homines ad condemnationem* supple, *venit reatus. Ita δι' ἑνὸς δικαιώματος per unam justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ*, supple, *redundavit beneficium. Ut enim per unius hominis inobedientiam peccatores sunt constituti multi: Ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* Ubi clarum est opponi ἑν παράπτωμα, unam transgressionem, ἑνὶ δικαιώματι uni justitiæ, & inobedientiam unius hominis, quâ homines peccatores & rei constituuntur coram Deo per illius culpæ imputationem,

nem, unius Christi obedientiæ, quâ Electi constituuntur justi, id. justificantur coram Deo, non utique per inhæsionem, sed per imputationem. 1. quia unius actus non potest fieri plurium, nisi per imputationem. 2. quia *δικαίωμα*, quô nititur *δικαίωσις ζωῆς*, perfectam & absolutam justitiam postulat, quod de justitiâ inhærente dici nequit. 3. quia *κατάκριμα*, cui opponitur *δικαίωσις ζωῆς*, non est actus physicus, sed forensis & judicialis. Frustra Bellarm. vult Obedientiam Christi esse quidem causam efficientem justificationis, sed non formalem, ut inobedientia Adami nos constituit peccatores, non formaliter, sed efficienter. Quia non agitur de infusione justitiæ, seu renovatione, ut jam dictum; Sed de constitutione juridica, quæ non potest fieri nisi per imputationem, cùm sit justitiæ alienæ, non propriæ. Deinde ipse Bellarminus contrarium testatur lib. 4. de amiss. gra. cap. 10. quum ait *Peccatum Adami ita posteris imputari, ac si omnes idem peccatum patravissemus.* Et lib. 5. cap. 17. *Peccatum Adami communicatur nobis eo modo, quò communicari potest quod transit, nimirum per imputationem, omnibus enim imputatur qui ex Adamo nascuntur.* Nec si injusti & rei constituimur per peccatum ab Adamo propagatum; statim justificari debemus per justitiam inhærentem nobis per regenerationem à Christo communicatam, quia diversissima est utriusque ratio. Et Paulus hic collationem instituit inter Adamum primum & secundum in re, sed non in modo rei.

XVI. Secundò. Quia fides dicitur nobis imputari ad justitiam. *Abraham credidit Deo, & illi imputatum est ad justitiam* Rom. 4: 3. Non ipsa fides seu actus credendi formaliter, quasi esset justitia coram Deo, ut vellent Remonstr. contra quos postea disputabimus, quia sic non daretur justificatio sine operibus, cùm ipsa fides sit opus, sed objectivè & relativè ad justitiam Christi, quam fides apprehendit, & sibi applicat, quam Apostolus vocat *justitiam fidei, quæ est ex fide Christi* Phil. 3: 9. in *qua sola vult inveniri*, scilicet in judicio Dei, quia non alibi quærenda est quàm in Christo, qui est Jehova justitia nostra, & qui factus est nobis à Deo justitia. Confirmatur ex eo quòd Paulus ibidem imputationem fidei ad justitiam explicat per τὸ *imputare justitiam absque operibus* v. 5. Hinc quippe constat 1. Justificationem consistere in imputatione justitiæ, ne quis phrasim putet à nobis confictam. 2. Justitiam istam non posse inhærentem, quæ datur nobis per infusionem, tum quia dicitur esse sine operibus, tum quia quod est inhærens opponitur imputato. Ideo opponitur à Paulo loco citato Phil. 3. justitiæ suæ quæ est ex Lege, & alibi vocatur *justitia Dei* quæ sine Lege manifestatur Rom. 3: 21. 22. tum quia est *subjective* in Persona divina, adeoque infiniti pretii, tum *originaliter*, quia est à Deo, nobis quippe gratis à Deo data, tum *terminative* quia ad Deum ducit, & Deo probatur, & sola sustinere potest examen judicii sui. Ideo quisquis per fidem justitiam illam sibi applicat, dicitur non

2. Ex Rom. 4: 3.

ve-

QUÆST. III. venire in judicium, sed jam transiisse à morte ad vitam Ioh. 5: 24. id. est justificari.

3. Ex 1 Cor. 1: 30. & 2 Cor. 5: 21. XVII. Tertiò, Quia Christus est justitia quâ justificamur, Ideo enim dicitur *nobis factus à Deo justitia*, 1 Cor. 1: 30. Et 2 Cor. 5: 21. Nos dicimur fieri justitia Dei in ipso, *Fecit Deus eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut fieremus justitia Dei in ipso.* Ex quibus constat 1. Christum esse nostram justitiam coram Deo, non utique inhærenter, quia justitia unius ad alium non potest transire, sed imputativè. 2. Eo modo nos effici justitiam Dei in ipso, quomodo factus est pro nobis peccatum. At Christus factus est pro nobis peccatum, non inhærenter aut subjectivè, quia non novit peccatum, sed imputativè, quia Deus ei imputavit peccata nostra, & fecit ut incurrerent in eum iniquitates omnium nostrûm Is. 53: 6. Ergo & nos justitia facti, non infusione, sed imputatione, quod Aug. Enchir. c. 41. benè exprimit., *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia, nec nostra, sed Dei simus, nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum similitudine carnis peccati, in quo crucifixus est demonstravit.* Frustra excipitur, *Christum dici factum justitiam, quomodo factus est sapientia, & sanctificatio, non utique imputativè, sed effectivè.* Nam etsi pariter factus sit nobis à Deo ista omnia quoad meritum, quia ista omnia beneficia nobis acquisivit. Tamen non eodem modo factus est quoad collationem, sed diversè pro diversitate donorum, & hoc rei natura postulat. Nam si non aliter factus esset justitia quàm sanctificatio, id. effectivè, tautologia à Paulo committeretur, siquidem ex pacto justificatio & sanctificatio non differrent. Ergo sapientia & sanctificatio fit nobis *effectivè*, nos illuminando & regenerando. Sed justitia *imputativè*, nobis justitiam suam imputando. Quod Bellarm. non potuit diffiteri, quum dicit Christum rectè dici factum justitiam meritoriè, *quia satisfecit Patri pro nobis, & eam satisfactionem nobis donat & communicat, quum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit, ac si nos ipsi Deo satisfecissemus*, quod confirmat ad locum 2 Cor. 5: 21. *Nobis imputatur*, inquit, *justitia Christi quoad satisfactionem, quam pro nobis præstitit.* Nec quod addit ibidem Adversarius causam ejus juvare potest, quum ait, *Sed non propterea justi possumus haberi, si verè in nobis peccatorum maculæ & sordes inhæreant.* Nam si justitia Christi nobis imputatur, ut jam jam fassus est; tum certè nos justi reputamur in illo, justitiam enim nemo illi imputat, quem justum non habet. Et si Satisfactio Christi nobis imputatur, tum debita nostra pro quibus ille Satisfecit, non imputantur, sed remittuntur. Perperam etiam vult *justitiam nobis inhærentem dici hic justitiam Dei, quia donatur nobis à Deo, vel etiam, quia est imago & effectus justitiæ Dei.* Nam obstat clausula *in ipso*, quomodo enim diceretur in Christo, si esset in nobis? quod

agno-

agnoscit Contarenus, *Justitia Dei in ipso*, inquit, *quoniam ejus justitia facta est nostra, nobis donata, nobis imputata.* QUÆST. III.

XVIII. Quartò, Quia justificatio fit propter sponsionem Christi, & solutionem ab ipso pro nobis factam, quod sine imputatione fieri nequit. Nam ut solutio a Sponsore facta pro debitore, non potest in ejus commodum redire, nisi per imputationem, quatenus solutio à Vade facta illi applicatur, quasi ab ipso præstita esset; unde sequitur debiti expunctio, & debitoris liberatio. Ita cum Christus vadimonium pro nobis susceperit, & loco nostro solverit: qui non videt solutionem ab ipso factam, & λύτρον datum, nobis imputari ad plenam absolutionem, id. eodem loco apud Deum haberi, ac si à nobis natum esset? Hoc sensu dicimur *justificari morte & sanguine Christi* Rom. 5.9. quia meritum obedientiæ & mortis fuit id, cujus intuitu Deus nobis reconciliatus fuit, & peccatorum veniam dedit. Eodem sensu dicitur *factus maledictio & peccatum pro nobis, ut essemus benedictio & justitia in ipso* Gal. 3:13. 2Cor. 5:21. quia maledictio & pœna peccati quam in se recepit loco nostro cedit nobis in benedictionis & justitiæ causam coram Deo, vi communionis illius arctissimæ quæ nobis cum eo intercedit, per quam, ut nostra peccata ipsi imputata sunt, ita vicissim obedientia & justitia ejus nobis imputatur. Quomodo sub Lege, pœna quam ferebant Victimæ loco peccatorum, imputabatur ipsis ad expiationem peccati, & ipsorum liberationem.

4. Ex Sponsione Christi.

Rom. 5:9.

XIX. Quintò, Quia Christus nos justificat per id, per quod nos liberat à condemnatione Legis, & Jus illius ad vitam in nobis implet. *Quia quod erat impossibile Legi, quia erat infirma in carne, Deus misso Filio suo in forma simili peccati, & pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ut jus Legis in nobis impleatur* &c. nimirum justificatione nostrâ per Legem impossibili factâ per peccatum, Deus in Christo hoc beneficium nobis restituit, dum similis factus carni peccatrici; sine peccato tamen, victimam pro peccato se pro nobis obtulit, & plenissimâ datâ satisfactione peccatum condemnavit, id. perfectè expiavit in carne, in eum finem ut condemnatio peccati cedat in nostri justificationem, & τὸ δικαίωμα νόμου, id. Jus quod habet, sive quoad obedientiam, sive quoad pœnam in nobis impleatur, non inhærenter, sed imputativè, dum quod Christus fecit & passus est loco nostro, nobis adscribitur, quasi id ipsum præstitissemus; sic nos in Christo reputamur totum jus Legis implevisse, quia nostro nomine Legis jus perfectissimè implevit, tam quoad obedientiam, quàm quoad pœnam.

5. Ex Rom. 8:3.

Rom. 8:3.4.

XX. Sextò. Quia Justificatio nostra est *Justificatio impii* Rom. 4:5. *Ei qui non operatur, sed qui credit in eum qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam.* Justificatio impii non potest fieri per infusionem, sed per imputationem. Licet enim ille qui justificatur; non maneat impius, sed re-

6. Ex Rom. 4:5.

QUÆST. III. renovetur per gratiam Christi, non potest dici justificari per illam renovationem, quæ effectus est, qui sequitur justificationem, non causa quæ eam præcedit. Et fides, per quam justificatur homo, & justus fit in Christo, non obstat quominus sit & vocetur impius in se, quatenus opponitur operanti, ut qui nihil habet quô niti queat coram Tribunali divino, ad sui justificationem, adeoque *impius*, partim *antecedenter*, partim *respective* ad justificationem, non autem concomitanter, minus adhuc consequenter.

XXI. Possent huc congeri varia Patrum Testimonia, qui sententiam nostram calculo suo approbarunt, quæ brevitatis studio omittimus: Bernardi verba adscribere satis erit, quia eximiè hanc doctrinam salutarem præ cæteris nonsemel asseruit Epist. 190. ad Innocent. *Assignata est ei aliena justitia, qui caruit suâ.* Et paulò post, *Si unus pro omnibus mortuus est, Ergo omnes mortui sunt, ut videlicet unius satisfactio omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit.* Et Serm. 61. in Cant. *Meum proinde meritum miseratio Domini, non sum plane meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit.* Et paulò post, *Nunquid Iustitias meas cantabo? Domine, memorabo justitiæ tuæ solius, quæ est & mea. Nunquid verebor, ne non una ambobus sufficiat, non est pallium breve, quod secundum Prophetam non possit operire duos.* Et Serm. 27. *Non peccare Dei justitia est, Hominis justitia, indulgentia Dei.*

Fontes Solutionum. XXII. Christus non tantùm debuit restituere bona in Adamo amissa, sed etiam depellere mala per Adamum contracta Erant autem duo, *Reatus*, & *Corruptio* naturæ, quibus duo bona opponi debuerunt. *Iustitiæ imputatio* ad tollendum reatum coram Deo, & *Renovatio naturæ*, ad corruptionem inhærentem sanandam. Deinde Christus non restituit tantùm bona amissa, sed longè excellentiora, amisimus justitiam mutabilem, sed restituitur nobis immutabilis, amisimus tantùm inhærentem, & datur nobis cum inhærente imputata, sine qua inhærentis non possemus fieri participes: Aliàs si nihil redderetur in Christo, quam quod amissum est in Adamo, remissio peccatorum non daretur nobis in Christo, quia non fuit amissa in Adamo.

XXIII. Quod imputatur alicui per meram acceptilationem, id revera solutum non est, sed pro soluto habetur, sed quod imputatur propter veram solutionem ab alio factam, supponit rem esse solutam. At Imputatio Justitiæ Christi, de qua loquimur, non intelligenda est primo sensu, qui improprius est, pro imputatione quæ fit absque omni solutione sive Debitoris, sive Sponsoris; Sed posteriori, quatenus fundatur in solutione aliena Christi Sponsoris.

XXIV. Licet justificemur per Justitiam Christi imputatam; Non sequitur nos non minus justos esse quàm Christum, & ita censeri ad instar Christi, Servatoris & Redemptoris Mundi, Et Christum propter imputatam ipsi no-

nostram injustitiam posse dici peccatorem. Quia debet sua manere semper dignitas Capiti, ut membra sint conformia Capiti, sed in suo ordine, & non ut ipsa sint Caput. Ita quamvis quoad imputationem verè justi simus coram Deo, Christus tamen longè perfectiori modo justus est, nos enim tales sumus relativè in ipso, & quidem precariò, & dependenter, Christus verò infinitè, originaliter, inhærenter, & subjectivè. 2. Possumus quidem propter Justitiam Christi nobis imputatam dici *redempti* & *salvati passive*, sed non *redemptores active*, quia is tantùm redemptor esse potest, cujus justitia alteri imputatur, non ille qui ejus imputatione eget. 3. Christus propter imputatum ipsi nostrum peccatum, non potest dici peccator, quod importat corruptionem inhærentem, sed victima tantùm pro peccato, quæ pœnas peccato debitas in se recepit, adeoque reatum auferendum, non verò maculam. QUÆST. III.

XXV. Ubi duæ sunt formæ & qualitates contrariæ physicæ sub eodem genere; ibi certum est denominationem fieri potius ab intrinseca, quæ subjectum magis afficit, quàm ab extrinseca. At justitia inhærens, & justitia imputata, non sunt sub eodem genere, Illa quidem in genere relationis, Ista verò sub genere qualitatis; Ideo nihil obstat subjectum denominari ab utraque sub diversa σχέσει. Nam quum respicitur qualitas inhærens, dicitur peccator & impius, sed quum respicitur relatio externa & forensis, dicitur justus in Christo. Verum quidem est neminem justum posse dici inhærenter justitiâ alienâ, quia si est inhærens, non amplius est aliena. Sed potest tamen imputativè dici *justificatus*, cùm quotidie inter homines debitor propter solutionem à Sponsore præstitam liber & solutus dicatur, qui ære alieno in se erat constrictus. Quod Augustinus eleganter exponit lib. 13. de Trinit. c. 14. *Utique justum est, ut debitores quos tenebat Diabolus, liberi dimittantur in eum credentes, quem sine ullo debito occidit.* Unde patet exemplum Æthiopis allatum à Bellarmino, qui potius à nigredine corporis, quàm ab albedine vestis sit denominandus, esse ἀπροσδιόνυσον; Cùm hìc non agatur de qualitate inhærente; vel de veste adhærente, sed de relatione juridicâ illi à Judice donatâ. Præterquam quod Æthiops semper manet Æthiops eodem modo; sed fidelis non manet impius, sed convertitur.

XXVI. Quamvis Deus nos justificet propter Justitiam Christi imputatam, non desinit judicium ejus esse secundùm veritatem, quia non pronunciat nos justos in nobis subjectivè, quod falsum esset, sed in alio imputativè & relativè, quod est verissimnm. Sic Deus verè rem æstimat & judicat uti est, non in se & naturâ suâ, sed in Christo.

XXVII. Sponsa in Cant. cap. 4: 7. dicitur *tota pulchra* bifariam. 1. In *Capite* & Sponso suo imputativè, quum ejus justitiâ omnes maculæ ejus ita teguntur, ut nulla sit amplius in ea condemnatio, nec videat Deus in ea quicquam Cant. 4: 5.

QUÆST. III. quam quoad cognitionem practicam & pœnalem, quod animadvertat. 2. In se *inhærenter*, quia per Spiritum renovata est perfecte, si non perfectione graduum, at perfectione partium, & gratiæ, quæ tandem est coronanda perfectione gloriæ.

XXVIII. Licet Justitia Christi imputata statuatur à nobis in fundamentum nostræ coram Deo justificationis; non desinit ideo esse merè gratuita à parte nostri, quia merum Dei misericordiæ est donum, quòd Sponsor nobis à Deo datus est, & in locum nostrum suffectus, & quòd illius obedientia & justitia, quam ipsi ex rigore Legis præstare debuissemus, nostra apud Deum censetur, & nobis imputatur; Atque ita Jus Legis in nobis impletur Rom. 8:4. & justificatio ita desinit esse ex operibus Legis à nobis præstitis, ut non fiat tamen contra illam, sed juxta illam, & Lex non modò non irrita fiat, sed potius stabiliatur per fidem Rom. 3:31.

XXIX. Licet Justificatio possit dici extrinseca objectivè, quatenus est imputatio justitiæ, quæ est formaliter extra nos, est tamen nostra terminativè: Nec magis absurdum est Justitiam Christi nobis esse extrinsecam, & tamen nobis imputari, quàm absurdum est peccata nostra esse Christo extrinseca, & tamen Christo ad pœnam imputari. Vel ad hominem, quàm est absurdum satisfactiones Sanctorum aliis imputari, ut pertendunt Pontificii.

XXX. Ut inobedientia Adami verè nos peccatores constituit per imputationem. Ita & Justitia Christi verè nos justificat imputativè. Ita *Imputatum* benè opponitur *inhærenti*, sed non *vero*, quia non fingimus imputationem, quæ consistat in mera opinione & juris fictione, sed quæ maximè realis est & vera, sed ista veritas est imputationis, non infusionis, juridica, non moralis.

XXXI. Imputari rectè dicitur Justitia Christi nobis in justitiam, non ut reputetur justitia, quæ antea jam erat, sed ut nostra fiat, quæ antea erat aliena, & ut propter eam justi pronunciemur, & ad vitam æternam acceptemur.

QUÆSTIO IV.

An Justificatio consistat tantùm in Remissione peccatorum? An verò complectatur etiam Adoptionem & Jus ad vitam? Prius Neg. Post. Affirm.

I. Diximus de causa meritoria seu fundamento Justificationis; Nunc de ejus *forma* seu *partibus* agendum est; In quo variantes sunt Theologorum sententiæ.

II.

II. Sunt qui solâ Remissione peccatorum totam Iustificationem absolvi contendunt; Ut tunc nos justificare Deus censendus sit, quando peccata nostra nobis condonat, & ab omni pœna absolvit. Atque in ea sunt sententia, qui solam justitiam passivam Christi nobis imputari statuunt. Alii verò duas partes in Iustificatione ponunt, *Remissionem peccatorum*, & *Imputationem justitiæ*, Illam quæ eximit peccatorem à pœna, Istam, quæ eum reddit præmio seu vitâ dignum. QUÆST. IV. *Status Quæstionis.*

III. Nobis verò neutra sententia satis accuratè hoc argumentum explicare videtur. Non prima, quia, ut postea dicemus, ad justificationem plenam non sufficit à pœna absolutio, sed requiritur etiam juris ad vitam communicatio. Nec si Orthodoxi nonnunquam justificationem solâ remissione peccatorum contineri asserunt; sequitur eos non agnoscere etiam Ius ad vitam: Quia ita loquuntur contra Pontificios, qui ad justificationem, non modò remissionem peccatorum pertinere volunt, sed etiam internam animi renovationem, & justitiæ infusionem, adversus quos bene statuunt solâ remissione peccatorum, sub qua & jus ad vitam complectuntur, totam justificationem absolvi; exclusive ad renovationem hominis, seu infusionem justitiæ.

IV. Sed nec secunda sententia simpliciter recipi potest, quia in ea perperam conjunguntur remissio peccatorum, & imputatio justitiæ, quasi essent partes sibi respondentes. Remissio quidem prima, Imputatio verò justitiæ altera. Cùm tamen non sibi invicem respondeant ut pars parti, sed ut causa ad effectum, & fundamentum ad id quod eo nititur, & eo pendet. Nam si rectè philosophari volumus, Deus nobis non remittit peccata, & postea imputat justitiam, sed primò imputat justitiam, & exinde propter imputatam illam justitiam, peccata nobis remittit. Satisfactionem enim & λύτρον intercedere necesse est, ut remissio à Deo concedi possit illæsâ suâ justitiâ; & ut legitimum sit fundamentum sententiæ absolutoriæ, quæ in gratiam Electorum fit. Quòd si per imputationem justitiæ nihil aliud intelligere vellent Theologi, quàm Iuris ad vitam collationem, ut multos eò respicere certum est, verè quidem id statuunt, sed non satis accuratè loquuntur.

V. Itaque sic rem faciliùs & clariùs concipi posse credimus. Christo Sponsore & Capite nobis à Deo destinato & dato, istius unionis virtute fieri, ut quicquid ab ipso præstitum fuerit, vel perlatum, ad perfectam Legis impletionem tam quoad præcepta, quàm quoad sanctionem pœnalem, nostrum censeatur, ut nostro loco præstitum, & nobis à Deo imputetur, ac si à nobis ipsis esset peractum. Ex hac verò justitiæ perfectissimæ imputatione fluere duo beneficia, tum remissionem peccatorum, tum Iuris ad vitam collationem sive Adoptionem, quibus duobus tota contineatur justificatio; ut *justitiæ im-*

QUÆST. IV.

putatio sit fundamentum & causa meritoria justificationis, *absolutio* verò & *adoptio*, duæ partes justificationis, & totidem effectus justitiæ imputationis, quæ ab invicem sint inseparabiles. Nam ut non potest concedi venia peccati, nec jus ad vitam conferri, nisi suppositâ justitiæ imputatione, cujus interventu Deus potest sine præjudicio justitiæ à pœna liberare, & vitâ donare: Ita positâ tali imputatione necessariò fluit utrumque istud beneficium, ex gemina istius justitiæ proprietate, quatenus habet vim satisfactoriam & meritoriam simul; ratione prioris Justitia imputata est fundamentum remissionis peccatorum; ratione posterioris est causa juris ad vitam.

Remissio & Jus ad vitam duæ partes justificationis.

VI. Duo autem ista beneficia hic conjungenda esse non unâ ratione probatur, sive Legem ipsam attendamus, quæ implenda fuit, sive necessitatem nostram, sive rerum naturam, sive Scripturæ vocem spectemus. Nam ut *Lex* duas sanctionis partes continet, hinc pœnam mortis transgressoribus, inde præmium vitæ obedientibus. Ita Jus Legis quod per justificationem Christi in nobis impletur; Non potest obtineri, nisi cum remissione peccatorum, quæ pœnæ liberationem importat, habeamus jus ad vitam, quod perfectissimè obedientiâ suâ Christus nobis acquisivit.

VII. Secundò *salutis necessitas* id ipsum exigebat. Ut enim duo mala per peccatum in nos derivata sunt. 1. Quòd *rei* facti sumus coram Deo. 2. Quòd *inimici* & à Deo fonte vitæ alieni, reatus mortis in quem incurrimus, & privatio vitæ quam amisimus. Ita non potuimus in integrum restitui, nisi per remissionem peccatorum tolleretur reatus mortis, & per adoptionem daretur Ius ad vitam. Et ut felicitas non in privatione tantùm mali posita est, sed potissimùm in possessione boni; non satis fuit à malo seu morte eximi, nisi etiam jus ad bonum seu vitam collatum fuisset.

VIII. 3. *Rei natura* hoc ipsum evincit. Quia aliud est redimere à pœna, aliud præmium etiam addicere; aliud à morte liberare, aliud vitâ & felicitate donare, ex carcere educere, & super thronum evehere. Illud tollit malum, hoc verò bonum etiam superaddit. Ut si servus fugitivus non modò absolvatur à pœna debitâ, sed & evehatur ad dignitatem & jus filii. Licet enim hæc duo inseparabili nexu inter se conjuncta sint ex Fœdere Gratiæ; Ex natura rei tamen potuerunt separari. Ut Adamus, etsi innocens ab initio Creationis, & nullâ pœnâ dignus, non tamen statim dignus fuit præmio, donec curriculum obedientiæ perfecisset. Ita non necesse fuit absolutè, ut ille, cui peccata sunt remissa, & qui à mortis reatu liberatur, ilico immortalitatis coronâ donaretur, cùm si Deo libitum fuisset, potuisset hominem denuo ad opus amandare, quo præmium consequeretur. Liberationem à carcere sequitur quidem necessariò libertas, sed non statim Diadema, & Thronus. Ioseph solutus à vinculis, non ideo præfici debuit Ægypto. Mephiboseth è squalore & situ eductus, non statim evehendus fuit ad Regis mensam. Ita

duo

duo distinctè concipienda sunt in hoc beneficio, venia peccati commissi, cum liberatione à maledictione Legis, & præmii seu benedictionis collatio. Quæst. IV.

IX. Scriptura non uno loco hæc connectit, & distinguit Gal. 4: 4. 5. *Christus factus est ὑπὸ νόμον, ut liberaret eos qui erant sub Lege*, scilicet quoad maledictionem, *& ut adoptionem acciperemus*, id. jus ad vitam, quod ex adoptione fluit, quod alibi Paulus Act. 26: 18. confirmat, quum per fidem dicit nos accipere *remissionem peccatorum*, & κλῆρον *sortem inter Sanctificatos*, id est, jus ad vitam æternam cum cæteris piis. Eò pertinet gradatio quam nectit Rom. 5: 1. 2. inter *pacem*, & *gloriam*, quum ait justificatos fide *pacem habere apud Deum*, *& gloriari sub spe gloriæ Dei*, pax respicit liberationem à pœna, & gloriatio supponit collationem juris ad vitam, quod est fundamentum spei nostræ. Ideo vers. 11. conjungit τὸ *servari ab ira*, & *gloriari de Deo*. Hoc ipsum jam Daniel c. 9. insinuaverat, quum Messiæ venturo tribuit *propitiationem iniquitatis*, per quam remissio obtineretur, & *adductionem justitiæ seculorum*, cujus vi jus ad vitam daretur. Nec aliud vult Christus, quum promittit Credentibus, *transitum à morte ad vitam*, id. est, non modò liberationem à morte, sed & possessionem vitæ. Iohannes eodem respicit, quum dicit Christum non tantùm nos *lavare à peccatis* remissionem eorum obtinendo, sed etiam *facere Reges & Sacerdotes*, qui jus felicitatis & gloriæ obtineant Apoc. 1: 5. 6.

Gal. 4: 4. 5. Act. 26: 18. Rom. 5: 1. 2. Dan. 6: 24. Apoc. 1: 5. 6.

X. Unde patet falli eos, qui *Remissionem peccatorum*, & *Imputationem justitiæ* volunt differre solùm ratione diversorum terminorum, a quo & ad quem, ut est tectio nuditatis, & indutio vestis, eò quòd peccatum & justitia sint contraria ἄμεσα, quorum uno posito tollitur alterum. Hæc enim longè aliter se habent, & ut jam dictum; ita sunt conjungenda, ut non sint tamen confundenda, sed distinguenda, ut realiter inter se differunt. Cum imputatio justitiæ habeat rationem causæ, & remissio effectus, vel si imputatio justitiæ ponitur pro jure ad vitam, se habeat respectu remissionis ad modum partis, quæ cum ea formam justificationis constituit. Unde non sunt comparandæ inter se ut nuditatis tectio, & indutio vestis, quæ unum idemque sunt reipsa; sed ut in reo liberatio à pœna, & dignitas regia.

XI. Peccatum quidem & justitia sunt contraria ἄμεσα; sed non Justitia, quâ significat perseverantiam in justitia & perfectionem ipsam. Aliud enim est carere vitio, aliud verò perstitisse in officio, & meruisse, Adamus illud habuit, non hoc. Ita inter mortem & vitam quà talem nihil est medium, sed inter mortem æternam, & vitam beatam, media est vita mortalis & animalis, vita pia & sancta, sed in statu viæ, non patriæ, & sub obligatione merendi per obedientiam. Sic multa intercedere adhuc poterant inter flammas ge-

QUÆST. IV. gehennæ & cœli gaudia, pœnæ liberationem, & præmii possessionem, supplicium servorum, & dignitatem filiorum. Qui ergo nobis adoptionem & hæreditatem confert, qui servi eramus æternis addicti pœnis; annon beneficium mirificè auget? Multum erat manumitti & libertos fieri; Nunc verò liberos pronunciari & hæredes, hic est cumulus & apex misericordiæ.

Rom. 4: 5. 6. 7. XII. Quum Paulus Rom. 4: 5. 6. 7. à remissione peccatorum ad imputationem justitiæ argumentatur; Non hoc facit propter æquipollentiam, quasi ab invicem duo ista non differrent, & unum idemque significarent; Sed propter individuam utriusque connexionem, quia nemini potest dari remissio peccatorum, nisi propter imputationem justitiæ, & nemini imputatur justitia, quin illicò condonentur illi peccata.

XIII. Licet qui remissionem peccatorum omnium tam omissionis quàm commissionis obtinet, liberetur à pœna, quæ illi debebatur propter talia peccata, & hactenus justus possit pronunciari, vel potius justificatus & absolutus: Non tamen propterea accuratè loquendo potest censeri nihil omisisse reipsa boni, & nihil commisisse mali. Deus censet per remissionem hominem non injustum, non quia judicat eum nunquam peccasse & carere labe, sed quia condonat & ignoscit reo quicquid mali commisit. Ignoscere autem, & propter κατορθώματα præmio dignum censere & honore afficere, longè differunt. Vide quæ suprà dicta sunt Loc. XIV. Qu. XIII. Th. 28. & seqq.

QUÆSTIO V.

DE REMISSIONE PECCATORUM.

An Remissio peccatorum consistat in eorum absoluta abolitione? An verò in eorum condonatione? Et An remissâ culpâ retineatur quædam pœna? An verò omnis remittatur? Pr. Neg. Post. Aff. c. Pont.

Prima Propositio de Remissione peccatorum, quòd non sit eorum abolitio contra Pontificios.

I. QUia circa Remissionem peccatorum variæ moveri solent Quæstiones, paucis eas sub tribus Propositionibus attingemus.

II. Prima, *Remissio peccati non consistit in maculæ seu qualitatis vitiosæ abolitione, Sed in culpæ & reatus ex eâ orientis gratuita condonatione.* Opponitur Pontificiis, qui ut serviant hypothesi de justificatione physica per

per infusionem, pertendunt Remissionem peccati consistere in ejus reali deletione, tam quoad maculam, quàm quoad reatum, ut remissio non fiat nisi succedat infusio justitiæ, ut tenebræ non fugantur nisi lumen succedat. Quæst. V.

III. Sed falsitatem istius commenti evincit. 1. *Modus loquendi*, & propria remissionis significatio inter homines, quæ non infert peccati extinctionem, sed tantùm condonationem; Ut Princeps crimen remittendo non tollit, sed tantùm condonat, & à pœna propter illud debitâ liberat. 2. Scripturæ phrases synonymæ idem docent, quum remissio exprimitur, per *tectionem*, Psal. 32:1. non ut non sint, sed ut in Dei Judicis conspectum non veniant ad condemnationem, quâ de causâ Christum induere debemus, ut ejus justitia tegat peccata nostra coram Deo; Per *non imputationem* v. 2. ut propter ea non puniamur, ut merentur; Per *non recordationem* Jer. 31. ut Deus practicè ea justitiæ suæ non sistat ad pœnam de iis sumendam; Per *deletionem & expunctionem*, Psal. 51. & 103. Act. 3:19. Col. 2:14. non maculæ, sed reatus, quomodo creditor de libro rationum expungit debitum, cujus gratiam facere vult debitori, chirographum ipsum delendo & scindendo, ne ullam vim amplius habeat: Ita Deus peccata quæ sunt scripta in libro suo, & quibus simus ipsi ὑπόδικοι, delet quum ea condonat, liberando nos à reatu, cui propter illa obstricti eramus; Per *projectionem post tergum*, & *dejectionem in profundum*, Mich. 7:19. ne inveniantur amplius ad judicium, Per *purgationem* per modum propitiationis, & ἱλασμοῦ Hebr. 1:3. & 9:14. ut culpæ reatus, qui nos exosos & abominabiles Deo reddit mundetur, allusivè ad ῥαντισμὸν sacrificiorum Veterum, qui non tollebat maculam inhærentem, sed reatum adhærentem; Per *aversionem faciei*, Psal. 51:11. & *translationem*, 2 Sam. 12:13. & similes phrases, quæ juridicam reatus condonationem rectè important, sed non realem maculæ abolitionem.

IV. 3. Si Remissio peccati esset vitiositatis inhærentis abolitio, ut illa perfecta est, ista etiam perfecta esse deberet, quod repugnat Scripturæ, quæ peccatum in nobis semper superesse testatur, & propriæ Sanctorum experientiæ, qui de lucta Carnis & Spiritus semper queruntur. 4. Si non imputare peccatum est illud expellere, & infundere justitiam; Ex opposito imputare peccatum erit infundere peccatum. Quod falsum esse ex Christo patet, cui imputatum est peccatum, sed non infusum.

Fontes Solutionum.

V. Licet per remissionem peccati tollatur *reatus actualis*, seu obligatio ad pœnam; non statim tollitur *reatus potentialis*, seu meritum intrinsecum peccati, quod fluit ex macula inhærente, quia remissio in eo tantùm sita est, ut à Judice reus liberetur ab actuali pœna ipsi debitâ, non verò statim ab omni vitiositate. Unde Paulus dicit quidem Rom. 8:1. nullam esse condemnationem iis qui sunt in Christo, sed non nihil esse condemnabile, vel condemna-

QUÆST. V.

tione dignum, quia quamdiu manet peccatum in nobis, manet autem quamdiu vivimus, datur semper aliquid condemnabile, etsi actu propter intercedentem gratiam Judicis nos non amplius condemnet.

VI. Alia est *tectio theoretica* peccatorum, quæ pertinet ad Omniscientiam, juxta quam certum est nihil tegi posse Deo, nisi quod penitus deletur & abolетur. Alia *practica*, quæ respicit justitiæ exercitium, & sic tegi potest Deo, quod adhuc est in subjecto, quando Deus non videt illud ut animadvertat, delet illud de libro suo ne veniat in rationem. Ita peccata dicuntur tegi coram Deo, non quia absolutè tolluntur, ut non sint, sed quia ad pœnam non deputantur. Unde Aug. in Ps. 31. Conc. 2. *Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire.*

VII. Quamvis remissio peccatorum exprimatur variis phrasibus, quæ realem ablationem notant; non sequitur inferre totalem peccati abolitionem; quia in remissione est aliquid reale, per illam quippe vere & realiter à persona tollitur obligatio actualis ad pœnam, & ipsa pœna. Deinde illæ phrases, quales sunt *tollere*, *auferre*, *delere*, *mundare*, *abluere*, *purgare* peccata, partim per alias explicantur, quæ reatus ablationem significant, non verò non existentiam peccati, partim à sacrificiorum effectu petuntur, qui erat propitiatio & purgatio peccati, non per abolitionem maculæ, sed per deletionem reatus, & condonationem pœnæ.

VIII. Licet non negemus aboleri reipsa peccatum in iis, quibus remittitur; non sequitur ideo remissionem ipsam consistere in tali abolitione. Quia illa versatur tantùm circa reatum peccati, Ista circa maculam, Illa peccatum considerat cum relatione seu obligatione ad pœnam, Ista ut qualitatem subjecto inhærentem. Illa simul & semel peragitur, Ista paulatim & successivè. Nec peccati remissionem ex natura rei statim sequitur justitiæ infusio, ut qui remittit debitum alicui, non statim novam pecuniam illi dare debet; Et nos remittimus peccata aliis, nec propterea ex illis ea expellimus. Alia quippe est *actio* quæ fit *de aliquo* & circa illum objectivè, alia quæ fit *in aliquo* subjectivè.

Secunda Propositio. Remissio est totalis tam culpæ, quàm pœnæ.

IX. Secunda Propositio. *Remissio peccati totalis est absoluta, tam pœnæ, quàm culpæ.* Hæc etiam est contra Pontificios, qui Remissionem partialem & non totalem urgent, culpæ, sed non pœnæ, vel pœnæ æternæ, sed non temporalis. Conc. Trid. Sess. 6. c. 30. *Si quis post acceptam justificationem, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro, antequam ad Regnum Cœlorum aditus patere possit, Anathema sit.*

X. Remitti culpam non remissà pœnâ est ἀσύςατον, quia nulla datur pœna sine culpa, & remissio culpæ nihil aliud est, quàm liberatio à pœna. 2. Repugnat *Scripturæ*, quæ nusquam loquitur de peccati remissione, nisi suppo-

nendo

nendo nullam ejus pœnam exigi, aliàs magna in Scripturas perturbatio invehetur, & nihil ex illis fixum & certum haberi poterit; & magna caligo offundetur tum promissionibus, tum comminationibus divinis, quoties vel peccati remissio promittitur, vel negatur, an sit culpæ tantùm, an etiam pœnæ, & an omnis, an certæ cujusdam. Rursus quomodo diceretur Deus projicere post tergum, non imputare, delere, non recordari, si eorum pœnam adhuc exigit, id. recordatur & ad pœnam imputat? 3. *Modus loquendi communis* non patitur, ut à quo aliqua peccati pœna exacta est, ei peccatum remissum fuisse dicatur; sic enim aliquid simul & semel diceretur quis ἀφιέναι, & κρατεῖν, *dimittere & retinere*, quod implicat, ut nemo dixerit debitum alicui remissum esse, à quo ejus solutio adhuc exigitur. 4. *Natura remissionis*, quæ planè est gratuita non potest hoc ferre, quia quod soluto aliquo pretio comparatur, non potest dici gratuitum. 5. Justificati non possunt habere pacem apud Deum juxta Paulum Rom. 5: 1. si pœnis propriè dictis, vel in vita, vel post mortem adhuc vexandi sunt. 6. In fidelibus post acceptam justificationem nulla amplius est condemnatio Rom. 8: 1. Ergo nulla remanet pœna, quippe condemnatio est pœnæ adjudicatio.

XI. 7. Ista hypothesis supponit, vel Christum non plenè satisfecisse pro nobis, vel Deum bis ejusdem debiti solutionem exigere, quod utrumque impium & blasphemum. Nec reponendum *subordinata non pugnare. Quia satisfactiones hominum pendent à Satisfactione Christi, ab eaque vim satisfaciendi habent; Christum satisfecisse immediatè pro culpa & reatu mortis æternæ, mediatè autem pro pœna etiam temporali, quatenus gratiam præbet, per quam nos ipsi Deo satisfaciamus.* Quia 1. gratis supponitur satisfactiones nostras subordinari posse Satisfactioni Christi, cùm expressè illi opponatur; nam si ex *Lege justitia, Christus frustra mortuus* Gal. 2:21. 2. Ista mediata satisfactio inaudita est in Scriptura, quæ nunquam dicit Christum satisfecisse, ut nobis acquireret vim satisfaciendi; sed δι' ἑαυτοῦ *per seipsum* peccatorum expiationem fecisse, & sic nos Deo reconciliasse, & à Legis maledictione nos liberasse, factum pro nobis execrationem. Quomodo verò posset dici Christus peccata nostra tulisse in corpore suo super lignum, id. pœnas eorum, & à maledictione nos liberasse, & Chirographum quod nobis erat adversum delevisse & tulisse de medio, Col. 2: 14. & unicâ oblatione in perpetuum consummasse eos qui sanctificantur, Hebr. 10: 14. Si aliquarum pœnarum reatu tenentur adhuc fideles, pro quo ipsis adhuc satisfaciendum sit? Denique modus loquendi non patitur, ut pro nobis satisfecisse dicatur, nisi qui ære suo debitum nostrum expunxit.

XII. Non minus absurdè regeritur *satisfactiones nostras requiri, ut Satisfactio Christi, & Remissio per eum acquisita nobis applicetur.* Quia licet applicanda sit singulis fidelibus Christi Satisfactio ut ipsis prosit, hoc per Ver-

QUÆST. V. bum & Sacramenta externè, per Spiritum & fidem internè fieri debet, non verò potest per satisfactiones fieri, quæ Deo debent offerri, non hominibus; Nec unquam fando auditum, remissionem debiti applicari ejus exactione, & debitori, ut is solutione pro ipso à Sponsore præstita fruatur, hoc incumbere, ut quam pro eo Sponsor numeravit pecuniam, is quoque eandem postea Creditori ex ære suo numeret, vel certè aliquam ejus partem. Rursus si, ut nobis Christi pro pœnis temporalibus Satisfactio applicetur, requiruntur satisfactiones nostræ, cur non pariter necessariæ erunt, ut applicetur eadem pro culpa & pœna æterna? Vel si non requiri fatentur ad istam applicationem; cur requirentur ad aliam, cùm nulla afferri possit discriminis ratio? Denique si Satisfactio Christi satisfactione nostra applicari debet, satisfactio nostra iterum alià satisfactione veniet applicanda, & sic in infinitum.

XIII. Quod Scriptura dicit nonnunquam de Judicio adversus Ecclesiam & fideles exercito ut 1 Pet. 4:17. 1 Cor. 11:32. & alibi, non favet errori Pontificiorum. Quia aliud est Judicium vindictæ Judicis, Aliud Judicium castigationis Paternæ, Aliud Legale, aliud Evangelicum; Illud ex ira & odio. Hoc ex amore & studio, Illud ad destructionem & exitium, Hoc ad correctionem & salutem. Illud in impios & reprobos. Istud in pios & fideles, non ut perdat, sed ut doceat, & cautiores imposterum reddat. Unde August. Serm. de Pœnit. *Quod pateris unde plangis, medicina est, non pœna, castigatio, non damnatio, noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate.* Prius est ἀσύστατον cum remissione, non posterius.

1 Pet. 4:17. 1 Cor. 11:32.

XIV. Licet afflictiones per se & naturà suâ sint veræ peccati pœnæ juxta Legis communationem Lev. 26. Tamen propter gratuitam reconciliationem cum Deo in Christo desinunt esse τιμωρίαι. Et fiunt vel παιδεῖαι id. paternæ castigationes 1 Co. 11:32. Hebr. 12:8. vel δοκιμασίαι necessariæ probationes, ut nobis & aliis manifesti fiamus Jac. 1:2. 3. vel μαρτύρια sive testificationes de veritate doctrinæ Act. 5:41. Ideo de beneficiis Dei accensentur Psal. 94:12. Job. 5:17. Philip. 1:29. Hebr. 12:6. 7. Et cum gaudio conjunctæ sunt Act. 5:41. Jac. 1:2. Hebr. 12:11. Et gloriationem comitem habent Rom. 5:2. 3. Si ergo vocantur adhuc pœnæ post remissionem peccati, hoc non dicitur propriè, quia deest illis ratio formalis pœnæ, ut scilicet ex ira Iudicis infligatur ad ultionem peccati, & peccatoris exitium; sed impropriè, tum quia per se erant pœnæ peccati, tum quia tendunt ad destructionem carnis & veteris hominis.

XV. Positâ autem istâ plenâ & totali peccatorum remissione, corruit *Thesaurus indulgentiarum* Papalium, & fœdissima illa mysterii iniquitatis nundinatio. Nam si remissio, quæ indulgetur fidelibus, integra est & totalis, quæ eos liberet ab omni culpa & pœna; Quorsum finguntur adhuc necessariæ satisfactiones, vel propriæ, vel alienæ ad pœnas, si non æternas,

sal-

ſaltem temporales exſolvendas? Mitto varia, quæ erroris iſtius non modò vanitatem, ſed & falſitatem arguunt, de quibus dicendum erit ſuo loco, ex quibus conſtabit commentum hoc non modò eſſe ἄγραφον, ſed & ἀντίγραφον, & ἄλογον, & innumeris contradictionibus & impietatibus ſcatens. Unde mirum videri non debet, ſi hac occaſione, ut notum eſt, cœptum fuerit, Reformationis Opus anno ſuperioris ſeculi 1519. Tiguri per Zuinglium, anno verò 1517. Witebergæ per Lutherum, qui turpiſſimam illam rerum ſacrarum mercaturam ferre non potuerunt. QUÆST. VI.

XVI. Nec hic recurrendum ad Indulgentias Veterum, quæ nihil commune habent cum Papalibus hodiernis. Ut hoc ignorare non poſſunt, qui aliquam notitiam veteris Diſciplinæ habent. Conſtat quippe in Eccleſia Veteri Pœnas & Satisfactiones quaſdam Canonicas valde auſteras peccatoribus publicis impoſitas fuiſſe per Canones pœnitentiales, quorum ſpecimina videre eſt, non ſolùm in *Canonibus Concilii Elibertini*, *Ancyrani* & *Niceni*; ſed etiam in *Decreto Burchardi*, *Yvonis*, & *Gratiani*, quæ non præſtabantur propriè Deo in foro poli in pœnam ſatisfactoriam illorum peccatorum, ſed tantùm ipſi Eccleſiæ, ad extinctionem & reparationem ſcandali, quô læſa fuerat. Cùm verò propter illum rigorem multi ad deſperationem adigerentur, imò ad Gentiliſmum relaberentur; Inventum eſt temperamentum Indulgentiarum, quas peccatores, vel per Martyrum ad metalla damnatorum interceſſionem obtinebant, vel à ſuis Epiſcopis conſequebantur, animadverſo eorum ſerio dolore, ne à triſtitia abſorberentur, quibus laxatâ illâ ſeveritate, ante tempus Canonibus præſtitutum, Communioni reſtituebantur, & pœnarum Canonicarum illis gratia fiebat, ut videre eſt apud Cypria. Ep. lib. 3. Ep. 15. 16. 17. & Cano. 5. & 11. Concilii Niceni & 21. 22. Ancyrani & 37. Concilii Agathenſis. Poſtea Canonum pœnitentialium jugum pleriſque detrectantibus, introductæ ſunt Satisfactionum Canonicarum, partim permutationes, partim redemptiones. Unde ex Pœnitentiali Roma. apud Burchardum trium dierum Jejunium redimebatur recitatione 50. Pſalmorum, & alicujus egeni nutritione, vel tribus denariis ab eo qui Pſalmos neſciret. Hac autem portâ Redemptionum ſemel datâ, cœpit undecimo demum ſeculo ſub Urbano II. nundinatio Indulgentiarum, quæ ut pluris fierent, varia ſunt excogitata commenta, de earum valore & efficacia, non ſolùm in foro ſoli, quoad pœnam Canonicam, ſed etiam in foro poli, & quoad ſatisfactionem, præſtandam juſtitiæ divinæ pro peccatis. Unde patet quantùm iſtæ Indulgentiæ differant à Veteribus, quæ nihil aliud erant quàm relaxationes pœnarum Canonicarum, & diſpenſationes ab earum ſeveritate ad privatorum conſolationem, & communem Eccleſiæ ædificationem. Iſtæ verò ſtatuuntur eſſe relaxationes poenarum ſatisfactoriarum juſtitiæ divinæ.

QUÆST. V.

Tertia Propositio. Remissio extenditur ad omnia peccata.

XVII. Tertia Propositio, *Remissio extenditur ad omnia omnium peccata fidelium cujuscunque sint generis, tam ad futura, quàm præterita, & præsentia, sed in suo ordine.* Quæstio hic movetur ratione peccatorum futurorum, An etiam cum præteritis & præsentibus simul & semel remittantur? Non desunt enim etiam ex Nostris magni nominis Theologi, qui censeant in Justificatione peccatoris, omnia ejus peccata futura æquè ac præterita simul & semel remitti, tum quia Justitia Christi, quæ fundamentum est nostræ justificationis, tota quanta quanta est nobis simul & semel imputatur, tum quia justificatio nullum locum relinquere debet condemnationi Rom. 8: 1. Imò justificati pacem habeant apud Deum Rom. 5: 1. & beati prædicentur Ps. 32: 1. quod dici non posset, si possent adhuc subesse condemnationi propter futura peccata non remissa.

XVIII. Nos distinctione rem posse expediri arbitramur. Peccata omnia tam futura quàm præterita non posse dici remitti simul & semel *formaliter* & *explicitè*, quia ut non Entis non sunt accidentia; Ita quandiu peccatum non est, pœna ei non debetur, & dum non debetur, non potest remitti; Ut non potest expungi debitum nondum contractum. Accedit quòd ad remissionem peccati, requiratur ejus confessio & pœnitentia, quæ dari non potest nisi commissum sit. Unde jubemur quotidie petere remissionem peccatorum, quæ sit applicanda peccatis commissis, non ante ipsa perpetrata præoccupanda. Sed quia in justificatione applicatur nobis Justitia Christi, quæ fundamentum est, quò nititur remissio omnium nostrorum peccatorum, & quia ex Fœdere Gratiæ Deus pollicetur se peccatorum nostrorum non recordaturum; Nihil obstat, quominus peccata hoc sensu dicantur remitti *eminenter* & *virtualiter*; quia in Justitia Christi nobis imputatâ fundamentum est istius remissionis. Atque ita peccata omnia nostra remittuntur à Deo sive præterita, sive præsentia, sive futura, sed pro ratione temporis quò committuntur, ut præterita & præsentia actu remittantur, futura verò quum admissa fuerint remittenda sint certissimè ex Dei promissione. Sic salvo manente Iustificationis statu, & salvâ manente acceptatione personæ, & remissione generali delictorum commissorum, sequentia & futura quoad absolutionem particularem non condonantur actu ante eorum patrationem; imò ante actam de iis pœnitentiam, vel generalem, vel particularem.

XIX. Fateor si respicitur ad *æternum Dei propositum*, in quo omnia etiam futura obversantur Deo ut præsentia Act. 15: 18. & ad *Christi meritum* & impetrationem, qui λύτρον sufficientissimum Deo obtulit pro expiatione omnium peccatorum nostrorum. Ut & ad *promissionem* à Deo datam in Fœdere Gratiæ de eorum remissione, posse dici remissionem sub hac σχέσει extendi ad omnia peccata sive præterita sive futura. Sed si attenditur *remissio ipsa actualis*, quæ fit per intimationem sententiæ absolutoriæ in corde hominis

nis credentis & pœnitentis, non potest referri nisi ad peccata jam commissa; ita ut ad reatum peccatorum sequentium tollendum requiratur particularis remissionis applicatio, non modò quoad remissionis sensum & certiorationem, sed & quoad ipsam condonationem veram & realem. QUÆST. V.

XX. Ut persona cui peccata remittuntur potest spectari, vel quoad *statum* gratiæ, in quo constituitur per justificationem, vel quoad *actus* particulares, quos subinde potest committere. Ita Remissio potest spectari bifariam, vel *generaliter* quoad *statum*, juxta quem Deus peccatorem credentem & pœnitentem in gratiam recipit propter Christum, & peccatorum omnium, quorum reus est, veniam illi largitur. Vel *specialiter* quoad *actus particulares* peccatorum, in quæ subinde incurrit, ad quorum reatum tollendum indiget particulari absolutione. Non quòd status justificationis in quem translatus est dissolvatur; Vel remissio semel collata abrogetur; quia Deus manet semper Pater ejus, sed Pater iratus propter peccata recens commissa, quæ licet *filium iræ* constituere eum non possint, propter Vocationis & Iustificationis immutabilitatem; tamen *sub ira filium* ponunt, ut meritò in paternam Dei indignationem incurrat, & novâ proinde justificatione seu remissione particulari istorum peccatorum mediante fide & pœnitentiâ opus habeat.

XXI. Licet fidelis justificatus nondum habeat formalem peccatorum futurorum remissionem; non desinit beatus esse, & liber à condemnatione actuali, quia fundamentum habet ex quo colligere potest certissimè eam sibi paratam esse ex Dei promissione. Nec si Iustitia Christi tota simul imputatur, continuò fructus ejus totus ad nos simul & semel dimanat; sed successivè pro ratione peccatorum intercurrentium, ad quorum remissionem λύτρον illud sibi quotidie debet applicare fidelis.

QUÆSTIO VI.

DE ADOPTIONE.

Quid sit Adoptio, quæ nobis in Justificatione datur?

I. ALtera pars Iustificationis est *Adoptio*, sive juris ad vitam collatio, quæ fluit ex imputatione Iustitiæ Christi, quæ non modò liberationem à morte, sed & jus ad vitam nobis acquisivit, per Adoptionem quâ nos donat. Ideo enim factus dicitur ὑπονόμον per servitutem œconomicam, ut liberaret à servitute Legis, & adoptionem seu jus filiorum nobis conferret Gal. 4: 4. 5. *Altera pars Justificationis Adoptio.*

ex

QUÆST. VI. ex quo pendet Jus ad vitam, quia *si filii, & hæredes* Rom. 8: 17. Et Joh. c. 1: 12. dicit illis qui *illum receperunt*, id est, *qui crediderunt in Nomen ejus, dedisse hoc jus ut essent filii Dei.* Ubi ἐξουσία non significat autoritatem seu potestatem, quia hic respicit inferiores, nec facultatem seu potentiam, quâ quis possit se facere filium, sed ἀξίωμα, id. dignitatem & jus filiorum.

Joan. 1: 12.

Quot modis Adoptio sumatur.

II. Adoptio autem hic à nobis non sumitur, ut alibi, pro *externa vocatione* & assumptione in fœdus, qualis olim Judæis contigerat, quorum dicitur esse adoptio Rom 9:4 Nec pro *adoptionis sensu & usu*, quæ fit per emancipationem, qualis competit fidelibus Novi Testamenti, qui quia adulti facti sunt, & non amplius sunt minorennes, dicuntur Spiritum adoptionis accepisse, & non amplius servi vocantur, nec modo servorum habentur, sed filii sunt & hæredes, qui hoc jure gaudent Gal. 4: 5. Nec pro *adoptionis manifestatione plenâ*, quæ in Resurrectione futura est, quo sensu fideles dicuntur expectare adoptionem, id. redemptionem corporis sui Rom. 8: 23. Sed pro actione Dei juridica, quâ ex mera sua misericordia, quos ab æterno elegit ad salutem, per fidem in Christum adoptat in familiam suam, & nomen ac jus filiorum ipsis largitur quoad hæreditatem.

Rom. 9: 4. *Gal. 4: 5.* *Rom 8: 23.*

Quid sit Adoptio.

III. Ut verò vox Adoptionis petita est à more inter homines recepto; Ita actio ipsa multiplicem analogiam habet cum adoptione civili, licet in variis etiam differat, & præstet. *Adoptio* dicitur Iurisconsultis, *Actus legitimus imitans naturam, repertus ad illorum solatium, qui liberos non habent.* Ut hîc requiratur, primò adoptans, qui patris autoritatem habere potest, qui destitutus liberis, defectum naturæ supplet per legem, & extraneum recipit in familiam suam, & favorem paternum illi pollicetur. 2. Adoptatus, qui transit à familia paterna in alienam, & mutato statu mutat nomen, & vitam, Jus haberet in bona paterna, & hæreditatem inprimis; Et vicissim sese obligat ad omnia officia filialis obedientiæ. Ita in hoc negotio, Adoptio non est actus naturæ, sed gratiosæ voluntatis, quam Pater cœlestis in nos exercere voluit, quo sensu Jac. 1: 18. dicitur *nos genuisse voluntate sua*, & nomen ipsum υἱοθεσίας voluntariam istam & liberrimam Dei dispositionem notat. Per istum Deus nos extraneos & peregrinos, qui eramus servi & mancipia Diaboli, transfert ex familia veteris Adami, & potestate tenebrarum, & asciscit in familiam suam & regnum lucis, ac dignitatem filiorum nobis donat, in qua non tantùm gloriosum dulcissimorum filiorum nomen nobis largitur 1 Joh. 3: 1. Apoc. 2: 17. & 3: 12. cum insignibus & stemmatibus ad eos pertinentibus, sed etiam jus dat in omnia bona sua, tam gratiæ quàm gloriæ, quæ omnia *hæreditatis* nomine veniunt, ut quæ non acquirantur ullo merito, sed merâ Patris gratiâ, vi adoptionis ab eo factæ nobis gratis dentur. Nosque vicissim tanto amori per fidem respondentes, cultum & obsequium filiale illi spondemus 2 Cor. 6: 18. 1 Pet. 1: 15. 16. Mal. 1: 6. 8.

1 Joan. 3: 1. *Apoc. 2: 17.*

IV.

IV. Qualiscunque verò sit analogia, magnum tamen & memorabile discrimen semper intercedit. Nam quod Lex facit inter homines; Hîc est opus meræ εὐδοκίας. Illa inventa est ad solatium orbitatis ad supplendum defectum naturæ; Sed hæc fit ad solatium nostrum tantùm, non Dei, qui Filio Unigenito summè delectabatur. Illa ordinatur ad successionem in bona patris defuncti; Sed ista tantùm ad participationem bonorum Patris in æternùm viventis. Illa potest dare nomen, titulos, & insignia filiorum, sed non animum & qualitates. Sed in ista Deus adoptando cor mutat, & quibus jus filiorum gratiosè donat, illis etiam animum & characterem filiorum imprimit per spiritum adoptionis. Illa non facit bonos, sed supponit, nec enim adoptaret homo aliquem in filium, nisi in eo deprehenderet aliquid amabile. Sed ista est opus meræ gratiæ, quæ non supponit quicquam boni in nobis, qui eramus inimici, rebelles & corruptissimi; sic adoptat Deus, non quia boni sumus, sed ut bonos reddat.

QUÆST. VI.

Quomodo differat ab Adoptione humana.

V. Huc pertinet Dispositio Testamentaria, quam instituisse dicitur Pater ad legandam nobis hæreditatem, quæ nihil aliud est, quàm ultima & immutabilis voluntas Scripturis consignata, & sanguine ac morte Christi confirmata, quâ Electos fideles suos ex asse hæredes pronunciavit, quod Christus Luc. 22:29. non obscurè innuit, *Ego* διατίθεμαι *dispono seu Testamento addico vobis Regnum, sicut* διέθετο *disposuit mihi Pater meus.* Et Hebr. 9:15. *Propterea Testamenti Novi factus est Mediator*, inquit Paulus, *ut morte intercedente ad redemptionem peccatorum præcedentium, Vocati accipiant promissionem æternæ hæreditatis.* Bona hoc Testamento legata non pertinent tantùm ad *hæreditatem mundi* Rom. 4:13. juxta quam omnia nostra sunt 1 Cor. 3:21. sed præcipuè est hæreditas Cœli seu Regni cœlorum Mat. 25. Jac. 2:5. Atque adeo ipsius Dei, qui ut est summum Bonum, nostra portio & hæreditas non semel dicitur Gen. 15:1. Psal. 16:5. Jer. 10:16. ut fideles sunt portio & hæreditas Dei Psal. 33:12.

Luc 22:29.

Hebr 9:15.

VI. Licet verò privilegium hoc *quoad rem*, commune sit fidelibus omnibus Veteris Test. non minus quàm Novi, qui & filii Dei erant, & jus hæreditatis cœlestis habebant, ad quam post mortem admissi sunt. Certum est tamen longè potiorem esse hac in parte conditionem fidelium Novi Test. *quoad modum*; qui non amplius sunt in infantili ætate, habiti instar servorum sub pædagogis & rudimentis mundi, ubi nec sensum nec usum plenum juris sui habere poterant, Spiritu servitutis animati. Sed jam adulti & emancipati per Christum, admittantur ad Sacrarium Patris, & plenum habent sensum & fructum Juris sui, accepto Spiritu adoptionis, cujus gratiâ confidenter possunt clamare Abba Pater. Quò Paulus omnino respicit, quum ait Gal. 4:4.5. *Christum factum esse sub Lege, ut eos qui erant sub Lege*, scilicet sub maledictione Legis Moralis, & sub jugo Cæremonialis, *redimeret*, *&*

QUÆST. VI.

& ut adoptionem filiorum acciperemus, non eam modò, quâ à filiis iræ & Diaboli discriminamur; sed etiam eam, quâ excellimus supra infantes non differentes à servis. Ut fusiùs probatum est Loc. XII. De Fœdere Gratiæ Qu. X.

VII. Ex quibus ita positis colligitur, frustra nonnullos anxiè hîc quærere, quomodo inter se differant Iustificatio, & Adoptio, Et An Adoptio prior sit naturâ justificatione, ut quidam vellent, qui eam censent primum & immediatum esse fidei fructum, quo Christo unimur & conjungimur. An verò posterior & ejus consequens, ut alii. Nam cùm ex dictis constet, Iustificationem esse beneficium, quo Deus nobis in Christo reconciliatus nos absolvit à reatu peccatorum, & Ius ad vitam donat, patet adoptionem includi in ipsa Iustificatione tanquam partem, quæ cum peccatorum remissione totum hoc beneficium constituit; nec eam posse distingui ab Adoptione, nisi quatenus sumitur strictè pro Remissione peccatorum, cùm in conceptu suo formali includat etiam acceptationem ad vitam, quæ ex imputatione justitiæ Christi fluit.

VIII. Neqne hîc Adoptio confundenda est cum Unione nostra cum Christo. Licet enim ex ea fluat necessariò, ut à sua causa & fundamento; quippe ex Unione cum Christo pendet Communio omnium ejus beneficiorum, tum justificationis, tum sanctificationis, & gloriæ. Non potest tamen, si accuratè loqui volumus, cum ea identificari; sed ad eam se habet ut effectum ad causam. Hinc enim fit, ut Christo Capiti nostro & Dei Primogenito uniti, justitia ipsius perfectissima nostra fiat per Dei imputationem, & fidei receptionem, ex qua pendet tum absolutio à peccatis, tum adoptio seu acceptatio ad vitam & hæreditatem cœlestem, quod jus est filiorum. Quotquot enim dignitatem istam obtinent, non modò assumuntur in familiam Dei, ut sint ejus domestici Gal. 6: 10. qui sint semper sub paterna Dei tutela, ab ipso pendentes pro nutritione, educatione, & conservatione perpetuâ, sed habent jus ad hæreditatem Rom. 8: 7. id. possessionem omnium bonorum Patris, & Dei ipsius fruitionem, quæ est hæreditas nostra.

Libertas Christiana fluit ex Adoptione.

IX. Ex hac autem Adoptione oritur *Libertas Christiana*, quæ non est immunitas ab omnibus Legibus divinis & humanis, & licentia vivendi pro arbitrio, & indulgendi concupiscentiis carnis, ut placet Libertinis, libertatem in licentiam mutantibus. Non exemptio à civili obligatione servitutis, & à tributis, & Magistratuum jurisdictione, qualem Anabaptistæ varii sectantur, & quam sibi vendicat Clerus Romanus, contra expressam Scripturæ vocem. Sed est spiritualis & mystica manumissio, nobis parta sanguine Christi, quâ à spirituali servitute Legis, peccati, Mundi, & Satanæ, cujus vinculis antea constringebamur, in filiorum Dei libertatem asserimur, de qua Ioh. 8: 32. 36. Rom. 6: 15. 22. & 8: 2. 3. Gal. 3: 13. & 4: 6. 26. & 5: 1. Hebr. 2: 15. & alibi agitur, per quam in communionem

nem vocati Dei, ut Patris, & Christi ut Fratris nostri, dominium obtinemus in Creaturas, & hæredes sumus Regni Cœlorum. QUÆST. VII.

QUÆSTIO VII.

DE JUSTIFICATIONE FIDEI.

An Fides nos justificet propriè & per se, An tantùm relativè & organicè? Pri. Neg. Post. Affir. cont. Socin. Remonst. & Pontif.

I. CUm Justificatio possit spectari, vel *activè* à parte Dei qui justificat, vel *passive*, à parte hominis qui justificatur. Duplex etiam ejus tractatio institui potest, Vel respectu ipsius beneficii à Deo nobis indulti, & Iustitiæ nobis imputatæ, Vel respectu receptionis & applicationis ejus, quæ fit per fidem, De qua jam agimus. *Justificatio activa & passiva.*

II. Hinc autem non controvertitur, *An fides justificet*, Ita enim clarè Scriptura hoc asserit; ut nemo negare audeat. Sed quæritur de *modo* quò justificat, In quo describendo mira est sententiarum discrepantia. *Status Quæstionis.*

III. Adversarii in eo conveniunt omnes, quòd fides justificet propriè & per se, atque adeo sit ipsa justitia nostra; Sed cum aliquo discrimine. *Sociniani* enim pertendunt fidem seu actum credendi esse causam justificationis nostræ, ut non alia sit immediata ac formalis justitia, quâ justi sumus coram Deo, quàm fides nostra; Et justificatio sit universalis affectio fidei; *Non quòd fides virtutem efficiendi justitiam & vitam in se contineat; sed quòd censeatur talis per gratuitam Dei acceptilationem; quâ visum ei reputare fidem pro perfecta justitia, sive pro perfecta Legis impletione, haud secus quàm olim sub Fœdere Legali, perfecta Legis obedientia erat universalis illa justitia, ex qua pendebat vita.* Ut *Socinus* de Servato. passim loquitur, *Smalzius* in Disp. cont. Franz. *Volkeli.* lib. 4. cap. 3. Ad quos hic accedunt *Remonstrantes*, in Confessione sua c. 21. *Sententia Socinianorum.*

IV. *Pontificii* volunt fidem esse causam disponentem, & sine qua non, quæ non tantùm disponat ad justitiam, sed etiam ipsam justificationem inchoet & mereatur. *Concil. Trident.* Sess. 6. cap. 6. *Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, cum suæ voluntatis motu præparari & disponi, Anathema sit.* Et Bellarm. *Et Pontificiorum.*

QUÆST. VII.

lib. 1. de Justif. cap. 13. *Fidem*, ait, *justificare ut initium & radicem justificationis, quia est prima motio in Deum, oportet enim accedentem ad Deum credere quod Deus est.* Quæ sententia nititur falsa hypothesi, quasi justificatio consistat in infusione justitiæ, & sit motus quidam physicus, qui exigat dispositiones prævias in subjecto ante formæ introductionem.

Sententia Orthodoxorum.

V. Orthodoxi verò in alia omnia eunt. Docent quippe fidem esse causam organicam & instrumentalem nostræ justificationis, Et illi justificationem tribui, non propriè & per se, quatenus est opus, vel quasi sit ipsa justitia, quâ coram Deo justificamur, vel quasi suâ dignitate, aut Dei indulgentia eam mereatur in totum, vel ex parte. Sed impropriè & metonymicè, quatenus Justitia Christi quam fides apprehendit est fundamentum & causa meritoria propter quam justificamur. Ideò dicitur justificare relativè & organicè, *relative*, quia fidei objectum est vera nostra justitia coram Deo, *organice* verò, quia fides est instrumentum acceptandæ ex parte nostra, & nobis applicandæ illius justitiæ.

Actum credendi non esse nostram justitiam probatur.

VI. Duo ergo nobis hic præstanda sunt. Primò κατ' ἄρσιν removendus est falsus modus justificationis fidei, quem Sociniani, & Pontificii invexerunt. Secundò verus & genuinus κατὰ θέσιν erit probandus. Quoad prius, Fides, seu actus credendi non reputatur pro justitia nostra apud Deum per gratuitam acceptilationem. 1. Quia quod est tantùm organum accipiendæ justitiæ, non potest esse ipsa justitia nostra formaliter. At fides habet hic tantùm σχέσιν organi, ut patet tum ex proprio ejus actu, qui instrumentalis est, & consistens in receptione Christi Joh. 1: 12. & acceptione justitiæ Rom. 5: 17. & remissionis peccatorum Act. 26: 18. Tum ex subordinatione causarum justificationis ad eundem effectum, Gratiæ scilicet Dei, Redemptionis Christi, & fidei, quæ notatur à Paulo Rom. 3: 24. ubi fides non potest aliam notionem quàm instrumenti sustinere, cùm gratia Dei efficientis principalis, & redemptio Christi causæ meritoriæ rationem habeat.

VII. 2. Quia fides distinguitur ab ipsa justitia, quæ nobis imputatur, tum quia dicitur esse *ex fide* & *per fidem* Rom. 1: 17. & 3: 22. Phil. 3: 9. tum quia Christus cum obedientia & Satisfactione sua est illa justitia, quæ nobis imputatur Isa. 53: 11. Jer. 23: 6. 1 Cor. 1: 30. 2 Cor. 5: 21. Gal. 3: 13. 14. quam fides quidem apprehendit ut objectum suum, sed cum quo identificari non potest. Unde Scriptura nunquam dicit Deum velle censere fidem nostram pro justitia, sed quod Christum fecerit nobis justitiam, quòd sit Jehova justitia nostra, & quòd simus Justitia Dei in ipso.

VIII. 3. Quia non justificamur nisi per perfectam justitiam. Siquidem res nobis est cum exacta Justitia Dei, cui fraus fieri non potest. At fides nulla hic est perfecta. Nec dicendum non esse quidem justitiam perfectam ex se, sed pro tali admitti à Deo, & haberi per gratuitam acceptilationem.

Quia in foro justitiæ divinæ, quæ adæquatam & omnibus numeris absolutam solutionem postulat, non potest dari locus acceptilationi, quæ est imaginaria solutio. Deinde cùm justificatio nostra sit actus forensis & judicialis, ubi Deus se justum ostendit Rom. 3:25. non admittit acceptilationem, quæ nunquam procedit per authoritatem & sententiam Judicis, sed per voluntariam & privatam stipulationem partium. Quæst. VII.

IX. 4. Si fides reputatur pro justitia, justificabimur operibus, quia sic fides non potest non habere rationem operis quum justificat. At in hoc negotio clarum est Paulum semper opponere fidem operibus, tanquam ἀσύστατα, & duo media ἀντιδιῃρημένα, quibus homo vel per Legem propria obedientia & in se, vel per Evangelium obedientiâ aliena justificatur. Nec discrimen utriusque justificationis consistit in eo quòd in illa perfecta obedientia; in ista verò imperfecta à Deo acceptetur pro perfecta. Siquidem idem modus justificationis semper esset per opera. Sed in eo quòd cùm utrobique perfecta justitia requiratur, in illa ex Legis ἀκριβοδικαίῳ Deus propriam exigit; Hic ex ἐπιεικείᾳ Evangelicâ admittit alienam, nimirum Christi. Ita non potest fides dici justificare propriè & per se, quin relabamur ad vetus Fœdus, & ad justificationem legalem redeamus.

X. *Fides* Abrahami dicitur illi *imputata ad justitiam* Gen. 15:6. & Rom. 4:3. Non propriè, quia sic justificatus fuisset operibus, quod ibidem Apostolus negat. Sed 1. *relative* & metonym. ut fides sumatur pro *objecto* suo, ut Gal. 3:25. id est, illud quod fides credidit, promissio scilicet illa de Semine, non tam corporali, quàm spirituali ex Gal. 3:16. quam per fidem recepit, fuit fundamentum justificationis suæ. Quod confirmatur ex eo quòd imputari hic dicitur quod non inhæret, & quod contradistinguitur operibus. Ita hoc sensu fides dicitur imputari ad justitiam, per hypallagem, quia justitia imputatur per fidem, ut Apostolus æquipollenter rem declarat vers. 5. 6. & 3:22. Nec hoc est torquere Scripturam, & frigidè vim & efficaciam fidei exponere, ut perperam Forbesius in consid. pacit. de Just. c. 4. Nostris objicit; Imò non clariùs & veriùs potest exponi genuinus sensus istius imputationis. Cùm enim res illa, quæ nobis imputatur, ad justitiam debeat esse nostra justitia coram Deo, id. illud propter quod Deus nos justificat; Nec fides per se illud esse possit, ut jam jam dictum, & ut ipse non diffitetur, quum eam causam instrumentalem esse agnoscit; Liquet non posse propriè phrasim hanc sumi, sed tantum metonym. ratione objecti. Nec quicquam usitatius est in Scriptura, quàm ut facultas pro objecto suo sumatur. Quod non obstat, quominus secundo fides etiam dicatur imputari ad justitiam *organice*, quia est causa instrumentalis, quæ justitiam Christi apprehendit, per metonym. effecti pro efficiente, ut alibi dicitur vita æterna Joh. 17:3. & 12:50. id. causa vitæ scilicet instrumentalis. Gen. 15:6. Rom. 4:3.

QUÆST. VII.

XI. Frustra verò Arminius non vult Iustitiam Christi in justitiam imputari, quum sit ipsissima justitia, supponens scilicet id quod nobis ad justitiam imputatur, justitiam propriè non esse. Quia perperam confundit, ad justitiam imputari id quod justitia non est per acceptilationem. Et imputare alicui ad justitiam id quod non habebat. Primus sensus hic locum non habet, sed posterior tantùm, secundùm quem dicitur imputatum in justitiam Abrahamo, quod Abrahami non erat, ut nobis imputatur justitia Christi, id., nostra censetur, quæ nostra non erat. Ita non negat imputatio veritatem rei seu perfectionem justitiæ, sed tantùm veritatem possessionis, adscribendo alicui, quod illius non erat proprium.

XII. Quod dicitur de aliquo in Scriptura, illi omnino inesse oportet, sed secundùm illum modum, quem ipsamet docet. Modus autem quò fidei justificatio & salus tribuitur, non consistit in propria ejus efficientia, quasi eam fides nostra operetur aut efficiat; sed in fiduciali tantum ejus apprehensione & applicatione situs est. Nec aliter dicimur per fidem placere Deo Heb. 11:6. & purgari à peccatis Act. 15:9. quàm quia applicat nobis justitiam & sanguinem Christi, qui purgat nos à peccatis, & gratos nos reddit Deo.

XIII. Aliud est beneficia conferri secundùm fidem, id. cum conditione fidei, sub qua promissa sunt in Verbo, quod cum Scriptura agnoscimus. Aliud fidem justificare propriè & per se, seu ipsam fidem habere pro justitia, & sic eam credenti ad justitiam imputare. Illic fides habet rationem instrumenti. Hìc verò causæ principalis & fundamenti, quod negamus.

2. Fides non justificat dispositivè.

XIV. Secundò, contra Pontificios, fidem non justificare *dispositivè*, vel *meritorie*, ut initium & radicem justitiæ probamus. 1. Quia Spiritus Sanctus nuspiam fidei initium, vel partem tantùm aut dispositionem ad justificationem tribuit, sed totam & integram justificationem. 2. Quia sic non valeret antithesis Apostoli inter opera & fidem, siquidem fides ad modum operis semper justificaret. 3. Quia justificatio, utpote actus forensis, fit simul & semel & ἐν ἀτόμῳ, nec potest admittere initium & progressum. 4. Quia sic possemus dici justificari διὰ τὴν πίστιν, *propter fidem*; Quod Scriptura nunquam dicit, sed semper vel πίστει, vel διὰ τῆς πίστεως, ἐκ πίστεως *per fidem* vel *fide*, tanquam instrumento. Nec si variis in locis istæ propositiones *per* & *ex* habent propriè dictam causalitatem, ut quum tribuuntur morti & sanguini Christi, sequitur eandem esse vim earum, quum agitur de justificatione fidei. Imò cùm constet non posse hominem duabus justitiis justificari, alterà in se, alterà in Christo, si justitia & sanguis Christi est propria causa justificationis ejus, non potest hæc fidei tribui, sed tantùm instrumentalis. 5. Hæc sententia supponit falsò justificationem esse motum physicum subjecto inhærentem, qui egeat præviis dispositionibus quibus acquiratur, ut in subjectum introducatur, cùm sit actus

fo-

forensis, ut antea probatum est, ad quem homo se habet objectivè, non subjectivè. Et licet fides requiratur à parte hominis ad hoc beneficium recipiendum; Non sequitur habere rationem dispositionis, quâ impius disponatur ad infusionem justitiæ. QUÆST. VII.

XV. Fides diversimodè spectatur, vel in *ipso actu justificationis*, vel in *Persona justificati*, vel in *effectu justificationis*. In *persona justificati*, benedicitur *initium justitiæ*, non imputatæ, sed inhærentis, quia est radix omnium virtutum. Ita in *effectu justificationis* est principium & causa novæ obedientiæ. Sed in *actu justificationis*, non aliud potest esse quam instrumentum apprehendens & applicans homini illud quod justificat, ut fidei non *merito*, sed *medio* tantùm justificetur. *Fontes Solutionum.*

XVI. Licet justificatio detrahatur operibus quoad meritum, & propriè dictam efficientiam; Non sequitur eandem tribui fidei eodem modo. Imò quia tollitur operibus, non potest eadem ratione tribui fidei, quia sic justificaret ut opus, nec possemus dici justificari sine operibus. Sufficit ergo ad salvandam oppositionem Apostoli, ut fides ab eo in locum operum substituatur, quia per fidem obtinemus certissimè, quod Judæi frustra in operibus quærebant, licet non meritoriè, sed instrumentaliter tantùm hic agat.

XVII. Fides dicitur nos salvare Luc. 7: 52. non aliquid merendo in ordine ad justificationem; Sed tantùm receptivè & organicè, quia fuit instrumentum istius beneficii receptivum; Et nihil frequentius est, quàm per metalepsim effectum causæ principalis tribuere instrumento; ut quùm *Evangelium* dicitur *potentia Dei ad salutem* Rom. 1: 16. manus sedula dicitur donum augere, aratrum ditare colonum, manus dantis pauperem locupletare, & similia. Nec si alibi prædicatur magnitudo fidei Cananeæ Mat. 15: 28. cui Christus indulget beneficium expetitum; Ideo ejus meritum & efficientia innuitur; credens quidem sanata est, quia mediante fide hoc illi contulit beneficium Deus, non ideo credens sanavit se, ut fides propriè loquendo sanationem vel effecerit, vel meruerit. *Luc. 7: 52.*

XVIII. Verus ergo modus justificationis fidei, non alius est quam instrumentalis. 1. Quia proprius ejus actus consistit in receptione Christi, & ejus justitiæ, ut suprà dictum. 2. Quia non alio modo justificat, quàm quo tendit in mortem & obedientiam Christi, nimirum apprehendendo & sibi applicando Christum, ut ἀντίλυτρον pro nobis datum, & ἱλασμὸν pro peccatis 1 Joh. 2: 2. 3. Quia fides in Scriptura describitur per *manducationem*, *intuitum*, & *contactum*, quæ causalitatem tantùm instrumentalem habent, non propriam efficientiam, ut non sanabat intuitus serpentis per se, sed relatè ad serpentem æneum, nec manducatio nutrit nisi per cibum ori ingestum. 4. Quia non aliter fides justificans se habet ad justificationem; quàm fides miraculorum ad patrationem miraculorum, non effectivè, *Mat. 15:28.*

QUÆST. VII. vè, sed organicè, apprehendendo promissionem specialem de illis datam.

XIX. Non sine ratione autem fidei hoc præ cæteris tribuitur; quia sola ex omnibus virtutibus potest subsistere cum gratia, utpote quæ sita est in mera receptione & apprehensione objecti extra se positi; Unde dicitur esse *ex fide, ut sit per gratiam* Rom. 4: 16. nimi. ut homo totum hoc beneficium Deo acceptum referat, nullam autem in se gloriandi rationem habeat. Nam si per opera vel justitiam inhærentem justificaretur, videretur habere in quo gloriaretur, sed quum per fidem justificatur, quæ nihil dat Deo, sed tantum recipit, omnis excluditur gloriatio. Quod Toletus in 3. Rom. Ann. 17. non malè explicat, dum rationem reddit, quare Scriptura soli fidei justificationem tribuat: *Quia nempe*, inquit, *in fide magis manifestatur, Hominem non propriâ virtute, sed Christi merito justificari. Sicut enim in aspectu in serpentem Deus posuit sanitatem in deserto, quia aspectus magis indicabat, sanari homines virtute serpentis, non operis alicujus proprii aut medicinæ alicujus; Ita fides ostendit justificari peccatores virtute & merito Christi, in quem credentes salvi fiunt, non propria aliquâ ipsorum virtute & merito. Et causa est, cur fidei tribuatur justificatio maxime a Paulo, qui à justificatione, Legis opera, & humanum meritum aut efficaciam excludere, & in sola Christi virtute & merito collocare nitebatur; Idcirco meminit fidei in Christum; Hoc nec Pœnitentia, nec Dilectio, nec Spes habent, Fides enim immediatius & distinctius in eam fertur, cujus virtute justificamur* &c.

XX. Licet Sacramenta sint media & instrumenta externa à parte Dei applicantia promissionem gratiæ & justificationis; Hoc non obstat, quominus fides bene dicatur instrumentum & medium internum à parte hominis ad hoc beneficium Verbo oblatum, & Sacramentis obsignatum recipiendum.

XXI. Quod justificat ut instrumentum, non justificat statim ut opus, quamvis instrumentum illud sit opus. Quia aliud est esse opus, aliud justificare ut opus, Quod justificat ut opus, debet esse causa meritoria justificationis, sed quod justificat ut instrumentum, non justificat meritoriè, sed tantùm apprehensivè & receptivè, non dando, sed accipiendo. Actio ergo fidei nos justificat, sed non quà actio simpliciter, quasi esset nostra justitia coram Deo, sed relatè ad objectum, quatenus recipit Christum. Ut extensio manus mendici est quidem actus mendici à divite præscriptus, non tamen quà actus mendicum ditat, sed quatenus hoc modo donum divitis sibi applicat, & suum facit.

Joan.6:29. XXII. Quamvis fides dicatur *opus Dei* Johann. 6: 29. Non sequitur justificare ut opus. Quia licet à Deo præcipiatur, & hoc sensu opus Dei dicatur, & ab homine debeatur ad consequendam vitam: Non ideo debetur ut causa meritoria istius vitæ, sed tantùm ut medium & organum re-

receptivum justitiæ Christi, quæ vera causa est vitæ. Et ita vocatur à Christo μιμητικῶς, & per allusionem ad sensum Judæorum, qui per opera Legis quærebant vitam, *Quid faciemus*, dicebant, *ut operemur opera Dei*? Huic sermoni Legali respondet Jesus, non Legaliter, sed Evangelicè, stylo tamen Legali, phrasim legalem ex sermone Iudæorum arripiendo, & sermoni suo applicando, *Hoc est opus Dei ut credatis*, innuens nullum amplius opus necessarium esse ad salutem acquirendam, sed unam fidem loco omnium operum substitutam esse ad eam accipiendam, quasi dicat; facessant opera, tantùm credite, hoc opus, hic labor. Planè ut ægro petenti, quo demum pharmaco sit convaliturus; Si Medicus respondet, hoc est pharmacum, quod præscribo tibi, ut quiescas, & mihi confidas; non vult innuere, quietem & fiduciam illam esse remedium aliquod quo sit convaliturus, sed id tantùm vult, nullo opus esse pharmaco. Ita Scriptura nomina rerum, quibus efficaciam & pretium magnum homines attribuunt falsò, sæpè tribuit iis rebus, quæ verè sunt efficaces & pretiosæ, ut Evangelium vocatur Lex, quia quod Lex petebat, Evangelium donat, quod Iudæi frustra quærebant in Lege, per Evangelium obtinetur. Sic regeneratio dicitur circumcisio Phil. 3: 3. fideles filii Abrahæ, Charitas & pietas Iejunium, Isa. 58. & fides opus. QUÆST. VII.

XXIII. Cæterùm non anxiè quærendum putamus, An fides instrumenti notionem induat in hoc negotio; An etiam conditionis, ut nonnullis videtur. Quia utrumque illi tribui nihil obstat; modò conditio non sumatur pro eo, ad cujus intuitum Deus hominem justificet in Fœdere Gratiæ, quomodo Opera erant conditio justificationis in Fœdere Legali. Hoc sensu enim non potest dici conditio, nisi accedatur ad Socinianos & Remonstrantes, qui volunt fidem seu actum credendi admitti à Deo per acceptilationem pro perfecta justitia, quod modò refutavimus. Sed latè pro eo omni quod requiritur à parte nostra ad obtinendum hoc beneficium, sive habeat rationem causæ propriè dictæ, vel tantùm instrumentalis. Sic enim ut conditio ista habet χέσιν instrumenti; Ita instrumentum habet rationem conditionis à parte nostri, sine qua non potest dari justificatio. Porrò de modo quo concurrit fides ad justificationem, Et de triplici ejus actu dispositorio, justificatorio & consolatorio. Vide quod dictum est Loco XV. Qu. VIII. T. V.

QUÆSTIO VIII.

An sola fides justificet? Affirm. contra Pontificios.

I. QUæstio etiam ista cum Pontificiis nobis intercedit, qui nón modò verum modum justificationis fidei corrumpunt, ex causa instrumentali, meritoriam, vel saltem dispositivam fingentes, sed & comites ac socias in hoc actu alias virtutes illi adjungendo. Unde orta Controversia de *sola Fide Justificante*, quæ ut non minoris est momenti præcedente; Ita non minori animorum contentione agitatur.

Origo Quæstionis. II. Non recens nata est Quæstio novissimo isto seculo; sed jam ab ipso Religionis Christianæ exordio, per Pseudo-Apostolos seu Christianos Judaïzantes, qui non adversà fronte fidem adoriebantur, ut Pharisæi, sed à latere, exitiali mixturà Legem cum Evangelio, Mosem cum Christo, & Fidem cum Operibus in negotio justificationis consociantes, ut homo non solà fide, sed simul etiam operibus justificari debeat. Adversus quos Apostolus disputat in Epistolis ad Galatas, Philippenses, & Colossenses. Quod hodie à Pontificiis urgetur, qui cum fide, Timorem, Spem, Dilectionem, Pœnitentiam, & novæ vitæ propositum ad justificationem concurrere pertendunt. Canon. 9. Concil. Trident. *Si quis dixerit solà fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, Anathema sit.* Quod fusiùs explicatur cap. 5. & 6. ubi agitur de necessitate, & modo præparationis ad justificationem.

Status Quæstionis. III. Ut verò faciliùs teneatur Status Quæstionis, Observandum, Judicium duplex posse institui à Deo cum homine, vel ex Lege, quatenus spectatur ut reus violatæ Legis per peccatum, & ita accusationi & condemnationi Legis subest. Vel ex Evangelio, quatenus accusatur à Satana violati Fœderis Evangelici, & ita supponitur incredulus & impœnitens seu hypocrita, qui fidem quam professus est ore, opere non testatus est. Huic verò duplici Judicio duplex Justificatio debet respondere, non sensu Pontificio, sed planè diverso. Prima quà homo absolvitur à reatu peccatorum propter justitiam Christi nobis imputatam & fide apprehensam. Altera quà liberatur ab accusatione incredulitatis & hypocriseos, & declaratur verus fidelis & filius Dei, qui Fœdus Evangelicum, si non perfectè quoad gradus, at sincerè quoad partes implevit, & vocationi divinæ respondit per fidei & pietatis exercitium. Prima est justificatio propriè dicta; Altera est ejus tantùm declaratio. Illa est

Ju-

Justificatio causæ à priori. Ista *Justificatio signi* seu *effecti* à posteriori declarativè. In illa, sola fides locum habere potest, quia sola apprehendit justitiam Christi, cujus merito liberamur à condemnatione Legis; In ista, opera etiam requiruntur, tanquam effecta & signa fidei, quibus ejus veritas & sinceritas contra accusationem incredulitatis & hypocriseos declaratur. Nam ut fides justificat hominem, Ita opera justificant fidem. QUÆST. VIII.

IV. Non quæritur de Justificatione à posteriori & declarativè in Judicio Paterno & Evangelico, An sola fides sine operibus ad eam concurrat. Fatemur enim opera hic intercedere cum fide, imò propriè attendi tantùm opera, quia agitur de justificatione fidei, quæ non aliunde potest certiùs haberi, quàm per opera tanquam ejus effecta & argumenta indubitata. Sed De *Justificatione à priori*, quæ liberat nos à judicio Legali, ubi agitur de justificando impio, & de perfecta justitia, quæ opponi possit maledictioni Legis, & nobis jus ad vitam acquirere. An opera hic in considerationem veniant cum fide, ut vellent Pontificii, An verò sola fides, quod volumus.

V. 2. Non quæritur, An sola fides justificet ad exclusionem, vel Gratiæ Dei, vel Justitiæ Christi, vel Verbi, & Sacramentorum, quibus justificationis beneficium nobis offertur & obsignatur à parte Dei, quæ hic necessariò requiri statuimus. Sed tantùm ad exclusionem omnis alterius virtutis, & habitus à parte nostri. Unde non est quòd Pontificii nos ἀκαταστασίας inculent in hoc argumento; quasi justificationem modò gratiæ Dei tribuamus, modò sanguini Christi, modò fidei. Hæc enim omnia, ut sibi invicem subordinata in diverso genere causæ, optimè inter se consistunt.

VI. 3. Non quæritur, an fides *solitaria* id. separata à cæteris virtutibus justificet, quod fieri non posse facilè concedimus, cùm nequidem sit vera & viva fides. Sed An *sola* concurrat ad actum justificationis, quod asserimus, ut oculus solus videt, sed non revulsus à corpore. Ita particula *sola* non determinat subjectum, sed prædicatum, id est, *sola fides non justificat*, sed *fides justificat sola*, non negatur *coexistentia* charitatis cum fide in eo qui justificatur, sed *coefficientia* vel cooperatio in justificatione. 4. Non quæritur, An fides *quæ justificat* sit operosa per charitatem, quia alias non esset viva, sed mortua. Sed An *qua justificat*, seu in actu ipso justificationis sub tali σχέσει spectanda sit. Quod negamus.

VII. Unde Quæstio eò redit, An fides, non ut *objectivè* est salutis doctrina, sed *subjective*, ut salutari isti doctrinæ assentitur & eam sibi applicat; Non qua aliquid promittimus ut fiat, sed quà promissionibus in Christo innitimur ut satisfiat, *sola*, non ratione *existentiæ*, id. solitaria absque spe & charitate, sed ratione *muneris* seu *efficientiæ* justificet, non per modum præparationis cum cæteris virtutibus, vel meriti, sed *relative* per modum organi, Satisfa-

QUÆST. VIII. ctionem Christi apprehendentis, & fiducialiter applicantis. Negant Pontificii, Nos asserimus.

Fidem solam justificare probatur 1. Ex Rom. 3: 28.

VIII. Primò, Quia homo justificatur fide sine operibus. Ergo sola fide. Ratio consequentiæ manifesta, quia non dantur plures modi justificandi hisce duobus, per fidem, & per opera; Itaque remoto uno, necesse est non tantùm alterum relinqui, sed etiam solum, alioquin enumeratio non foret legitima. Cur verò toties & tàm expressè Apostolus antithesim posset instituere inter fidem & opera in hoc negotio, si opera cum fide quocunque modo ad justificationis actum concurrerent? Nonne hac in parte errandi occasionem præbuisset fidelibus, opera absolutè & simpliciter removendo ab ea, si aliquid ad eam conferunt? Expendantur loca illa varia, quibus exclusivæ adhibentur, & res luce meridianâ clarior erit, Rom. 3: 28. *Concludimus hominem justificari fide sine operibus Legis*, Eph. 2: 8. *Gratiâ estis servati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus*, Et clariùs Gal. 2: 16. *Scientes hominem non justificari ex operibus Legis*, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, *sed per fidem Iesu Christi.* Ubi certum est particulam ἐὰν μὴ esse adversativam & exclusivam, ut sæpè alibi Mat. 12: 4. & 24: 36. Marc. 13: 32. Joh. 17: 12. Apoc. 9: 4. & 21: 27. ex vi immediatæ oppositionis fidei & operum, quæ se mutuò tollunt. Nec Pontificii ipsi hoc diffiteri possunt. *Estius* doctissimos quosque Interpretes hanc sententiam sequi ait, quod confirmat *Salmero*, *Iustinianus*, & alii. Frustra ergò alii pertendunt hic ἐὰν μὴ, esse *exceptivum*, ut sit sensus, hominem non justificari operibus, nisi fides in Christum accedat ad opera. Quia hoc ipsum est, quod Paulus oppugnat contra Pseudo-Apostolos, qui non opera sola pertendebant hominem posse justificare, sed fidem cum operibus miscebant, ut partim fidei, partim operibus justificatio tribueretur, quod ἀσύστατον esse Paulus non semel testatur, ut *Salmero* & *Estius* hoc agnoscunt. Non meliùs *Cornelius à Lapide* censet hic excludi tantùm opera Legis, sed non opera Spei, Timoris & Charitatis, quæ fides gignit & producit, quæ sunt sub fide, ut filiæ sub matre. Quia suprà vidimus à Paulo excludi omnia omnino opera, non tantùm cæremonialia, sed & moralia, nec tantùm facta ante gratiam, sed etiam ex gratia in renatis.

Ephes. 2: 8. *Gal. 2: 16.*

2. Quia sola apprehendit Christi justitiam.

IX. Secundò, Quia per illud solum justificamur, per quod applicatur nobis justitia Christi, qui pro nobis Legi satisfecit. At hoc fit per solam fidem; Nec charitati, vel spei hoc competit. Non spei, quæ rem promissam non apprehendit, sed expectat. Non charitati, quæ occupatur circa impletionem mandati, non circa promissionis apprehensionem.

3. Quia Abrahamus soli fide justificatus est.

X. Tertiò, Quia eâdem ratione, quâ Abrahamus Pater credentium justificatus est, eâdem & nos justificamur, quia quod de illo scriptum est, non ad illum duntaxat, sed ad nos etiam pertinet Rom. 4: 24. At

Abra-

Abrahamus solà fide justificatus est Gen. 15:6. *Credidit Abraham Deo, & illi imputatum est ad justitiam*, non ex debito, propter opera antecedentia fidem, vel subsequentia, sed ex gratia, ut non haberet de quo gloriaretur. Nam si *Abrahamus justificatus est ex operibus, habet de quo glorietur, sed non apud Deum* Rom. 4:2. scilicet non habet καύχημα *gloriandi materiam*, quod repetendum est ex verbis præcedentibus. Argumentum est à destructione consequentis, ad destructionem antecedentis; Si Abraham justificatus est ex operibus, habet quod de se glorietur, quasi aliquid de suo contulerit, cui merces debeatur in Dei judicio. Atqui non habet quod de se glorietur apud Deum. Ergo non est justificatus per opera. Nec hic dici potest excludi opera fidem præcedentia, non quæ sint ex fide facta, propter quæ potuit habere gloriam apud Deum, ut amicus Dei est appellatus. Quia hoc est apertè obloqui, & in os contradicere Paulo, qui expresse testatur Abrahamum non habuisse de quo gloriaretur apud Deum. Gratis enim & falsissimè supponitur, excludi tantùm opera fidem antecedentia, quia excludit omnia omnino opera sine distinctione, & quidem opera Abrahæ non tantùm infidelis, sed etiam fidelis, cùm hoc dictum sit de ipso jam fideli & regenito. Deinde excludit omne debitum v. 4. Ergo & omne opus. Denique si non excludere voluisset opera ex fide facta, non debuisset opponere *operantem credenti* simpliciter, sed operantem sine fide, operanti ex fide, quod nuspiam tamen facit.

QUÆST. VIII.

Rom. 4: 2.

XI. Quartò, Quia gratis & per gratiam Dei justificamur. Ergo solà fide, quia sola fides potest consistere cum gratia, Rom. 3:24.25. Nec audiendus Bellarm. qui vult particulam *gratis* non excludere merita absolutè, sed merita propria, seu quæ sint ex nobis, non ex Deo, quia merita orta ex gratia præveniente, quæ vocantur ipsis merita de congruo, non adversentur gratiæ, nisi velimus gratiam pugnare cum gratia. Neque hinc sequi, hominem qui justificatur gratis, justificari solà fide, quia ut justificatio gratuita non excludit fidem, quia est à gratia; Ita nec excludere debet pœnitentiam & dilectionem, quæ sunt à gratia. Nam ut suprà jam est observatum, particula *gratis* omnia omnino excludit merita, quicquid enim gratis donatur, id nullo merito acquiritur. Nec gratia quæ est indebita subsistere potest cum merito, quod mercedem facit debitam: Unde Rom. 11:6. *Si ex gratia tum non ex operibus, alias gratia non esset gratia, & si ex operibus, non ex gratia, alias opus non esset opus.* Licet autem fides in justificatione non excludatur, ideo non fit quòd sit à gratia, nam ita non excludenda essent opera ex gratia facta, sed quia sola præ cæteris virtutibus vim habet receptivam & applicativam justitiæ Christi, atque ita hominem supponendo peccatorem & omni justitiâ vacuum, excludit omne meritum.

4. Ex Rom. 3: 24. 25.

XII. Quintò, Quia *Justitia Dei in Evangelio dicitur revelari de fide*

5. Ex Rom. 1: 17.

QUÆST. VIII. *in fidem, ut scriptum est justus ex fide vivet* Rom. 1: 17. ubi Apost. probare intendit Evangelium esse potentiam Dei, id. solum instrumentum efficacissimum ad salutem, oppositum scilicet Legis infirmitati Rom. 8: 3. & Heb. 7: 19. quia in eo Justitia Dei, non formaliter & subjectivè, quæ sit in Deo, sed effectivè, quæ à Deo nobis datur, non inhærens, quia dicitur patefieri absque Lege per fidem Rom. 3: 21. & imputari absque operibus, Rom. 4: 6. sed imputata, quæ justitiæ humanæ, & propriis operibus opponitur Rom. 10: 3. 4. Philip. 3: 9. Justitia scilicet Christi perfectissima, quæ sola potest sustinere examen Judicii divini, utpote divina & infinita, quæ causa est & fundamentum vitæ & salutis, *revelatur de fide in fidem*, id. per Evangelium annunciatur, ut per fidem solam apprehendatur, quia nihil præter fidem ad eam recipiendam concurrere potest. Unde non dicit ex fide in opera, sed *ex fide in fidem*, ut soli fidei in solidum hoc munus tribuatur. Ut verò Paulus probet doctrinam istam, nec absurdam esse, nec novam, confirmat illam
Hab. 2: 4. Oraculo Prophetico Habacuci cap. 2. 4. ubi dicit *Justum ex fide vivere.* Licet verò hoc Vaticinium respiciat etim beneficium temporale, liberationem puta à captivitate Babylonica, quam interventu fidei promissionis divinæ obtinere debebant; Unde à Paulo in Epist. ad Heb. cap. 10. refertur ad erigendos animos fidelium in calamitatibus. Quia tamen sententia Prophetæ generalis est de fide promissionum Dei, rectè applicatur specialiter ad fidem in Christum; Eoque magis, quòd Prophetæ & pii Judæi, promissionem Messiæ, tanquam fundamentum omnium promissionum respiciebant. Hinc fit ut Paulus optime conscius mentis Spiritus Sancti eam referat in Episto. ad Gal. c. 3. & in hoc loco ad Justificationem; ut doceat per fidem solam hominem justitiam obtinere, quæ vitam æternam illi afferat, *Justus ex fide vivet*, sive τὸ ἐκ πίστεως referatur ad justum hoc sensu, ille qui per fidem justus est, sive referatur ad vitam, ut innuatur justum vivere per fidem, res enim eodem redit, & utrumque verum est, & eum qui ex fide justus est, salutem obtinere, & rursus eum, qui justus est, salutem obtinere per fidem. Frustra verò dicitur Paulum intelligere fidem vivam, & talem non esse solam, sed cum operibus. Quia licet fides viva nunquam sit sola in eo qui justificatur, sola tamen est in ipso actu justificationis, ad cujus productionem cæteræ virtutes nihil possunt conferre, hoc privilegium solà fide sibi vindicante, ut jam dictum. Nec melius alii volunt vitam istam referre ad opera, per quæ se vivam probet fides. Quia scopus Prophetæ est docere fidem solam esse medium obtinendæ salutis, tum temporalis, tum spiritualis. Et Paulus justitiam istam ex fide, dicit manifestari sine Lege, quod non dici potest de justitia operum, sed tantùm de justitia fidei, quæ dicitur de homine credente, non operante.

Fontes Solutionum. XIII. Aliud est charitatem & opera requiri in persona quæ justificatur,

quod concedimus, Aliud in actu ipso seu causalitate Justificationis, quod negamus. Nec si requiruntur opera, ut concomitantia fidem, Ideo statuuntur esse causæ justificationis cum fide, vel id ipsum præstare quod fides facit in hoc negotio. QUÆST. VIII.

XIV. Licet tota vis justificandi à parte hominis sit in fide, quoad apprehensionis actum, ita ut cæteræ virtutes nihil ad eam conferant cum ipsa; Non sequitur fidem justificare posse tam absentibus illis quam præsentibus, imò & præsentibus vitiis contrariis. Quia aliud est justificare sine virtutibus id. separatim ab illis, Quod negamus, Aliud justificare solam, sed non separatam. Ut non sequitur, sola manus scribit, solus oculus videt. Ergo tam revulsus à capite & cæteris membris, quàm in corpore: Sola vis respirandi est in pulmonibus. Ergo pulmones æquè respirare poterunt divulsi à jecinore & aliis visceribus, quam cum illis conjuncti, quod nemo non videt esse absurdum. Sexcenta sunt istiusmodi, quæ efficaciam & effectum aliquem proprium habent, quæ tamen sejuncta ab adjunctis suis omnem vim suam amittunt. Potentiæ naturales connexæ sunt quoad existentiam, sed discretæ quoad operationes. Lux & calor in sole conjunguntur arctissimè, sed sola tamen lux illuminat, solus calor calefacit. Quamvis ergo cæteræ virtutes non justificent cum fide; Non tamen fides iis absentibus potest justificare, multò minus præsentibus vitiis contrariis, quia fides non potest esse vera, nisi in communione virtutum, quæ si non conferunt quoad justificationem, conferunt tamen ad fidei existentiam & vitam, quam præsentia vitiorum destrueret.

XV. Aliud est dilectionem peccatricis esse causam remissionis peccatorum à priori. Aliud esse effectum & argumentum à posteriori. Posterius affirmatur Luc. 7: 47. Non prius, ut colligitur 1. ex scopo parabolæ, qui est demonstrare uter ex duobus debitoribus; quibus debitum gratificatus est creditor, plus debeat diligere creditorem in signum scilicet gratitudinis. 2. ex responsione Petri, *Existimo eum cui plus gratificatus est*, ubi dilectio ponitur, ut consequens remissionem, non ut antecedens. 3. Ex fine v. 47. ubi parva remissio ponitur ut causa exiguæ dilectionis, *Ille cui parum remittitur, parum etiam diligit.* 4. ex v. 50. ubi salus tribuitur fidei istius mulieris, non dilectioni, *Fides tua te salvam fecit.* Nec obstat particula ὅτι, quia, ut notum, sæpe est ratiocinativa tantùm, non causalis, causa consequentiæ, non consequentis, ut innuat inde cognosci & colligi multa peccata illi remissa esse, quia multum diligebat. *Luc. 7: 47.*

XVI. Quum Johannes ait 1ª c. 3. 14. *Ex eo quod diligimus fratres nos scire, quod translati sumus à morte ad vitam.* Notat quidem charitatem esse argumentum, & signum nostræ justificationis, ex quo cognoscimus nos translatos esse à morte ad vitam, quia qui est in charitate est in Deo, qui chari- *1 Joh 3: 14.*

ri-

Quæst. VIII. ritas est, & qui est in Deo, non potest esse in morte, sed non innuit charitatem esse causam istius translationis, quæ alibi fidei tribuitur Joh. 5: 24. Unde bene *Lorinus* & *Gagnæus* in h. l. notant *causalem particulam causam notare, non rei, sed cognitionis*. Eò vel magis, quòd cùm Deus nos priùs dilexerit, non nos Deum 1 Joh. 4: 10. justificatio per quam nos diligit Deus, debet præcedere dilectionem nostram.

Joh. 14:23. XVII. Christus Joh. 14: 23. promittit se diligentibus *Patris amorem*, non affectivè, & quoad initium, quasi tunc incipiat Patris amor, siquidem prior nos dilexit 1 Joh. 4: 10. sed *effectivè*, & quoad continuationem & incrementum, quia amorem suum singularibus beneficiis contestaturus erat, & novâ sui manifestatione eos consolaturus, sed hoc nihil facit ad justificationem, quia Christum diligere & ejus præcepta servare, est hominis in gratia jam constituti & justificati.

XVIII. *Timor Domini*, scilicet filialis & reverentialis, est consequens justificationis, non prævia ad illam dispositio. Nec dicitur *initium sapientiæ*,
Ps. 111:10. Ps. 111: 10. quasi initialiter disponat ad sapientiam, sed quia est ejus Caput & summa, ut Eccl. 12: 15. dicitur, quæ ab eo incipit, Prov. 9: 10. & in eo
Eccl. 1: 26. desinit. Si Eccl. 1: 26. dicitur ἀπωθεῖσθαι ἁμαρτήματα, hoc non debet intelligi de *expulsione positiva*, quasi inducat vel meritoriè, vel dispositivè remissionem peccatorum, sed de *negativa*, quia qui timet Deum peccatis non indulget, nec eorum solicitationibus aurem præbet.

Rom. 5: 5. & 8: 24. XIX. Aliud est spem concurrere ad salutem. Aliud ad justificationem. Prius asseritur Rom. 5: 5. & 8: 24. quum spes non confundere dicitur, imò & nos salvare. Quia salutis expectatio spe suo tempore adimplenda tam certâ nititur, ac si salutem ipsam jam possideremus. Sed non posterius; quia spei objectum, non est remissio peccatorum, sed salutis promissæ complementum.

XX. Licet Pœnitentiæ promittatur remissio peccatorum, quia debet comitari fidem, & esse in eo qui justificatur tanquam conditio quædam ab eo requisita, quia Deus non potest condonare peccatum impœnitenti; Non sequitur posse dici eam cum fide justificare, quia nihil confert nec meritoriè, nec instrumentaliter ad actum justificationis.

XXI. Aliud est operibus vitam æternam & hæreditatem cœlestem reddi tanquam causis meritoriis, vel instrumentalibus justificationis nostræ. Aliud tanquam effectis fidei, & qualitatibus & dispositionibus in subjecto glorificando requisitis. Ut aliud est quærere *quare* vita detur fidelibus, aliud *quibus* aut *qualibus* illa rependatur. Prius negamus, quia opera nostra qualiacunque nec possunt mereri vitam, nec habent rationem instrumenti ad eam apprehendendam. Sed posterius concedimus. Nec aliud colligitur ex Matt. 25: 34.
Matth. 25: 34. 35. 35. ubi opera non adducuntur à Judice tanquam *fundamenta juris*, quod obli-

obtinent in vitam æternam, quia propria istius juris causa indicatur in verbis præcedentibus, quum vocantur *benedicti Patris*, qui debent κληρονομεῖν *Regnum*, id. *titulo hæreditatis possidere*; Sed ut *argumenta* & testimonia indubitata à posteriori, ex quibus de fidei ipsorum veritate constare poterit, & de sententiæ latæ æquitate, ut particula γὰρ non sit αἰτιολογικὴ causalis, sed tantùm ratiocinativa.

XXII. Cùm Paulus & Jacobus eodem Spiritu afflati fuerint, non possunt dici sibi adversari in articulo Justificationis, ut unus soli fidei, alter verò etiam operibus justificationem tribuat. Conciliatio non est difficilis, si scopus utriusque spectetur, & natura fidei, & justificationis, de qua uterque agit, expendatur. Paulus disputat adversus Pharisæos, qui operum merita urgebant. Jacobus adversus Libertinos & Epicureos, qui solâ fidei professione contenti, non modò operum merita, sed & necessitatem negabant. Adversus illos rectè Paulus solam fidem urget ad justificationem. Adversus illos benè Jacobus operum necessitatem commendat ad justificationis confirmationem. Paulus de fide vivâ & efficaci loquitur. Jacobus de otiosâ & mortuâ, quæ ex operibus non possit demonstrari v. 18. Paulus de *Justificatione à priori* & *constitutivè*, Jacobus de *eadem à posteriori & declarativè*. Illam benè Paulus in sola fide constituit. Istam rectè Jacobus in operibus collocat, quibus veritas fidei & justificationis nostræ declaratur, non tantùm coram hominibus, sed etiam coram Deo. Quum ergò fides dicitur *cooperata cum operibus in Abrahamo, & per opera consummata* v. 22. hoc intelligi debet ratione efficaciæ fidei, quæ se exeruit per opera, per quæ etiam consummata est & perfecta, non essentialiter, hoc enim habet à naturâ suâ, sed declarativè, quia demonstrata est perfecta & sincera, quomodo *virtus* Dei dicitur *perfici in infirmitate nostra*, 2 Cor. 12: 9. id. perfecta cognosci & declarari. Plura huc spectantia Vide in Disp. nost. *de Concordia Jacobi & Pauli* &c.

Jac. 2: 24.

vers. 22.

XXIII. Aliud est opera cum fide connecti in persona justificati. Aliud verò in negotio justificationis. Prius agnoscimus, & probaturi sumus postea, quum de necessitate bonorum Operum agetur: Sed posterius negamus cum Paulo, imò planè ἀσύστατα esse cum fide statuimus.

XXIV. Rectè dicit August. lib. de Fide & Operibus, *Bona opera non præcedere justificandum, sed sequi justificatum.* Quia cùm justificetur homo gratis per fidem absque operibus Rom. 3: 24. imò justificatio sit impii Rom. 4: 5. & 5: 6. nulla possunt dari opera bona, quæ justificationem ejus præcedant, ut causæ, sed tantùm quæ sequantur, ut effecta & fructus ex fide remissionis præcedentes Luc. 7: 47. & 1 Tim. 1: 5. Nec si vocatio quâ infunditur fides & sanctitas prior est justificatione, sequitur sanctitatem non minus ac fidem priorem esse ipsâ, quia infunditur quidem sanctitas, sed suo ordine, & per fidem Act. 15: 9. fides autem ante concurrit ad justificationem, quàm ad

QUÆST. IX. ſanctificationem. Si pœnitentiæ aliquando promittitur remiſſio, hoc fit quidem, ut conditioni non antecedenti, vel concomitanti ratione contritionis, ſed tantùm conſequenti quoad novam obedientiam.

QUÆSTIO IX.

DE TEMPORE JUSTIFICATIONIS.

An Juſtificatio facta ſit ab æterno, An fiat in Tempore? Et An ſit actus indiviſus, quia fiat ſimul et ſemel?

I. VAriæ ſunt circa Quæſtionem hanc Theologorum ſententiæ. Quidam pertendunt eſſe actum immanentem in Deo, qui factus ſit ab æterno. Alii eſſe tranſeuntem, qui terminetur in nobis, & qui fiat demum in tempore, & in hac vita. Nec deſunt qui vellent eam deferri ad noviſſimum & decretorium diem, quô ſiſtendi ſunt omnes coram Tribunali Chriſti ſolennem & publicam ſententiam abſolutionis vel condemnationis ex ore ejus audituri. Licet verò utrinque conſenſus ſit in rei ſubſtantia, & diſſenſus tantùm in modo rei; non parum intereſt tamen ad accuratam rei cognitionem, quid hic ſentiendum ſit noſſe.

Juſtificatio noſtra non facta eſt ab æterno. II. Prima ſententia eorum eſt, qui volunt Juſtificationem natales noſtros præceſſiſſe, & factam fuiſſe ab æterno, quia concipiunt eam ut actum immanentem in Deo & internum. Ut verò nihil de novo accedere poteſt Deo in tempore, jam in ipſo ab æterno factam fuiſſe cenſent, & fidei tribui, tantùm quoad notitiam & ſenſum, quia nos in ejus notitiam ducit, & de illa certos nos reddit.

III. Sed licet non diffiteamur decretam jam fuiſſe ab æterno juſtificationem noſtram, ut nihil in tempore contingit, quod ab ipſo conſtitutum non ſit ab æterno. Non putamus tamen accuratè loquendo, Juſtificationem ipſam poſſe dici æternam. Quia aliud eſt decretum juſtificationis, aliud ipſa juſtificatio, ut aliud eſt voluntas ſalvandi & ſanctificandi, aliud verò ſalus & ſanctificatio ipſa: voluntas ſeu decretum de quibusdam juſtificandis, æternum quidem eſt, & fidem ipſam præcedit. Sed ipſa actualis juſtificatio fit in tempore, & fidem ſequitur.

IV. Secundò Paulus expreſsè hoc confirmat in catena ſalutis, beneficia, quæ ex externo Dei amore in Electos manant ordine recenſens, ubi Vocationem præponit Juſtificationi, tanquam aliquid antecedens, Rom. 8: 30. *Quos vo-*

vocavi, eos justificavit. Nec aliò tendunt varia illa loca, ubi dicimur per fidem & fide justificari, quàm ut doceant fidem esse aliquid ad justificationem præ-requisitum. Quod dici non posset si justificatio ab æterno facta fuisset. Nam hæc ad sensum tantùm justificationis referre dilutum est, & à Pauli mente alienum. QUÆST. IX.

V. Tertiò, Rei ipsius natura hoc evincit. Cùm enim Justificatio, seu Remissio peccatorum importet necessariò liberationem ab obligatione ad pœnam, quam peccata merebantur; nec quisquam eam possit consequi, nisi positâ fide & pœnitentiâ; liquet talem justificationem non potuisse fieri ab æterno, sed tantùm in tempore, quum homo actu credit & pœnitentiam agit. Aliàs sequeretur eum, qui justificatus est, & per consequens transiit à morte ad vitam, & filius Dei factus est, & hæres vitæ æternæ, adhuc manere in morte, & esse filium iræ, quia qui nondum conversus est, & in peccato jacet, manet in morte 1 Joh. 3:14. & est ex Diabolo 1 Joh. 3:8. in statu damnationis Gal. 5:21.

VI. Denique cùm justificatio sit Dei beneficium, beneficium autem non possit ad nos transire, nobisque actu conferri nisi in tempore, patet non esse concipiendam ad modum actus immanentis, & interni in Deo, sed ad modum transeuntis, qui à Deo oritur, & transit ac terminatur in Creatura, non ut subjectivè illi inhæreat, ut volunt perperam Pontificii, quia hoc pertinet ad sanctificationem; sed ut illi adhæreat, & creatura circa illum objectivè se habeat, dum illi per Spiritum S. intimatur sententia absolutoria. Si gratia dicitur nobis data in Christo ante tempora secularia 2 Tim. 1:9. ratione *destinationis*, quia ab æterno Deus decrevit illam nobis dare in tempore; Non sequitur posse dici jam collatam reipsa, quia Decretum facit quidem, ut certò & infallibiliter jus ad vitam debeamus obtinere in tempore, sed non ut actu illud jam dicamur obtinere, facit ut simus justificandi, sed non ut simus jam justificati. *2 Tim. 1: 9.*

VII. Sed ut justificatio non potest concipi facta ab æterno ante secula. Ita nec debet differri ad consummationem seculi, ut alii vellent, quasi tunc demum propriè actum Iudicis exerceat Deus, tum in absolutione fidelium, tum in condemnatione impiorum. Sic enim perperam confunditur *declaratio justificationis*, cum *ipsa justificatione*. Quamvis enim cœlestis Iudex, tum sessurus dicitur in Throno gloriæ, ut ultimum actum judicii solennem exerceat, tàm in gratia, quàm in justitia in conspectu Cœli & Terræ; Hoc non obstat, quominus jam in hac vita judicium istud inchoaverit; Imò hoc necessariò supponendum, cùm ultimum istud judicium nihil aliud sit, quàm manifestatio publica & solennis præcedentium. Et ut passim Scriptura proponit nobis exempla Iudiciorum Dei, tàm publicorum quàm privatorum in impios & rebelles, qualia fuerunt diluvium, Sodomæ destructio, Ægyptiorum subversio & similia, quæ ad meras castigationes Dei, ad emendationem & salutem eorum quibus inferuntur tendentes, referre, est totius Scripturæ voci refragari, & temerè confundere castigationes medicinales fidelium, quæ à Deo ut *Non fiet tantùm novissimo die.*

QUÆST. IX.

Patre misericorde illis ad παιδείαν immittuntur, cum suppliciis impiorum, quæ à Deo ut Judice irato ad τιμωρίαν, & vindictam sumendam de eorum peccatis infliguntur, quod hactenus inauditum fuit in Scholis Theologicis. Ita hospitem plane oportet esse in Scriptura, qui ignorat, Deum proponi sæpe ut justificantem fideles in hac vita, ut passim patet exemplis Abrahami Gen. 15:6. Davidis Psal. 32:1.2.4. Rom. 4:5.6. Peccatricis Luc. 7:48. Publicani Luc. 18.14. & omnium fidelium Rom. 5:1. Ne jam dicam sententiam istam injuriam esse consolationi fidelium, quæ non aliunde certiùs oritur, quàm ex sensu gratiæ Dei & justificationis suæ. Quomodo enim alias fiduciam, in qua propter justificationem suam gloriantur & exultant, & pace ac gaudio ἀνεκλαλήτῳ fruuntur, habere possunt?

Sed fit in hac vita in Vocatione efficaci.

VIII. Missà ergò sententia istà, mediam amplectimur, quæ statuit Iustificationem fieri in hac vita in momento Vocationis efficacis, per quam homo peccator transfertur à statu peccati ad statum gratiæ, & unitur Christo Capiti suo per fidem. Hinc enim fit ut justitia Christi illi imputetur à Deo, cujus merito per fidem apprehenso absolvitur à peccatis suis, & jus ad vitam consequitur, quàm sententiam absolutoriam Spiritus in corde pronunciat, quum ait, *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

IX. Porrò Iustificatio ista diversimodè spectari potest 1. *active* à parte Dei sententiam absolutòriam per Spiritum in corde fidelis intimantis, & judicialiter ex Throno gratiæ Heb. 4:16. super nos pronunciantis, & *passive* à parte nostri, quatenus sententiam istam absolutoriam in foro conscientiæ per Spiritum S. intimatam, cum fide, gaudio, & gratitudinis protestatione admittimus & suscipimus.

X. Secundò *universaliter* quoad *statum*, quum primùm recipimur in communionem Christi, & justitia ejus nobis imputatur à Deo & per fidem recipitur. Tum enim à statu peccati transeundo ad statum gratiæ, reatus omnium peccatorum præcedentium actu tollitur, & remedium in justitia Christi nobis datur adversus futura. Et *specialiter* quoad *actus paticulares* peccatorum, in quæ subinde labimur, quæ singulari etiam egent absolutione, quæ toties intimatur nobis in foro conscientiæ, quoties fidelis, per pœnitentiam ad Deum, convertitur, & per fidem justitiam Christi sibi applicat. Quo sensu jubemur quotidie petere remissionem peccatorum, non tantùm ratione sensus, sed etiam ratione ipsius rei, quia peccata non possunt condonari, nisi commissa, ut ante observavimus.

XI. Tertiò Iustificatio sub duplici σχέσει attendi potest, vel quoad *destinationem* æternam in Decreto, quo sensu *gratia* dicitur *nobis data in Christo ante tempora secularia* 2 Tim. 1:9. & Deus dicitur *nos prædestinasse ad adoptionem* Eph. 1:5. Vel quoad *executionem* in tempore. Quæ iterum spectari potest, vel quoad *impetrationem*, quæ facta est per mortem Christi

2 Tim. 1:9. Eph. 1:5.

in

in Cruce, de qua dicitur Rom. 5:9. 10. *nos justificari & reconciliari Deo sanguine Christi*, & *Christum reconciliasse Deo omnia per sanguinem Crucis* Col. 1:20. Et alibi dicitur, *Christus suscitatus propter justificationem nostram* Rom. 4:25. quia ut in eo mortuo, mortui sumus; Ita in eo suscitato & justificato, justificamur, id. justificationis nostræ certum & indubitatum habemus pignus & fundamentum, quia non alia de causa justificatus est Spiritu 1 Tim. 3:16. nisi ut justificemur in ipso. Nec alio sensu Paulus dicit 2 Cor. 5:19. *Deum fuisse in Christo reconciliantem sibi mundum, non imputando ipsis eorum peccata*, quatenus scilicet in Christo moriente Pater habuit fundamentum reconciliationis, quà propitius factus est mundo Electorum tam ex Judæis, quàm Gentibus collecto, ut illis non imputet peccata sua; quæ Christo imputavit, sed eos ab illis absolvendo, eos etiam in ipso justificet. Vel quoad *applicationem*, quæ fit in corde per intimationem sententiæ absolutoriæ, de qua Matt. 9:2. Vel in genere quoad statum fidelis, quum primò vocatur, Vel in specie quoad actum, quando remissionem obtinet peccatorum particularium. Vel quoad *sensum* & certitudinem ejus, quæ oritur in nobis ex actu reflexo fidei, qui consolatorius dicitur. Vel denique quoad ejus *declarationem*, quæ fieri debet statim post mortem Heb. 9:27. tum publicè novissimo die, quæ non tam est justificatio, quàm justificationis semel factæ solennis declaratio, & adjudicatio præmii ex justificatione præcedente.

QUÆST. IX.

Ro. 5:9.10: Col. 1:20. Rom. 4:25. 2 Cor. 5:19.

XII. Hinc patet, Quo sensu Justificatio actus indivisus dici possit; non à parte nostri, & ratione sensus, qui fit per varios & iteratos actus, prout sensus iste potest interrumpi, vel augeri vel minui, ratione peccatorum intercurrentium. Sed à parte Dei, non modò ratione Decreti, quò decreta est nostra justificatio, & ratione meriti, quò est impetrata, sed etiam ratione applicationis, quum intimatur nobis sententia absolutoria, quod fit unico actu, non pluribus successive, quomodo justitia inhærens solet nobis infundi; licet actus iste sæpius applicetur ad singula peccata quotidiana.

QUÆSTIO X.

De Unitate, Perfectione, & Certitudine Justificationis.

I. ADjuncta Justificationis tria sunt præcipua, de quibus disputatur, *Unitas*, *Perfectio*, & *Certitudo*; de quibus paucis dicendum, quia alibi de illis jam ex parte actum est.

Unitas seu equalitas Justificationis inter fideles.

II. *Unitas* potest spectari bifariam, vel relatè ad fideles inter se, vel absolutè respectu illius, qui justificatur. Priori sensu dicitur esse *Una specie*, seu

QUÆST. X.

seu *æqualis in omnibus* fidelibus omnium temporum & locorum. Quia Deus omnes Credentes eodem modo justificat, videlicet gratiâ suâ, & merito Christi per fidem. *Deus unus est*, inquit Apostolus Rom. 3: 30 *qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, id est, qui tam Judæos quàm Gentes justificat fide. Cùm enim omnes peccato & condemnationi sint obnoxii v. 19. & destituantur gloriâ Dei v. 23. nulla alia suppetit ratio justificationis quàm per fidem, ut fusè ibidem probat Apostolus, & exemplis Abrahami & Davidis confirmat, Rom. 4. ut omnium Sanctorum Veteris Testamenti, qui commemorantur Heb. 11. qui per fidem dicuntur placuisse Deo v. 6. & obtinuisse testimonium justitiæ v. 4. & ejus quæ ex fide est, justitiæ factos fuisse hæredes v. 7. Nec vel in Veteri vel in Novo Testamento potest dari ullum exemplum dissimile hominis aliter justificati. Unde Petrus dicit c. 10. 43. Actor. *Christo testimonium dare omnes Prophetas, remissionem peccatorum accepturum per Nomen ejus, quemvis qui crediderit in ipsum.* Et c. 15: 11. per gratiam Christi servari utrosque Quia Christus idem est heri, hodie, & in secula, Heb. 13: 8. Via est, Veritas, & Vita, & nemo ad Patrem venire potest nisi per ipsum Joh. 14: 6.

III. Quæ à Socinianis hic opponuntur contra Identitatem Justificationis fidelium V. & N. T. Vide discussa Loc. XII. Q. V. De Unitate Fœderis Gratiæ.

IV. Licet verò idem beneficium quoad substantiam commune fuerit fidelibus V. T. non minus ac Novi, ut veram peccatorum remissionem in Christo & propter ipsum habuerint, discrimen tamen fuit multiplex quoad gradum, & sensum, quatenus longè clariùs revelatur, & pleniùs ac efficaciùs à nobis jam sentitur. Ut probatum fuit ibidem, & Qu. XII.

Unitas numerica ejusdem in fidelibus singulis.

V. Secundò. Eadem Justificatio est *Una numero in singulis.* Quia non successivè ad modum sanctificationis iteratis actibus promovetur, sed unico actu judiciali peragitur, & credenti omnium peccatorum remissionem affert. Unde perperam Pontificii ex falsa hypothesi de justificatione physica per infusionem justitiæ, geminam statuunt, primam, quâ homo ex injusto fit justus per justitiæ infusionem, secundam, quâ ex justo fit justior per justitiæ incrementum; quia everso semel hoc fundamento, ut factum suprà, corruit quicquid illi superstruitur. Nec errori favet locus Apoc. 22: 11. quia ut dictum antea, non agitur de infusione justitiæ, sed vel de declaratione & sensu justificationis semel habitæ, qui habetur per exercitium justitiæ, vel de ejus applicatione speciali ad peccata quotidiana.

VI. Distinctio justificationis activæ & passivæ notat quidem veritatem terminorum à quo & ad quem, nimirum Dei qui justificat, & hominis qui justificatur, sed non mutat gradum aut speciem. Eadem enim sententiâ, quâ Deus nos justificat, dum eam intimat in conscientia, passivè etiam justificamur, quàm à nobis recipitur per fidem.

VII.

VII. Aliud est Justificationis beneficium, & Jus ad illam. Aliud ejus *sensus* & cognitio. Illius nec datur intercisio nec renovatio, quia est donum ἀμεταμέλητον; istius verò datur interruptio & instauratio, pro variis sanctificationis incrementis aut decrementis. Quamvis verò sensus iste possit in gravibus peccatis intercipi, & variis ac iteratis actibus recuperetur, beneficium tamen justificationis idem semper in se manet. QUÆST. X.

VIII. Quamvis justificatio nostra novissimo die plenè declaranda veniat, adductis etiam in signum & argumentum ejus veritatis bonis nostris operibus Matth. 25. Perperam tamen quis inde duplicem justificationem Evangelicam statueret, alteram ex fide in hac vita, quæ sit prima, alteram & secundam ex operibus in die judicii, ut quidam vellent, ad Pontificios hac in parte nimis accedentes. Quia sententia à summo Iudice ferenda non tam erit justificatio nova, quàm sententiæ semel latæ solennis & publica declaratio, & executio per adjudicationem vitæ promissæ, respectu integræ personæ ex justificatione præcedenti, ut ita nihil sit aliud quàm sententia adjudicatoria possessionis Regni cœlorum ex jure antea dato per justificationem. Et si opera tum adducuntur, non adducentur, ut fundamentum novæ justificationis tunc obtinendæ, sed tanquam signa, indicia, & effecta veræ nostræ fidei, & unicæ nostræ justificationis ex illa.

IX. Aliud est justificationem sæpius applicare & extendere ad peccata quotidianæ incursionis, quo sensu jubemur petere quotidie remissionem peccatorum. Aliud justificationem sæpius iterare & renovare. Prius damus, sed non posterius. Nec opus est ut nova justificatio personæ fiat quoties in novum peccatum labitur fidelis, sufficit ut justificatio semel facta, quæ si non formaliter, virtualiter & genericè continet remissionem omnium peccatorum, applicetur & extendatur specificè & determinativè ad hoc vel illud peccatum, per intimationem Spiritus S. & fidei apprehensionem.

X. Licet verò remissio peccatorum sæpiùs applicari debeat peccatis quotidianis, perperam tamen inde quis colligeret peccata semel dimissa iterum reviviscere & redire per subsequentia, ut quidam ex Pontificiis vellent. Cùm sit donum ἀμεταμέλητον, cujus Deum pœnitere non potest. Nec parabola servi illius ingrati, qui post majorem summam sibi à suo Domino concessam, voluit crudeliùs agere cum conservo suo, qui illi longè minorem debebat, quique ideo traditus fuit Tortoribus, usque quo solveret id omne quod debebat, quæ proponitur Matt. 18:23. hoc evincit. Quia non aliò pertinet, *Mat.* 18:23. quàm ad ostendendam remissionem peccatorum propositam conditionaliter ad eam non pertinere, in quo conditio defecerit. Scopus parabolæ, qui unicè hìc respiciendus, non alius est, quàm docere misericordiam Dei erga immisericordes non exerceri, nec condonari peccata a Deo, nisi iis qui aliis offensas condonant, quod ut efficaciùs demonstretur, opponitur hìc

Do-

QUÆST. X. Dominus servo, immensa summa minutæ, & summa clementia extremæ inhumanitati.

2. *Perfectio*

XI. 2. *Perfectio* convenit Iustificationi, secundum quam ita est plena & absoluta intensivè, tam respectu malorum ablatorum, quàm bonorum acquisitorum, ut sit expers quoad se incrementi & decrementi, nec recipiat magis & minus, licet quoad ejus apprehensionem & sensum ita gradatim provehatur fides nostra, ut suos etiam profectus habeat & defectus. Nec si fides quâ justificamur intenditur & remittitur, sequitur ipsam justificationem pariter intendi & remitti, quia non justificat per se & propriè, sed tantùm organicè & relativè; ut intuitus serpentis ænei non definebat æqualiter sanare, licet alii aliis acutiùs & firmiùs cernerent.

3. *Certitudo objecti.*

XII. 3. *Certitudo* ejus duplex est. Alia *objecti* in se per immutabilitatem & perseverantiam, qua Deus remissionem semel datam nunquam revocat, propter gratiæ, justitiæ, & promissionis suæ juramento sancitæ Heb. 6: 17. 18. immutabilitatem. Nam Dona Dei quæ Electis conferuntur, & Vocatio κατὰ πρόθεσιν sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11:29. Unde quos semel justificavit & hæredes fecit, nunquam condemnat & exhæredat Deus. Alia est *certitudo subjecti*, quæ respicit sensum justificationis, quæ licet *possibilis* sit ex natura fidei, imò & *necessaria* ad pacem & solatium animæ nostræ conciliandum. Non tamen est in eodem semper gradu, sed perfectior vel imperfectior pro ratione fidei, adeo ut nullus unquam fidelis fuerit, ne Abrahamo quidem Gen. 17: 17. vel Davide Psal. 42: 6. 12. exceptis, cui non cum dubitationibus de gratia fuerit luctandum. Quomodo autem utraque certitudo Iustificationi competat, suprà fusiùs ostensum est, quum de Perseverentia & Certitudine fidei dictum est, Loco XV. Quæst. XVI. & XVII.

& Subjecti.

LO-

LOCUS DECIMUS SEPTIMUS
DE
SANCTIFICATIONE
ET
BONIS OPERIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Sanctificatio, Et Quomodo distinguatur à Justificatione, et ab ea tamen sit inseparabilis.

I. UT Christus nobis factus est à Deo Justitia, & Sanctificatio, 1 Cor. 1: 30. non divisim, sed conjunctim, nec confusè, sed distinctè, Ita beneficium sanctificationis Justificationem immediatè sequitur, ut cum ea inseparabiliter connexum, sed tamen realiter ab ea distinctum.

II. *Sanctificationis* vox non hic usurpatur latè pro separatione qualibet ab usu communi, & consecratione ad usum sacrum, ut sæpè sumitur in Scriptura quoad res sacras, quæ fit vel per *institutionem*, qualis est sanctificatio diei septimi, vel per *relationem signi*, qualis est sanctificatio Elementorum in Sacramentis, vel per *manifestationem*, quomodo Deus dicitur ab hominibus sanctificari 1 Pet. 3:15. Vel pro *sanctitate fœderali* per externam vocationem, quomodo Israël dicitur sanctitas Iehovæ Ier. 2: 3. Sed strictè pro reali & interna hominis renovatione, per quam Deus hominem per fidem Christo insitum & justificatum, ministerio Verbi & efficaciâ Spiritus, magis magisque à nativâ vitiositate liberat, & ad suam Imaginem reformat. Ita cum separatione à mundo & peccato, & consecratione ad Dei cultum, innuit ipsius naturæ renovationem.

Sanctificationis homonymia.

Jerem. 2: 3.

III. Quia verò realis ista hominis mutatio fit diversis gradibus, vel per *Vocationem efficacem*, quæ importat donationem fidei, & resipiscentiæ per fidem, & translationem à statu peccati ad statum gratiæ; vel per *regenerationem*,

QUÆST. I. quæ renovationem naturæ corruptæ dicit; vel per *sanctitatis infusionem* & *praxim*. Hinc sanctificatio modò latè extenditur ad totum statum fidelis; & complectitur etiam ipsam Vocationem, quo sensu Paulus in Epist. ad Hebr. designat sæpè fideles per τὰς ἁγιαζομένους, *eos qui sanctificantur* Heb. 2: 11. & 10. 14. modò strictiùs & magis propriè pro renovatione ad Imaginem Dei, quæ sequitur justificationem, quæ hic inchoatur in hac vita per regenerationem, & promovetur per sanctitatis & bonorum operum exercitium, donec consummetur in altera per gloriam. Hoc sensu modò *passive* sumitur, quatenus fit à Deo in nobis, modò *active* quatenus debet fieri à nobis Deo in nobis & per nos hoc opus peragente.

Heb. 2: 11. & 10: 14.

Sanctificatio non consistit in sola morum mutatione.

IV. Hæc autem non consistit in sola vitæ morumque emendatione, ut vellent Sociniani, qui corruptionem originalem negantes, & quicquid labis & vitii nobis inest, id crebris peccati actionis, & peccandi quadam consuetudine contractum esse statuentes, regenerationem & sanctificationem nihil aliud esse pertendunt, quàm *pravæ consuetudinis, & vitæ mutationem, & secundum doctrinam Christi reformationem*, ut *Socinus* loquitur lib. de Bapt. & *Smalcius* de Filio Dei c. 2. Sed in Immutatione & renovatione ipsius naturæ, peccato originali corruptæ, quà pravæ qualitates & habitus abolentur, & boni infunduntur, ut homo desistat à malis actionibus & studeat bonis.

V. Rationes sunt 1. Quia Scriptura Sanctificationem non ad actus tantùm, sed ad ipsam naturæ renovationem extendit 1 Thess. 5: 23. Paulus optat Thessalonicensibus *sanctificationem Spiritus, animæ & corporis*, ubi per *Spiritum* partem animæ superiorem, & per *animam* inferiorem intelligit, quod alibi Scriptura per renovationem mentis & voluntatis Eph. 4: 22. 23. 24. & appetitus sensitivi Tit. 3: 5. & Gal. 5: 24. notat.

VI. 2. Quia alibi per *dationem cordis, creationem, generationem, resurrectionem, novi hominis indutionem* exprimitur, quæ phrases non tantùm vitæ & actuum emendationem, sed totius naturæ renovationem postulant. 3. Quia ista sanctificatio debet esse communis infantibus non minus ac adultis, ut in regnum Dei possint ingredi, in quos tamen non cadit actuum mutatio. 4. Ut corruptio peccati infecit totam naturam, non modò quoad actus, sed etiam quoad habitus; Ita sanctificatio debet includere totius naturæ reformationem, tàm habitualem, quàm actualem.

VII. Alia est mutatio habitualis in qualitatibus, quà fimus novæ creaturæ, Alia actualis in vita & moribus, quà tales esse demonstramur. Deus nos facit primò novas Creaturas per regenerationem; Deinde nos esse regenitos ostendimus per novam obedientiam; ut isti actus distinguuntur Eph. 2: 10. Ezec. 36: 26. Ier. 32: 39. Illo modo dicimur novæ Creaturæ à priori, Isto à posteriori.

VIII. Actualis depositio vitiorum, & vitæ, morumque emendatio, sequi-

quitur regenerationem, ut proprius ejus effectus Gal. 5:22. 23. Col. 3:5. Sed ipsa non est propriè talis depositio; sed ejus causa, quæ consistit in naturæ corruptæ renovatione, & ad Dei Imaginem instauratione. Quæst. I.

IX. Hæc autem sanctificatio sedulò distinguenda est à Justificatione, quia earum confusio præcipuos Errores Pontificiorum in doctrina de Justificatione peperit, ut jam visum. Licet enim conveniant in Authore Deo, In Causa meritoria scilicet Christi Justitia, quæ utrumque istud beneficium nobis acquisivit, quum venit in aqua & sanguine 1 Joh. 5:6. In scopo generali gloriâ Dei & salute nostrâ, In causa instrumentali, fide scilicet per acceptionem unius, & per productionem alterius. Certum est in pluribus differre, ut Scriptura non semel ista beneficia distinxit 1 Cor. 1:30. & 6:11. Tit. 3:5. Apo. 22:11. nec posset toties negari à Paulo nos justificari operibus, si justificatio idem est quod sanctificatio; nec ulla cum specie objici potuisset ipsi, quòd doctrina sua sanctitatis studium remittat, si justificare idem esset quod sanctificare.

Sanctificatio distinguitur à Justificatione.

X. Differunt ergo multifariam, 1. Ratione *objecti*. Justificatio versatur circa reatum peccati. Sanctificatio verò circa maculam. 2. Ratione *formæ*, Illa consistit in actu judiciali & forensi remissionis peccati, & imputationis justitiæ. Ista in actu physico & morali infusionis justitiæ & renovationis internæ. 3. Ratione *subjecti* recipientis. Ad illam homo se habet ex parte Dei absolventis objective. Ad istam verò ex parte Dei renovantis subjectivè. 4. Ratione *graduum*, Justificatio in hac vita plena datur, quia plane reconciliamur Deo, ita ut justificati fide pacem habeamus apud Deum, nec ulla sit fidelibus condemnatio. Sed Sanctificatio inchoatur quidem in hac vita, sed non perficitur nisi in altera. Illa fit simul & semel. Hæc verò gradatim & successivè. 5. Ratione ordinis, Illa prior est ordine saltem naturæ, quia non sanctificat Deus nisi reconciliatos & justificatos per fidem; Ista verò sequitur.

XI. Quamvis Paulus in catena salutis mentionem non faciat expressam sanctificationis; Non sequitur eam contineri sub voce Justificationis, quasi cum ea identificetur; quia longè aptiùs, vel sub Vocatione includitur, quæ est sanctificationis initium, vel quod verius censemus, sub glorificatione, quæ est ejus consummatio & complementum, ut sanctificatio est gloriæ principium; Unde non rarò sub voce gloriæ designatur Rom. 3:23. 2 Cor. 3:18. *Rom 3:23. 2 Cor. 3:18.*

XII. Licet per sanctificationem justi fiamus habitualiter; non simus tamen justi imputativè, vel potius justificati; nec ratio etymi hoc evincere potest, ut antea visum.

XIII. Si Sanctificatio nos purgat ab omni peccato; hoc intelligendum tantùm quoad maculam inhærentem in nobis, non verò quoad reatum adhærentem coram Deo, & nos obnoxios reddentem ejus judicio.

QUÆST. I. XIV. Quamvis Sanctificatio ab eadem causa pendeat cum Justificatione, nimirum à sanguine & morte Christi, non propterea idem debent esse; Quia non eodem modo illam producit. Nam materialiter se habet ad justificationem, quatenus est materia & fundamentum nostræ justificationis, quod immediatè illam post se trahit; sed respectu sanctificationis tantùm efficienter & mediatè, quatenus est causa impulsiva externa, quâ Deus movetur ad nobis dandum Spiritum Sanctum sanctificationis Authorem. Ita in Baptismo utrumque beneficium nobis obsignatur, sed unumquodque juxtà suam σχέσιν.

Gal. 3: 27. Induimus ibi Christum Gal. 3: 27. tanquam justitiam, & sanctificationem, Justitiam quæ reatum peccati tollit, & fœditatem maculæ tegit, Sanctificationem verò, quæ maculam ipsam indies aufert & abluit: Sanguis Christi, cujus aqua est symbolum, duplicem vim habet, purgandi reatum coram Deo, quatenus est λυτρὸν, seu pretium redemptionis, & purgandi maculam in nobis, quatenus est λυτρὸν seu lavacrum sanctificationis per Spiritum.

Sanctificatio non separanda est à Justificatione. XV. Quamvis verò distinguenda censeamus, & nunquam confundendo duo ista beneficia. Ita tamen connexa sunt ex Dei ordine, & rei naturâ, ut nunquam sint divellenda; Quod vel ex eo luculenter constat, quòd sæpè unâ eademque voce exprimuntur, ut quum *mundandi* & *purgandi* ac *tollendi* verbis designantur, non modò in diversis locis, sed etiam in eodem contex-

Joh. 1: 29. tu, ut Joh. 1: 29. quum *Agnus Dei* dicitur *tollere peccatum mundi*, id. tum auferendo reatum & pœnam merito sanguinis, tum auferendo maculam &

Apoc. 1: 5. sordes efficacia spiritus, & Apoc. 1: 5. dicitur Christus nos *lavare a peccatis*, tum quoad justificationem, tum quoad sanctificationem, quo sensu *vestes*

& 7: 14. *fidelium* dicuntur *in sanguine Christi dealbatæ* Apoc. 7: 14. quia effusus in Cruce peperit remissionem peccatorum, quæ effusione sanguinis peragebatur sub Lege, tum quia aspersus cordi conscientiam purgat ab operibus mortuis peccati.

Veritas connexionis istius probatur à parte Dei. XVI. Istius autem connexionis necessitas & veritas colligitur, tum à parte Dei justificantis, tum Christi redimentis, tum Spiritus regenerantis, tum Justificationis ipsius & fidei quâ justificamur. 1. *Deus* in Fœdere Gratiæ duo ista beneficia conjunxit, quum pollicetur quòd non recordaturus sit peccatorum nostrorum, & quod inscripturus sit Legem in cordibus nostris Jer.

Jer. 31: 33. 34. 31: 33. 34. Nec natura ipsa Dei patitur hoc aliter fieri. Cùm enim per justificationem jus habeamus ad vitam, nec quisquam ad communionem cum Deo possit admitti sine sanctificatione; necesse est illum quem justificat Deus, etiam ab eo sanctificari, ut idoneus reddatur ad possessionem gloriæ. Imò non tollit reatum justificatione, nisi ut imaginem renovet suam in nobis per sanctificationem, quia sanctitas est finis Fœderis, & omnium beneficiorum ejus Luc. 1: 68. Eph. 1: 4.

2. à parte Christi. XVII. *Christus* duplicem σχέσιν sustinet, *Vadis* & *Capitis*, quà Vas nos

nos justificat, Et quà Caput sanctificat, Ratione prioris mors ejus est causa meritoria Justificationis, Ratione posterioris est causa exemplaris sanctificationis Rom. 6: 4. 5. & 8: 29. 1 Pet. 2: 21. Ut ergo nemini datur Christus in Vadem, cui non detur in Caput, Ita nemo Christi Vadis merito justificatur, qui per efficaciam Christi Capitis non sanctificetur ad ejus Imaginem. Non satis est Christum mortuum esse & vivere pro nobis, nisi mortificet etiam in nobis ad similitudinem mortis suæ veterem hominem & novum vivificet, ut fiat in membris quod factum est in Capite. Accedit quod ex morte, quâ justificamur, non modò acquiratur Spiritus, sed & præcipua motiva ducantur ad sanctificationem, qualia sunt *fœditas peccati*, quæ non alia re quàm Christi sanguine elui potuit. 2. *odium Dei erga peccatum*, qui ne proprio quidem pepercit Filio ad ejus ultionem faciendam. 3. *amor Christi inenarrabilis*, cujus charitas nos adeo constringere debet, ut non amplius nobis vivamus, sed illi qui mortuus est pro nobis 2 Cor. 5: 14. 15. 4. *Jus* quod Christus acquisivit in nos moriendo Rom. 14: 8. 9. & 1 Cor. 6: 20. quod postulat ut illum glorificemus corpore & spiritu. Denique hic præcipuus est mortis Christi finis, ut mortui peccato vivamus justitiæ 1 Pet. 2: 24. Tit. 2: 14. QUÆST. I.

XVIII. 3. *Spiritus* qui nobis datur duplex nomen sortitur, *Spiritus adoptionis*, qui obsignat justificationem nostram, & *Spiritus sanctificationis*, qui eam inchoat & promovet; unde duplex solet esse ejus operatio, prima per *consolationem*, quum testatur nos esse filios Dei Rom. 8: 16. altera per *sanctificationem*, quum facit nos clamare Abba Pater v. 15. à parte Dei descendit in nos, & confirmat ejus promissiones, à parte nostri verò ascendere facit ad Deum, ad officii nostri executionem. *3. à parte Spiritus.* *Rom. 8: 16.*

XIX. *Fides* ipsa quâ justificamur hoc postulat; Nam ut est *organum justificationis*, recipiendo justitiam Christi; Ita est *radix & principium sanctificationis*, dum purgat corda & efficax est per charitatem Gal. 5: 6. ipsa justificatio, quæ remissionem peccatorum affert, non inducit permissionem seu licentiam peccandi, ut vellent Epicurei, sed studium pietatis & sanctitatis praxim debet accendere. Apud Deum est propitiatio, ut colatur Psalm. 130: 3. loquitur pacem populo suo, ut non redeat ad stultitiam Psal. 85: 9. Sic justificatio se habet ad sanctificationem, ut medium ad finem, Et in id tendit tota œconomia Gratiæ, quæ non alia de causa nobis *illuxit*, *nisi ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis vivamus pie, sobrie & juste*, Tit. 2: 23. *4. à parte Fidei.*

XX. Idem probant Sacramenta, quæ administrantur ad obsignanda beneficia Christi, *Baptismus*, qui administratur in *remissionem peccatorum*, Act. 2: 38. est etiam *lavacrum regenerationis* Tit. 3: 5. Et si in *Cœna* exhibetur nobis Christi Corpus fractum, & Sanguis effusus in remissionem peccatorum, Matth. 26: 28. Ibidem Corpus & Sanguis exhibentur ut alimenta vitæ spiritualis, quæ in sanctificatione consistit 1 Cor. 10: 16. *5. à parte Sacramentorum.*

Quæst. I. XXI. Licet Fidelis justificatus incidat in varia peccata, & sæpe ita gravia, ut illi sanctificationis progressus diu interrumpatur, imo & ipsa non parum atteratur. Non sequitur sanctificationem ipsam divelli à Justificatione, quia si sanctificatio actualis tollitur, non tamen habitualis, nec semen Dei unquam aufertur, sed manet semper in nobis 1 Joh. 3:9. ut suprà de Perseverantia fidei probatum est. Qui peccat non agit sanctè, sed potest tamen qui sanctitatis actum non exerit, habere sanctitatis habitum in se manentem, licet debilitatum & infirmum.

XXII. Aliud est purgari à veteribus peccatis sacramentaliter & conditionate, Aliud reipsa & absolute. Illi de quibus loquitur Petrus 2 Pet. 1:9. purgati erant à peccatis priori sensu, sed non posteriori propter defectum conditionis requisitæ nimirum fidei. Ita nec justificati dici poterant, nec vere sanctificati.

2 Pet. 1:9.

Vide plura de hoc argumento in sequentibus, ubi de necessitate bonorum Operum agetur.

QUÆSTIO II.

De Perfectione Sanctificationis.

An Sanctificatio sit ita perfecta in hac vita, ut Fideles Legem absolutè implere possint? Neg. cont. Pontif. & Socin.

I. Inter Quæstiones, quæ de Sanctificatione agitantur inter Orthodoxos & Pelagianos veteres & hodiernos, duæ sunt Præcipuæ, Prima quæ ejus *originem*, Altera quæ ejus *perfectionem* spectat. Quia verò de illa fusè actum est, quum de Vocatione Efficaci disputavimus, Eâ missâ ad aliam pergimus, quæ magno fervore & jam olim agitata est, & nunc etiam agitatur.

Origo Quæstionis. II. Notum est inter plura hydræ Pelagianæ Capita, hoc etiam recenseri, Quòd ille fidelem in hac vita sine peccato vivere posse contenderet, adeoque perfectè Legem implere posse, & in statu impeccantiæ constitui. Unde ab Hieronymo sæpius *prædicator impeccantiæ* vocatur, Augustinus hæres. 88. hunc Errorem ita describit. *In id etiam progrediuntur Pelagiani, ut dicant vitam justorum in hoc seculo nullum habere peccatum, & ex his in hac mortalitate Ecclesiam Christi perfici, ut sit omnino sine ruga & sine macula, quasi non sit Ecclesia Christi, quæ in toto orbe clamat ad Dominum, Dimit-*

te nobis debita nostra. Cui Errori fortiter se opposuerunt Patres, & inter alios *Hieron.* Epist. ad Cresiph. & tribus libris contra Pelagianos, *Augustinus* lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, Ep. 89. & lib. 14. de C. D. cap. 9. & lib. de perfectione justitiæ, Enchir. c. 64. & alibi pluribus in locis. QUÆST. II.

III. Renovata est eadem quæstio hoc seculo à Neo Pelagianis, Pontificiis, Socinianis, & Anabaptistis, qui ut viam sibi facerent ad merita operum, Legem à renatis perfectè impleri posse sanxerunt. Hinc inter Pontificios ipsos certamen super isto articulo non leve excitatum est inter Jansenistas & Jesuitas; ita ut ex quinque famosis Jansenii Propositionibus damnatis ab Innocentio X. hæc etiam fuerit. *Aliqua Dei Præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest illis quoque gratia, quâ possibilia fiant.* Licet verò distinctis quæstionibus possit agi de Imperfectione Sanctificationis, Et de impossibili impletione Legis, quia tamen eodem pertinent, & iisdem argumentis probantur, à nobis hic conjungentur.

IV. Ut Status Quæstionis ritè teneatur. Notandum 1. Non quæri *De Perfectione sinceritatis*, quæ in eo consistit, ut quis corde non fucato & dimidiato serviat Deo. Hanc enim in veris fidelibus reperiri debere censemus, ut ea tribuitur Job. 1: 1. quum dicitur *perfectus & rectus, timens Deum, & recedens à malo.* Et Hiskia sibi eam vindicat Isa. 38: 3. 2. Nec de *Perfectione partium*, tam *subjectivâ* respectu totius hominis, qui totus debet sanctificari, tam quoad corpus, quàm quoad animam & spiritum 1 Thess. 5: 23. quàm *objectivâ* respectu totius Legis quoad omnia mandata. Hanc enim etiam à fideli requiri credimus, ut de Zacharia & Elizabetha prædicatur Luc. 1: 6. 3. Nec de *perfectione comparata*, quæ quibusdam fidelibus provectioribus tribuitur præ aliis; quo sensu fideles Novi Testamenti τέλειοι vocantur respectu fidelium Veteris, qui vocantur νήπιοι 1 Cor. 2: 6. Gal. 4: 1. Et fideles Christiani, qui majores progressus fecerunt aliis in fide & pietate, & qui sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali præ aliis, qui lacte adhuc opus habent, & qui in rudimentis Religionis versantur, de quibus agitur Phil. 3: 15. Heb. 5: 13. Nec de *perfectione Evangelica*, quæ est cum tegmine gratiæ, & cum ἐπιεικείᾳ paternâ, quum omnia facta deputantur, quando quod factum non est ignoscitur, tectum scilicet justitiâ Christi, in quo perfecti dicimur Col. 2: 10. Has enim omnes perfectionum species agnoscimus. Sed quæri de *Perfectione Legali*, *absolutâ* omnibus numeris, ut nihil illi desit, tam quoad gradus, quam quoad partes, intensivè, & extensivè.

Status Quæstionis. *Job.* 1: 1. *Isa.* 38: 3. *Luc.* 1: 6. 1 *Cor.* 2: 6. *Gal.* 4: 1. *Phil.* 3: 15.

V. 2. Non quæri de *Impossibilitate absoluta* & totali, secundùm quam aliquid dicitur non posse fieri, vel quia contradictionem implicat, vel quia naturæ Dei repugnant; Vel quia in nullo statu homini competit. Nam hoc sen-

QUÆST. II. ſenſu non dicimus mandata Dei eſſe impoſſibilia homini, quia & poſſibilia fuerunt homini in ſtatu Naturæ, & poſſibilia eſſent homini regenito in ſtatu Gratiæ, ſi Deus talem & tantam gratiæ menſuram dare vellet, quæ omnem corruptionem cordis tolleret, & poſſibilia erunt in gloria. Sed quæri de *Impoſſibilitate ſecundum quid* relatè ad ſtatum noſtrum, & Dei ordinem, qui licet potuiſſet, noluit tamen perfectionem ſanctificationis nobis hic dare, graviſſimis de cauſis, tum ut ſic diſtinguatur ſtatus viæ & patriæ, Eccleſia militans & triumphans, tum ut ita ſtudium ſanctitatis fortius excitetur, & ſciamus nobis non ſegneſcendum eſſe in opere ſalutis, cùm aliquid ſemper ſit agendum, nec deſint unquam hoſtes quibuſcum certandum nobis eſt.

VI. 3. Non quæritur, An opera juſtorum verè bona ſint, quod hic præter rem urgent Adverſarii, quia hoc ad aliam quæſtionem pertinet, De veritate bonorum operum, ubi oſtendetur, quo ſenſu fidelium opera ſint verè bona, & tamen peccata dicantur, Sed quæritur, An ſint ita perfecta ut reſpondeant Legi, nec in illis quicquam habeat quod reprehendat?

VII. Quæſtio eò redit, An fidelis regenitus ita promovere poſſit ſanctificationem ſuam, ut perfectionem aſſequatur, non modò quoad partes, ſed etiam quoad gradus, Et Legem implere poſſit, non tantùm ἐπιεικῶς & Evangelicè, ſed etiam ἀκριβῶς & Legaliter, & ita cumulatè Legi divinæ ſatisfacere, ut vivat non tantùm ſine crimine, ſed etiam ſine peccato, & Lex nihil habeat, quod in illo accuſare & damnare poſſit, ſi Deus in judicium cum illo veniat: Affirmant Adverſarii, Nos negamus.

VIII. Non diſſimulandum tamen Pontificios perplexè hic loqui, nec mentem ſuam ſatis apertè hic explicare. Bellarminus ſanè ſtatum Quæſtionis ſophiſticè proponit, lib. 4. de Juſtificat. cap. 10. Quum dicit quæri *Utrum homines juſtificati, & gratiâ Dei adjuvante, poſſint ita Legem implere, ut opera ipſorum non modo non ſint appellanda peccata, ſed etiam vere & proprie juſti dici mereantur.* Et calumniatur Noſtros, quaſi docerent *Legem divinam eſſe plane impoſſibilem homini etiam juſto*, & inde colligere, *nullam eſſe in nobis veram actualem juſtitiam, ſed omnia opera juſtorum eſſe peccata mortalia ex natura ſua.* Aliud enim eſt longè dicere Legem eſſe homini planè impoſſibilem, quod omnimodam impoſſibilitatem notat. Aliud fidelem non poſſe plenè implere Legem, quod relatam tantùm & ſecundùm quid innuit. Non dicimus Legem fidelibus eſſe abſolutè impoſſibilem, ſed tantùm quoad Legis ἀκρίβειαν. Aliud nullam eſſe in nobis actualem juſtitiam, & bona opera noſtra ex natura ſua eſſe peccata mortalia, quod nobis falsò affingunt. Aliud eſt juſtitiam iſtam non eſſe perfectam, & bona opera, licet peccata ſint per accidens ob reliquias carnis nobis inhærentes, eſſe tamen in ſe verè bona, quod ſtatuimus.

IX.

IX. Concil. Trident. Seſſ. 16. Can. 18. latebras quærit in verbis generalibus, quum ait, *Si quis dixerit Dei præcepta homini justificato, sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, Anathema sit.* Et ne quis perfectam omnibus numeris obſervationem intelligat; Can. 23. *Anathema dicit iis, qui docent hominem ſemel justificatum poſſe in tota vita omnia peccata etiam venalia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio.* Ubi agnoſcere quidem videtur perfectionem omnimodam non poſſe tribui fideli niſi ex ſpeciali privilegio, quod non diffitentur *Stapletonus, Andradius, Tapperus*, & alii. Sed quod unâ manu videntur iſti dare vi veritatis preſſi, alterâ ſtatim auferunt, quum *abſolutam poſſibilitatem* Legis non deſinunt urgere, & variis argumentis operosè illam probare conantur, ut Bellar. c. 10. 11. & ſeq. Nec aliter ſentire & loqui poſſunt juxta ſuam hypotheſim de juſtificatione & merito Operum, de Operibus Supererogatoriis, & conſiliis Evangelicis, quæ neceſſariò ſupponunt perfectam & omnimodam Legis obſervationem. Quomodo enim alias homo poſſet ex operibus juſtificari, vel plus facere & ſupra quod Lex poſtulat? Itaque dicendum eos vel ἀσύςατα loqui, quum ita loquuntur, vel fucum nobis facere, & mentem ſuam non plenè nobis aperire. Nos verò Imperfectionem ſanctificationis noſtræ, & Legis impletionis impoſſibilitatem probamus. QUÆST. II.

X. Primò, A *peccati reliquiis.* Quia ubi habitat peccatum, ibi non poteſt eſſe perfecta ſanctificatio, nec Legis impletio. At in fidelibus, quicunque tandem illi ſint, ſemper habitat peccatum 1 Joh. 1:8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, mentimur, & veritas non eſt in nobis.* Et Jac. 3:2. *In multis labimur omnes:* 1 Reg. 8:46. *Non eſt homo juſtus ſuper terram, qui non peccet.* Prov. 20:9. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum?* Dicere hic cum Bellar. lib. 4. de Juſtif. c. 14. *Peccata iſta eſſe tantùm venialia præter Legem, ſed non contra Legem*, eſt ſupponere τὸ κρινόμενον, quod ſuo loco refutavimus, quum oſtendimus omne peccatum eſſe mortale, atque adeo contra Legem, ut veram ἀνομίαν, nullum verò veniale quod ſit tantum præter eam. Nec melius elabitur, qui dixerit cum eodem lib. 4. c. 12. diverſas eſſe quæſtiones, Utrum præcepta ſervari poſſint, Et Utrum poſſit homo vivere ſine peccato; Ad priorem Auguſtinum ſemper reſpondiſſe affirmando, Ad alteram verò negando. Quia perperam diſtinguuntur duæ quæſtiones, quæ eodem recidunt; Nam nemo poteſt præcepta ſervare, niſi vivendo ſine peccato, nec quiſquam vivit ſine peccato, niſi præcepta obſervando. Nec Auguſtinus reſpondens Pelagianis duas illas quæſtiones diſtinxiſſe legitur, diſtinxit quidem inter iſtas, *utrum quis renatorum fuerit ſine crimine*, ad quam reſpondet affirmando, & *utrum fuerit ſine peccato*, ad quam reſpondet negando, de Pecc. Orig. l. 1. c. 48. Sed quando agitur de impletione Legis, ut defendit neminem eſſe ſine peccato; ita tenet neminem in hac vita implere Legem. Vide lib. de perfect. Juſt. contr. Cœleſtium.

Imperfectio ſanctificationis & impoſſibilitas impletionis Legis probatur 1. ex reliquiis peccati.
1 Joh. 1:8. Jac. 3:2.

QUÆST. II.

XI. Secundò confirmatur hoc ipsum ex *Lucta Carnis & Spiritus*, quæ perpetuò occurrit in fidelibus in hac mortalitate, & quæ tot gemitus & suspiria illis exprimit. Cùm enim Caro adversetur Legi Dei, nec illi subjiciatur, vel subjici etiam possit Rom. 8:7. patet, quamdiu Caro in nobis manet, manet autem quamdiu hic sumus, nec perfectam esse sanctificationem, nec Legem à nobis posse impleri. Luctam hanc Paulus duobus locis graphicè describit Gal. 5:17. *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus Carnem, hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis eadem faciatis.* Et Rom. 7. à v. 14. usque ad finem. *Ego sum carnalis & venditus sub peccatum.* Et v. 19. *Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo hoc ago.* Et v. 23. *Video aliam Legem in membris meis belligerantem contra Legem mentis, & captivantem me sub Legem peccati.* Unde in tristem istam querelam erumpit v. 24. *Miser ego, quis me liberabit ex hoc corpore mortis?* Hæ verò non sunt voces hominis Legem perfectè implentis & supererogantis, sed gementis sub pondere peccati, & ad liberationem anhelantis. Et cùm Concupiscentia sit peccatum Lege vetitum, ut ibidem Apostolus testatur, Quomodo potest implere Legem, qui motibus concupiscentiæ semper est obnoxius? & qui eam luctantem & belligerantem in membris suis adversus Spiritum semper experitur?

Rom. 8:7. Gal. 5:17. Rom. 7:14. 19. 23.

XII. Scio hic *Socinum* reponere, non agi Rom. 7. de Paulo regenito, sed sub Lege constituto. Sic enim ille in libello de Capitis hujus sensu, *Cavendum est*, inquit, *judicio meo tanquam ab ipsa peste, ne locum istum* cap. 7. Epist. ad Rom. *ad Paulum ipsum jam renatum pertinere nobis persuadeamus; hoc enim loco Paulum hominem Christi gratiæ expertem, & ab ipsa Lege pendentem describere affirmo*; Ut ita describatur pugna inter appetitum & mentem atque intellectum, quia voluntatem vult esse mediam, quæ interdum appetitui, interdum menti in hoc conflictu accedit. *Arminius* non aliam insistit viam. Et non desunt etiam è Nostris, qui in hanc sententiam propendent: Ideò novum quendam & tertium statum fingunt inter statum Naturæ, in quo homo est adhuc irregenitus, & statum Gratiæ, in quo jam est regenitus, nim. statum sub Lege & sub Spiritu servitutis, in quo homo nondum sit regenitus, sed nec planè irregenitus; sed aliquâ Legis notitiâ imbutus, & Spiritu servitutis præditus, in quo alternantes istas vices experitur, quibus nonnunquam videtur ad bonum accedere ex Legis cognitione, & Spiritus servitutis impulsu, modò verò ab eo recedere & in peccatum propelli ex appetituum corruptorum impotentiâ. Sed quicquid pertendant utrique, non possumus recedere à sententia inter Orthodoxos communiter recepta, quæ statuit Paulum agere de se ut regenito, & luctam illam gravem, quæ sæpè intercedit inter veterem & novum Hominem, Carnem & Spiritum patheticè describere.

XIII.

XIII. Nec desunt rationes variæ quibus id probetur 1. A *notatione temporis*. Quia Paulus non loquitur in tempore præterito, ut antea v. 9. sed in præsenti v. 14. *Ego carnalis sum*, &c. v. 19. *non facio bonum quod volo, Delector Lege Dei* &c. At quum hæc scribebat, non amplius sub Lege erat, sed sub Gratia. 2. Quia agitur de eo cui competit velle bonum, & nolle malum, seu odisse peccatum, *Non quod volo, hoc facio, sed quod odi hoc facio* v. 15. & 18. *Nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est efficiam, non assequor*. At hoc pertinet tantùm ad renatos, in quibus Deus operatur τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν *velle & perficere*, licet non semper concedatur exequi quod volunt, nam quoad alios qui nihil possunt boni cogitare, quomodo possunt dici illud velle? 3. Agitur de eo qui consentit Legi Dei quoad hominem internum, & qui eâ delectatur v. 22. ex qua delectatione oritur cultus v. 25. *Mente servio Deo*. Quis verò dixerit alium quàm fidelem delectari Lege Dei, & juxta illam Deum colere? vel hominem internum alium esse quàm novum hominem? qui non semel ita designatur Eph. 3: 16. 2 Cor. 4: 16. 1 Pet. 3: 3. 4. Quia agitur de eo, in quo distinguuntur duo principia, unum secundùm quod facit malum quod non vult, alterum secundùm quod non perpetrat malum, sed peccatum in ipso habitans, & secundùm quod servit Deo v. 17. 18. 19. At constat hæc non posse dici nisi de fideli, qui habet in se veterem & novum Hominem, Carnem & Spiritum. 5. De eo agitur, qui ingemiscit ob miseriam suam, & qui liberationem quærit & optat, & de ea inventa sibi gratulatur, & gratias agit; v. 24. 25. quæ ad neminem nisi regenitum spectant. 6. Fingitur perperam status medius inter regenitum & irregenitum, quasi daretur medium inter Filium Dei, & Filium Diaboli, inter hominem vivum & mortuum. Nec hoc referri potest ad statum sub Lege, quia qui sub ea vixerunt vel fuerunt reprobi, qui sub ea velut sub Fœdere fuerunt, adeoque sub ejus execratione Gal. 3: 12. vel regeniti, qui sub ea fuerunt ut sub dispensatione, in qua licèt parciùs & obscuriùs, illis tamen Spiritus S. regenerantis gratia dispensabatur.

QUÆST. II.

v. 17. 18. 19.

v. 24. 25.

XIV. Nihil tribuit hic Paulus sibi, quod non possit cadere in renatum, Non quod dicit *se esse carnalem & venditum sub peccatum* v. 15. Quia hoc non absolutè intelligendum est, sed comparatè & secundùm quid, ut Paulus 1 Cor. 3: 1. vocat *carnales Corinthios, & non Spirituales*, quia multas adhuc prodebant in suis actionibus carnis & veteris hominis reliquias; Non de venditione & captivitate universali quoad statum, quasi esset adhuc sub imperio peccati, quia sic nec delectaretur Lege Dei secundùm hominem internum, hoc posset dici servire Deo mente, Sed de captivitate, & venditione particulari quoad certos actus, quo sensu Caro dicitur concupiscere adversus Spiritum, ut non faciamus quæ volumus Gal. 5. Nec quod dicit *peccatum in se habitare*. Quia aliud est habitare, aliud regnare. Illud præsentiam peccati notat, quod est usque ad finem in infideli, hoc verò ejus tyranni-

v. 15.

QUÆST. II. dem & dominium, quod ablatum est per Spiritum Christi. Non quod additur cùm *liberationem optare & à corpore mortis*; cùm fidelis sit liberatus à Lege peccati & mortis. Quia alia est liberatio inchoata, alia perfecta. Alia à maledictione Legis & reatu mortis. Alia à dominio peccati, & mortalitate, quæ illud comitatur, primam jam obtinuit fidelis, sed alteram adhuc expectat & optat.

XV. Quamvis sæpè occurrat in irregenitis lucta inter appetitum & rationem, qualis fuit in Medea Poetæ, quæ dicebat, *video meliora proboque, Deteriora sequor*, magnum tamen discrimen intercedit cum lucta Carnis & Spiritus regenitorum, de qua loquitur Paulus. Tum quoad *causas*, quia lucta irregenitorum oritur ex dictamine conscientiæ seu luminis naturalis stricturis, quæ in intellectu potissimùm sedem habent, & ex metu servili pœnæ. At lucta fidelium oritur ex nova & supernaturali qualitate seu principio Spiritus Sancti, quod sua sponte fertur in ea quæ sunt bona, non ex metu tantùm servili pœnæ, sed ex timore Dei filiali. 2. Quoad *subjectum*, quia lumen irregenitorum est merè theoreticum, quod manet in intellectu, nec ad cor pervadit. Sed gratiæ lumen, quod renatis indulgetur, non hæret tantùm in τῷ ἡγεμονικῷ, seu superiore animæ parte, sed transit etiam ad τὸ ἐπιθυμητικὸν seu inferiorem ejus partem. 3. Quoad *objecta*, nam pugna irregenitorum versatur tantum circa crassiora scelera, quæ omnes naturali lumine abominantur. Sed lucta fidelium etiam circa ea, quæ in hominum foro externo nec pœnæ, nec ferè ulli vituperio subsunt. 4. Quoad *effecta*, quia prior lucta potest consistere cum quotidiano peccandi exercitio, & si efficit aliquando, ut bonum fiat, vel ut malum vitetur, nunquam tamen eò potest assurgere, ut benè fiat, atque ita reprimit potiùs peccatum quàm perimit, unde tandem ratio cum lumine suo succumbit & vincitur. Sed in lucta fidelium, Caro eatenus atteritur & mortificatur, ut etsi non possit absolutè eradicari, & in multis adhuc actibus se exerat, non possit tamen prævalere, sed à Spiritu tandem superetur, qui facit fideles ὑπερνικῶν.

3. Ex Act. 15:10. XVI. Tertiò Legis impossibilitas probatur, Ex Act. 15: 10. ubi vocatur Jugum ἀβάςακτον, *Quid tentatis Deum imponentes Jugum cervici discipulorum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus*? Nam si non ferri potest, quomodo posset à quoquam impleri? Frustra reponitur à Bellarmino agi de Lege Cæremoniali, non Morali. Quia 1. si hoc de Lege Cæremoniali dici potest, longè fortiùs dicendum est de Morali. 2. Lex Cæremonialis per se non poterat dici jugum ἀβάςακτον, sed propriè hoc refertur ad Moralem, quæ à nemine unquam potuit impleri; & quæ sub execratione ponit eos, qui sub ea vivunt. 3. Quæstio quæ movebatur totam Legem respiciebat, non solùm Cæremonialem, sed etiam Moralem Gal. 5: 3. Nec obstat quod Decretum Apostolicum agere videtur tantùm de Lege Cæremoniali.

Quia

Quia quæstio mota fuerat quidem ex occasione Legis Cæremonialis, sed Petrus videns ulteriùs extendi, de tota Lege loquitur, ostendens ejus impossibilitatem, quia erat jugum, quod nec ipsi nec Patres eorum portare potuerant. QUÆST. II.

XVII. Confirmatur ex eo quòd Lex omnimodam obedientiam exigit, tam quoad internos affectus, quàm quoad externos effectus, non modo quoad partes, sed etiam quoad gradus, ut totâ mente, toto corde, totis viribus Deum diligamus, ut verus modus eum diligendi sit sine modo, ut Bernard. loquitur. Quod cùm à nullo mortalium impleri posse constet, ut quisque de eo convictus est; sequitur Legem hac in parte homini esse impossibilem. Nec excipi potest dilectionem tantum sinceram & non simulatam intelligi. Quia licet dilectio sincera acceptetur à Deo ex indulgentiâ paternâ; Non desinit tamen postulare perfectam omnimodè, qualis debetur a Creatura rationali.

XVIII. Quartò, Quia jubemur quotidie petere remissionem peccatorum. Jam si possibile est renatis ut Legem Dei impleant, possibile est iisdem, ut peccatorum remissione non indigeant, & non teneantur dicere juxta mandatum Servatoris, *Dimitte nobis debita nostra*: nam in quo nulla Legis transgressio reperitur; in eo nulla remissionis causa intelligitur, & nulla ideo necessitas petendæ remissionis reperitur. Hoc argumento non semel utitur Augustinus contra Pelagianos, *Quisquis hanc orationem*, inquit lib. 3. de peccat. meri. & remiss. cap. 13. *Dimitte nobis debita nostra, cuilibet etiam homini sancto, & Dei voluntatem scienti & facienti, dicit necessariam non fuisse, multum errat.* Et alibi contr. duas Episto Pelag. lib. 4. cap. 10. *Qui contendunt esse in hac vita, vel fuisse justos, nullum habentes omnino peccatum, hac præsumptione apertissime Orationi Dominicæ contradicunt.* Nec juvat exceptio Bellarmini, hæc esse peccata tantùm venialia, quæ sint præter Legem, non contra eam. Quia, ut suprà jam dictum vana est & ἀσύστατος ista distinctio. Nam ubi opus est remissione, ibi præcessit transgressio, ubi est transgressio ibi etiam est ἀνομία.

4. Ex petitione remissionis peccatorum.

XIX. Quintò, Ab Exemplis Sanctorum. Quia Sancti passim hanc impotentiam apertè agnoscunt & profitentur. Job. c. 9: 3. 20. 28. & 15: 15. David Psalm. 32: 6. & 130: 3. & 143: 2. Salomon Prov. 20: 9. 1 Reg. 8: 46. Isaïas 64: 6. Daniel 9: 6. Paulus Rom. 7: 14. Phil. 3: 13. Joh. 1 1: 8. Jacob. 3: 2. Nec dari potest ullum exemplum hominis ἀναμαρτήτου, si Christum excipias. Eant ergo Pharisæi nostri & Justitiarii perfectistæ, & sanctitatis suæ perfectionem, imò & opera Supererogationis venditent, id est, se justiores & sanctiores Sanctis omnibus impudenter mentiantur.

5. Ab Exemplis Sanctorum.

XX. Jugum Christi, quod suave & leve dicitur Matt. 11: 30. non est Lex Mosis strictè sumpta, quæ per se est jugum ἀβάστακτον, sed partim doctrina

Fontes Solutionum. Mat. 11: 30.

QUÆST. II. *Evangelii* de fide & novâ obedientiâ, quam in nobis operatur Spiritus Sanctus, eam levem & suavem reddendo hoc pacto; partim *jugum Crucis*, quod vocatur *leve*, quia Deus non sinit nos tentari supra vires 1 Cor. 10: 13 2 Cor. 4: 17. & *suave*, quia Spiritus S. consolatio ita crucem temperat, ut ex ea suavissimos justitiæ & gaudii fructus eliciat.

1 Joh. 5: 3. XXI. Mandata Dei dicuntur *non esse gravia fideli* 1 Joh. 5: 3. non quoad perfectam Legis possibilitatem, vel hominis ἀναμαρτησίαν, quam Johannes expressè negat 1 Ioh. 1: 8. Sed tum respectu *imputationis* & peccatorum remissionis, quia perfecta Christi obedientia nobis imputatur per fidem, cui statim v. 4. victoria tribuitur, & defectus nostri teguntur, *atque ita omnia facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur*, ut loquitur Aug. lib. 1. Retr. c. 19. tum respectu *renovationis*, quia Spiritus Sanctus interiùs renovat corda, & veram ac sinceram in illis dilectionem operatur, per quam ut populus spontaneus Psal. 110: 3. non coactè & per Spiritum servitutis, sed sponte & suaviter per Spiritum adoptionis ad officium impelluntur, nec jugo ἀβαςάκτῳ amplius obstricti tenentur, ut ex Legis observatione perfecta vitam consequantur; sed jugo suavi Christi subjiciuntur, quod obedientiam præscribit in grati animi testimonium.

XXII. Si qui dicuntur in Scriptura implevisse mandata Dei, & dilexisse
Gen. 6: 9. Deum toto corde, & perfecti fuisse, ut dicitur de Noacho Gen. 6: 9. Davide
Ps 119: 10 Psalm. 119: 10. Iosia 2 Reg. 23: 25. Asa. 2. Paral. 15: 17. Zacharia & Eliza-
2 Reg. 23: 25 betha Luc. 1: 6. & aliis, hoc intelligendum non absolutè & simpliciter de di-
2 Pa. 15: 17. lectionis & obedientiæ perfectione Legali, tam intensivè quàm extensivè;
Luc. 1: 6. quod est ἀσύςατον cum peccatis, quæ illis tribuuntur. Sed secundùm quid & limitatè de perfectione Evangelicâ, quæ sinceram & ἀνυπόκριτον obedientiam notat, vel comparatè, tum respectu impiorum, qui toti in peccato jacent, tum respectu minùs sanctorum. Si Zacharias & Elizabetha dicuntur *justi* ἐνώπιον τοῦ θεοῦ *coram Deo*, hoc notat quidem justitiam eorum & pietatem non fuisse fucatam & hypocriticam, quæ coram hominibus stare potest, sed veram & sinceram, quæ Deo ipsi sese probabat. Sed non potest inde inferri absolutè fuisse sine macula, cùm ibidem incredulitas Zachariæ recenseatur. Nec magis, quum dicuntur *ambulasse* ἄμεμπτοι in mandatis Dei, quia hoc indicat tantùm sine querela, & reprehensione coram hominibus vixisse. Aliud est esse absolutè ἀναμάρτητον, aliud verò ἄμεμπτον, Paulus in Episcopo exigit ut sit ἀνεπίληπτος, quod idem est cum ἀμέπτῳ, non ut sit sine peccato, quod est impossibile, sed ut sit sine querela & reprehensione.

XXIII. Qui servant mandata absolutè & perfectè, iis Lex absolutè & perfectè possibilis est; Et qui diligunt eodem modo, bene dicuntur mandata implere. Sed cùm nemo sit qui ita diligat, & mandata servet, quia ex parte tantùm cognoscimus 1 Cor. 13: 9. & ex parte amamus, & in multis impingi-

gimus omnes Iac. 3: 2. Nemo etiam potest hoc sibi privilegium vindicare. Et quod Joh. 14: 23. & Rom. 13: 8. dicitur, non alia ratione intelligendum est, quàm de impletione sincera in hac vita, & plenâ ac omnimodâ in altera. QUÆST. II. *Job* 14:23. *Rom.* 13: 8.

XXIV. Quod impossibile est ἁπλῶς & suâ naturâ neminem obligat: Sed mandata Legis impossibilia sunt tantùm κατά τι in statu Viatorum, propter interveniens naturæ vitium. Ut Creditor non amittit jus repetendi debitum à debitore, etiamsi non sit solvendo. Ita jura Dei non imminuuntur, etsi homo propriâ culpâ non amplius sit solvendo. Deinde Deus non præcipit Legem fidelibus, quasi illis absolutè possibilis esset, sed tum ut cognoscendo officium, & impotentiam suam ad illud exequendam, ardentiùs remedium gratiæ quærant. *Non jubet Deus impossibilia*, inquit August. *sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et Bern. Serm. 50. in Canti. *Non latuit Præceptorem præcepti pondus excedere vires, sed judicavit utile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, & ut scirent ad quem justitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non prævaricatores facit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.*

XXV. Quod placet Deo in se & per se, propter omnimodam conformitatem cum Lege, est perfectè justum. Sed non item quod illi placet tantùm per & propter Christum, quomodo bona opera placent Deo. Non quod sint perfectè & absolutè bona; sed quia in fide Christi facta sunt, cujus obedientiâ omnes nostri nævi & defectus teguntur & condonantur.

XXVI. Quum Paulus dicit *se omnia posse in eo qui eum corroborat* Phil. 4: 13. non absolutè intelligendus est, sed pro subjecta materia, nempe quæ spectant ad præsentis vitæ qualemcunque conditionem patienter & moderatè ferendam. Ibi enim Apostolus non loquitur de perfectione morum, vel de Pelagii impeccantia; sed de constantiâ animi pii ad prospera moderatè & adversa fortiter & patienter ferenda. *Omnia sunt possibilia credenti* Marc. 9: 23. non simpliciter ut possit esse absque peccato, sed secundùm quid ad beneficia quævis vel ordinaria, vel extraordinaria à Deo consequenda. *Phil.* 4: 13. *Marc.* 9: 23.

QUÆ-

QUÆST. III.

QUÆSTIO III.

De Necessitate Bonorum Operum.

An bona Opera sint necessaria ad salutem? Affir.

I. Cum ad Sanctificationem pertineat praxis & studium bonorum Operum; non meliùs ea percipi potest, quàm si eorum natura ritè cognoscatur. Quatuor autem possunt potissimùm de illis quæri, *Necessitas*, *Veritas*, *Perfectio*, & *Meritum*. De quibus distinctè agendum. De Perfectione jam dictum est Quæstione præcedenti. Jam de *Necessitate* agitur.

Tres sententiæ de Necessitate bonorum Operum.

II. Tres sunt præcipuæ sententiæ circa bonorum Operum necessitatem. Prima eorum, qui peccantes in defectu eam negant; quales fuerunt olim *Simoniani*, & nunc sunt *Epicurei* & *Libertini*, qui bona opera arbitraria & adiaphora faciunt, quæ præstare vel omittere liceat pro arbitratu nostro. Secunda eorum, qui peccantes in excessu affirmant, & urgent necessitatem meriti & causalitatis, quales olim erant *Pharisæi* & *Pseudo-Apostoli*, qui opera ad justificationem necessaria esse contendebant, quos hodie sequuntur *Pontificii* & *Sociniani*. Tertia eorum, qui medium inter duo ista extrema tenentes, nec simpliciter negant, nec simpliciter asserunt; Sed aliquam necessitatem eorum agnoscunt contra Libertinos, sed necessitatem meriti contra Pontificios constanter rejiciunt. Quæ sententia est Orthodoxorum.

Status Quæstionis.

III. Unde patet, Non quæri hic De *Necessitate meriti*, *causalitatis*, & *efficientiæ*. An bona opera dicenda sint necessaria ad salutem efficiendam vel acquirendam de jure. Hoc enim ad aliam controversiam pertinet, de qua infrà. Sed De *necessitate medii*, *præsentiæ*, & *connexionis* seu *ordinis*. An requirantur tanquam medium & via ad salutem possidendam; quod statuimus.

IV. Licet verò Propositio de necessitate bonorum Operum ad salutem, quæ superiori seculo à Pontificiis sub specie conciliationis in formula Interimistica obtrudebatur, sed reipsa ut sensim puritas doctrinæ de justificatione corrumperetur, rejecta fuerit à variis Theologis Lutheranis, tanquam minùs commoda & periculosa, imò & à quibusdam ex Nostris. Putamus tamen cum aliis posse sine periculo retineri, si ritè explicetur, imò & urgendam esse censemus contra Epicureorum licentiam, ut licet opera nihil conferre dicantur ad salutem acquirendam, necessaria tamen statuantur ad eam obtinendam, ut sine illis nemo salvari queat, ut ita liberetur Religio nostra à calumniis pu-

putidissimis, quibus iniquissimè passim proscinditur à Pontificiis, quasi sit magistra impietatis, & licentiæ ac securitatis carnalis pulvinar. QUÆST. III.

V. Licet autem necessitas ista jam ex parte asserta sit Qu. I. ubi de connexione Sanctificationis cum Justificatione actum est, ulterius adhuc colligitur, Tum ex *Dei mandato*, Tum ex *Rei ipsius natura*, Et *Hominis* fidelis *conditione*. Cùm enim Dei voluntas sit suprema & indispensabilis officii nostri regula; Non potest non censeri summè necessaria bonorum operum praxis, quam toties, & tàm expressè commendat & præcipit in Verbo suo Dominus. Loca referre nihil attinet, quia passim obvia sunt; consulantur præcipuè 1 Thess. 4: 3.4 1 Joh. 4: 21. Joh. 13: 34 Matt. 5: 16. 1 Pet. 1: 15. 16. & 2 Pet. 1: 5. 6.7.10. Rom. 6: 11. 12. & 12: 1.2. *&c.* Et tantùm abest ut licentiam pro arbitratu vivendi cuique relinquat, ut apertè eam damnet & detestetur Rom. 6: 1. 2. 15. Gal. 5: 13. 1 Thess. 4: 7. 1 Pet. 2: 16. & fideles *debitores* esse statuat, qui ad novam obedientiam nexu indissolubili, & indispensabili obstricti sunt Rom. 8: 12. & 13: 7. 1 Joh. 4: 11. non modò necessitate *præcepti*, sed etiam *medii*. *Necessitas bonorum operum probatur 1. a Dei mandato.*

VI. Quod ex Rei natura, & Hominis statu ac conditione clariùs potest demonstrari, sive ad *Fœdus Gratiæ* cum ipso initum respiciamus; sive attendamus ad *doctrinam Evangelii*, quam profitetur, sive ad *statum Gratiæ*, in quo collocatur, sive ad *Beneficia* quæ inde pendent, tàm præterita, quàm præsentia, & futura; quæ omnia bonorum operum necessitatem absolutam post se trahunt.

VII. Et ad *Fœdus* quidem quod attinet, nemo nescit duabus partibus constare, hinc *promissione* à parte Dei; Inde verò *obedientiæ stipulatione* à parte hominis. Nam ut Deus in eo pollicetur se fore *Deum nostrum*, vult etiam vicissim ut simus ejus populus, Et ut promissio illa omnigenam Dei benedictionem includit, Ita obligatio ista, omnis generis officia ab homine Deo debita importat, ut suo loco visum, quum de clausula Fœderis actum. Licet verò Deus ex peculiari gratia hæc hominis officia velit esse sua beneficia, quæ in illis exequatur; Non desinit tamen fidelis ad ejus observationem obstringi, si velit bonorum Fœderis esse participes. *2. a Fœdere Gratiæ.*

VIII. Ut autem promissio gratiæ fluit à tribus S. S. Triadis Personis, quæ omnes ad opus Redemptionis concurrunt, & peculiarem σχέσιν obtinent pro modo operationis cuique proprio, Prima quidem *Patris* in familiam suam nos adoptantis, Secunda *Redemptoris* & *Capitis*, populum suum redimentis, & in Peculium & Corpus sibi unientis. Tertia *Paracleti* & *Sanctificatoris*, nos in Templa sibi consecrantis. Ita necessitas triplex exurgit cultus & obsequii, ut dignè vivamus Filiis Dei, Membris Christi, & Templis Spiritus Sancti, ut Patrem adoremus & colamus 1 Pet. 1: 15. 16. Mal. 1: 6. Eph. 5: 1. ut Redemptorem toti glorificemus 1 Cor. 6: 20. & illi serviamus ut populus

QUÆST. III. περιούσιος ζηλωτὴς καλῶν ἔργων Tit. 2: 14. ut Spiritum in nobis habitantem magno studio veneremur, & viventes Spiritu, Spiritu etiam ambulemus Gal. 5: 25. nec templum ejus sordibus ullis infici patiamur 1 Cor. 6: 15. Quod in Baptismo in nomine totius Trinitatis administrato, nobis obsignatur, & Unione nostri cum Christo procuratur, quæ vera & salutaris esse nequit, nisi conformitatem cum ipso post se trahat, ad quam prædestinati sumus Rom. 8: 29. ut cum illo moriamur peccato, & vivamus Deo Rom. 6: 11. & ambulemus sicut ille ambulavit, 1 Joh. 2: 6. ipséque in nobis formetur & vivat Gal. 2: 20. & 4: 19.

3. ab Evangelio. IX. Tertiò, *Verbum Dei*, seu *Evangelium*, quod nobis credendum proponitur, ut fidei, vitæque regula, necessitatem istam non minùs evincit. Quia non est doctrina merè *theoretica*, quæ inani cognitione mentem pascat, sed *practica* quæ voluntatem ipsam afficit & renovat, quæ ideo dicitur *Mysterium Pietatis* 1 Tim. 3: 16. Lux quæ transformat 2 Cor. 3: 18. Veritas quæ sanctificat, Joh. 17: 17. quæ non tantùm doctiores, sed & meliores reddit Joh. 13: 17. Semen regenerationis nostræ Jac. 1: 18. & 1 Pet. 1: 23. Lex Spiritus & vitæ Rom. 8: 2. quæ nos liberando à Lege peccati & mortis, non facit tamen exleges, sed subleges Christo 1 Cor. 9: 21. Gal. 2: 19. Eò pertinet etiam *Religio* quam profitemur, quæ non meram veritatis professionem postulat, sed præcipuè pietatis & charitatis praxim Rom. 2: 28. 29. Jac. 1: 27. *Religio immaculata Dei nostri, est visitare viduas & orphanos in afflictionibus suis, & immaculatum se à mundo servare.*

4. à Statu gratiæ. X. Quartò, *Status Gratiæ & Libertatis*, in quem Evangelium nos transfert hoc postulat. Quia Libertas spiritualis est à Legis maledictione, Diaboli tyrannide, & Peccati jugo, sed non carnis licentia, quæ nos non eximit ab obedientia Dei, sed fortiori vinculo nos illi obstringit; *Liberati à peccato*,
Rom. 6: 18. inquit Paulus Rom. 6: 18. *servi fimus justitiæ.* Et 1 Pet. 2: 16. *quasi liberi, sed*
1 Pet. 2: 16. *non quasi velamen malitiæ habentes libertatem, sed servi Dei*, In cujus scil. cultu vera nostra libertas posita est, *quia servire Deo regnare est*. Christus liberando nos à maledictione & rigore Legis, non liberat tamen ab obligatione obedientiæ, quæ indispensabilis est à Creaturâ. Idem exigit *Gratia*, quæ quò major est, eò efficaciùs ad gratitudinem obligat, ut non convertatur in ἀσέλγειαν Gal. 5: 13. Jud. 4. sed ut ad sanctimoniæ studium referatur Tit. 2: 12. Unde Rom. 6: 14. colligit Ap. non esse *manendum in peccato, quia non sumus sub Lege sed sub Gratia.*

5. à Dei beneficiis. XI. Quintò, *Beneficia* omnia Dei eò tendunt, sive quoad præteritum spectentur in Electione æterna, sive quoad præsens in Gratia, sive quoad futurum in Gloria. Ista enim omnia non aliâ de causâ nobis destinantur, vel conferuntur, quàm ad opus sanctificationis promovendum. Ideò bona opera
Eph. 1: 4. proponuntur nobis ut *effecta* Electionis æternæ Eph. 1: 4. *fructus* & sigilla gratiæ

tiæ præsentis 2 Tim. 2: 19. 2 Cor. 1: 21. 22. Joh. 15: 4. Gal. 5: 22. & *semina* seu *primitiæ* & arrhæ gloriæ futuræ Gal. 6: 7. 8. Eph. 1: 14. Rom. 8: 23. Unde à Bernardo de Gratia & Libero Arbitrio, Ea vocantur *spei seminaria*, *charitatis incentiva*, *occulta Prædestinationis indicia*, *futuræ felicitatis præsagia*. *via regni*, *sed non causa regnandi*. Quod Scriptura non semel testatur, de Electione Joh. 15: 16. Eph. 1: 4. 2 Thess. 2: 14. de Redemptione Luc. 1: 74. Tit. 2: 14. 1 Pet. 2: 24. 2 Cor. 5: 14. 15. De Vocatione 2 Pet. 1: 10. & 1æ 2: 9. Phil. 3: 14. De Fide Gal. 5: 6. Act. 15: 9. de Justificatione Psal. 130: 3. & 85: 9. Eph. 2: 8. 9. 10. De Regeneratione 2 Cor. 5: 17. Col. 3: 1. 2.

QUÆST. III.
2 Tim. 2: 19.
1 Cor. 1: 21.
Gal. 6: 7. 8.
Eph. 1: 14.
Rom 8: 23.

XII. Hoc ipsum de *Gloria futura* non minùs expressè traditur. Cùm enim bona opera rationem habeant *Mediorum* ad finem Joh. 3: 5. 16. Mat. 5: 8. *Viæ* ad metam Eph. 2: 10. Phil. 3: 14. *Sementis* ad messem Gal. 6: 7. 8. *Primitiarum* ad massam Rom. 8: 23. *Laboris* ad Mercedem Mat. 20: 1. *Certaminis* ad coronam 2 Tim. 2: 5. & 4: 8. Nemo non videt summam esse & indispensabilem bonorum operum ad gloriam assequendam necessitatem, & tantam ut sine illis obtineri nequeat Heb. 12: 14. Apoc. 21: 27.

XIII. Denique cùm tria sint, quorum quærendorum præ cæteris necessitas nobis incumbit, *Dei* scilicet *gloria*, *Proximi ædificatio*, Et *propria salus*, ad quæ bonorum operum praxis, maximè facere notum est, necessariam eam esse supra omnia facilè constat Mat. 5: 10. Phil. 1: 11. Rom. 15: 2. 2 Pet. 1: 10.

XIV. Opera trifariam spectari possunt, vel ratione Justificationis, vel Sanctificationis, vel Glorificationis, Ratione prioris non se habent antecedenter, efficienter, & meritoriè, sed consequenter, & declarativè. Ratione Sanctificationis, se habent constitutivè, quia eam constituunt & promovent. Ratione Glorificationis verò antecedenter & ordinativè, quia ad eam referuntur ut medium ad finem. Imò ut initium ad complementum, quia gratia est gloriæ inchoatio, ut gloria est gratiæ consummatio.

Fontes Solutionum.

XV. Quamvis necessitatem bonorum operum agnoscamus contra Epicureos, non confundimus ideò Legem & Evangelium, & lædimus justificationem gratuitam per solam fidem. Quia bona opera requiruntur non ad vivendum ex Lege, sed quia vivimus per Evangelium, non ut causæ propter quas nobis datur vita, sed ut effecta quæ testantur vitam esse nobis datam.

XVI. Fideles sunt populus voluntarius, qui non debet ad bona opera impelli ἐξ ἀνάγκης, necessitate scil. coactionis, sed sponte & ἑκουσίως. Sed non desinunt tamen opera esse necessaria necessitate medii & debiti. Licet omnis coactio sit necessitas, non omnis necessitas est coactio.

Calumniæ, quæ contra necessitatem bonorum Operum ex doctrina nostra de Perseverantia & Certitudine Fidei peti solent, supra sunt discussæ Loc. XV. Qu. XVI. & XVII.

QUÆSTIO IV.

DE VERITATE BONORUM OPERUM.

Quid requiratur, ut Opus sit verè bonum, & An Opera Justorum sint talia? Affir.

Quænam sint bona Opera?

I. QUum loquimur de *Veritate bonorum Operum*, non intelligimus opera simpliciter moralia, prout contra distinguitur spiritualibus & supernaturalibus à quibusdam; Quo sensu *moralia* illis dicuntur, quæ quoad externam disciplinam, seu actum externum, quam substantiam vulgò vocant, talia sunt, quæ constituunt disciplinam seu justitiam civilem & externam, quam Aristoteles in Ethicis explicat. *Spiritualia* verò sunt, quæ tam quoad substantiam, quàm quoad circumstantias talia sunt. Illa dicuntur bona ὁμονύμως, & quoad externam speciem tantùm; Ista verò συνονύμως, & quoad essentiam, quatenus habent in se bonitatem supernaturalem, Deo reconciliato & Patri verè complacentem, & ab eodem ad præmia tàm hujus quàm futuræ vitæ ordinatam, de quibus hic agitur.

II. In Operibus istis *materia*, & *forma* spectanda est. *Materia* sunt omnes actiones hominis, quæ ab intellectu & voluntate hominis pendent, & quæ ad τὸ θυμικὸν & τὸ ἐπιθυμητικὸν pertinent, tum illæ quæ Philosophis dicuntur primi motus, sive fiant absque mora, sive cum mora, quæ mores vulgò dicuntur, sive absque delectatione, sive cum illa, sive indeliberatæ, sive deliberatæ & cum consensu voluntatis. *Forma*, est convenientia cum Lege & voluntate Dei, tàm quoad substantiam actionis, quàm quoad circumstantias.

III. Per *substantiam actionis*, non intelligimus tantùm actum externum loco motivæ, sed actum tum internum, tum externum simul, siquidem uterque conjungitur, vel internum tantùm, siquidem externus nequeat haberi. Qui duo actus ita se habent ad invicem, ut actus externus sine interno non sit propriè bonus, prout apparet in hypocritis, sed internus possit esse sine externo, quia bonitas in voluntate & intentione propriè constituitur. Deinde externus non auget bonitatem interni per se, sed per accidens, quatenus actum voluntatis, vel continuat vel conservat.

IV. Per *circumstantias* intelligimus omnes modificationes, quæ ejusmodi actionibus accidunt, ut non tantùm opus *bonum* fiat, sed etiam ut *benè* fiat juxta præscriptum Dei, quo sensu vulgò dicitur, *Deum non tam amare ad-*

adjectiva, quàm adverbia; & bonum requirere integram causam, quæ non substantiam tantùm actionis, sed & circumstantias complectitur. Unde fit ut res in se bona, mala tamen fiat, & in peccatum convertatur, si non bene fiat, ut Oratio, Charitas *&c.*

Quid requiratur in Operibus bonis, & quæ sint.

V. Ad istam autem bonitatem constituendam, Quatuor inprimis requiruntur. *Principium*, *Regula*, *Modus*, *Finis*, 1. Ut opus fiat ex fide cordis regeniti, quia *quicquid fit sine fide peccatum est* Rom. 14: 23. 2. Ut fiat juxta præscriptum Legis & voluntatem Dei in Verbo revelatam, quæ unica est fidei, vitæque regula. 3. Ut fiat modo legitimo, id est, non tantùm externè, sed & internè, quia Lex quæ spiritualis est Rom. 7. non externos tantùm motus corporis attendit, sed præcipue internos animi affectus. 4. Ut fiat ad gloriam Dei, quæ unicus est scopus, ad quem semper respicere debemus; & cui omnia subordinare decet 1 Cor. 10: 31. non tantùm intentione virtuali & habituali, sed etiam actuali, quia cùm sit intentio summi Boni debet esse explicatissima, & quæ non interrumpatur alia intentione.

Unde sequitur Ethnicorum virtutes non fuisse bona opera.

VI. Hinc verò colligitur 1. Ethnicorum virtutes, quantumvis insignes, non posse tamen dici bona opera; quicquid Pelagiani olim, & hodie Sociniani, Pontificii, & Jesuitæ inprimis statuant, qui *opera infidelium nolunt esse peccata, nec Philosophorum virtutes esse vitia*, ut habetur in Bulla Pii V. & Gregorii XIII. Et apud Bellarm. lib. 5. de Gra. & Lib. Arb. cap. 9. & seq. & Tirin. Controv. 12. nu. 5. Quibus se fortiter opposuit Jansenius in Augustino suo cum tota familia sua. Licet enim haberent aliquam bonitatem externam, ratione actus externi, & objecti, quod bonum fuit, peccabant tamen in tribus, 1. ratione *principii*, quod non fuit cor regenitum, sed impurum, quamvis aliquâ cognitione honesti & turpis ex Legis naturalis dictamine imbutum. 2. ratione *modi*, quia deerat interna cordis obedientia. 3. ratione *finis*, quia requirebatur directio ad gloriam Dei, quam non attendebant. Nec propterea nullum discrimen statui potest inter scelestissimos & honestiores ex ipsis, ut inter Fabricium & Catilinam; quia manebat semper inter eos discrimen, *Non quia ille bonus*, inquit Augustinus, *sed quia iste magis malus, & minus impius, quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deviando.* Præstabat ergo ipsis honestati isti civili studere, quàm laxare habenas appetitui carnis, per quam si præmium gloriæ assequi non poterant, mitiorem tamen pœnam debebant expectare. Ut minus peccabant, in modo agendi tantùm deficientes, aliis qui peccabant in ipsa substantia facti. Sed quia de hac Quæstione actum est P. I. Lo. X. Q. V. plura non addimus.

Nec bonam intentionem sufficere.

VII. Hinc etiam patet Pontificios errare, quum bona opera ea volunt esse, quæ Deo non jubenti & poscenti obtruduntur, qui cultus voluntarius à Paulo ἐθελοθρησκεία dicitur & damnatur Col. 2: 23. Nam quum agitur de

QUÆST. IV. Dei cultu, non tantùm abstinendum est vetitis, sed etiam non jussis. Imò talia opera hoc ipso vetita sunt, quia non jussa Deut. 12:32. *Facies quæcunque jubeo, nihil addes, nec detrahes*, Num. 15:28. *Memineritis omnium mandatorum Domini, & ea facietis: nec sequemini cogitationes cordis vestri.* Aliàs clamat apud Isa. 1:12. *Quis hac requisivit e manibus vestris?* Et c. 29:13. *Frustra me colunt tradentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*

Deut. 12:32

Isa. 1:12. & 29:13.

VIII. Nec huic errori potest favere, dilutum bonæ intentionis commentum, quasi quod fit contra aut præter Dei mandatum, possit esse bonum opus, quia fit ad rectam intentionem. Perperam enim intentio bona appellatur, quæ Dei intentioni adversatur. Bonam intentionem sanè obtendebat Saul, quum jussus internecione delere Amalekitas, & greges perdere, Regi pepercit, & opimas pecudes reservavit ad sacrificia, sed hoc ipsi pessimè cessit, & Samuel testatur obedientiam Deum velle, non sacrificium quavis bonâ intentione oblatum. Hæc eadem bona intentio Uzam perdidit, quum nutantem Arcam in plaustro injectâ manu sustentavit. Christus Joh. 16:2. de persecutoribus loquens, dicit, eos *putare se servire Deo, necantes fideles*; & pessimæ quæque Religiones maximè sibi plaudunt, & bonam intentionem operibus suis obtendunt.

IX. Porrò ad Quæstionem, quæ hìc nobis movetur à Pontificiis, *An Opera fidelium verè bona sint, & dici possint?* Distinguendum est accuratè inter *τὸ vere bonum*, & *τὸ perfecte bonum*. Hoc operibus Sanctorum tribui non posse antea evicimus propter imperfectionem sanctificationis, & peccati reliquias. Sed illud rectè de illis prædicatur; quia licet nondum perfectè sint regeniti, verè tamen & non hypocriticè sunt renovati. Quod dum distinguere nolunt Pontificii, perperam nobis objiciunt, nos negare fidelium opera esse verè bona; quia ea imperfecta esse pertendimus, cùm tamen veritas & perfectio operum diversissimæ sint; Et illa possit dari sine ista.

Opera Fidelium sunt verè bona.

X. Opera Fidelium esse verè bona probatur, 1. Quia non fiunt solum cum generali concursu Dei, sed speciali motione & impulsu Spiritus Sancti, qui habitat in cordibus fidelium, eosque ad bona opera excitat. Unde illi, ut primariæ causæ opera ista solent tribui Ezech. 36:27. Gal. 5:22. Rom. 8:9. 10. Phil. 1:6. & 2:13. Nec fiunt tantùm excitante & impellente Spiritu Sancto, sed etiam mediantibus gratiæ infusæ qualitatibus, quæ superant naturæ ordinem. Unde Paulus Gratiæ Dei omnia sua opera accepta refert 1 Cor. 15:10. & nihil sine se Christus nos posse asserit Joh. 15:5. Quod autem à Spiritu & gratia Christi producitur, verè bonum non potest non esse. Nec obstat Caro, quæ in nobis adhuc manet; Quia ejus præsentia perfectionem quidem sanctificationis tollere potest, sed non ejus veritatem.

XI. 2. Quia opera ista Deo placent. Ergo verè bona sunt. Nam quod pro-

propriè & per se peccatum est, Deo placere nequit. Loca sunt obvia 1 Pet. 2: QUÆST.
5. Heb. 11:4:6. & 12:28. Rom. 12: 1. & 14: 18. Phil. 4: 18. Fateor pri- IV.
mam acceptationis causam, esse Christum in quo grati sumus Deo Eph. 1:6. quia Persona priùs est grata Deo, & illi reconciliata per Mediatorem; quo sensu Deus dicitur priùs respexisse ad Abelem, quàm ad sacrificium ejus Gen. 4: 4. Sed hoc non obstat, quominus Deus illis etiam delectetur propter veram bonitatem, quæ in illis occurrit, manantem puta ex regeneratione cordis, & Imaginis Divinæ restauratione. Nam ubicunque faciem suam Deus contemplatur, illam meritò amat, & in honore habet, atque ideo non sine causa dicitur illi placere fidelium vita ad sanctitatem & justitiam composita.

XII. 3. Qui illis merces promittitur; quod non fieret si non essent verè bona. Nam licet opera nihil habeant in se quod mereri possit & consequi talem mercedem, quæ ideo est merè gratuita, ut postea dicetur; Tamen habent quandam ordinationem & aptitudinem ut ordinentur ad præmium, tum ex conditione operantis, qui supponitur fidelis, id est, in gratiam & amicitiam Dei admissus. Tum ex conditione operum ipsorum, quæ licet non habeant condignitatem ad præmium, habent tamen relationem dispositionis, quæ requiritur in subjecto ad ejus possessionem, & quâ positâ non potest non dari præmium, ut illâ negatâ non potest obtineri. Nam ut sine sanctitate nemo videbit Deum, & nisi quis renatus sit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi Regnum cœlorum Joh. 3: 5. Heb. 12: 12. Ita positâ sanctitate necessariò ponitur gloria ex connexione inseparabili, quæ intercedit inter ipsas.

XIII. Veritatem bonorum operum Fidelium non destruit, quod affirmamus omnia opera etiam optima in hac vita non carere peccato; Quia licet affirmemus quoad *modum*, nunquam eâ perfectione fieri, quæ possit sustinere rigidum judicii divini examen, propter sanctificationis imperfectionem; Statuimus tamen quoad *rem* bona esse opera. Et si peccata dicuntur, hoc intelligendum per accidens ratione modi, non per se & naturâ suâ. Ita manet semper discrimen inter irregenitorum & renatorum opera. Illa enim essentialiter & specificè mala sunt, adeoque destituta illis circunstantiis & conditionibus, quæ requiruntur ad essentiam boni operis, quæ proinde tantùm bona sunt quoad speciem & apparentiam. Hæc verò essentialiter sunt bona opera, quia omnia habent à quibus bonitas actionis resultat, adeoque verè talia, non apparenter, quamvis gradualiter deficiant, & sibi admixtos habeant nævos.

XIV. Licet opera renatorum dicantur peccata, atque ita fides, quâ justificamur, peccatum sub aliqua σχέσει dici possit, ut & oratio quâ petimus remissionem peccatorum; Non sequitur hominem per peccatum justificari, & per peccatum impetrare remissionem peccati. Quia non dicimus opus ipsum

QUÆST. IV.

ſum credendi vel orandi eſſe peccatum, ſed tantùm nævos & defectus qui illi adhærent. Ita opus fidei non eſt inſtrumentum juſtificationis, reſpectu talium nævorum, ſed reſpectu actus ipſius, qui à Spiritu Sancto producitur, & ſub illa reduplicatione. Nec per peccatum quærimus aut obtinemus remiſsionem peccati, ut ineptè colligunt Adverſarii; Sed per & propter meritum Chriſti, mediante, tanquam conditione à nobis requiſitâ, officio, non vitio orationis noſtræ.

1 Cor. 4: 14. XV. Quamvis concedatur opera omnia renatorum eſſe aliquo peccato vitiata, rectè potuit dicere Apoſtolus *nihil mihi conſcius ſum*, quia hic non de totius vitæ ſuæ curſu loquitur, ſed de miniſterio fideliter adimpleto, nec gloriatur opus miniſterii ſic à ſe adimpletum, ut nihil vitii huic operi ex parte carnis intervenerit, ſed ut nihil doloſè & impiè egerit, quô conſcientiam ſuam ſauciaret; nam aliàs Rom. 7: 19. profitetur ſe non facere bonum quod cupit, ſed potius malum quod odit.

XVI. Cùm Deus operetur in nobis omnia noſtra bona opera ſecundùm id quod habent in ſe bonitatis, & non ſecundùm id quod habent in ſe imperfectionis aut vitioſitatis, quo ſenſu proficiſcuntur à Carne; Verè dicimus omne opus bonum eſſe aliquo peccato vitiatum; Et verè tamen negamus Deum eſſe hujus vitii ſeu peccati authorem.

XVII. Non abſurdum eſt & ἀσύςατον idem opus bonum & malum, præmio & pœnâ dignum vocari κατ' ἄλλο ϰ ἄλλο, bonum quatenus à Spiritu proficiſcitur, malum prout Caro illi admiſcetur, bonum ratione actus, malum ratione vitioſitatis illi adhærentis. Nec tamen per ejuſmodi opera dici debent fideles ſervire Deo & Diabolo, vel eſſe filii Dei, & Diaboli. Quia illi Diabolo tantùm inſervire dicuntur, & ejus filii appellantur, qui ſub dominio peccati vivunt, & opera tenebrarum volentes perpetrant, non qui hoc dominium excuſſerunt, & opera bona licet carnis vitio aliquantum impurata producunt. Sic Paulus Rom. 7. ſe Chriſto ſervire profitetur, & inter Filios Dei reputatur, qui confitetur tamen ſe mente ſervire Legi Dei, Carne verò legi peccati.

QUÆ-

Quæstio V.

De Merito Operum.

An detur ullum Meritum de Congruo, vel de Condigno? Et An bona Opera sint meritoria Vitæ æternæ? Neg. contra Pontificios.

I. Ut Doctrina de Meritis Operum clariùs teneatur, pauca de voce *Meriti*, & verbo *merendi* præmittenda sunt, ex quibus de re ipsa faciliùs ferri poterit Judicium.

II. *Meriti* vox bifariam sumitur, vel latè & impropriè, vel strictè & propriè. *Strictè* notat illud opus, cui merces ex justitia debetur propter intrinsecum ejus valorem & dignitatem. Sed latè sæpè ponitur pro rei alicujus consecutione, quo sensu verbum *merendi* sæpè apud Patres ponitur pro *consequi*, *obtinere*, *impetrare*, Aug. Serm. 49. de Tempore, *Peccator de se non desperet, quia Paulus meruit indulgentiam.* Ambros. lib. 10. in Luc. c. 22. *ô aqua, quæ Sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris.* Hinc ex Greg. Ecclesia Rom. canit, *ô felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem.* Cujus vocis abusum non dissimulant ipsi Pontificii. *Cassander* in Scol. ad Hymn. Eccles. p. 179. *Vocabulum merendi*, inquit, *apud veteres Ecclesiasticos Scriptores idem ferè valet quod consequi, seu aptum idoneumque fieri ad consequendum*; quod probat ex loco Cypriani, qui quod Paulus dicit ἀλλὰ καὶ ἠλεήθην 1 Tim. 1: 13. *misericordiam consecutus sum*, vertit ad Jubaianum *misericordiam merui*, & ibidem addit, *quæ vocis notio si retineatur, multa, quæ duriùs dici videntur, mitiora & commodiora apparebunt.* Vega lib. 8. de Justif. 108. *Non me fugit*, inquit, *usurpari apud Patres nomen meriti, ubi nulla est ratio meriti, neque de congruo, neque de condigno.* Eodem sensu Authores Confessionis Augustanæ Art. 6. vocem *meriti* usurpant, ut & Apolo. art. 20. ut agnoscit Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 1. Ex quo verò verbum *merendi*, & vox *meritorum* improprio isto sensu frequentiùs usurpata est; Posteriores Scholarum Doctores Pharisaïco supercilio jam turgentes, phrasibus Patrum malè & præter mentem ipsorum acceptis, dicere cœperunt homines suis operibus propriè mereri vitam æternam, & bona opera esse meritoria vitæ æternæ, non solùm ex pacto, sed etiam ratione ipsius operis.

Vox meriti latè & strictè sumitur.

QUÆST. V.

Triplex meritum, congrui, digni, condigni, juxta Pontificios.

III. Pontificii *meritum* vulgò definiunt, Actionem cui debetur aliqua merces. Species alii duas, alii tres faciunt. Aliud meritum *congrui*, Aliud *digni*, Aliud *condigni*. *Meritum congrui* vocant *opus moraliter* bonum, *factum ex libero arbitrio, non adjuto à gratia*. Nempe quòd congruum sit & conveniens divinæ bonitati moraliter benè dispositis, & facientibus quod in se est infundere gratiam justificationis. *Meritum digni* statuunt esse Idoneitatem seu aptitudinem operantis ad assequendum id quod meretur, ut nominis ratio petatur à persona operante, quàm ab ipso opere, quatenus scilicet digna censetur à Deo, quæ mereatur vitam æternam. Denique *Meritum condigni* volunt esse *bonum opus factum ex libero arbitrio adjuto à gratia*, quod tale sit, ut omnino dignum sit tali mercede, non solùm ex pacto, sed etiam propter intrinsecam valorem operis, & æqualitatem inter opus & mercedem. Sed plerique ex Recentioribus, ut Bellarm. & alii, tres istas species ad duas contrahunt, ideò maximè quia V. V. vocem ἄξιον ex qua meritum elicere volunt, modò per dignum, ut Apoc. 3:4. modò per *condignum* vertit, ut nullum hac in parte sit utriusque discrimen, Bellar. l. 5. de Justif. c. 16. Hinc alia dicuntur esse merita gratiæ de congruo, alia merita gloriæ de condigno.

IV. Fatendum est tamen non paucis ex Pontificiis distinctionem istam minùs arridere & incongruam videri, qui nulla dari merita de congruo censent; inter quos *Thomas Waldensis*, & *Paulus Burgensis*, referente Bellar. lib. 5. de Justif. cap. 16. *Stapleto.* lib. 2. de pecc. orig. cap. 4. *Meritum de congruo*, inquit, *respectu primæ gratiæ, jam olim explosum est, nec à probatioribus Scholasticis, ut à S. Thoma in Summa, & posterioribus scriptis, ejusque sequacibus unquam admissum.* Becanus agnoscit q 1. cap. 4. *Meritum de congruo propriè non habere rationem meriti*, sed tantùm cujusdam congruentiæ, ac proinde non necesse esse de eo disputare, quia nihil certi de eo affirmari possit. Quia tamen ab aliis non paucis adhuc retinetur, ut à Vasquezio, Cajetano & aliis, & recepta est communiter inter ipsos sententia, vanitas ejus breviter demonstranda erit.

Quid sit meritum, & quæ ejus conditiones.

V. Quod ut commodiùs fiat, præmittenda est *Meriti* propriè dicti definitio, & videndæ conditiones, quæ ad id requiruntur. *Biel* lect. 69. in Can. Missæ definit meritum *esse opus imputabile ad laudem*, id est, laude dignum. Hoc sensu si contenti essent Adversarii, nulla esset quæstio. Nemo enim negat bona opera fidelium esse laude digna. Bellarm. lib. 5. de Justif. à cap. 10. usque ad 16. septem conditiones: Operis meritorii: at sex tantùm recensentur 1. ut sit opes bonum. 2. opus liberum. 3. factum in obsequium Dei. 4. ab homine viatore, id est, in vivis agente. 5. justificato & amico Dei. 6. quod proficiscatur ex charitate. 7. quod habeat annexam Dei promissionem. Sed licet istæ omnes conditiones requirantur in opere bono, non sufficiunt tamen ad illud reddendum meritorium, quia in vero merito aliquid insuper

ſuper requiri agnoſcit ipſe Bellarm. cap. 14. & 17. nimirum intrinſecam vim &dignitatem, quum dicit meritum illud eſſe, cui præmium debeatur ex ratione juſtitiæ, non modò diſtributivæ, ſed etiam commutativæ, ut ſit juſta æqualitas inter opus & mercedem. QUÆST. V.

VI. Ad verum ergò meritum quinque iſtæ conditiones exiguntur 1. ut *opus ſit indebitum*, nemo enim meretur perſolvendo quod debet Luc. 17:10. ſed ſatisfacit. 2. ut ſit *noſtrum*, nemo enim de alieno poteſt dici mereri. 3. ut ſit *perfectum* omnibus numeris & omni nævo carens; nam ubi eſt peccatum, ibi non poteſt eſſe meritum. 4. ut ſit *æquale* & proportionatum præmio & mercedi, ſecus donum fuerit, non meritum, quod Bellarm. ipſe agnoſcit l. 5. de Juſtif. cap. 17. ex mente, ut ipſe ſtatuit, Concilii Trident. 5. ut præmium tali operi ex juſtitia debeatur, Unde vulgò definitur *Opus indebitum, præmium ex ordine juſtitiæ ex indebito faciens debitum.*

Nullum dari meritum in genere.

VII. Ex quibus facilè colligimus nullum poſſe nunc dari meritum in homine apud Deum, qualibuscunque operibus, nec de congruo, nec de condigno. 1. quia non ſunt indebita, ſed debita, quicquid enim ſumus & poſſumus, hoc totum debemus Deo, cujus ideo debitores dicimur Luc. 17: 10. & Rom. 8: 12. 2. nullum eſt noſtrum, ſed omnia ſunt dona gratiæ & fructus Spiritus Jac. 1: 17. Philip. 2: 13. 2 Cor. 3: 5. 3. non ſunt perfecta, ſed variis adhuc nævis inquinata Rom. 7: 18. Gal. 5: 17. 18. & Iſa. 64: 6. 4. non ſunt æqualia gloriæ futuræ, quia finiti & temporarii ad infinitum & æternum nulla eſt proportio Rom. 8: 18. 2 Cor. 4: 17. 5. Merces quæ illis promittitur merè eſt gratuita & indebita, adeoque expectanda, non ex interno operis merito, & intrinſeca ejus dignitate, ſed tantùm ex coronantis liberrima dignatione Rom. 6: 23. & 4:4. & 11: 6. Hinc etiam patet nullum dari meritum propriè dictum hominis erga Deum, in quocunque fuerit ſtatu; adeoque Adamum ipſum ſi perſtitiſſet, non fuiſſe meriturum vitam ex rigore juſtitiæ, licet per quandam συγκατάβασιν Deus pollicitus ipſi eſſet ex pacto vitam ſub conditione perfectæ obedientiæ, quæ meritoria dicitur ex illo pacto latiori ſenſu, quia debuit eſſe veluti fundamentum & cauſa meritoria ad cujus intuitum Deus vitam illi adjudicaſſet.

Nec de Congruo.

VIII. In ſpecie contra Merita de Congruo facit. 1. Quod nihil boni ab homine peccatore & nondum regenito vel cogitari vel præſtari poteſt, ut fusè ſuo loco probatum, dum de Libero Arbitrio, & Vocatione efficaci actum eſt. 2. Quia Gratia quæ debetur, non eſt gratia. At gratia quæ nobis datur eſt omnimodè gratuita, quæ omnes actus & diſpenſationes noſtras prævertit & anteit, & circa quam homo ſe habet merè paſſivè, ut paſſim à Paulo docetur Rom. 9: 16. Eph. 2: 3. 5. 9. 10. Tit. 3: 5. 1 Cor. 3: 3. 5. & à nobis loco citato oſtenſum. 3. Quia ſic homo prius daret aliquid Deo contra Paulum, Rom. 11: 35. & haberet aliquid quod non accepit contra eundem 1 Cor. 4: 7.

QUÆST. V. 4. Quia inimici, & Athei, quales sumus omnes ante gratiam Eph. 2: 11. Tit. 3: 3. nihil mereri possunt. 5. Quia vel meritum istud oritur ex omnibus operibus, vel ex quibusdam tantùm, Ex omnibus nemo dixerit; Nec ex quibusdam, quia sic qui peccaret in uno, non esset reus omnium contra Jacobum c. 2: 10.

Mat. 13: 12. IX. Frustra ad meritum congrui torquetur dictum Christi Matt. 13: 12. *habenti dabitur.* Quia ibi; ut alibi est observatum, non agitur de donis Naturæ, sed Gratiæ, non de virtutibus moralibus aut actibus dispositoriis non renatorum, sed de incrementis veræ fidei secundùm gratiam Electionis v. 11. Quod *Heb.* 13: 16. dicitur Deus εὐαρεστεῖσθαι hostiis beneficentiæ Heb. 13: 16. docet quidem Deum delectari talibus victimis, & eas gratas habere, sed nequaquam ipsum talibus promereri, ut barbarè vertit Versio Vulgata, Præterquam quod agitur de operibus fidelium, qui jam sunt in gratia, non de actibus non renatorum, Nec si Deus remuneratus est aliquando virtutes Gentilium, vel non renatorum, temporalibus quibusdam beneficiis, ut testaretur quantum ipsi accepta esset vera justitia, sequitur eos meruisse de congruo talem mercedem.

Nec de condigno. X. Quoad *merita de condigno* non una est Pontificiorum sententia. Tres enim præcipuæ recensentur. Prima eorum, qui volunt opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio, quam Bellarm. lib. 5. de Justit. cap. 17. tribuit *Cajetano*, *Do. a Soto*, & quam *Vasquez*, *Michael Bayus*, & plerique Thomistæ sequuntur, ut observat Becanus Tract. 4. To. 1. par. 2. Altera est *Scoti* & ejus sequacium, qui pertendunt opera bona ex gratia præcedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantùm ratione pacti & acceptationis divinæ. Tertia eorum, qui duas primas sententias conjungentes, censent opera, nec simpliciter ex se, nec ex pacto tantùm meritoria esse, sed ratione pacti & operis simul, quam Bellarminus amplectitur, & quam vult esse Concilii Tridentini, licet nihil ex illo certi exsculpere possit. Certum quidem est Concilium merita expresè asseruisse, sed in eo veteratoria Patrum calliditas se exerit, quòd conscii Certaminum Scholasticorum de ratione & modo meriti, noluerunt tamen litem pendentem decidere, & solitis cothurnis usi sunt, ut utramque litigantium partem utcunque conciliarent cap. 16. & Can. 32. *Si quis dixerit Hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per gratiam & Jesu Christi meritum, cujus membrum vivum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia excesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anathema sit.*

XI. Licèt verò, qui secundam sententiam amplectuntur, nullum agnoscentes meritum nisi ex pacto, minùs periculosè errent cæteris, & propiùs ad

ad veritatem accedant; non possunt tamen excusari. Primò quòd vehementer vocibus abutantur, meritum de condigno illud vocantes, quod nullo modo nomen illud meretur, si ordinarium loquendi usum sequi volumus. Quis enim dixerit opus de condigno mereri vitam æternam, quod per se non est tanto præmio dignum, sed cui præmium istud supra propriam ejus dignitatem liberaliter est promissum? Deinde locutio ista non modò abusiva, sed & valde periculosa est, favens scilicet supercilio Pharisaïco, quæ occasionem præbet in reipsa graviter errandi, operibus nostris nimium tribuendo, & non parum imminuendo gloriam Divinæ Misericordiæ, quod in Ecclesia Romana contigisse nimis constat.

QUÆST. V.

XII. Cæterùm quia communior Pontificiorum sententia ea est, quam Bellarminus sequitur, qui meritum operum adstruit partim ex pacto, partim ex intrinseca operis dignitate, adversus eam disputaturi, Statum Quæstionis ante omnia debemus investigare. Non quæritur 1. An bona opera grata sint & accepta Deo, & mercedem vitæ à Deo consequantur. Hoc enim Adversariis ultro concedimus, modò merces gratuita, non debita intelligatur. 2. Non quæritur, An liceat operari intuitu mercedis. Hoc enim non diffitemur fieri posse duplici adhibitâ cautione. Primò, ut sit intuitus mercedis ut gratuiti præmii, non verò ut debiti pretii. Secundò, ut non spectetur sola, vel primariò & principaliter, sed minùs principaliter & secundariò post gloriam Dei, quæ hic ante omnia à nobis spectanda est.

Status Quæstionis.

XIII. 3. Non quæritur, An opera habeant aliquam relationem ad vitam æternam; & An detur aliqua convenientia & proportio inter bona opera & vitam æternam? Fatemur enim dari relationem ordinis & connexionis, qualis est inter medium ad finem, viæ ad metam, certaminis ad coronam, antecedentis ad consequens; Et dari convenientiam & proportionem veluti inter res ejusdem ordinis, qualis est inter sementem & messem, primitias & massam, initium rei & ejus complementum. Sed quæritur, An habeant relationem causæ propriè dictæ, & An detur inter ea proportio æqualitatis, & commensurationis? quod negamus.

XIV. 4. Non quæritur, An Deus debeat ex pacto mercedem rependere bonis operibus? Non negamus enim Deum ex quo promissionem dedit, necessariò ad eam implendam teneri, & sic debitorem quodammodo, non nobis, sed sibi, & suæ fidelitati fieri. Sed quæritur, An opera ex intrinseco valore & dignitate præmium à Deo promissum mereantur & obtineant, & cujus vi ipsam salutem dici possint efficere, Affirmant Adversarii, Nos negamus.

XV. Adversarii mentem suam sic explicant, Vasquez in 1. 2æ Tom. 2. Disp. 214. *Est Catholicæ doctrinæ magis consentaneum, primùm valorem & dignitatem vitæ æternæ absque ullo pacto & favore operibus justorum adscri-*

 scri-

QUÆST. V.

scribendum esse, Et paulò pòst, subjicit, *Operibus Justorum nullam accessionem dignitatis provenire ex meritis Christi aut ex ejus Persona.* Bellarm. lib. 5. de Justific. cap. 3. *Magis honorificum est habere aliquid ex merito, quàm ex sola donatione*, & cap. 17. & 18. ausus est pronunciare Deum esse debitorem homini & obnoxium, *Non ex sola*, inquit, *promissione*, *sed etiam ex opere nostro Deus efficitur debitor.*

Nullum dari meritum condigni probatur 1. A parte Dei dantis vitam. Rom. 6:23.

XVI. Sed superbam hanc & Pharisaicam doctrinam Scriptura non semel anathemate percutit. 1. A *parte Dei vitam dantis.* Quum vitam æternam vocat donum Dei, & non quodvis donum, sed χάρισμα quod est donum verè gratuitum, quod venit ἀπὸ τοῦ χαρίζεσθαι & quod opponitur debito Rom. 4:4. *Stipendium peccati*, inquit Apost. Rom 6:23. *mors est*, *sed donum Dei*, *vita æterna.* Vis argumenti crescit ex antithesi stipendii, & doni; Postulare enim videbatur justa oppositionis ratio, ut quemadmodum dixerat *stipendium peccati est mors*, Ita ex adverso diceret, *stipendium autem justitiæ vita æterna.* Nec aliter loqui debuisset, si credidisset cum Pontificiis meritis nostris vitam acquiri; Cur verò Apostolus violavit legem antitheseos, & inverso sermone dicit, donum Dei est vita æterna, nisi ut ostenderet diversissimam esse utriusque rationem; vitam & mortem quidem esse ultimos hominis fines, sed parem non esse utriusque conditionem, mortem acquiri veris meritis, id est, peccatis, quibus ex justitia distributiva illa debetur; sed non ita vitam æternam acquiri per justitiam, nulli merito reddi, sed esse gratuitum donum, quod ex mera liberalitate conferatur. Quod August. bene observat de Grat. & Lib. Arb. cap. 9. *Cum posset*, inquit, *dicere*, *stipendium justitiæ vita æterna*, *maluit dicere*, *Gratia autem vita æterna*, *ut hinc intelligeremus*, *non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam*, *sed pro sua miseratione perducere.* Eodem pertinent varia illa loca, ubi salus dicitur esse à misericordia Ps. 103:4. *qui coronat te misericordiâ* Eph. 2:8. 9. *Gratiâ servati estis* &c. Tit. 3:5. *Misericordia sua servavit nos* &c. Cùm enim misericordia sit gratuita & indebita, si salus est à misericordia non potest esse à meritis.

XVII. Frustra reponitur vitam æternam dici gratiam, non quòd non sit merces meriti, sed quia ipsa merita sunt ex gratia. Quia illa sunt ἀσύστατα, dare aliquid ex gratia, & dare ex merito, meritum enim facit rem debitam; at gratia indebitam supponit; quicquid ergo datur ex gratia, non potest dari ex merito, aliàs gratia non esset gratia Rom. 11:6. quod ipse Bellarm. non diffitetur, qui dicit cap. 14. in pensando merito, & tribuenda debita mercede justitiam quandam commutativam exerceri, id. eam in qua citra omnem personarum rationem servatur in dando & accipiendo debita æqualitas secundum qualitatem.

2. A parte Christi.

XVIII. 2. *A parte Christi merentis*, Quia Christus vitam & salutem no-

nobis plenissimè meruit, unde nullus dari potest locus meritis nostris Act. 20: QUÆST.
28. Heb. 9:12. Act. 4:12. Ratio consequentiæ petitur ex variis. 1. quia actiones θεανδρικαὶ & Redemptoriæ, qualis est ista, ita sunt propriæ Christo, ut aliis sint planè ἀκοινώνητοι, quia ad officium pertinent illi soli demandatum. 2. quia quod est per se & immediatè sufficientissimum ad juris alicujus acquisitionem, non opus habet adjunctione alterius rei ad illud acquirendum. At tale est meritum Christi nemo negare potest. 3. hoc apertè derogat meritis Christi, nam cùm mereri sit jus aliquod comparare, quod antea non habebatur; si homines operibus suis debent mereri vitam, sequitur illos ante sua merita jus ad illam non habuisse, & sic Christum non perfectè illam meruisse, quod sine blasphemia dici nequit. Fatetur bona cœlestia ad se non pertinere, qui ea suis meritis vult consequi; Ejurat titulum hæredis, qui vult esse emptor.

XIX. Scio hic excipi 1. Merita nostra non opponenda esse meritis Christi, cùm ex illis nascantur, & quidquid laudis habent, id totum redundare in laudem meritorum Christi; Nec requiri merita nostra propter insufficientiam aliquam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam, quippe qui à Deo illud obtinuerit, ut possemus nos ipsi propriis meritis vitam consequi, ut quod Deus Sole utitur ad mundum illustrandum, non est aliqua imbecillitas in Deo, sed ejus omnipotentia, qui non solùm potuit illud facere per se, sed etiam rei creatæ vim illud faciendi tribuere. Resp. Sed gratis ista finguntur, nam merita nostra non possunt componi cum meritis Christi, nec ut causæ sociæ, in quibus non est dependentia unius ab altera, ut pertendunt esse inter meritum Christi & nostra, & quæ effectum partialiter non totaliter producunt, quod de Christo dici nequit, qui est non modò Author, sed & Consummator salutis; Nec ut causæ subalternæ & subordinatæ, quia meritum ex se non dicit ordinem ad aliud meritum, sed potiùs respectum ad mercedem. 2. ἀσύστατον est dicere ex meritis Christi nasci merita nostra, quia ut non potest dici ex Christi redemptione nasci aliam redemptionem; Ita nec ex ejus merito generari aliud meritum; & ut Christus non producit alios Christos secundario; Ita nec ejus meritum alia secunda merita. 3. Falsissimè etiam dicitur Christus nobis meruisse vim merendi, quia sic Christus ipsam beatitudinem immediatè non meruisset, sed tantùm mediatè contra Scripturam Joh. 10:28. Heb. 9:15. Deinde si Christi meritum sufficientissimum est per se, cur opus est illi affuere merita humana? cùm per plura fieri non debeat, quod fieri potest per pauciora; nec locus dari possit novis meritis, ubi merita Christi plenè acquisiverunt jus quod quærimus. 4. Simile de Sole planè dissimile; Aliud quippe est loqui de causis efficientibus, quæ habent inter se subordinationem, Aliud de causis meritoriis, quæ nullam talem subordinationem ferre possunt. Aliud de ordine Naturæ, in quo Deus talem concatenationem inter causam primam & secundas instituere voluit, Aliud de ordine

Gra-

QUÆST. V. Gratiæ, in quo Christum solum voluit esse causam unicam & singularem salutis nostræ Act. 4: 12.

3. *A parte fidelium.* *Luc.* 17:10. XX. *A parte Fidelium*, qui cùm sint servi Dei, qui nihil præstare possunt quod non debeant, eo ipso nihil mereri possunt, Verba sunt expressa Christi Luc. 17: 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Ubi quot ferè sunt verba, tot sunt rationum pondera. 1. Christus loquitur hypotheticè & *συγχωρητικῶς*, *Cum omnia feceritis*, non quòd sit aliquis, qui Legem impleat, cùm in multis impingamus omnes Jac. 3: 2. sed etsi daretur aliquis fore tamen servum inutilem ut exponit Caieta. Jansen. & Stella. 2. Christus non vult eos ita loqui solùm per humilitatem & modestiam, licet reipsa verum non sit, non vult enim ita nos humiles esse, ut mentiamur, sed ex rei veritate, & propriæ infirmitatis sensu, quod ratio addita à Christo, quòd fecerunt quod debuerunt satis evincit. 3. Christus non hîc loquitur de servo, qui sit simplex mercenarius, qui mercede pactâ Domino suo serviat; & cui post servitium merces debeatur; sed qui sit mancipium, quod totum quantum quantum, est Domini sui, ut ipsi operam suam totam & assiduè impendere teneatur, quales erant tunc temporis servi Romanorum & Judæorum, ut intelligunt Bellarminus, Salmero, Barradas. 4. *Servi inutiles* dicuntur, non tantùm quales sunt ex seipsis, seu in statu Naturæ, sed quales sunt in statu Gratiæ, quia alloquitur Apost. eos qui supponuntur præstare ea, quæ nemo ex se præstare potest. 5. non tantùm inutiles vocat Deo, qui bonis nostris non eget Ps. 50:12. & ad quem bonum nostrum non pertingit; Ps. 16: 2. sed etiam inutiles sibi, ut exponunt Maldon. & Alph. à Castro. Cùm ergò hic agatur de Deo, qui nihil debet servis suis, & de hominibus qui ut mancipia nihil possunt mereri à Domino suo, Et de operibus quæ debita sunt; Hinc invictè colligitur nullum dari posse meritum apud Deum.

XXI. Licet Bellarminus in omnes partes se verset ad vim istorum argumentorum eludendam, ad Augustini explicationem Ser. 3. de verbis Dom. tandem cogitur confugere, qui nobiscum planè facit, quum ait, *Nos posse dici servos inutiles, cùm omnia divina mandata servavimus, quoniam nihil facimus ultra quod debemus, & nihil inde justæ mercedis petere posse*, quæ omninò Adversarium jugulant. Nec quod addit postea difficultatem tollit, *Nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisset. Esse enim nos ex conditione mancipia Dei, & si velit, posse nos absque ullo præmio ad opera quæcunque placuerint obligare.* Nam gratuitum pactum, quod nobiscum inire dignatus est, facit quidem ut Deus fidelitati suæ debitor sit ad promissa implenda; sed non ut operibus nostris tanquam meritoriis quicquam debeat, cùm in nobis dona sua, non merita nostra coronet.

4. *A parte Operum.* XXII. A parte *Operum*; Quæ cùm destituantur conditionibus veri me-

meriti, ut antea dictum, non poſſunt quicquam mereri, non modò quia debita ſunt, & non noſtra, ſed etiam quia ſunt imperfecta & finita, quæ nullam proportionem habent cum gloria æterna, quod Paulus teſtatur Rom. 8: 18. quum ait, *Paſſiones hujus ſeculi non eſſe dignas, quæ æquiparentur cum gloria futura revelanda.* Et 2 Cor. 4: 17. *Afflictio levis & momentanea* dicitur *operari pondus gloriæ excellentis* &c. Ubi diſertè Apoſtolus profitetur paſſiones non eſſe dignas, ſive ut vertit Verſio Vulgata, *condignas:* At ſi paſſiones, quas propter Chriſtum patimur, quæ longè ſunt ſublimioris virtutis, non ſunt condignæ, quantò minus actiones? Et ſi nulla eſt condignitas, ubi ergò erit meritum condigni? Quod Apoſtolus 2 Cor. 4: 17. collatione inſtitutâ clariùs demonſtrat, quum momentaneam afflictionem ſeu brevitatem ejus τὸ παραυτίκα opponit æternitati gloriæ, & levitatem ejus ponderi gloriæ, id eſt, gloriæ excellentiſſimæ, nam τὸ βάρος δόξης ponit δόξαν βαρεῖαν καθ' ὑπερβολὴν, id eſt, *gloriam gravem*, ſcil. excellentem ſupra modum, & ſolidam, & veram, ubi alludit ad vocem כבוד, quæ apud Hebræos *gloriam* ſignificat, non quod gravet, ſed quòd ſolida ſit & permanens. Nec hic dici poteſt Apoſtolum loqui de ſubſtantia operum, non de proportione abſolutâ, quæ poſſit intercedere propter dignitatem charitatis unde procedunt. Ut paſſiones Chriſti licet temporales proportionem habuerunt cum gloria propter dignitatem Perſonæ, & peccatorum deliciæ temporales digniſſimæ ſunt ſuppliciis æternis. Quia ſupponitur Paulum loqui tantùm de ſubſtantia operum, non verò de proportione abſoluta. Imò non potuit loqui de condignitate, quin loqueretur de proportione, nec dignitas charitatis poteſt meritum ullum inferre, cùm ipſa tota quanta eſt, utpote debita non ſit meritoria. Simile paſſionum Chriſti planè eſt diſſimile, nam infinitas Perſonæ dat valorem infinitum paſſionibus ejus licet in ſe finitis. Sed opera noſtra neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum ullam meriti dignitatem habere poſſunt. Peccata impiorum etiam rectè dicuntur mereri pœnam infinitam, propter infinitatem Majeſtatis offenſæ; Sed opera noſtra nihil habent, quo mereantur vel ex toto vel ex parte gloriam.

Rom. 8: 18.

2 Cor. 4: 17.

XXIII. 5. A parte *Vitæ æternæ*, ſeu *Gloriæ*. Quia dicitur *hæreditas*, quæ non cadit ſub meritum, ſed pendet ex gratuita Dei adoptione, nec ſi ad adeundam hæreditatem iſtam requiruntur bona opera, ſequitur ea mereri hæreditatem. Quia aliud eſt hæreditas, aliud hæreditatis aditio, aliud vita æterna, aliud ejus poſſeſſio, ut aliud erat jus ad terram promiſſam, aliud verò ipſa actualis in eam introductio. Illud eſt ſola Dei gratia in titulum hæreditatis ipſis collatum eſt; ſed non potuerunt in poſſeſſionem iſtius terræ mitti, niſi debellatis Cananæis. Ita jus ad vitam nobis datum eſt à Deo ex adoptione, ſed non poteſt adiri & obtineri niſi per viam bonorum operum. Diſtinguendæ ergò cauſæ hæreditatis, ab ejus conditionibus; Opera ſunt conditiones,

5. A parte Vitæ æternæ ſeu Gloriæ.

QUÆST. V. nes, sed non merita. Nec si alibi vita æterna dicitur *merces*; sequitur meritis acquiri, quia notum est mercedem aliam esse ex debito, aliam ex gratia, qualis est hæc nostra; Unde Paulus vocat gloriam *mercedem hæreditatis* Col. 3: 24. id est, mercedem quæ est hæreditas, adeoque merè gratuita.

Fontes Solutionum. XXIV. A Mercede ad Meritum non valet consequentia. Quia merces alia est ex debito, alia ex gratia Rom. 4. & ut notat Ambros. lib. 1. Epist. 1. Alia liberalitatis & gratiæ, Alia debitum virtutis stipendium, & laboris remuneratio. Promittitur operibus vita ut merces, sed ut merces gratuita & indebita, quæ est donum Dei Rom. 6: 23. & hæreditas, ut dictum, quæ obtinetur, non meriti jure, sed filiationis privilegio, intercedente tamen bonorum operum exercitio, tanquam necessariâ conditione. Cujus causâ ut merces & præmium proponitur ad excitandam fidelium diligentiam, non ad nutriendam superbiam, sed gratuita hæc merces, quæ consequitur labores nostros, non magis meritum arguit, quàm emptio pretium & pecuniam apud Prophetam Isa 55: 1. 2. Unde quod μισθὸς dicitur Mat. 5: 46. & 6: 1. alibi apud Lucam 6: 32. vocatur χάρις & Ps. 127: 3. liberi seu fructus ventris vocantur merces, qui tamen sunt donum Dei.

XXV. Alia est *Justitia strictæ æqualitatis*, quæ respicit exactè æqualitatem operis, Alia *Justitia fidelitatis*, misericordiâ temperata, quæ veritatem spectat divinæ promissionis, & pactum, quod Deus nobiscum inire dignatus est. Deus reddit vitam operibus nostris ex justitia fidelitatis, quà fidelis & verax in implendis promissis; sed non ex justitia æqualitatis, ut attendat meritum operis, quod Durandus agnoscit in 2. Dist. 27. q. 2. non quia justum est meritis nostris pendere debitam mercedem, sed quia justum est Deo stare promissis, & non pati ut mors Christi sit irrita.

XXVI. Deus redditurus est κατὰ τὰ ἔργα *secundum opera*, non διὰ *propter*, ut notetur *proportio qualitatis*, non æqualitatis, ut bonis benè sit, malis malè, ut explicatur Apoc. 22: 12. reddam cuique ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσαι, *Apoc. 22: 12.* id. quale futurum est; sed non ut opus commensuretur per condignitatem mercedi promissæ. Quod Greg. M. in 7. Psal. pœnitent. observat. *Aliud est secundum opera reddere; Aliud propter opera reddere. In eo enim quod secundum opera dicitur ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit retributio gloriosa.*

XXVII. Particulæ causales γὰρ, διὰ, quæ tribuuntur bonis operibus Mat. 25: 34. Apoc. 7: 15. non sunt causales, sed ratiocinativæ, ut sæpè alibi Mat. 16: 2. 3. & Joh. 16: 27. 1 Cor. 10: 5. *&c.* quæ notant caussam consequen- *Mat 25: 34. Apoc. 7: 15.* tiæ, non consequentis; notas salvandorum, & testimonium fidei & Electionis æternæ, sed non causas meritorias salutis, ut sint argumenta & signa à posteriori justæ sententiæ in absolutione fidelium, non causæ & fundamenta à priori. Electi enim dicuntur recipere Regnum ex gratia Dei ab *æterno præparatum,*

ratum, non in tempore merito operum impetratum, ut *titulo hæreditatis* possideant, ut *filii Patris benedicti*, non verò ut servi qui tali præmio operibus suis digni sint facti. Quæst. V.

XXVIII. *Dignitas* alia est *personæ*, Alia *operis*; Fideles dicuntur digni, sed non opera eorum. 2. Dignitas alia est propria, quæ fundatur in operibus ipsius hominis, alia quæ ab alterius dignatione & acceptatione pendet. Alia est *dignitas perfectionis & meriti*, quæ operibus penitus denegatur. Alia *aptitudinis & convenientiæ*, secundùm quam fideles dicuntur digni Regno cœlorum, Mat. 10:11. 2Thess. 1:5. Apoc. 3:4. id. apti & convenienter dispositi ad illud possidendum. Ita sæpe nomen ἄξιος sumitur ut Mat. 3:8. Act. 26:20. digni ergo sunt, non ex interna dignitate operum; sed ex dignatione divina, quæ ex indignis dignos fecit Col. 1:12. ratione albæ vestis justitiæ Christi, quâ sunt induti Gal. 3:27. & divinæ adoptionis, non ratione justitiæ inhærentis, quæ in hac vita nulla perfecta est. Nec aliud sibi vult Apostolus 2Thess. 1:5. quum ait pios καταξιωθῆναι dignos fieri regno Dei, non per sua merita, sed per Dei gratiam in Christo; hinc enim est omnis nostra ἱκανότης & ἀξία. Unde καταξιοῦσθαι in Scriptura aliquando idem est cum χαρισθῆναι Act. 5:41. Phil. 1:29. & Salmer. ad Col. 1. Disp. 2. statuit quòd *digni dicimur, ubi hæreditas nullis nostris meritis obvenit*. *Mat. 10:11. 2Thess. 1:5. Apoc. 3:4.*

XXIX. Aliud est bona opera *placere Deo*, & eum delectare, quod agnoscimus. Aliud bona opera *ipsum placare*, & aliquid per viam meriti ab ipso obtinere. Prius dicitur Heb. 13:16. quum ait Paulus Deum εὐαρεστεῖσθαι victimis beneficentiæ, id est, *delectari*, & gratas illas habere, non verò posterius, ut Versio Vulgata barbarè reddit per *promereri*. Sic θυσία εὐάρεστος Rom. 12:1. est ea quæ est accepta Deo, & Heb. 11:5. Henoch dicitur εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ *placuisse Deo* ut habet ipsa V. V.

XXX. Licet vita non minus reddatur bonis operibus, quàm mors malis; Non tamen eodem modo, ut eandem habeant causalitatem resp. salulis bona, quàm mala respectu damnationis; Quia mala ex se damnationem merentur ut indebita & nostra, sed bona non pariter, utpote debita, non nostra, & imperfecta. Adde quòd quælibet Legis transgressio hominem subjicit divinæ maledictioni; sed in operibus meritoriis omnimoda perfectio & partium & graduum requiritur, quia plura requiruntur ad rei constitutionem, quàm ad ejus destructionem.

XXXI. Promissio facit rem promissam debitam, sed non ex dignitate operis, sed ex fidelitate promittentis. 2. Non omnis promissio sub conditione operis infert meritum, sed tantùm si sit conditio operis indebiti, & ad præmium justam proportionem habentis, quod in operibus nostris locum habere non potest. Aug. in Psalm. 32. *Dominus se nobis fecit debitorem, non aliquid a nobis accipiendo, sed omnia promittendo.*

QUÆST. V. XXXII. Cùm προσωποληψία habeat tantùm locum in debitis, & in judicialibus, non verò in gratuitis; non potest dici προσωπολήπτης, qui præmium dat sine meritis, & qui dat majora præmia minoribus operibus. Aliàs Paterfamilias verè fuisset prosopoleptes, qui minus laborantibus in vinea eandem mercedem solvit cum aliis, qui per totam diem laboraverant Mat. 20.

2Cor. 4: 17. XXXIII. Verbum κατεργάζεσθαι quo utitur Paulus 2 Cor. 4: 17. loquens de respectu afflictionum ad gloriam, non notat propriè efficientiam & meritum, sed iter & medium, quatenus momentaneam afflictionem excipit & consequitur gloria, quomodo apud Græcos idem est sæpè quod κρατῆσαι *potiri & obtinere*. Lex dicitur κατεργάζεσθαι *operari iram* Rom. 4: 15. non quòd eam mercatur vel propriè efficiat, sed quòd Legem sequatur per accidens propter hominis transgressionem. Phil. 2: 12. idem verbum notat studium promovendæ sanctificationis, & per eam consequendæ & obtinendæ, non verò promerendæ salutis.

Phil. 2: 12.

2Tim. 4: 8. XXXIV. Nihil pro meritis elici potest ex loco Pauli 2 Tim. 4: 8. Non ex *Corona justitiæ*, quâ gloriam designat; quæ potest intelligi de *justitia Dei*, quia vita datur ex promisso, & justitiæ pars est stare promissis, ut Bern. sub finem Lib. de Gr. & Lib. Arb. exponit, *Justum est*, inquit, *ut reddat quod debet, debet autem quod pollicitus est, & hæc est justitia, de qua Ap. promissio Dei*, Si referatur ad justitiam hominis, non refertur tàm ad *justitiam personæ*, quàm ad *justitiam causæ*, pro qua certamen subitur; non ad *justitiam Legalem*, cui nuntium passim mittit Paulus, sed ad *justitiam Evangelicam*, quæ omne excludit meritum. Sic alludit ad Coronas, quæ dabantur victoribus, sive in bello, sive in ludis, quæ supponebant quidem necessitatem certaminis, tanquam conditionis antecedentis, sed non tanquam causæ propriè dictæ vel meriti; Imò *coronæ* illæ vocabantur *donaticæ*, quia dabantur potius ex promisso, quàm ex commisso. 2. Non ex eo quòd Deus vocatur δίκαιος κριτής, *Iustus Iudex*; quia non est *Iudex Legalis*, qui non potest dare coronam justitiæ, nisi propter cursum & certamen omnibus numeris absolutum, correspondens ad amussim τῷ ἀκριβοδικαίῳ Legis, quod nemini in hac vita datur. Sed *Evangelicus*, qui judicium instituit, non cum mercenariis, sed cum filiis, non κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον, sed κατ' ἐπιείκειαν, nec meritis nostris, sed donis suis quæ gratis dedit, coronam gratis imponit. Aliud autem est dare coronam secundùm *justitiam veracitatis & bonitatis* ex promisso, quà verax est & fidelis; Aliud eam dare secundùm *justitiam obligationis* & debiti, quà obligatus est ex commisso hominum. 3. Non ex verbo ἀποδοῦναι, quia notum est sæpè poni pro simplici δοῦναι Mat. 27: 58. Luc. 4: 20. & 9: 42. Act. 4: 33. & alibi. Paulus autem hic adhibuit verbum istud potiùs quàm simplex, non propter proportionem æqua-

æqualitatis, quæ intercedat inter opus & mercedem; sed propter duplicem σχέσιν ad promittentem, & ad operantem, quia datur præmium, & post promissum, & post opus præteritum. Sed quia promissio prorsus est gratuita & indebita, & opus debitum, finitum, & imperfectum, merces infinita & æterna, τὸ ἀποδοῦναι non potest designare vel meritum vel dignitatem operis. QUÆST. V.

XXXV. Ad loca Patrum quibus uti solent Adversarii hæc in genere reponi possunt. 1. Frustra adduci ea loca, in quibus fit mentio beatitudinis ut coronæ, præmii, & mercedis, in quibus testantur Deum redditurum unicuique secundùm opera, quia hoc meritum non inferre suprà diximus. 2. Meritum illis esse sæpè consecutionem, & impetrationem rei qualiscunque etiam gratuitæ & indebitæ, quod Bellarminus ipse agnoscit, qui fatetur lib. 1. de Gra. & Lib. Arb. c. 14. Augustinum meritum appellare quemlibet actum bonum ratione cujus aliquid aliud accipimus. 3. Solere priorem gratiam appellare meritum posterioris, & posteriorem præmium prioris, non propter ullam rationem veri meriti, sed propter ordinem illum, quem Deus instituit, & quo voluit ut gratiæ sese consequerentur, & sibi invicem succederent. 4. Si quædam dicta duriora occurrunt, quando loquuntur demegoricè & declamatoriè, ut efficaciùs promoveantur homines ad studium bonorum operum, exponenda sunt ex aliis locis, in quibus dogmaticè & ex professo de hoc argumento agentes, nullum meritum dari posse erga Deum fatentur, & omnia gratis ab ipso recipi.

XXXVI. Possent huc congeri innumera loca, ex quibus hoc patet; Sed pauca tantùm è multis notasse sufficiet. Chrysostomus, quamvis plus æquo sæpè pronus in laudes virium naturæ, longè tamen absuit ab opinione meriti Homi. 12. in Epist. ad Rom. *Apostolus dicens, stipendium peccati mors, non eundem circa bona servavit ordinem, quippe non dicit merces operum nostrorum, sed donum Dei, ostendens quod non per seipsos liberati sunt, nec debitum receperunt, nec laborum compensationem & mercedem, sed quòd omnia gratiâ facta sunt.* Et hom. 2. ad Col. *Cur vocat hæreditatem? ostendens quod ex bonis suis actionibus & rectè factis, nemo Regnum assequitur &c. Nullus enim sic se vitam probavit instituisse, ut dignus habeatur Regno, sed quicquid id est, donum est ejus, Propterea dixit, cùm omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus, quæ enim debuimus facere, fecimus.* Hiero. lib. 1. cont. Pelag. *Tunc justi sumus, quum nos peccatores fatemur, & justitia nostra non in proprio merito, sed in Dei consistit misericordia.* August. lib. 4 ad Bonif. c. 4. *Christus pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam.* Et c. 9. de Gra. & Lib. Arb. *Maluit dicere gratia Dei vita æterna, ut intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua misericordia perducere.* Et in Ps. 70. Conc. 2. *Tua peccata sunt,*

QUÆST. V. *merita Dei sunt, & cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* Bernardus Serm. 61. in Cant. *Meum proinde meritum, miseratio Domini, non plane meriti sum inops, quamdiu ille non miserationum fuerit.* Concil. Aurasi. Can. 12. *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ejus dono, non quales sumus nostro merito.*

XXXVII. Imò in ipsa Ecclesia Rom. non pauca occurrunt, quæ meritis adversantur, ut quum Ecclesia in Collectis Dom. 60. dicit, *Ex nulla actione nostra confidimus*, Et in Can. Missæ post consecrat. *Non æstimator meriti, sed veniæ largitor admitte.* Adrianus Papa arundini fractæ & manum vulneranti dicit inniti, qui in propria confidit justitia. Vega post Thomam Valdensem opusc. de merit. q. 4. *Ille est sanior Theologus*, inquit, *fidelior Catholicus, & S. Scripturis magis consentaneus, qui merita simpliciter abnegat.* Unde Bellar. lib. 5. de Justif. cap. 7. propos. 3. & post eum Tirinus cont. 16. num. 12. eò tandem redeunt omnibus expensis, ut dicant *propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ, tutissimum esse in sola misericordia Dei, & benignitate fiduciam suam reponere.* At si hoc verè dicitur, ut omninò verissimum est, cur non se illi periculo inanis gloriæ subducturi, Pharisaicam illam de meritis opinionem penitus deponunt, ut unicam justitiam, quæ est ex fide Christi sectentur cum Paulo Phil. 3: 9.? Cur non patiuntur, ut meritorum voce & doctrinâ missâ, uni Christi merito innitamur, & in sola Dei misericordia fiduciam reponamus si hoc sit tutissimum? At nobis constitutum est quod tutissimum est sequi.

XXXVIII. Huc pertinent *publicæ Formulæ* ægrotos & agonizantes visitandi & consolandi in Eccl. Rom. usitatæ, quæ doctrinam nostram de salute, non ex operibus, sed per solam Dei misericordiam obtinendâ non obscurè confirmant, inter quas ea quæ Anselmo tribuitur memorabilis est; Nam inter interrogationes, quas præscribit infirmis & in extremis constitutis faciendas, hæc est extrema. *Credis te non posse nisi per mortem Christi salvari?* Respondet infirmus, *Etiam*, Tunc illi dicitur, *Age ergò, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe; huic morti te totum committe, hac sola te totum contege* &c. *Et si Dominus Deus voluerit te judicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter te, & inter me, & tuum judicium:* &c. Consuli etiam potest Ordo Baptizandi Venetiis editus ann. 1575. & Præceptorium Nicolai de Lyra excusum Colon. 1499. ubi talia id genus multa leguntur.

Quæstio de Aureolis. XXXIX. Ex quibus ita positis facilè colligitur quid statuendum sit de Quæstione, quæ hic movetur à Pontificiis de *Aureolis.* An dentur *Aureolæ* in Cœlo, quæ quibusdam assignentur præ cæteris, puta Virginibus, Doctoribus, & Martyribus. Quæ Sententia est Thomæ & Scholasticorum. Per *aureolam* significant gaudium quoddam de operibus, quæ excellentis cujusdam vi-

victoriæ rationem habent, & quod sit præmium accidentale additum *aurea* seu præmio essentiali, id. gaudio, quo quis de conjunctione ad Deum gaudet. Fundamentum petunt ex relatione pugnæ ad coronam, pugnæ enim deberi coronam, ubi ergò specialis ratio pugnæ, ibi specialem deberi coronam, quæ dicitur aureola; & quum meritò debeat respondere præmium, excellentiæ meriti respondere debere excellentiam aliquam in præmio, & hanc vocari aureolam. QUÆST. V.

XL. Sed vanitas istius figmenti patet 1. Ex omnibus argumentis, quibus meritum in universum destruximus; Nam quod negatur de toto genere, negatur etiam de omnibus ejus speciebus. Et si homo non potest facere quod debet, ut antea dictum, quomodo ultra præmium commune poterit aliquid mereri? 2. Temerè & gratis sine Scriptura hoc asseritur. Quis verò Seraphicos istos Doctores cœlestium præmiorum diribitores constituit? Vel ubi didicerunt Martyribus, Virginibus, & Doctoribus expectandas esse aureolas?

XLI. Licet pugnæ & victoriæ promittatur corona, non sequitur illi deberi ex merito; ut ante dictum, sed ex gratia. Quia pugna non modò est debita, imperfecta, & inæqualis coronæ, sed tota è gratia. Ut ergò pugna quælibet ex gratia depugnatur, sic & pugna specialis ex speciali gratia. Unde tale certamen decertare non majoris est meriti, sed majoris gratiæ. Et quia plus à Deo ita certanti datum, plus ille Deo obligatur, non Deus ipsi.

XLII. Quamvis statuantur gradus gloriæ, ut Deus ex gratia non solùm temporalibus, sed etiam cœlestibus præmiis piorum labores & passiones sit remuneraturus, nihil tamen inde pro aureolis potest colligi, quia tam gloria quàm omnes gradus ejus planè sunt dona gratiæ & merum χάρισμα Dei, quod est ἀσύςατον cum merito.

XLIII. Promissio quæ datur vincenti Apoc. 2:17. de manna abscondito, & calculo albo, ita spectat Martyres, ut non minus pertineat ad fideles omnes, quibus continuum est cum Diabolo, mundo & peccato certamen. Nec si promittitur tale præmium vincenti, sequitur cadere sub ejus meritum. Quod dicitur de Doctoribus, *Qui plures ad justitiam erudierint, eos fulsuros instar stellarum*, Dan. 12: 3. potest quidem docere gradus aliquos gloriæ dari, sed non differentiam illam orituram ex diversa meriti proportione. Imò cùm quicquid in ipsis fuerit virtutis, id totum fuerit à gratia, non potest esse meritorium. *Apoc.* 2: 17. *Dan.* 12: 3.

XLIV. *Virgines*, de quibus agitur Apoc. 14: 4. non sunt propriæ, sed metaphoricæ, id est, veri fideles, qui ut Virgo casta 2 Cor. 11: 2. debent fidem Christo Sponso suo inviolatam servare, castè Deum colendo, sine ullo idololatriæ crimine, quæ scortatio & adulterium est spirituale, qui ideo opponuntur Babyloni matri scortationum, & ejus sequacibus, qui cum ea scortantur. Hoc autem non pertinere tantùm ad cœlibes, sed etiam ad conjugatos clarum est. *Apoc.* 14: 4.

QUÆST. V. Matt.5:12. XLV. *Merces multa*, quæ promittitur iis qui persecutionem patiuntur Matth. 5: 12. denotat quidem excellentiam præmii illis promissi, sed ut est gratis promissa, ita est gratis danda, non verò reddenda ullis eorum meritis. Et talis dicitur non relatè ad parvam, vel minorem mercedem aliorum; sed comparatè ad opera parva & pauca à mercede illa donandis præstita, quia verè multa & copiosissima est merces pro parvo labore, cùm non sint condignæ passiones gloriæ revelandæ Rom. 8: 18. Atque de his quidem hactenus. Faxit Deus, ut missâ inani propriorum meritorum fiduciâ, in solo Christi merito perfectissimo acquiescamus, & ita fidem illi servemus, & bonum certamen usque ad finem decertemus, ut justitiæ coronam, non meritis nostris debitam, sed gratiosissimè nobis promissam à cœlesti Agonotheta reportemus. Illi verò ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ salutis nostræ, Deo uni & Trino, *A Quo, per Quem, & ad Quem sunt omnia, sit laus & gloria in secula seculorum.* AMEN.

FINIS.

INDEX

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

Quæ in hoc Volumine explicantur, vel vindicantur.

Prior Numerus Paginam; *Posterior* Thesim *notat.*

GENESIS.

Cap. II, v. 3. Pag. 85. th. 1. & 87. t. 6.
III, 15. 231. t. 18. & 240. t. 11
IV, 4. 775. t. 11
VI, 9. 766. t. 22
18. 232. t. 20
IX, 9. 188. t. 8
26. 232. t. 20
XII, 1. 118. t. 9
3. 243. t. 19
18. 83. t. 16
XIV, 18. 449. t. 23
XV, 6. 733. t. 10
10. 186. t. 2
XVII, 2. 188. t. 8
7. 179. t. 15. & 641. t. 14
13. 94. t. 23
XXII, 1. 15. t. 23
16. 637. t. 9
18. 243. t. 19
XXVII, 20. 144. t. 9
XXVIII, 15. 537. t. 9
XXIX, 31. 33. 15. t. 22
XXXVI, 43. 28. t. 20
XXXVII, 35. 284. t. 10
XLII, 38. *ibidem*
XLVIII, 16. 51. t. 20
XLIX, 10. 175. t. 2. & 297. t. 8. & 531. t. 7

EXODUS.

C. I. 144. t. 8
II, 12. 16. t. 23
IV, 22. 375. t. 22
25. 145. t. 9
XII, 33. 19. t. 32
XVI, 23. 88. t. 9
29. 90. t. 15
XX, 3. 47. t. 11
4. 60. t. 7
7. 68. t. 23
11. 88. t. 10
XXI, 16. 17. 94. t. 23. & 179. t. 15
7 120. t. 20
24. 26. t. 16
XXII, 2. 126. t. 16
16. 17. 120. t. 18
26. 27. 139. t. 14
XXIII, 21. 29. t. 24
XXIV, 8. 290. t. 13
XXV, 22. 67. t. 19
XXXI, 13. 90. t. 15. & 92. t. 20. & 95. t. 28.
16. 94. t. 23
XXXII, 13. 52. t. 22
XXXIV, 12. 28. t. 21
16. 120. t. 17

LEVITICUS.

C. XVIII, v. 5. 22. t. 4
XIX, 11. 12. 74. t. 3
18. 27. t. 20.
XXIII. 7. 46. t. 10

XXIV, 8. 94. t. 23
XXV, 35. 139. t. 14

NUMERI.

C. VI, v. 2. 169. t. 22
XVIII, 19. 94. t. 23
XXVIII, 23. 94. t. 23
XXX, 3. 117. t. 6
4. 120. t. 18
XXXI, 4. 74. t. 3
XXXIII, 52. 71. t. 8

DEUTERONOMIUM.

C. IV, v. 15. 70. t. 6
V, 2. 3. 240. t. 8
14. 103. t. 9
VI, 13. 25. t. 13
VII, 2. 28. t. 21
3. 120. t. 17
5. 71. t. 8
11. 12. 289 t. 9
X, 20. 25. t. 13
XII, 2. 32. 22. t. 4. & 774. t. 7
XVIII, 15. 432. t. 4. & 437. t. 19
XIX, 4. 127. t. 19
XXI, 15. 135. t. 8
XXIII, 18. 135. t. 8
20. 138. t. 11. & 139. t. 14
24. 20. t. 33
XXIV, 1. 27. t. 19
XXV, 5. 19. t. 31. & 135. t. 8
XXIX, 4. 560. t. 18. & 606. t. 24.
11. 12. 289. t. 9
XXX, 2. 4. 179. t. 16. & 533. t. 15
11. 12. 290. t. 14
XXXI, 8. 652. t. 11
XXXIII, 9. 118. t. 10
XXXIV, 6. 54. t. 3

JOSUE.

C. V, v. 12. 5. t. 2
VI, 12. 77. t. 10
VIII, 5. 6. 7. 146. t. 14
IX, 18. 75. t. 5

JUDICES.

C. XVI, v. 28. 16. t. 23
30. 119. t. 24
XVII, 3. 61. t. 9. & 63. 12

I. SAMUELIS.

C. I, v. 22. 179. t. 15
XVI, 3. 146. t. 15
4. 84. t. 17
XIX, 17. 145. t. 9
XX, 6. 28. 145. t. 9
XXIII, 13. 284. t. 12
XXV, 22. 23. 74. t. 2

II. SAMUELIS.

C. 2 Sam. 18. 28. t. 22
VII, 12. 13. 535. t. 5
15. 666. t. 32
XII, 5. 665. t. 31
14. 482. t. 22
XXI, 1. & 5. 75. t. 5

I. REGUM.

C. II, v. 19. 402. t. 2
III, 24. 84. t. 19
XII, 28. 61. t. 9
XXII, 15. 146. t. 13

II, REGUM.

C. V, v. 26. 48. t. 14
VI, 19. 145. t. 12
XIII, 21. 56. t. 9
XVIII, 4. 67. t. 19. & 71. t. 8
XXIII, 7. 133. t. 2
13. 667. t. 32
25. 766. t. 22

II. CHRONICORUM.

C. XI, v. 17. 666. t. 32
XV, 7. 766. t. 22
XXI, 12. 284. t. 8.

NEHEMIAS.

C. IX, v. 14. 90. t. 15

JOBUS.

C. II, 1. 2. 10. 12. 120. t. 20. & 759. t. 4
V, 1. 52. t. 21
IX, 12. 686. t. 25
XIII, 7. 145. t. 10
XIV, 4. 580. t. 32
XIX, 21. 52. t. 21
25. 217. t. 19
XXXIII, 23. 52. t. 21

PSALMI.

Ps. I, v. 3. 662. t. 25
II, 6. 9. 533. t. 16
8. 195. t. 15
11. 688. t. 29
V, 8. 67. t. 18
VII, 9. 704. t. 25
VIII, 3. 640. t. 12
XV, 3. 240. t. 15
4. 74. t. 3
XVI, 8. 9. 683. t. 19
10. 394. t. 4
XVII, 1. 704. t. 25
XVIII, 21. 704. t. 25
XIX, 8. 22. t. 4
13. 686. t. 25
XXIII, 1. 198. t. 22
XXXII, 1. 721. t. 5
XL, 7. 8. 265. t. 7
XLV, 10. 402. t. 2
11. 118. t. 11
LI, 6. 692. t. 4
13. 14. 665. t. 31
LXXII.
LXXXIV, 12. 198. t. 22
XCIX, 5. 67. t. 18
CX, 1. 404. t. 13. & 536. t. 9
4. 175. t. 5. & 426. t. 6
7. 361. t. 2
CXI, 10. 744. t. 18
CXVIII, 22. 361. t. 2
CXIX, 10. 766. t. 22
18. 581. t. 35
89. 152. t. 6
91. 2. t. 5
CXXIII, 2. 537. t. 9
CXLVII, 19. 20. 90. t. 15. & 229. t. 12
CXLVIII, 6. 2. t. 5

PROVERBIA.

C. I, v. 30. 32. t. 4
VIII, 23. 195. t. 15
XVI, 6. 483. t. 26
XX, 9. 686. t. 24. & 688. t. 29.
XXV, 21. 22. 28. t. 20
XXVIII, 14. 688. t. 29

ECCLESIASTES.

C. I, v. 27. 744. t. 18
IX, 6. 7. 51. t. 19
XII, 1. 134. t. 6

CANTICUM.

C. I, 2. 4. 572. t. 20
III, 5. 615. t. 9
IV, 7. 715. t. 27
VIII, 6. 7. 657. t. 17

ISAIAS.

C. II, v. 2. 310. t. 34. & 311. t. 35
4. 125. t. 10
12. 774. t. 7
14. 30. t. 29

18. 309. t. 31
V, 4. 560. t. 19
VII, 9. 620. t. 14
14. 314. t. 8
VIII, 19. 54. t. 4
IX, 6. 426. t. 6
XI, 1. 2. 378. t. 4
6. 214. t. 4. & 311. t. 36
XIX, 19. 177. t. 7
XXIV, 8. 85. t. 1
XXIX, 13. 774. t. 7
XXX, 26. 311. t. 37
XXXVIII, 2. 5. 625. t. 3
3. 729. t. 4
10. 652. t. 11
XL, 3. 313. t. 5
18. 70. t. 16
XLII, 1. 2. 3. 6. 194. t. 14. & 213. t. 9. & 432. t. 4
XLV, 1. 303. t. 19
XLVIII, 8. 581. t. 35
XLIX, 8. 194. t. 14. & 280. t. 30
LIII, 5. 6. 466. t. 10
6. 7. 265. t. 6
10. 468. t. 14
11. 618. t. 6. & 694. t. 10
12. 505. t. 22
LIV. 10. 652. t. 11. & 654. t. 14
LV, 3. 190. t. 13. & 652. t. 11
LVI, 3. 4. 34. t. 7
21. 452. t. 28
LVIII, 6. 7. 637. t. 8
LIX, 21. 574. t. 23. & 652. t. 11. & 654. t. 14
LXI, 1. 2. 262. t. 23. & 280. t. 30. & 426. t. 6. & 432. t. 4
6. 452. t. 28
LXIII, 16. 51 t. 19

JEREMIAS.

C. I, v. 5. 641. t. 16
II, 3. 753. t. 2
III, 11. 692. t. 4
16. 17. 175. t. 4
IV, 10. 626. t. 8
V, 7. 25. t. 13
VI, 6. 7. 137. t. 6
IX, 6. 120. t. 17
8. 81. t. 9
X, 8. 73. t. 13
XV, 1. 422. t. 15
XVII, 9. 688. t. 29
XX, 7. 572. t. 20
XXIII, 5. 312. t. 39
XXXI, 22. 374. t. 19
31. 32. 175. t. 3. & 220. t. 27. & 240. t. 8. & 292. t. 19. & 601. t. 13. & 651. t. 10. & 653. t. 13
33. 584. t. 38. & 681. t. 17. & 756. t. 16
34. 277. t. 20
XXXII, 40. 651. t. 10
XXXIV, 18. 186. t. 2
XXXVIII, 27. 146. t. 13

EZECHIEL.

C. III, v. 6. 608. t. 28
XI, 18. 19. 602. t. 14
XII, 2. 606. t. 24
XVI, 51. 52. 692. t. 4
XVIII, 6. 140. t. 15
20. 475. t. 31
21. & 24. 669. t. 37
31. 602. t. 14
XX, 7. 71. t. 8
12. 90. t. 15. & 92. t. 15
13. 95. t. 28
21. 177. t. 7
XXXIV, 24. 179. t. 16
XXXVI, 26. 584. t. 38. & 601. t. 13
27. 202. t. 30

XXXVII,

XXXVII, 24. 25. 533. t. 15
XXXVIII, 23. 312. t. 40
XL. 179. t. 6. & 311. t. 38
XLI. 179. t. 16
XLIV, 2. 373. t. 17

DANIEL.

C. I, v. 8. 181. t. 21
II, 44. 535. t. 6
IV, 27. 481. t. 19. & 686. t. 26
VII, 14. 535. t. 5
27. 533. t. 15
VIII, 11. 453. t. 31
IX, 24. 302. t. 17. & 487. t. 10. & 719. t. 9
27. 175. t. 4
XII, 2. 218. t. 20
3. 692. t. 4. & 694. t. 11

HOSEAS.

C. I, v. 2. 16. t. 25
II, 19. 652. t. 11. & 654. t. 14
VI, 6. 40. t. 6
XI, 4. 572. t. 20

JOEL.

C. II, v. 12. 14. 686. t. 26
28. 431. t. 7

JONAS.

C. III, v. 4. 84. t. 17
9. 625. t. 3
10. 686. t. 26

MICHÆAS.

C. IV, v. 6. 7. 533. t. 15
V, 2. 313. t. 6

HABACUC.

C. II, v. 4. 742. t. 12
18. 73. t. 3

AGGÆUS.

C. II, v. 4. 306. t. 26

ZACHARIAS.

C. III, v. 1. 280. t. 31
9. 486. t. 8
VI, 13. 14. 426. t. 6
IX, 10. 125. t. 10
11. 284. t. 11
XIII, 2. 309. t. 31

MALACHIAS.

C. I, v. 11. 177. t. 7. & 453. t. 32
III, 1. 307. t. 26

I. MACCABÆORUM.

C. VI, v. 43. 129. t. 25

II. MACCABÆORUM.

C. XIV, v. 41. 129. t. 25

MATTHÆUS.

C. I, v. 21. 501. t. 14
25. 375. t. 24
II, 1. 3. 607. t. 26
III, 11. 393. & 436. t. 17. & 580. t. 32
15. 491. t. 21
17. 429. t. 4
IV, 10. 47. t. 11
V, 6. 615. t. 9
12. 792. t. 44
17. 22. t. 5. & 152. t. 6. & 156. t. 3

21. 24. t. 11. & 26 t. 15
43. 23. t. 9
28. 27. t. 18. & 39. t. 4. & 124. t. 4. & 150. t. 11
33. 34. 24. t. 12. & 74. t. 3
38. 26. t. 16
39. 16. t. 24. & 26. t. 17. & 126. t. 13
42. 140 t. 16
43. 44. 27. t. 20
46. 785. t. 24
VII, 27. 662. t. 25
VIII, 11. 282. t. 5
17. 467. t. 11
IX, 21. 56. t. 10
X, 34. 125. t. 10. & 324. t. 28.
37. 15. t. 22
XI, 1. 2. 324. t. 30
13. 220. t. 26
14. 310. t. 33
19. 692. t. 4
21. 607. t. 28
28. 250. t. 36. & 551. t. 12
30. 572. t. 20. & 765. t. 20
XII, 3. 4. 93. t. 21
11. 15. t. 21
25. 381. t. 7
47. 336. t. 16
XIII, 12. 562. t. 23. & 780. t. 9
20. 611. t. 4. & 643. t. 3
21. 643. t. 4. & 664. t. 29
22. 137. t. 6
29. 124. t. 4
55. 375. t. 23
XIV, 20. 390. t. 9
7. 74. t. 2
XV, 2. 23. t. 9
4. 116. t. 4
28. 735. t. 17
XVI, 18. 652. t. 11
22. 124. t. 42
24. 33. t. 4
XVII, 20. 611. t. 4
XVIII, 6. 639. t. 6
11. 516. t. 41
20. 356. t. 23
23. 751. t. 10
XIX, 5. 17. t. 16
8. 17. t. 26. & 18. t. 29
11. 33. t. 4
12. 34. t. 8
14. 641. t. 15
17. 204. t. 8
21. 33. t. 5. & 35. t. 11.
23. 137. t. 6
27. 35. t. 9
XX, 21. 402. t. 2
28. 503. t. 17. & 464. t. 6. & 503. t. 17
XXI, 12. 141. t. 18
XXII, 1. 2. 554. t. 21
32. 199. t. 23. & 217. t. 17.
37. 22. t. 4
39. 29. t. 22
XXIII, 29. 54. t. 4
37. 606. t. 26
XXV, 34. 35. 744. t. 21. & 786. t. 27.
XXVI, 38. 384. t. 4
52. 124. t. 4. & 127. t. 18
XXVII, 47. 385. t. 6
XXVIII, 2. 398. t. 10
18. 359. t. 34
19. 640. t. 9
20. 356. t. 23. & 537. t. 9.

MARCUS.

C. I, v. 2. 220. t. 25
40. 634. t. 15
II, 27. 93. & 108. t. 25. & 109. t. 31

VII, 11. 116. t. 4
IX, 23. 767. t. 26
X, 21. 33, t. 5
XI, 27. 15. t. 21
XIII, 32. 84. t. 18. & 380. t. 5
XVI, 2. 102. t. 5
19. 400. t. 4

LUCAS.

C. I, v. 6. 759. t. 4. & 766. t. 22.
15. 80. 641. t. 16
17. 310. t. 33
31. 333. t. 5. & 369. t. 2
32. 533. t. 13
33. 535. t. 5
34. 376. t. 27
35. 370. t. 7. & 371. t. 9
68. 70. 313. t. 7
73. 190. t. 13
II, 52. 380. t. 4
III, 13. 139. t. 12
14. 124. t. 7
38. 373. t. 15
IV, 38. 35. t. 9
V, 17. 102. t. 5
VI, 1. 86. t. 2
32. 786. t. 4
34. 140. t. 16
VII, 30. 32. t. 4. & 607. t. 27
35. 692. t. 4
47. 743. t. 15
50. 735. t. 17
VIII, 15. 581. t. 34. & 643. t. 3
16. 644. t. 5
22. 102. t. 5
IX, 59. 118. t. 13
X, 23. 24. 259. t. 18
XI, 13. 596. t. 20
XIV, 17. 554. t. 21
26. 15. t. 22. & 40. t. 6 & 118. t. 12
33. 33. t. 4
XVI, 15. 692. t. 4
16. 559. t. 9
19. 20. 137. t. 6. & 282. t. 5
29. 157. t. 3
XVII, 10. 784. t. 20
XIX, 40. 608. t. 28
XX, 31. 787. t. 28
38. 282. t. 4
XXI, 15. 606. t. 22
XXII, 29. 194. t. 14. & 729. t. 5
31. 658. t. 19
32. 667. t. 33
XXIII, 34. 505. t. 22
43. 283. t. 7. & 288. t. 5
46. 389. t. 6
XXIV, 1. 102. t. 5
21. 223. t. 40
28. 146. t. 14
31. 355. t. 18
45. 581. t. 35
51. 400. t. 4

JOHANNES.

C. I, v. 9. 233. t. 21
12. 615. t. 9
14. 315. t. 1. & 340. t. 11.
17. 160. t. 14. & 257. t. 8. & 259. t. 17
18. 285. t. 13
21. 432. t. 4
29. 468. t. 14. & 515. t. 39. & 756. t. 15
II, 19. 397. t. 3
23. 648. t. 15
III, 6. 337. t. 19
8. 568. t. 11
13. 285. t. 13. & 430. t. 5
16. 524. t. 39
31. 335. t. 11
34. 358. t. 32
IV, 14. 662. t. 25. & t.

t. 26
23. 171. t. 26
42. 514. t. 39
V, 19. 430. r. 7
21. 397. t. 5
23. 628. t. 18
24. 660. t. 22
27. 358. t. 33
39. 551. t. 10
VI, 6. 84. t. 19
29. 637. t. 8. 8. & 736. t. 22
33. 336. t. 14
37. 656. t. 16
38. 39. 402. t. 15. & 430. t. 6
44. 572. t. 20. & 560. t. 18. & 600. t. 12
45. 585. t. 39. & 619. t. 7. & 681. t. 17
46. 382. t. 16
48. 359. t. 36
51. 515. t. 39
62. 430. t. 6
63. 435. t. 12
69. 618. t. 6. & 679. t. 13
VII, 5. 375. t 23
8. 84. t. 18
22. 240. t. 8
38. 596. t. 20
39. 602. t. 14
VIII, 11. 124. t. 4
23. 335. t. 11
38. 430. t. 7
59. 355. t. 18
X, 15. 501. t. 15
17. 18. 416. t. 18
22. 113. t. 8
27. 652. t. 11
28. 655. t. 15
36. 425. t. 3
XI, 25. 398. t. 5
XII, 31. 241. t. 13
43. 637. t. 11
44. 628. t. 19
XIII, 24. 29. t. 23
34. 220. t. 27
35. 40. t. 8
XIV, 1. 628. t. 18
6. 213. t 9. & 427. t. 7
16. 658. t. 20
17. 681. t. 17
20. 679. t. 13
23. 744. t. 17
26. 527. t. 8
XV, 2. 6. 664. t. 29
13. 506. t. 25
22. 551. t. 10
26. 681. t. 17
XVI, 28. 400. t. 5
XVII, 2. 503. t. 18
3. 618. t. 6. & 627. t. 15. & 733. t. 10
9. 505. t. 21
12. 656 t. 16. & 670. t. 38
XVIII, 36. 532. t. 12

ACTA.

C. I, v. 9. 10. 400. t. 4
II, 24. 393. t. 13. & 398. t. 7
27. 395. t. 6
31. 391. t. 11. & 394. t. 4
39. 641. t. 14
III, 19. 721. t. 3
25. 213. t. 7. & 333. t. 5
IV, 12. 213 t. 6
24. 555. t. 27
28. 588. t. 45
V, 29. 57. t. 51
41. 787. t. 28
VI, 10. 11. 605. t. 22
VII, 38. 294. t. 25
35. 247. t. 26
38. 246. t. 25
41. 61. t. 9
51. 605. t. 22
53. 246. t. 26
56. 401. t. 12
VIII. 563. t. 27
22. 686. t. 26
IX, 7. 401. t. 12
X. 563. t. 27
XI, 18. 603. t. 15

XIII,

XIII, 39. 277. t. 21
46. 664. t. 29
XIV, 16, 17. 234. t. 24. & 559. t. 13
XV, 10. 159. t. 10. & 166. 14 & 177 t. 9. & 764. t. 16
11. 214. t. 11
20. 181. t. 20
XVI, 14. 581. t. 35
XVII, 26. 27. 234. t. 25
29. 70. t. 6
30. 234. t. 25
XVIII, 18. 180. t. 17
25. 180. t. 18
XIX, 4. 5. 222. t. 37
11. 57. t. 11
XX, 7. 102. t. 5
16. 113. t. 9
27. 32. t. 4
28. 242. t. 17. & 412. t. 5
XXI, 25. 181. t. 20
XXIII, 5. 146. t. 16
23. 74. t. 2
XXVI, 18. 487. t. 10. & 719. t. 9

AD ROMANOS.

C. I, v. 3, 4. 342. t. 16
4. 397. t. 4
5. 611. t. 3
16, 17. 696. t. 2
17. 741. t. 12
19. 4. t. 12
23. 70. t. 5
II, 13. 696. t. 2
14. 4. t. 12. & 209. t. 9. & 210. t. 11
III, 3. 611. t. 3
20. 153. t. 9. & 699. t. 10
21. 222. t. 35
23. 755. t. 11
24. 156. t. 2. & 701. t. 13. & 741. t. 12
25. 172. t. 30. & 275. t. 18
27. 205. t. 11. & 210. t. 12
28. 740. t. 8
30. 750. t. 8
31. 157. t. 4
IV. 2. 741. t. 10
3. 611. t. 3. & 733. t. 10
4. 707. t. 7
5. 694. t. 13. & 713. t. 20 & 720. t. 12
6, 7. 492. t. 24
8. 701. t. 14
11. 259. t. 16
15. 154. t. 9. & 178. t. 11
16. 204. t. 7. & 245. t. 23
21. 614. t. 7. & 683. t. 19
25. 468. t. 13. & 749. t. 11
V, 1. 685. t. 22. & 719. t. 9
5. 744. t. 19
6, 7. 465. t. 9
8. 506. t. 25
9. 713. t. 18. & 749. t. 11
10. 487. t. 10
17. 615. t. 9
18, 19. 513. t. 36
19. 489. t. 17. & 703. t. 19
20. 153. t. 9. & 159. t. 11
VI, 4. 398. t. 7
7. 692. t. 4
14. 158. t. 7
18. 160. t. 13. & 770. t. 10
23. 782. t. 16
VII, 2, 3. 158. t. 8
7. 30. t. 29. & 37. t. 6. & 149. t. 6
8. 159. t. 11
14. 38. t. 2. & 762. t. 11
15. 763. t. 14
17, 18, 19. 763. t. 13
23. 134. t. 7
24, 25. 763 t. 13
VIII, 1. 150. t. 8. & 721. t. 5
2. 157. t. 4
3, 4. 490. t. 19. & 713. t. 19
7. 762. t. 11
15. 250. t. 37. & 253. t. 45
16. 681. t. 17. & 757. t. 18
18. 785. t. 22
23. 728. t. 2. & 771. t. 11
24. 744. t. 19
26. 595. t. 15
29. 704. t. 22
31. 198. t. 22

32. 506. t. 24. & 656. t. 16
33. 693. t. 7
34. 528. t. 11
37, 38. 657. t. 18
38. 683. t. 19
IX, 4. 187. t. 5. & 728. t. 2
6. 342. t. 17
8. 189. t. 10
X, 3. 43. t. 3
4. 154. t. 10. & 219. t. 23
6. 285. t. 13. & 290. t. 14
9. 681. t. 16
15. 696. t. 2
16 189. t. 12
17. 574. t. 23. & 619. t. 7. & 626. t. 9
XI, 20. 644. t. 29
29. 659. t. 21
XII, 1. 787. t. 29
8, 9. 157. t. 4
19. 127. t. 18
XIII, 4. 125. t. 8
10. 40. t. 8. & 636. t. 6
12, 13. 133. t. 5
XIV, 5, 6. 98. t. 39. & 105. t. 16
15. 516. t. 42
XV. 8. 437. t. 20
16. 167. t. 17. & 452. t. 19
XVI, 25. 219. t. 24. & 252. t. 43

I. AD CORINTHIOS.

C. I. v. 13. 465. t. 9
21. 626. t. 9
30. 427. t. 7
II. 2. 68. t. 21
3. 687. t. 29
4. 572. t. 20
6. 759. t. 4
12. 679. t. 13. & 683. t 18
III. 6, 7, 9. 583. t. 37
9. 595. t. 14
16. 548. t. 39
21. 918. t. 22
IV, 4. 686. t. 25. & 700. t. 12
7. 585. t. 41. 604. t. 17
V, 5. 670. t. 40
7, 8. 113. t. 12
15. 776. t. 15
VI, 11. 703. t. 20
19. 584. t. 39
20. 464. t. 6
VII, 4. 134. t. 7
13, 14. 77. t. 11
14. 641. t. 14
19. 178. t. 11
23. 33. t. 4
25, 40. 33. t. 6
26. 32. t. 2
36. 91. t. 2. & 120. t. 17
VIII, 4. 61. t. 9
10, 11. 516. t. 42
IX, 12, 15. 35. t. 10
X, 4. 219. t. 22. & 259. t. 16
XI, 24 260. t. 20
28 680. t. 15
32. 724. t. 13
XII, 11. 548. t. 39
12. 437. t. 11
14. 193. t. 13
31. 148. t. 1
XIII, 2. 619. t. 11. & 637. t. 11
3. 130. t. 29
8. 638. t. 11
XIV, 32. 431. t. 1
40. 180. t. 19
XV. 10. 594. t. 13
22. 335. t. 11. & 513. t. 36
24. 537. t. 10
25. 402. t. 3
28. 536. t. 8. & 537. t. 11, 12
47. 335. t. 11
54, 55. 393. t. 14
XVI, 2. 99. t. 39. & 102. t. 6

II. AD CORINTHIOS.

C. I. v. 6. 480. t. 17
7. 481. t. 18
21, 22. 682. t. 17
22. 682. t. 17
III, 2, 3. 173. t. 36
5. 681. t. 27
6, 7. 159. t. 12. & 190. t. 13. & 248. t. 31. & 258. t. 12. & 584. t. 38.

7, 9.

7, 9. 252. t. 42
9. 154. t. 9. & 294. t. 25
11. 252. t. 42
15. 198. t. 21. & 250. 35
17. 262. t. 23. & 603. t. 16
18. 199. t. 23. & 259. t. 19. & 755. t. 11
IV. 2. 81. t. 9
5, 6. 598. t. 9
17. 785. t. 22. & 788. t. 33
V. 5. 682. t. 17
14. 573. t. 20. & 21
15. 513. t. 36
16. 54. t. 4
17. 594 t. 11
18, 19, 20. 415. t. 14
19. 513. t. 36. & 749. t. 11
21. 647. t. 12. & 491. t. 21
VI, 1. 495. t. 14
VII, 11. 483. t. 24. & 671. t. 40
15. 687. t. 29
VIII, 9. 363. t. 8
X. 4. 125. t. 11
5. 620. t. 13
XI, 24. 448. t. 19
XII, 7. 220. t. 27
9. 684. t. 21. & 754. t. 22
XIII, 5. 680. t. 15

AD GALATAS.

C. I. v. 23. 611. t. 13
II. 3, 4. 180. t. 17
16. 740. t. 8
19. 157. t. 4
20. 501. t. 13. & 615. t. 10
III, 1. 68. t. 21
7, 8. 243. t. 19
8. 189. t. 12. & 213. t. 7
12. 156. t. 2. & 292. t. 21
13. 156. t. 2. & 243. t. 9. & 385. t. 7. & 367. t. 12. & 487. t. 10. & 713. t. 18
14. 219. t. 23
15, 17. 244. t. 21
16. 189. t. 10. & 213. t. 9. & 241. t. 13. & 244. t. 20
17. 291. t. 17
19. 153. t. 9. & 246. t. 26. & 410. t. 13
20. 410. t. 13
21. 189. t. 10. & 248. t. 29
23. 176. t. 6. & 293. t. 21
24. 1. t. 5. & 154. t. 10. & 166 t. 14. & 223. t. 37. & 248. t. 31
25. 611. t. 3. & 733. t. 10
27. 615. t. 9. & 756. t. 14
IV. 1, 2. 76. t. 6. & 258. t. 3. & 250. t. 36. & 262. t. 23. & 281. t. 32. & 759. t. 4
4. 5. 487. t. 10. & 719. t. 9 & 729. t. 6
5. 728. t. 2
8. 49. t. 15
9. 162. t. 5. & 166. t. 14
10. 98. t. 39. 105. t. 16
24. 240. t. 8. & 258. t. 12
26. 262. t. 23
V. 3. 700. t. 11
4. 178. t. 11, & 670. t. 39
6. 635. t. 3
14. 492. t. 24
17. 148. t. 1. & 762. t. 11
18. 159. t. 8.
19. 158. t. 8
VI, 2. 29. t. 23
5, 6. 771. t. 11

AD EPHESIOS.

C. I. v. 3. 243. t. 19
4. 770. t. 11
5. 748. t. 11
13. 189. t. 10. & 596. t. 20. & 659. t. 20. & 682. t. 17
14. 682. t. 17. & 771. t. 11
17, 18. 581. t. 35
18, 19. 672. t. 20. & 580. t. 33
19, 20. 398. t. 7. & 599. t. 9
21, 22. 418. t. 4
22. 402. t. 3
II, 8. 205. t. 11 & 603. t. 15. & t. 16. & 740. t. 8
10. 603. t. 16
12. 229. t. 13. & 162. t. 24
14. 163. t. 8. & 176. t. 6

15. 162. t. 5
III, 10. 286. t. 16
12. 621. t. 4
17. 610. t. 2
IV, 5. 612. t. 7
9. 336. t. 14. & 391. t. 10
10. 358. t. 30. & 400 t. 7. & 431. t. 9.
19. 6. t. 18. & 133. t. 5
30. 659. t. 20. & 682. t. 17
V. 2. 468. t. 14
3. 134. t. 6
5. 136. t. 5
25. 502. t. 16
31. 326. t. 9
VI, 2. 119. t. 16
5. 687. t. 29

AD PHILIPPENSES.

C. I. v. 29. 602. t. 15
II. 6, 7. 340. t. 13. & 363. t. 8
7. 335. t. 12
8. 490. t. 18
9. 629. t. 21
10. 68. t. 23. & 544. t. 19
12. 687. t. 29. & 788. t. 33
13. 583. t. 38. & 602. t. 15
III. 9. 696. t. 2. & 702. t. 15
10, 11. 686. t. 26
14. 546. t. 3
15. 759. t. 4
IV, 13. 767. t. 26

AD COLOSSENSES.

C. I. v. 15. 326. t. 8
18. 398. t. 6
20. 749. t. 11
23. 235. t. 25
24. 565. t. 9. & 480. t. 17. & 481. t. 18
II. 2. 614. t. 7
3 358. t. 31. & 381. t. 8
4. 164. t. 9
6. 615. t. 9
9. 171. t. 27. & 356. t. 25
11. 594. t. 11
14. 164. t. 9. & 166. t. 15. & 176. t. 6. & 178. t. 10. & 248. t. 31. & 294. t. 25. & 294. t. 25. & 721. t. 3
16, 17. 92. t. 20. & 93. t. 21. & 96. t. 30. & 105. t. 16
17. 164. t. 10
III. 11. 514. t. 37
24. 786. t. 23

I. AD THESSALONICENSES.

C. I, v. 5, 6. 583. t. 37.
IV, 3. 134. t. 6
V, 23. 754. t. 5

II. AD THESSALONICENSES.

C. I, v. 5. 787. t. 28
11. 583. t. 38
II, v. 14. 771. t. 11

I. AD TIMOTHEUM.

C. I, v. 5. 40. t. 8. & 41. t. 10
9. 153. t. 9. & 158. t. 8
19, 20. 611. t. 3. & 664. t. 29
II, 5. 203. t. 6. & 414. t. 23. & 420. t. 11.
6. 410. t. 11
III, 16. 397. t. 4. & 332. t. 8. & 431. t. 15.
IV, 1. 664. t. 29
2. 6. t. 18
10. 501. t. 14
16. 692. t. 4
V, 8. 139. t. 23
14. 32. t. 2
VI, 9. 136. t. 5
21. 665. t. 29

II. AD TIMOTHEUM.

C. I, v. 7. 573. t. 20
9. 545. t. 3. & 747. t. 6. & 748. t. 11
10. 221. t. 30
12. 615. t. 10. & 679. t. 13
II, 6. 514. t. 38
10. 481. t. 17
19. 643. t. 2. & 664. t. 29 & 770. t. 11

IV, 8. 788. t. 34

AD TITUM.

C. I v. 1. 643. t. 2
II, 14. 464. t. 6. & 503. t. 16
III, 5, 6, 7. 704. t. 21

AD PHILEMONEM.

v. 18. 707. t. 7

AD HEBRÆOS.

C. I, v. 1, 2. 437 t. 18
2, 3. 427. t. 7. & 434. t. 12
II, 1, 2, 3. 31, t. 32
9. 513. t. 36
11. 754. t. 3
13. 583. t. 38
14, 15, 16. 232. t. 14. & 334. t. 6
16. 334. t. 7
17. 381. t. 6. & 472. t. 21
III, 2, 3. 247. t. 26
6, 14. 623. t. 11
IV, 1. 86. t. 3
3, 4. 86. t. 3. & 89. t. 11
4. 86. t. 3
16. 172. t. 30
V, 5. 441. t. 11
7, 8. 398. t. 9. & 603 t. 16
VI, 4, 5, 6. 648. t. 14
16. 80. t. 8
VII, 2. 444. t. 13
3. 443. t. 9. & 444. t. 13
7. 445. t. 14
16. 162. t. 5. & 442. t. 4 & 444. t. 12
18. 166. t. 14
19. 167. t. 18. & 221. t. 31
21, 23. 269. t. 18. & 445. t. 14. & 446. t. 16
24. 446. t. 17. & 536. t. 7
VIII, 3. 440. t. 8
4. 526. t. 2
6. 178. t. 12. & 222. t. 34
7. 251. t. 40
IX. 6, 7. 470. t. 17
8. 185. t. 14. & 221. t. 32
10. 162. t. 5
13. 251. t. 39
14. 168. t. 19 & 416. t. 19
15. 187. t. 6. & 276 t. 18. & 729. t. 5
18, 20. 240. t. 9
28. 503. t. 17
X, 1, 2, 3, 4. 164. t. 10. & 166. t. 14. & 168. t. 18. & 176. t. 6 & 248. t. 31 & 278. t. 24
2. 279, t. 26
3. 278. t. 25
5. 195. t. 14. & 371 t. 11
10. 386. t. 11. & 486. t. 8
11. 277. t. 22
12. 404. t. 13
14. 754. t. 3
20. 240. t. 9
21. 614. t. 7
29. 517. t. 44. & 664 t. 29
XI, 1. 619. t. 12. & 623. t. 11. & 733 t. 13. & 644. t. 6. & 680. t. 14
3. 618. t. 6. & 623. t. 11
4, 7. 704. t. 23
6. 633. t. 13. & 639. t. 7
16. 217. t. 18. & 734. t. 12
26. 481. t. 18
31. 145. t. 9
39. 221. t. 29. & 286. t. 17
40. 286. t. 16
XII, 2. 656. t. 16
23. 418. t. 4
XIII, 4. 132. t. 3
5. 652. t. 11
8. 214. t. 10. & 258. t. 13
10. 172. t. 31
15. 170. t. 24
16. 780. t. 9. & 787. t. 29
21. 602. t. 15

JACOBUS.

C. I, v. 8. 645. t. 7
14. 148. t. 2
15. 150. t. 9
II, 8. 152. t. 4
14. 203. t. 6. 638. t. 11
19. 611. t. 4

24. 745.t.22
26. 636.t.4
III, 2. 761.t.10
IV, 1. 126 t.14
4. 136.t.5
V, 12. 25.t.14

I. PETRI.

C I, v. 8. 685.t.22
10, 11. 250.t.34
12. 172.t.30.& 220.t.28. & 286 t.16.
17. 688.t.29
19. 173.t.37.& 464.t.6
20. 195.t.15
21. 628.t.20
23. 662.t.25
II, 2. 573.t.20
14. 125.t.8
16. 160.t.13.& 770.t.10
21. 158.t.5.& 473.t.25
24. 466.t.10
III, 15. 681.t.16.& 753.t.2
18. 342.t.17.& 465.t.9
19. 285.t.15.& 392.t.12
22. 402.t.3
IV, 3, 4. 133.t.5
4. 390.t.7
6. 189.t 12
17. 483.t.24.& 724.t.13
19. 541.t.9

II. PETRI.

C. I, v. 4. 351.t.9
9. 758.t.22
19. 250.t.35
II, 1. 517.t.43

I. JOHANNIS.

C. I, v. 3. 198.t.21
8. 761.t.10
II, 1. 421.t.9.& 527.t.8
2. 515.t.40
3, 4. 679.t.12.& 13
7, 8. 22.t.6
8. 157.t.4.& 220.t.27

15, 16. 133.t.5
19. 663.t.27
20. 600.t.13
27. 585.t.39
III, 2. 199.t.23
8. 248.t.13
9. 641.t.13.& 660.t.23
14. 743.t.16
15. 150.t.11.& 666.t.31
16. 28.t.22.& 465.t.9.& 473.t.25.
21. 684.t.20
IV, 18. 687.t.28
20. 41.t.8
V, 3. 766.t.21
13. 660.t.22

JUDÆ.

v. 4. 770.t.10
v. 9. 54.t.3

APOCALYPSIS.

C. I, v. 1, 2. 167.t.17
5, 6. 719.t 9.& 756.t.15
13. 401.t.8
II, 17. 679.t.13
III, 4. 787.t.28
18. 32.t.4
20. 361.t.20.& 582.t.36
IV, 11. 541.t.9
V, 6. 528.t.14
8, 9. 422.t.16
9. 514.t.37
VII, 14. 756.t.15
15. 786.t.17
VIII, 3. 527.t.9
XI, 8. 132.t.2
15. 536.t.7
XII, 10. 536.t.7
XIII, 8. 215.t.13.& 266.t.7
XIX, 7. 536.t.7
XXI, 22, 23. 536.t.7
XXII, 11. 694.t.12
12. 786.t.26

INDEX
RERUM ET VERBORUM
MEMORABILIUM,
Quæ hìc occurrunt.

A.

Abnegàtio *nostri precepta fuit in Veteri Testamento.* Pag. 23. Th. 8. & 31. t. 30

Abrahæ *semen promissum quodnam fuerit?* 244 t. 20

Magnitudo fidei ejus in oblatione Filii. 244. t. 22

Quomodo fides illi imputata sit ad Justitiam? 733. t. 10

Abrahæ *sinus quid sit?* 282. t. 5

Abstinentia *à sanguine & suffocato non fuit juris perpetui.* 181. t. 20

Ἄδης *vox quid significet?* 394. t. 3

Adoptio *pars Justificationis.* 716 &c.

Quid sit, & quomodo conveniat cum Adoptione humana, & quomodo ab ea differat? 728. t. 2. 3

Adoptio jam data fuit fidelibus in V. Testam. 729. t. 6

Adoratio *quænam debita Christo Mediatori?* 539. t. 1. & seq.

Æquivocationum *Magistri quinam fuere?* 79. t. 4

Utrum Æquivocationibus & Reservationibus mentalibus in Juramentis uti liceat? 78. usque ad 85

Æræ Christianæ *dignitas, & quando cœperit?* 363. t. 12

Afflictiones *fidelibus non sunt pœnæ peccati propriè, sed Castigationes.* 724. t. 13

Altare *duplex holocaustorum, & suffitus quid significaverit?* 172. t. 31

Amor *Dei cur dicatur primum & magnum mandatum?* 40. t. 8

Cur amor proximi dicatur illi simile? 41. t. 8

Angelorum *Mediator Christus non est.* 417. t. 1 &c.

Quomodo Angeli in Legislatione se habuerint. 246. t. 26

De Anno Natali Christi sententiæ variæ; Quinam Characteres, cur Spiritus Sanctus nihil speciale de eo dixerit? 364. t. 5

An incidat in 25. Decemb. an in finem Septemb. 366. t. 9. 10

Apostatæ *& Desertores non sunt de Ecclesia.* 663. t. 27

Arca Fœderis *quid significârit?* 172. t. 33

Articuli Fidei *qua certitudine credi debeant?* 689. t. 31

Ascènsio *Christi facta fuit per motum localem?* 399. t. 1, 2 &c.

As-

Assensus *Theoreticus & practicus fidei.* 613. t. 6, 7
Avaritia *vetita fuit sub Vet. Test.* 136 t. 5, 6
Aureolæ *quid sint apud Pontificios.* 790. t. 39
Rejiciuntur. 791. t. 40
Αὐτοχειρία *Gravissimum peccatum & quare?* 128. t. 22, 23
Αὐτοχειρίας *Samsonis, Eleazaris.* 16. t. 23. & 129 t. 24, 25
An factum eorum qui se simul cum navibus incenso pulvere pyrio tollunt, possit excusari ab αὐτοχειρίᾳ? ibid. t. 2, 26

B.

Baptismus *Symbolum Justificationis & Sanctificationis.* 757. t. 20
An Belli Jus *vetitum sit præcepto sexto?* 124. t. 5 &c
Vocis ברית *Etymon.* 185. t. 2
Betlehemi *cur natus sit Christus?* 313. t. 6
Bethsaiditæ *quomodo reprehendantur à Christo?* 607. t. 28

C.

Quid sit Lex Cæremonialis? 162. t. 4
Cæremoniæ *unde dicantur?* t. 4. & *earum origo?* ibid. t. 6
Distribuuntur in varias Classes respectu Personarum, respectu Sacrorum, respectu locorum, temporum. 168. t. 20, & seq.
Quid significârint præcipuæ Cæremoniæ? 168. t. 20 &c
Legis Cæremonialis usus & abrogatio. 1. t. 2
Candelabrum *quid significârit?* 172. t. 32
Canonizatio Sanctorum, *impium est Gentilitatis imitamentum.* 52, 50. t. 16
Castigationes *fidelium non sunt pœnæ propriè dictæ?* 481. t. 20 &c.
De Certitudine fidei *Sententiæ Pontificiorum & Orthodoxorum?* 674. t. 1, 2 &c.
Certitudo Divina, & non tantùm Conjecturalis probatur. 675 &c.
Certitudo fidei Absoluta, & Conditionata quid differant? 689. t. 32
Charitatis *Præceptum cur dicatur Novum à Christo?*
Charitas non est forma fidei. 635. t. 2
Sed ab ea non est separabilis. 937. t. 10
Christus *cur confertur cum Mose?* 31. t. 32
Christum esse Meßiam probatur. 313 & seq.
An verus fuerit homo? 332 &c. t. 4, 5, 6 &c.
Cur Dominus de cœlo? 335. t. 11.
An Caro Christi ex substantia Virginis desumpta sit? 333. t. 1 &c.
Quotuplex sit Christi Status, veritas utriusque, & neceßitas. 361. t. 1, 2, 3 &c. ad 8.
Quodnam fuerit principium activum Conceptionis Christi? 369. t. 3, 4
An Corpus Christi fuerit formatum momento? 372. t. 12, 13, 14
Cur Christus ex Virgine nasci debuerit,

buerit, & ex Virgine desponsata? 373.t.19 &c.
Quaenam Gratiae sint collatae humanae Christi Naturae? 377.t.1 &c.
An Christus raptus fuerit in Coelum ante inchoatum publicum Ministerium? 428 &c.t.1 &c.
Christus est Justitia quâ Justificamur. 712.t.17
Caetera de Christo vide in titulis, De Messia, Miraculis, Incarnatione, Mediatore, Nativitate, Scientia, Passionibus, Descensu ad Inferos, Resurrectione, Ascensione, Sessione & Satisfactione, & de ejus Muneribus. 295 &c.
Christianismi *mira fundatio.* 320. t.21 &c.
Quid per Coelum *in quod Christus ascendit intelligatur?* 400.t.6,7
Communicatio Idiomatum *quid sit?*
An sit tantum Verbalis, an realis? 350.t.4
Quid sit Communicatio in Abstracto, & in Concreto? 350.t.5,6
Non dari Communicationem in Abstracto, probatur. 351.t.9 &c.
Quotuplex sit Compositio, *& quare Persona θεανθρώπου dicatur à Patribus Composita.* 339.t.8
Concupiscentia *quotuplex?* 148. t.1,2.
An Concupiscentia Originalis in Lege prohibeatur? 149.t.4,5,6 &c.
An sit Peccatum? Ibidem, *& An motus primo primi Concupiscentiae sint peccata?* 150.t.10 &c.
Conjugii *Legitimi Conditiones.* 135. t.9
Quid de Conjugiis in gradibus prohibitis factis primitus censendum? 18,19.t.30
Consilia Evangelica *Pontificiorum, quid sint & quomodo distinguantur juxta ipsos à praeceptis, & quot ab ipsis numerentur?* 31.t.1,2 &
An dentur talia? 32,33,34.t.5 &c.
Quid de Consilio Continentiae perpetuae censendum? ibid.
Conversio *habitualis & actualis quomodo fit à Gratia efficaci?* 569. t.13.
Homo non se habet instar stipitis in ea. 571.t.16
An in primo Conversionis momento, homo merè passivè se habeat, nec voluntas illi cooperetur? 590. &c.
Corona *Justitiae quid sit? & quare dicatur?* 788.t.34
An Crux *sit culta ab Antiquis, & quid censendum de Signo Crucis quod fiebat in aëre?* 68.t.24
An Crucis tolerantia praecepta fuerit sub Veteri Testamento? 23.t.8 & 31.t.30
Quid sit Cultus, *& quot species juxta Pontificios?* 45,46.t.8
An Cultus Religiosus in varios gradus dispesci possit? 46.t.9,10
Quid censendum de Cultu Duliae & Latriae? 46.t.10
An solus Deus sit colendus? 42. ad 57

D.

Danielis *Septimanae quomodo supputandae?* 392.t.17 & seq.

David *per peccata sua non excidit à fide.* 665. t. 31
Decalogi *Præcepta quomodo dividantur?* 35. t. 1 &c.
An Decimum in duo dividendum? 37. t. 6
Quænam sint Regulæ tenendæ in Explicatione præceptorum Decalogi. 38. t. 1, 2. &c.
& in eorum observatione. 41. t. 9
Quotuplicia sint Præcepta Decalogi? ibid.
An Decalogus sit Fœdus Gratiæ? 247. t. 28. & seq.
An Descensus Christi ad Inferos *pertineat ad Statum Exaltationis?* 390. t. 7, 8 &c.
An denotet tantùm Sepulturam & Satum mortuorum? 394. t. 4, 5 &c.
An dolores & Cruciatus? 395. t. 7
An Desperatio *tribui possit Christo?* 386, 387. t. 14, 15
Quomodo Christus fuerit derelictus? 385. t. 6
Quid sit Deum esse Deum nostrum? 196. t. 17 &c.
Quomodo intelligatur hæc Propositio, Deus est homo? 343. t. 21
Deus vocat Reprobos serio, licet non intendat eorum Salutem. 552. t. 14, 15
Deus dat Cor novum. 601. t. 18 & *ipsum actum credendi.* 602. t. 15
Vox διαθήκη *quid significet?* 186. t. 3
An tantùm notet Testamentum, Annon innuat etiam Fœdus? 187. t. 4
Dies Dominicus *quid sit?* 101. t. 1
An mutatio Sabbathi in Diem Dominicum sit ordinationis humanæ? 101. t. 2 &c.
An Apostolicæ? 102. t. 5 &c.
Necessitas Observationis Diei Dominici. 106. t. 19. &c.
Modus observationis? 107. t. 23
A quibus operibus abstinendum? 108. t. 25 &c.
Quomodo dies dici possit Sanctus? 113. t. 11
Quid censendum de Diebus illis, qui apud quasdam Ecclesias insigniuntur nomine Apostolorum? 114. t. 14
Dignitas *Personæ & operis.* 787. t. 28
Quomodo fideles dicuntur digni. ibidem.
An Præceptum Dilectionis Proximi *sit correctum à Christo?* 27. t. 20 & seq.
De Dispensabilitate *præceptorum Decalogi quid sentiendum?* 8. t. 1 & seq.
Quomodo Divinitatis *Plenitudo dicatur habitare in Christo* σωματικῶς? 356. t. 25
An Deus præceperit Divortia? 18. t. 29 & 27. t. 19.
Dona *Dei* ἀμεταμέλητα. 659. t. 31
Duellum *propriè quid sit, & an sit licitum?* 130. t. 30, 31
De Cultu Duliæ. 46. t. 10

E.

Quis Elias *debuerit præcedere Messiam?* 310. t. 33
Traditio domus Eliæ quænam? 309. t. 32

Evan-

Evangelium *quot modis sumatur in Scriptura?* 189. t. 12 & 219. t. 24
Quinam sint Eunuchi, *de quibus Isaias & Christus?* 33. t. 6, 7
Eutychis *Error quinam fuerit?* 348. t. 13
Secundum quam Naturam Exaltatio & Exinanitio *Christi tribuenda sit?* 363. t. 7
Quomodo Christus dicitur factus Execratio? 467. t. 12
An Christus fuerit Expromissor, *An verò* Fidejussor *tantum sub Vet. Test.* 263. usque ad 270. t. 1 &c.

F.

An Festa *locum habere debeant sub Novo Testamento?* 110. t. 1 &c.
Quid significarint Festa hebdomadaria menstrua, & annua, apud Judæos. 173. t. 35
An omnes, qui Dies Festos nonnullos observant, sint damnandi? 114. t. 13
Quomodo Fides *est conditio Fœderis?* 204 &c. t. 11
An sola sit conditio Fœderis? 206, 207. t. 15, 16.
Quomodo cognoscatur vera Fides? 205. t. 13
Quotuplices sint Actus Fidei? 518. t. 46. &c.
An Fides servanda sit hæreticis & Infidelibus? 75. t. 7 &c.
An Christus Fidem habuerit & spem? 378. t. 5 &c.
Fidei Certitudo Divina probatur. 678. t. 12 &c.
Fidelis potest Fidem suam cognoscere. 689. t. 15
Fidei Necessitas & Dignitas. 610. t. 2
Homonymia. ibid.
Quatuor species. 611. t. 4
Varii actus Fidei. 613. t. 4 &c.
Directus, Reflexus, actus notitia, assensus, fiducia, Refugium, Receptio Christi, & adhæsio. ibid.
Fides non est assensus sine notitia. 617
Quo sensu Fides Implicita dici possit, quo sensu non? ibid. t. 2, 3
Quomodo Fiducia est de ratione Fidei? Triplex ejus Acceptio. 621. t. 3, 4 &c.
Quot sunt Actus Fiduciæ Christianæ? 522. t. 50
Fidei objectum debet esse verum, nec potest illi subesse falsum. 624. t. 2 &c.
Non aliud est quàm Verbum scriptum. 626. t. 9 &c.
Fides quo sensu dicatur imputari ad Justitiam. 711. t. 16
Fidei objectum proprium Deus in Christo. 627. t. 13 &c.
Et Promissio specialis misericordiæ. 629 &c.
Fidei triplex actus, Dispositorius, Justificatorius & Consolatorius. 630. t. 4
Fidei Distinctio in formatam & informem rejicitur. 635. t. 2
Fidei forma non est Charitas. ibid.
Non est obedientia mandatorum. 636. t. 5
Est inseparabilis à Charitate. 637. t. 10.

An Infantes habeant fidem? 638. t. 1 &c.
Fides temporaria non differt tantùm gradu, sed specie à fide Justificante. 642. t. 1. &c.
Sub quo respectu Evangelium apprehendat? 646. t. 10
Fidei Perseverantia probatur. 649. & seq.
Fides quomodo subsistere possit cum atrocibus peccatis. 672. t. 43
Fides non justificat per se & propriè, sed tantum Organicè & Relativè. 731
Fides Abrahami quomodo illi imputata ad Justitiam. 733. t. 10
Fides non Justificat meritorie vel dispositive. 734. t. 14 &c.
Verus modus Justificationis fidei aperitur. 735. t. 18
Fides quomodo dicatur Opus? 736. t. 22. 23
Fides sola, non solitaria justificat. 738.
An Filii *se Potestati Patrum subducere possint?* 116. 117. usque ad 123
Fœdus *unde dicatur? Ejus homonymia, & cur Promissio dicatur, & Evangelium?* 188. 189. t. 7, 8, 9, 10, 11.
Quotuplex Fœdus Deus iniit cum hominibus? 191. t. 3, 4 &c.
Quid sit Fœdus Gratiæ, quis Autor? 191, 192. t. 5, 6 &c.
Quæ partes contrahentes? 191. t. 3, 4 & 193. t. 10. 11
Fœdus fuisse inter Patrem & Filium probatur. 194. t. 13, 14
Quænam sint res pactæ à parte Dei, & à parte hominum? 196. t. 17, 18 &c.
An Fœdus dici possit Conditionatum, & quomodo? 202, 203. t. 1, 2, 3 &c.
Quodnam sit discrimen inter Conditiones Legalis Fœderis & Evangelici? 203. t. 4
Quænam sint Conditiones in Fœdere Gratiæ? 204. t. 10 &c.
Quomodo conveniunt & differunt inter se Fœdus Operum & Gratiæ? 208. t. 1 &c.
An unum sit Fœdus Gratiæ quoad substantiam in utroque Testamento, prob. à pag. 213. ad 224. t. 7, 8, 9 &c.
Cur promissa Novi Fœderis dicuntur præstantiora? 222. t. 34
An Fœdus Gratiæ unquam universale fuerit, vel quoad oblationem, vel quoad acceptationem? à pag. 225. ad 230. &c. t. 1, 2 &c.
Quid judicandum de promissionibus Fœderis Gratiæ? 235. t. 29 &c.
Cur Deus diversimodè Fœdus Gratiæ dispensârit? demonstratur. 237. t. 2, 3 &c.
Quotuplex & qualis fuerit ejus Oeconomia ab Adamo ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Mosen, à Mose ad Christum? 239. ad 246. t. 7 &c.
Quotuplex fuerit Oeconomia Fœderis sub Vet. Test. 249 &c. t. 32, 33 &c.
Materia, forma, finis, characteres & Effecta œconomiæ externæ Fœderis Gratiæ sub V. Test. & quænam

nam ejus promissiones? 249. t. 32 &c.

Qualis sit nova dispensatio Fœderis Gratiæ, quare Nova dicatur, in quo consistat, & ejus adjuncta. 253. t. 46, 47 &c.

Quot modis sumatur Fœdus vetus, & Fœdus novum? 255. t. 3, 4 &c.

An quoad substantiam Doctrinæ differant V. & N. Fœdus? 256. t. 7 &c.

An accidentaliter tantùm quoad dispensationis modum? 259. t. 18 &c.

An Fœdus Legale Sinaïticum, quod per Mosen fuit sancitum cum Populo Israelitico, fuerit tertium aliquod Fœdus specie distinctum à Fœdere Gratiæ & Naturæ. 288. t. 7 &c.

Duo esse tantùm Fœdera evincitur. ibid.

An Fœdus Sinaïticum fuerit purè Legale? 291. t. 17

Quotupliciter considerare possit Fœdus Mosaicum? 292. t. 18

Quid per Formam Dei *&* Formam Servi *intelligendum sit?* 340. t. 13, 14

An Christus Fratres *habuerit?* 375. t. 22, 23, 24

Furtum *quare vetitum sit?* 136. t. 2, 3

Quid sub præcepto vetante Furtum prohibeatur? ibid. t. 3

G.

Per Gog *&* Magog *quid intelligendum?* 312. t. 40

עלמה *Virginem notare probatur.* 316, 317. t. 12

Gratia *sufficiens distincta ab Efficaci nulla datur absolutè.* 557. t. 12 &c.

Gratia Efficax *non dicitur ab eventu, vel Congruitate.* 563 &c t. 1 &c.

Gratia Efficacis motio nec Physica est, nec Ethica simpliciter, sed supernaturalis & divina. 571. t. 18

Gratiæ subjectivæ & Immediatæ *necessitas, & veritas probatur.* 573. t. 23 *&c.* & pag. 577 &c. 29 &c.

Nihil habet commune cum Enthusiasmo. 590. t. 54 &c.

Gratiæ Excitantis & adjuvantis *distinctio quomodo admittenda, vel rejicienda.* 595. t. 7

Gratia gratis data, *&* Gratum *faciens.* ibid. t. 8

Gratia Præveniens & Operans. 593. t. 7

Gratia Irresistibilis *quid sit?* 597 &c. t. 3, 4

Gratia Efficax est semper Irresistibilis. 598 &c. t. 8, 9

Non infert Coactionem. 609. t. 30

Gratiæ status *quot modis dicatur, & quomodo ab eo excidere, vel non excidere possimus?* 672. t. 45

H.

An Hæreticis *fides servanda sit?* 75 &c. t. 7 &c.

An sub præcepto sexto prohibeatur Homicidium *Judiciale, Defensivum & Casuale?* 123. t. 1, 2 &c.

An omne homicidium prohibeatur? & homicidium sui ipsius? 127. 128. t. 19 &c.
Quomodo λόγος *communicâsse dicitur hypostasim Carni?* 344. t. 22
De Hypostatica Unione. 340. t. 11 &c.

I

Jesum Nazarenum *verum Messiam esse probatur.* 312. & seq.
An Nomini Jesu cultus aliquis debeatur? 544. t. 19
Quomodo ἱλασμὸς *&* ἱλαστήριος *dicatur Christus?* 471. t. 21
De Imaginibus *Pontificiorum sententia & praxis.* 58. t. 4 &c.
An Imagines sint colendæ? à pag. 60. ad 68. t. 7
An Inter Imaginem & Idolum sit discrimen? 61. t. 9
An Ecclesia Vetus Imagines coluerit? 63. t. 14 &c.
Pontificiorum circa Imagines dissensus. ibid.
An Imagines omnes etiam in usu Civili à Deo prohibeantur? 69. t. 2
An earum usus in locis sacris sit prohibendus? 69. t. 1 &c.
An Imitatio *Christi præcepta fuerit sub Vet. Testamento?* 23. t. 8
Imputandi *Verbum vel proprie, vel improprie sumitur.* 707. t. 7
Imputatum & putativum differunt. 708. t. 8
Voces quibus Incarnatio *in Scriptura designatur.* 325. t. 1
Incarnatio, An necessaria fuerit non posito peccato? 325. t. 3, 4 &c.
An necesse fuit Filium Dei Incarnari? 325 &c. t. 1
An sola secunda Persona S. S. Trinitatis fuerit incarnata, & quare? 330. t. 1 &c.
An Natura Divina bene dicatur Incarnata in Christo? 331. t. 7
Indulgentiarum *Thesauri falsitas.* 724. t. 15
Discrimen illarum à Veteribus. 725. t. 16
Infantes *quo sensu possint dici habere fidem, & non habere?* 638. t. 1 &c.
An Christus in Infernum *localiter descenderit?* 388. t. 1 &c.
Quotuplicem Infernum faciunt Pontificii? 282. t. 2
Intercessionis *Christi necessitas.* 526. t. 2 &c.
An Intercessio sit pars Officii Regii, an Sacerdotalis? 527. t. 7
Annon Intercedere sit indignum Christo? 528. t. 13
Intercessionis modus quisnam? ibid.
Quatuor actibus absolvitur. ibid. t. 14
Quomodo ab Intercessione Christi differant orationes nostræ? 529. t. 15
An Intercessio Christi ad humanam ejus Naturam restringenda sit? 529. t. 15
Invocandos *non esse Sanctos probatur.* 43 &c. t. 1, 2
Praxis Pontificiorum. 44, 45 &c. t. 6, 7, 8
De Sanctorum Invocatione quid censuerint Veteres? 50. t. 17. & 52. t. 24

Quid

Quid plerique ex Pontificiis? 51. t. 18
Ira & Odium *prohibentur Præcepto sexto.* 127. t. 20
Irresistibilitas *Gratiæ.* 597 &c. t. 3, 4
Judas *non fuit ex numero fidelium.* 670. t. 38
Judicium universale *secundùm quam Naturam Christo tribuitur.* 358. t. 33
Judicium Dei *duplex, vindictæ Judicialis, & Castigationis paternæ.* 724. t. 13
Jugum *Christi quomodo suave dicatur?* 765. t. 20
Præceptum de Juramento *an Christus emendârit?* 24. t. 12. *An prohibuit omne Juramentum?* 25. t. 14
An Juramentum, quod est de rebus illicitis, vel impossibilibus obliget Jurantem ad sui observationem? 74. t. 2, 3
Juramenta vitiosa quotuplicia sunt? ibid.
An Juramentum de re licita & possibili obliget? 74. t. 4 &c.
Ius Dei *quotuplex est?* 2. t. 4
Quid *Naturale? quid Positivum?* ibid. &. 9. t. 4
Quo *fundamento nititur Jus Naturæ, & quot modis usurpetur?* 4. t. 10 &c.
Jus Dominii & Jus Regiminis quid sit? 9. t. 4
Quid *sit Jus Divinum, Naturale, Increatum & Primarium, & Jus creatum & secundarium?* ibid. t. 6
Iustificationis *Articulus maximi momenti in Religione.* 691. t. 1
Controversia non est Nominalis, sed maxime realis. 698. t. 6, 7.
Justificationis homonymia. 692. t. 4, 5
Non sumitur sensu Physico, sed forensi. 693. t. 6
De Justificationis causa Meritoria. 695. t. 1
Justificatio Legalis & Evangelica quomodo differant? 696. t. 2
Justificatio impii quo sensu dicatur? 713. t. 20
Justificationis partes duæ, Remissio peccatorum, & Adoptio. 716, 717
Per Iustitiam *Activam & Passivam quid vulgo intelligitur?* 484. t. 1
An Justitia Christi, quæ nobis imputatur ad Remissionem peccatorum, & Ius ad vitam consequendam, nascatur tantùm ex pœnis quas passus est? 485. t. 8 &c.
Iustitia quotuplex est, & quid sit Iustitia Innocentiæ & Perseverantiæ? 493. t. 28
Iustitia Inhærens à nobis non negatur. 696. t. 4
Sed non est Causa meritoria Iustificationis. 699 &c. t. 10 &c.
Iustitia Causæ & Personæ differunt. 704. t. 25
Iustitiam Essentialem Christi nobis non imputari probatur contra Osiandrum. 710. t. 14
Iustitiam Christi nobis imputari ad Iustificationem probatur. 710, 711 &c. t. 15
Iustitia *Dei alia fidelitatis, alia distributiva & æqualitatis.* 786. t. 25
Iustitiæ *Corona quid sit.* 788. t. 34

L l

L.

Labrum *æneum quid significârit.* 173. t. 33
De Latriæ *Cultu.* 46. t. 10
Legis *Etymon*, *& quotupliciter sumitur, & quomodo dividitur?* 1, 2. t. 2 &c.
Lex Naturalis & Positiva quid sint? 2. t. 5
An Legis Naturalis origo petenda sit ex præceptis Noachidarum, vel à jure naturæ? 3, 4
Legem Naturalem dari probatur. 3. t. 8 &c.
Quomodo differat à Lege Morali per Mosem lata. 7. t. 22
De *Legis Moralis natura, An sit Iuris naturalis & indispensabilis?* 8. t. 1 &c.
Variæ sententiæ. 11. t. 10. 11
Indispensabilia esse præcepta probatur. 12. t. 12 &c.
Per Legis obligationem, Dispensationem, Declarationem, seu Interpretationem, Irritationem, Abrogationem, & Derogationem quid intelligendum veniat? 8. t. 2
An Lex Moralis mutata sit per Agrorum Divisionem, & per servitutum introductionem? 14. t. 18, 19
An Deus dispensaverit de secundo, de quarto, de quinto, de sexto, de septimo, de octavo præcepto? 14 &c.
Quid de Lege Leviratûs censendum? 19. t. 31
An Lex Dei *sit perfecta vitæ morumque Regula?* 20 &c. 152. t. 3, 4
An Christus Legem correxerit? 23 24 usque ad 28. t. 9 &c.
An Legi ejusque Præceptis aliquid sit additum? 29. t. 24 &c.
An Legi aliquid additum sit per modum Consilii? 31. ad 35
Legis usus quotuplex & quis sit absolutus? 152. t. 2
Legis usus Respectivus qualis sit, & quotuplex in Statu Instituto, Destituto & Restituto. 153. t. 8 &c.
An Lex obliget ad obedientiam & pœnam simul? 154. t. 12
An Lex abrogata sit quoad Justificationem, quoad Maledictionem & Coactionem. 156. t. 2
Non abrogatam esse quoad directionem probatur. 156. t. 3 &c.
Legis necessitas probatur. 157. t. 5, 6
Esse sub Lege quid sit? & quomodo sumus adhuc sub Lege? 158. t. 7
Lex quomodo confertur marito mortuo, & quare dicitur Littera occidens? 158. t. 8
Lex Mosaïca quotuplex sit, & quodnam sit fūdamentum distinctionis in Legem Moralem, Cæremonialem & Forensem. 161. t. 1, 2
Quale sit discrimen Legis Moralis ab aliis. 161. t. 2
Lex Cæremonialis quid sit, unde dicta? quibus nominibus insigniatur? 162. t. 4, 5
Quare Deus *Legem Cæremonialem instituit?* 163. t. 7
Quinam sit ejus finis & usus? 163. t. 8 &c.
An Lex Cæremonialis sit data ex ira in iram? 165. t. 13
Cur Lex dicatur Iugum ἀβάστακτον, &

& Chirographum adversum? 166 t. 14, 15. & 764 t. 16.
An Legis Caeremonialis finis fuerit Justificatio & Sanctificatio peccatoris? 167. t. 18 &c.
An Lex Caeremonialis abrogata sit? probatur 174. t. 1, 2 &c.
Modus Abrogationis & tempus. 178 usque ad 182. t. 10 &c.
Lex Forensis & Judicialis quid sit? quinam fines, & quomodo abrogata? 182. t. 1, 2 &c.
Legis promulgationis Author; Ministri, modus Legislationis. 246. t. 25 &c.
Legis opera excluduntur à Justificatione, non tantum Caeremonialia, sed Moralia etiam post Gratiam facta. 699. t. 10 &c.
An Christus possit dici Legislator? 433. t. 8.
Legis impletionis Impossibilitas quaenam à nobis asseratur? 759. t. 5
Libertas Christiana *quid sit?* 730. t. 9
Quaenam libertas propria sit N. T. 261. §. 23
Per Limbum *quid intelligant Pontificii?* 282. t. 2. 183. t. 7, 8
Lucta *Carnis & Spiritus describitur* Rom. 7. 762. t. 11. &c.
Quomodo differat à Lucta appetitus & Rationis? 764. t. 15

M.

Mariam *Virginem esse probatur.* 317. t. 13
An Maria semper Virgo fuerit tàm post partum, quàm ante? 374. t. 21
An benè dicatur Dei-para? 137
Mediatorem *necessarium fuisse probatur.* 193. t. 11
Quare Deus & homo esse debuit? ib. & 328. t. 19 &c.
Quaenam Mediatoris partes fuerint? 195. t. 16
Mediatoris vox unde dicatur? 407. t. 2
Mediatio quotuplex distinguatur? ib. t. 3
Quot modis aliquis Mediator dicatur, & quinam sint actus Mediatoris? 408. t. 5
An Christus sit Mediator tantùm Institutionis, Exempli, Confirmationis, Annon sit etiàm verus εἰρηνοποιός? 409. t. 8
An Christus fuerit Mediator secundùm utramque Naturam? 412. t. 5 &c.
An Pater & Spiritus Sanctus possint dici Mediatores? ibid.
An Christus sit Mediator Angelorum? 417. t. 1, 2 &c.
An solus Christus sit Mediator apud Deum, an Sancti etiam sint Mediatores? 419. t. 4 &c.
An possit distingui Mediator Redemptionis, & Mediator Intercessionis? 420. t. 7
An detur Mediator primarius & secundarius, ibid. t. 8
An Christus quà Mediator adorandus, & secundum quam naturam? 539. t. 1 &c.
Melchisedeck *quis fuerit?* 443. t. 9
Melchisedeci τάξις quid sit? 444. t. 12
Similitudo Christi cum Melchisedeco. 445. t. 13, 14
An consistat in Sacrificiis incruenti pa-

panis & vini oblatione? 446. t. 15
Non dantur multi Sacerdotes secundum ordinem Melchisedeci. 446. t. 16 &c.
Mendacium *quid sit?* 142. t. 1, 2
Quotuplex sit? 142. t. 3
An officiosum mendacium sit licitum? 143. t. 3, 4.
Quid de Mendacio Jacobi, & Rahab sit sentiendum? 145. t. 9
Meriti *vox quot modis sumatur.* 777. t. 2
Quotuplex statuatur apud Pontificios. 778. t. 3
Ejus veræ conditiones. ibid. t. 5
Meritum de congruo rejicitur. 779. t. 8
Variæ sententiæ Pontificiorum quoad meritum de condigno. 780. t. 10 &c.
Rejicitur. 782. t. 18. & seq.
Merces *duplex, ex debito & ex gratia.* 786. t. 24
Messias *quare non statim missus fuit post lapsum?* 295. t. 3
Cur non dilatus est adventus ejus ad finem sæculi? 296. t. 4
Annon jam venerit; & an tempus præfinitum præterierit? 297. ad 312. t. 7 &c.
De Messia, Judæorum Confessiones. 310. t. 32
Jesum Nazarenum esse Messiam probatur. 313. t. 3 &c.
Miracula *Christi qualia fuerint?* 318. t. 17, 18.
Calumniæ Judæorum retunduntur. 319. t. 19, 20
Misericordia *specialis quot modis sumatur?* 630. t. 4
Est objectum fidei. 204. t. 11 &c.
Mors Christi *non est universalis pro omnibus & singulis.* 500. & seq. t. 13 &c.
Mors *Fidelibus non infligitur in pœnam.* 482. t. 22
Moses *quando Legislator?* 242. t. 26
Quomodo confertur cum Christo. 31. t. 32. 259. t. 17. *& ab eo differat?* 436
Potest spectari bifariam ut Doctor Ecclesiæ, & ut Dux Populi. 160. t. 15
Mosaicum Fœdus *quale fuerit?* vide Fœdus. 292. t. 18
Mosaicæ œconomiæ natura, finis & characteres. 245. t. 24. & seq.
Quis sit Mundus *pro quo Christus mortuus est.* 514. t. 39. & seq.
Munus Mediatorium *Christi quid sit? & quot gradibus institutum sit?* 418. & seq. t. 1
Munus Christi quotuplex? 425. t. 5 &c.
Rationes quibus triplex Christi Munus fundatur. 425. t. 5 &c.

N.

Nativitas *Christi fuit ordinaria.* 373. t. 16
Naturæ humanæ *Christi hostes varii, & quinam errores?* 332. t. 1, 2, 3
Annon natura humana assumta à Λόγῳ fuerit nostra per omnia similis, excepto peccato? 332 &c.
An Filius Dei Naturam humanam assumpserit in unitatem Personæ? 337. t. 1 &c.
An Natura humana possit dici tum adjunctum, tum pars θεανθρώπου? 338. t. 6.
An Natura humana sit Persona? 343. t. 18

Na-

Naziræi *quinam fuerint; & quid significarint.* 169.t.22
Nestorii *error quinam fuerit?* 345.t.3
An injustè in Concilio Ephesino damnatus fuit? 346.t.4
Notitia *est de ratione fidei.* 618.t 8,9.

O.

Obedientiæ *Regularis, Consilium rejicitur.* 32.t.4
Obedientiæ Legi debitæ Conditiones. 41.t.9 &c.
Oblationis *Cruentæ & Incruentæ distinctio* ἀσύστατ☉. 452.t.30
Oculi *ad videndum quid sunt?* 606. t.24
Syncategorema Omnis *sumitur diversimode in Scriptura.* 513.t.37,38
An Omnipræsentia, Omnipotentia & Omniscientia *Naturæ humanæ Christi communicatæ sint?* 353.t.17. & seq.
Opera *Legis tàm Moralia quàm Cæremonialia excluduntur à Justificatione.* 699.t.10 &c.
Operibus quomodo Vita æterna reddatur? 744.t.21
Operum bonorum necessitas quanam à nobis asseratur, non meriti, sed medii, & quare? 768.t.1
Operum meritum rejicitur. 782.& seq.t.19
Non habent conditiones veri meriti. 785.t.22
Oraculorum *cessatio signum Messiæ adventus.* 309.t.31
Oves *Christi denotant Electos.* 501.t.15

P.

An Parabola *mendacium dici possit?* 147.t.17.
Paracletus *quomodo de Christo & Spiritu Sancto dicatur?* 527.t.8
Parentes *quomodo honorandi?* 115.t.2
An eorum consensus sit necessarius in matrimoniis filiorum? 119.t.14 &c.
An πάρεσις, *&* ἄφεσις *differant?* 274.t.15
Passiones *Christi an possint dici Gehennales?* 386.t.12
An Christus verè passus fuerit? 383.t.1
An Christus passus fuerit in anima? 384.t.4 &c.
An Satisfactio Christi restringenda sit ad Passiones, an verò sit extendenda ad obedientiam activam? 484.t.1. & seq.
An Passiones satisfactoriæ sint restringendæ ad eas, quas per triborium passus est? 485.t.7 &c.
An Patres *V.T. fuerint adhuc sub reatu & ira Dei?* 272.t.11
Remissionem peccatorum eos habuisse probatur. 273.t.12
Non tantùm πάρεσιν, *sed &* ἄφεσιν 274. & seq.t.15.&c.
An detenti fuerint in Limbo? 282.t.2
Quid de Paupertatis *voluntariæ Consilio statuendum?* 33.t.45
Peccatum *sub multiplici* σχέσει *potest considerari.* 454.t.6
Quomo Christus sit factus peccatum. 467.t.12
Peccati Regnum partiale & universale. 673.t.46
Peccata Sanctorum non arguunt eos defecisse à fide. 655.t.30 &c.
Perfectio *fidelis multiplex. Quanam à nobis asseratur, & quanam negetur?*

tur? 759.t.4
Perfecti quinam dicantur in Scriptura? 766.t.22
Perseverantia *fidei & Justificationis probatur. Vide fides.* 204.t.11
Ejus fundamenta. 651.t.9
Promissiones de perseverantia non sunt conditionata, sed absoluta. 652 t.11
Perseverantia nostra non est Physica, sed Moralis. 668.t.35
Petrus *abnegando Christum non defecit à fide.* 667.t.33
Phineæ *homicidium quale?* 16.23
De Polygamia *simultanea Patriarcharum.* 17.t.29
An sit licita? 134.t.8
Esse Dei Populum *quid sit?* 201.t.27
Prophetia *quotupliciter sumatur, Quo sensu Christo tribuatur?* 431.t.1,2 &c.
Necessitas muneris Prophetici. ib.
Et veritas. 432.t.3,4,10,11
Quænam sit natura Prophetiæ Christi & quænam partes? 433.t.5 &c.
Quinam sit modus Prophetiæ, & Characteres? 434.t.12. &c.
Quomodo Christus ab aliis Prophetis & à Mose differat? 436.t.17 &c.
Prophetici Muneris objectum. 437. t.20
An Proprietates *Naturæ Divinæ Christi sint communicatæ Naturæ humanæ?* 351.t.10

R.

Redemptio *quotupliciter sumatur?* 464. t.7.
Redemptio Christi cujus Generis fuerit? 465.t.8
An Reliquiæ *Sanctorum sint colendæ?* 54.t.3 &c.
Reliquiarum fraudes. 54.t.6
Reliquiarum cultus quibus gradibus introductus? 56.t.8
Regnum *Christi duplex, Essentiale & Mediatorium.* 530.t.2
Regni Mediatoris necessitas, Veritas, Partes. ibid.t.3 &c.
An fuerit Temporale? 531.t.7 &c.
An sit duraturum in æternum? 534. t.1 &c.
Remissio Dei *& hominum quomodo conveniant?* 462.t.228
An Deus possit remittere de Iure suo? 462.t.25
Remissio peccatorum non absolvit Iustificationem. 717.t.2 &c.
Non est eorum abolitio, sed condonatio. 720.t.1 &c.
Est totalis tam culpæ quam pœnæ, tam pœnæ temporalis quam æternæ. 722. t.9,10
Extenditur ad omnia peccata etiam futura, & quo modo? 728.t.18 &c.
Repudii *libellus qua de causa datus sit?* 27.t.19
Resistentia *totalis & partialis.* 605. t.22
Resurrectio *Christi quare tribuatur Patri?* 398.t.7
Resurrectio Christi probat eum esse Messiam. 320.t.20
An resurgens Christus saxum penetrarit? 398.t.10
In Ritibus *constituendis in Ecclesia cautiones observandæ.* 180.t.19

S.

Sabbathi *Etymon & significatio multiplex.*

plex. 85. t. 1, 2
Quotuplex Sabbathum in Scriptura numeratur? 86. t. 3
Quando Institutum? An ante Legem? 87. t. 6 &c.
An præceptum de Sabbatho sit omni ex parte Morale & perpetuum? 92. t. 20 &c.
An sit omni ex parte Cæremoniale? 94. t. 26 &c.
An partim Morale & partim Cæremoniale? 96. t. 32 &c.
Sacerdotium *Christi quid sit?* 438. t. 2
An Christus verus fuerit Sacerdos & quidem in terris? 439. t. 5, 6
An Sacerdotium à Regno distinguatur? 440. t. 7
Collatio & discrimen Sacerdotii Levitici & Christi. 441. t. 2 &c.
Sacerdotium Melchisedeci quodnam fuerit? 445 &c.
Sacrificia *unde ortum habuerint, & quotuplicia fuerint?* 169. t. 24 &c.
Sacrificii Christi triplex effectus. 469. t. 14
Annon omnia sacrificia hilastica Christi sacrificium adumbrârint? ibid. t. 15
An sacrificia sub Lege pro levioribus peccatis tantum offerebantur? 470. t. 17
Salomon *per peccata sua non excidit à fide.* 656. t. 32
Samsonis αὐτοχειρία. 16. t. 23. 129. t. 24
An Sancti *piè in Domino defuncti aliquo honore sint prosequendi?* 43. t. 2 &c.
An sint invocandi? Vide Invocatio.
An possint cognoscere nostras Necessitates? 48. t. 12
Sanctorum peccata qualia sint? 655. t. 30 &c.
Sanctificationis *homonymia.* 753. t. 2
Non consistit tantùm in actuum emendatione, sed in naturæ renovatione. 754. t. 4
Distincta est à Justificatione diversimodè. 755. t. 9
Sed non potest ab ea separari. 756. t. 15
Rationes Connexionis istius aperiuntur. 756. t. 16 &c.
Ejus Imperfectio probatur contra Pelag. 758. t. 1 &c.
An abstinentia à Sanguine *&* suffocato *fuerit Juris perpetui?* 181. t. 20 &c.
Satisfactio *quot modis sumatur?* 454. t. 3
Quomodo Remissio & Satisfactio conveniant? 455. t. 8. 462. t. 26. 477. t. 5.
Sub qua σχέσει *Deus spectetur in Satisfactione?* 456. t. 9
Cuinam persolvi debuerit? 457. t. 11
Christus satisfaciens quam σχέσιν *induit?* ibid. t. 12 &c.
Satisfactionis necessitas probatur. 458, 459, 460, 461
Veritas. 463. t. 1 &c.
Perfectio. 477. t. 11 &c.
Anno Christus satisfecerit pro omni pœna etiam Temporali? 480. t. 13, 14
An detur locus satisfactionibus humanis? 479. t. 12
An satisfactum sit Justitiæ Dei per meram acceptilationem? 480. t. 15, 16
An Satisfactio Christi restringenda sit ad Passiones, an verò sit extendenda ad obedientiam activam? 484. t. 1 &c.

An meritum & satisfactio sint ἀσύ-στατα? 488. t. 13
Satisfactionis Objectum non sunt omnes & singuli. 495. t. 1
Satisfactiones humanæ non subordinantur Satisfactioni Christi sed opponuntur. 723. t. 11, 12
שאר *Quid significet?* 394. t. 3 &c.
Per שבט *quid intelligendum?* 299. t. 11
Per Schilo quid intelligendum? 297. t. 8 &c.
Scientia *Christi quotuplex juxta Scholasticos?* 379. t. 1
Securitas *Duplex, carnalis & spiritualis.* 690. t. 37
Quid per Semen Mulieris *intelligendum?* 231. t. 18, 19
Et per Caput *Serpentis* ibid. & 241. t. 14, 15
Quid per Semen Abrahami? 243. t. 19 &c.
Semen Fidei *quid sit?* 641. t. 13
Septimanæ *Danielis, vide Daniel.*
Sessio Christi *an sit intelligenda literaliter an figurate?* 402. t. 2. 3
Quid designetur per eam & quomodo Christo competat? 403. t. 3 &c.
Quando sedere cœperit? 404. t. 10, 11
An Sessio Christi notet ubicationem Corporis Christi? 405. t. 14, 15, 16
Quænam Servitus *obtinuerit sub V. Test.* 250. t. 36 &c. & 261. t. 23.
Simulatio *quotuplex?* 146. t. 14
Quid de Simulatione Christi judicandum? ibid.
Spiritus Sanctus *quomodo se habuerit in Conceptione Christi? An poßit dici ejus pater?* 370. t. 5, 6, 7
Spiritus Sancti operatio in B. Virgine quænam fuerit? 371. t. 9, 10, 11
Spiritus Sancti & Filii donum est inseparabile. 506. t. 24
An Christus poßit dici meruisse Spiritum Sanctificantem & Consolantem, non Illuminantem? 509. t. 30
Spiritus Testimonium variis similibus adumbratur Doctoris, Testis, Scribæ, Sigilli, Arrhabonis. 681. t. 17
Spiritus in Conversione non agit sine Verbo, sed non solum mediate per Verbum, sed etiam immediate. 571. & 577. t. 29. &c.
Spiritus Sancti Custodia & obsignatio perpetua. 658. t. 20
Quid sit Spiritus adoptionis, *& servitutis?* 253. t. 43, 44, 45
Quomodo Christus Sponsor *noster dicatur, & quænam Sponsionis ejus natura fuerit?* 263. t. 1. & seq.
Subjectio *Legi quotuplex?* 488. t. 15
Quomodo Christus fuerit subjectus Legi? 489. t. 16
Substitutio *in locum alterius non ignota Ethnicis.* 457. t. 13
Substitutionis licitæ conditiones. 458. t. 14
An substitui Christum in locum nostrum justum fuerit? 458. t. 15
Synergistæ *refutantur.* 592. t. 1 &c.

T.

Tabernaculum & Templum *quid significarint?* 171. t. 27 &c.
Templum secundum quodnam fuerit? 307. t. 27. & seq.
Templum Ezechielis quale? 311. t. 38
Τάξις *Melchisedec quid sit?* 444. t. 12. & seq.
Temporariorum *Characteres, & quomodo*

modo differant à veris fidelibus? 642. & seq. t. 1
An Vetus Testamentum *inchoandum ab Adamo, an à Mose?* 239. t. 7, 8 &c.
Quis Timor ἀσύστατος *cum Certitudine fidei, & quis cum ea subsistat?* 687. t. 28. & seq.
Timor filialis quid importet? ibid.
Tractio Dei *qualis sit?* 600. t. 12
Trinitatis *Speculum an detur?* 48. t. 14

V.

Christus Vindictam *omnem non abolevit.* 26. t. 17
An Maria Virginitatis Votum *nuncuparit?* 375. t. 26
B. Virgo Mater Christi. 314. t. 8 & seq.
Virgines *aliæ sunt propriæ, aliæ metaphoricæ.* 791. t. 43
Vita æterna *donum Dei.* 782. t. 16
Est hæreditas. 785. t. 23
Unio *quotuplex sit? & quid sit Unio hypostatica?* 337. t. 3 &c
An duplex à nobis Unio *hypostatica admittatur?* 339. t. 9.
Probatur Unio hypostatica. 340 t. 11 &c.
Quomodo facta fuerit? 345. t. 1. & seq.
Quænam sint Effecta Unionis hypostaticæ? 349. t. 1 &c.
Unio fidelium *cum Christo indissolubilis.* 656. t. 17
Vocatio *quid sit?* 545. t. 2
Cur ita dicta? 546. t. 4
Vocatio triplex à quibusdam ponitur realis, verbalis, spiritualis, sed melius in internam & externam, efficacem & inefficacem distinguitur. 546. t. 5, 6
Discrimen utriusque. 547. t. 7
Non differunt tantum Eventu. ib. t. 8
Vocatio efficax non dicitur ab Eventu, vel congruitate, sed à Gratia. 563. t. 1. & seq.
Variæ sententiæ Pontificiorum de ea proponuntur. ibid.
De Vocatione Reproborum. 548. t. 1 &c.
Quem in finem fiat? 549. t. 4 &c.
Quomodo maxime sit seria? 551. t. 14, 15. &c.
Vocatio Gentium *propria N. T.* 254. t. 48
Signum adventus Messiæ. 320. t. 21
Usura *quid sit, & quotuplex?* 137. t. 7, 8, 9
An sit licita? 137. t. 12 &c.

Z.

An Zacharias *fuerit summus Sacerdos?* 366. t. 10

BIBLIOTECA ...

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

10-2-3

Digitized by Google

Digitized by Google